MACEDO
SCHOLAE
THEOLOGIAE
POSITIVAE

SCHOLAE THEOLOGIAE POSITIVÆ.

SCHOLAE THEOLOGIÆ POSITIVAE

AD DOCTRINAM CATHOLICORVM, & confutationem Hæreticorum apertæ.

AVTHORE

P. M. F. FRANCISCO A SANCTO AVGVSTINO MACEDO
Franciscano ex Obseruantia Prouinciæ Lusitaniæ, Lectore Iubilato,
in Collegio de Propaganda Fide Controuersiarum, & in Alma
Vrbis Sapientia Historiæ Ecclesiasticæ Magistro,
& S. Officij Romæ Qualificatore.



ROMAE,
Ex Typographia Philippi Mariæ Mancini: M. DC. LXIV.

SVPERIORVM LICENTIA.



FRANCISCVS TIT. S. MARIÆ IN VIA S.R.E.
PRÆSBR. CARD. ALBIZIVS COESENATEN.
II. MARTII MDCLIV.


FRANCISCVS TIT. S. MARIÆ IN VIA S.R.E
PRAESBR CARD. ALBIZZIVS COESENATEN
II MARTII M·DC·LV.

EMINENTISSIMO,

ET REVERENDISSIMO

PRINCIPI

FRANCISCO CARDINALI ALBIZIO.

QVONIAM è Geneſi ſpectari, & æſtimari ſolent foetus, vt quibus lucidum, & benignum natalitium Sydus obtingit, ij fati fiduciam habeant, antiquiſsimum duxi in huius genitura libri aſtrum eiuſmodi adhibere, quòd cum lucem, & exiſtimationem ei afferret, tùm fortunam, & gratiam conciliaret. Accidit perbellè, vt votum in officij partem tranſiret,

cum

cùm quod expetendum erat, id mihi iure esset præstandum, nec possem de alio cogitare sydere, nisi de eo, cui me omninò addictum viderem. Exultaui fateor, cum sensi non modò compotem voti sine temeritatis nota fore, sed etiam felici necessitatis lege constringi ad obtinendum, quod non possem citra audaciam desiderare. Ecce obuiam mihi tuum, Eminentiss. Princeps, venit sidus, scintillantis instar, & annuentis, & suo aspectu confirmauit certam patrocinij spem futuram. Omnibus incessisse lætitijs me fateor, cùm comperi fortunam optatis respondisse. Ex auctore factus genethliacus ominari meo foetui fausta cæpi. Quidni? cùm Eminentia Tua tantùm dignitatis secum, & splendoris afferat, vt vndequàque collucens, non syderis modò, sed solis speciem præseferat. Clares natalibus in Albizia gente apprimè nobili, priscæ stirpis, iam inde ab Othone Tertio in Italiam adducta, quæ ingenti Reipublicæ bono Aretij, Vrbeueteri, alijsque vicinis in vrbibus sata, ac posteà translata Florentiam, ibi feliciter germinauit, & inter Principes illius

Ciui-

Ciuitatis familias mirè adoleuit, & suo co-
gnomine nobilem vrbis regionem honestá-
uit. Ibi Togæ, & Sagi illustris insignibus
vexillum extulit, & in fastigio dignitatis con-
stitit. Viuit adhuc memoria Ramondini,
Monaci, Albizi, Benintendi, Landi, Pagni,
Vberti, Philippi, Petri, Marsilij, Ioannis,
& aliorum, qui Florentinam Rempublicam
domi forisque, cùm in pace prudenter, tùm
in bello fortiter administrarunt. Inter quos al-
tiùs eminent duo illi Heroes, à quibus certam
& rectam ducis originem, alter ille Masus
insignis, tùm Vexillifer & Magister Equi-
tum, tùm militari potestate Tribunus, tùm
primus Prætor, & Legislator, qui maximas,
& nobilissimas legationes cum obijsset, ac
duos sibi Romanos Pontifices Gregorium
XII. & Alexandrum V. multis officijs de-
uinxisset Pisana Vrbe in ditionem Florenti-
nam redacta præcipuum ea in Vrbe digni-
tatis locum obtinuit. Alter Rinaldus Patri
Maso virtute par, maiestate non impar, ani-
mo superior, vna fortuna minor, qui mul-
tis honestatibus clarus, & militaribus factis
illustris, studio asserendæ libertatis incensus
flam-

flammam in se inuidiæ concitauit, quæ cùm in incendium erupisset, patria illum cedere coegit, & Anconæ in nobili exilio mori. Ormano, & Maso filijs relictis; quorum hic familiam præclaris Imolæ, ac imprimis Cæsenæ editis foetibus auxit, & propagauit. Vnus Tu horum Eminentiss. Princeps Septimus à Rinaldo nepos, inter cæteros emines, & præstantissimam stirpem non solùm ad pristinum splendorem reuocas; sed nouis etiam additis luminibus illustras, & in summo culmine honorum locas. Hoc mirabile accidit familiæ Tuæ, quòd illa inter cæteras digna Carolo IV. Imperatori visa est; cui Prussianam Crucem in stemma gentilitium assignaret, duosque eius familiæ proceres; tùm cùm ea dignitas rara erat, Palatinos Comites crearet. Illud mirabilius euènit, quòd à Te nepote Aui, & maiores Tui plura ornamenta acceperunt, quàm Tibi vni omnes contulerunt. Numero ij valent, si numerentur, sed vno Te minus valent, si appendantur. Proferunt ij vexilla, saga, paludamenta, togas, trabeas, secures, fasces, laticlauia, prætextas, infu-

las,

las, tiaras , lemniſcos , galeas , criſtas, lauros, palmas, quibus abundant. Omnium cumulos tua vnius purpura ſupereminet. Per illos gradus ad hoc culmen aſcenditur. Nec illa ſolùm rubet, ſed ſplendet, & flammas vomit. Alitur meritis, & intra horum ſphæram voluitur, cuius centrum in virtute eſt, periferia vbique per famam. Tuo galero omnia Familiæ decora inumbras, quem ei primus inſeruiſti. Reſpondent arma gentilia purpuræ. Illæ faſciæ in Orbem ductæ, & in circulos reductæ, & inuolutæ æternitatem ſignificant, quam meritis, & æquas, & imples. Nec te capit locus, nec tempus. Vide quantus ſis? Alij dum viuunt, ſunt in curſu, & intra curriculum manent, metas temporis non excedunt; in te curriculum continetur, temporum curſus conſumitur, ſola tui eſt capax æternitas; nec alia eſſet Albizij iuſta menſura. Ac ne te ex alienis, & mutis ſpectemus: propria intueamur. Acumen tibi ineſt ingenij, acris iuxtà, & perſpicacis. Nihil eſt tam in rebus abſtruſum, quòd non eruas: nihil tam durum, quod non pene-

tres: nihil tam excelſum, quod non aſſequaris: nihil tam obſcurum, quod non patefacias. Incredibilis vis memoriæ. In omni diſciplinarum genere verſatus: infinita legendo complexus, omnia & retines tenaciter, & reddis fideliter, æternitati ſimilis, quæ omnia ſuis diſpertita temporibus comprehendit, & intra ſe colligit, & intuetur præſentia. Iudicij grauitas ſumma: quæcumque in Romana Curia aguntur maiores cauſæ, in ijs tua expectatur ſententia, quibus, cùm primus dicis affers præiudicium, cùm poſtremus auctoritatem. Doctrina varia, multiplex, vaſta, profunda, vt in te videatur quadrare, quòd olim de Auguſtino dictum, deeſſe doctrinæ, quidquid te contigerit ignorare. Prompta quædam, & expedita dicendi facultas. Quæ mente concipis, enucleatè, planè, nitidè, ſine cunctatione, ſine difficultate, ſine faſtidio promis, ceu conſilia, & decreta in numerato habeas. Experientia, & vſus rerum maximarum tantus, vt nihil nouum, & inuſitatum ad te afferatur. In nouis vetus es, in veteribus vetuſtiſſimus. Omnia

tibi comperta, & explorata sunt, nec est quidquam, quod inopinatum accidat. Illud mirabile: libertas in sentiendo, & dicendo, quod sit verum. Nullo præoccupatus affectu iudicas, iudicata in metu, respectu ve non ponis. Liberè, vti sentis, dicis; Vnius veritatis habita ratione. Cùm deliberas, in Senatu videris esse, ceu omnes te respiciant, cùm deliberata profers, in solitudine constitutus videris, ne quem respicias. Hæc sunt mentis, illa sunt animi. Celsa, & generosa indoles Albizijs ingenita. Appetis alta, arduis inhias, præclara meditaris, æterna intueris. Firmitas, & constantia rara: Adulationem, ambitionem, simulationem, nec scis, nec fers. Prospera te non flectunt, periculosa non terrent, dubia non tardant, aduersa non mouent. In centro recti, & æqui consistis. Immobilis, & integer perseueras. Magnanimitas singularis. Tecum habitas, tui iuris es; arbitrio tuo viuis, & agis: nemini obnoxius, extra formidinem, supra inuidiam, vltra fortunam. Grauitas, & integritas summa cum dignitate coniuncta.

Cuncta ex officio, & decoro agis, & aſpectu ipſo quid à te ſit petendum, præſcribis; & quod de Catone legitur: Rem improbam à te petere nemo audet. Quibus in adminiſtratione Reipublicæ muneribus fungeris, ea cum magna expectatione ſuſcepiſti, cum gratulatione, & plauſu geſſiſti, & geris; ac in gerendis ita emines, vt Superior honoribus videaris. Hæ dotes innatæ videri poſſint. Virtutes ijs reſpondent, quibus & ornaris, & ornas Rempublicam. Omnes generoſæ, & ingenio tuo ſimiles, & quæ Principem Eccleſiæ decent. Spectata in Deum religio apud te domicilium poſuit. Rebus Diuinis priuatus in ſacrario vacas, in cubiculo precibus. Palam in templis viſeris. Patronus Eccleſiarum, ſiue officio, ſiue arbitratu, ſiue rogatu aliorum, obis ſolemnia ex illarum inſtituto. Nihil religioſum, quòd ad te ſpectet, omittis. Addis multa, quæ nec officium, nec mos exigit, ſed pietas ſuadet. Charitate flagras in miſeros. Pupilli te Patrem appellant, Viduæ patronum, afflicti ſolatium, miſeri perfugium. Feruet do-

mus

mus tua pauperibus, etiam cum feriatur à negotijs. Scalæ tuæ ijs implentur, vt pateat, quibus ad culmen domus tuæ gradibus ascendatur. Quin & è fenestris de manu tua eleemosynis pluit; quacunque incedis eò egeni confluunt, quòd sciant è curru stipes fluere. Nosci, & amari vis à miseris. Ille apud te gratiosior, qui miserior. Illæ tibi causæ commendantur impensiùs, quæ non gratia, nec opibus nixæ, sed egestate, & solitudine nituntur. Nihil magis odisti, quàm patronos in causis. Patrocinium tuum nanciscitur, qui ijs caret. Patent aures, & fores tuæ supplicibus. Intra domum Publicolam agis. Humanum te, ac facilem præbes omnibus, vt natus, ac factus ad omnes videaris; Nec cui bono sit accessus ad Albizium considerandum, sed cui non sit bono ad illum accessus. Nihil celebratius in ore populi, quàm nomen Albizij. Eos tu misericordia prosequeris, ij te plausu sequuntur. Nullæ hominum de te querelæ, sed vota. Romæ degis, & vbique viuis. Quidquid domi colligis, foras effundis. Mundanus Ciuis orbem com-

plecteris, & foues. Ad illum pertinent ſtudia tua continua, labor perpetuus, aſſidua meditatio, curæ diurnæ, nocturnæque vigiliæ. Quòd ſi duo, quos nunc adornas, tomi de Fide, & Iure, typis, quòd ſpero, mandabuntur, næ magna lux toti Eccleſiæ oborietur: tantus quippe in ijs eſt ſplendor doctrinæ, vt Solem ſint Eccleſijs omnibus allaturi. Mirantur qui te id ætatis, id dignitatis virum vident tanta contentione animi legendo, ſcribendo, elucubrando, concionando nulla temporis, nulla valetudinis habita ratione laborare. Sed qui norunt quò tendas mente, mirari deſinent, quòd non tibi attendis, ſed orbi conſulis. Illud recipio, & confirmo, te quàm diutiſſimè victurum. Nam cum vitam tuam in commune conferas, communis omnium in te vita confluet, & gratiam gratia rependet. Illud maneat; omnes te numeros virtutis impleſſe, & vtramque in Chriſtiana Republica paginam feciſſe, & quot in vno homine dotes ineſſe poſſunt, earum te omnium ſummam efficere; Vt non ſolùm exempla præbere, ſed etiam ideam,

& exem-

& exemplar præ te ferre videaris. Ad te igitur, Eminentiſſime Princeps, cum ex longiſſima per Europam peregrinatione ſim diuino numine perductus, & à te humaniter exceptus, mea tibi omnia ſtudia, & officia conſecraui, & in tuam me clientelam commendaui. Ex illa ego maximos fructus cepi, & in primis exiſtimationis, & famæ, quòd me homines aliquid eſſe putabant, cui tu faueres, & cuius patronus exiſteres. Quare à te noſci, & probari tibi non modo in parte felicitatis pono, ſed in eo totam felicitatem colloco. Quod ſi Clientis nòmine obſequium tibi debeo, tu mihi Patroni officium iure Romano debes. Nec ego aliud munus aptius afferre potui, nec tu aliud à me gratius expectare, quàm eiuſmodi Librum, in quo Scholæ Theologiæ Poſitiuæ aperiuntur ad Doctrinam Catholicorum, & confutationem hæreticorum, cùm tu illorum ſis ſtrenuus defenſor, horum acer oppugnator; imò euerſor hæreſum, & errorum, qui in hoc volumine refelluntur. Et quidem

nemo

nemo te vel noſtratium , vel alienorum eſt, quin te columnam Sacroſanctæ Fidei, & malleum Hæreſis fateatur, & ſentiat. Euidenter quippè oſtenditur, quantum Catholicam diligas fidem, & quantum prauorum hominum deteſteris errorem. Quare Summi Pontifices inſtinctu Diuino ijs te congregationibus intereſſe voluerunt, quæ in tuenda, & Propaganda Fide, & doctrina Conciliorum tradenda, & Immunitate Eccleſiaſtica defendenda verſantur. Eæ ſunt Sancti Officij, & Indicis, Propagandæ Fidei, Concilij, & Immunitatis. In his cardo rei Catholicæ vertitur. Hæc tibi quatuor munia commiſſa. Vnus omnibus par es. Ingenio multiplici, doctrina varia, opera continua, ſtudio indefeſſo, induſtria ſumma: neſcio an quatuor illis myſticis Ezechielis animalibus mirabilior? Ij, cum quatuor eſſent, vnum currum ducebant, tu cum ſis vnus quatuor currus ducis, & illorum omnium perſonam ſuſtines, & refers. In Sancto Officio

Sixt. I. P. Epiſt. ad Gratum.

bo-

bouem ob grauitatem iudicij : In Concilio hominem ob maturitatem Consilij. Ezech. 1.
In Immunitate Leonem propter constantiam retinendi. In Propaganda Fide Aquilam propter velocitatem expediendi agis. In ea quæ Indicis nuncupatur, & quatuor illis superadditur, imitaris Aquilam, quæ cum iam Currum inter quatuor duceret desuper eminebat, sibique imminens, non addito numero, munus augebat, ac se ipsa superior euolabat. Facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor. Eorum omnium munerum es capax, & pluribus suffecturus, si mandentur. In his quatuor curribus triumphat Ecclesia, & tua deinceps, & sociorum Patrum opera triumphabit. Viue diu vir totius gloriæ capax, probitatis, iustitiæque documentum. Macte virtute in Orbe celebraris; Catholici te conditorem antiquæ Fidei venerantur, atque suspiciunt, & quod signum maioris gloriæ est, omnes hæretici detestantur. Quadrant enim in te bellè huiusmodi præconia, quæ olim fuerunt in Augustinum, quem ingenio

Volus. Epist. 2 inter Epist. August. Hier. Ep. 25. ad August.

sss nio

nio, ac pietate refers, à grauissimis authoribus collata. Vale Eminentissime, ac Reuerendissime Princeps: tuis fruere virtutibus, quas ad Reipublicæ Christianæ vtilitatem confers, vt nos ijs quoque perfruamur.

Eminentiæ Tuæ

Seruus, & Cliens addictissimus.

Fr. Franciscus à S. Augustino Macedo.

LECTO-

LECTORI OPTIMO.

ET vacuo tibi, & occupato, dummodo ſis ſtudioſus, ſcholas aperio, & Latino more, & Græco. De quæſtionibus ad doctrinam, & confutationem comparatis ita ſum ſcripturus, vt ſi animum velis intendere, in ſtudijs proficias; ſin laxare, oblectamenta inuenias. Nouum hoc fuerit extra Poeſim, in ipſo ſpinoſo dicendi genere vtile dulci miſcere. Hoc habent huiuſmodi exercitationes, quod cùm ſimiles ſint militaribus, ſpectatores oblectent, & doceant. Seriæ ſunt, & graues, ſi argumenta, & tractationem conſideres, hilares, & iucundæ, ſi parerga, & corollaria expendas. Viginti numero ſunt ad varietatem, & quæ ex ea naſcitur, voluptatem. Trahet ſua quemque legentem voluptas; nec illæ tam longæ, vt tædium afferant, nec tam breues, vt obſcuræ fiant. Stylus eſt, qui ſapiat Scholas, ſed non iſtas, quas Scholaſtici habere ſolent ieiunas, & ſiccas, & dialectico contractas more. Liberior eſt ille, ac remiſſior, elegantia, & eruditione conditus. Fluens interdum, copioſus, & qualem in Nazianzeno, Chryſoſtomo, & Cyrillo, Cypriano, Hieronymo, & Auguſtino reperias: quibus nemo in hoc genere verſatus ſcientius. Et quoniam Scholæ frequentes, ac celebres eſſe debent, authores complures afferre volui, quibus cum tu confabuleris, ſi voles. Amo ſolitudinem in ſtudijs, in libris frequentiam: imo illa ſolitudo hanc parit frequentiam. Pugnax eſt genus iſtud diſputandi. In acie verſatur, copias educit. Ecquis enim ſine his pugnet. Quo maior eſt militum vis, eò pugnatur acriùs, & vehementiùs. Ratio in rebus Scholaſticis multùm, authoritas in Poſitiuis plurimum valet. Hæc Sacra tum ex Scripturis, tum ex Canonibus, & Concilijs, tum ex Patribus affertur, accedit Scholaſticorum idonea, ne quod genus eruditionis deſideretur. Omni momento hoſtis impellitur, quin & illorum, vbi opus eſt, armis vtor. Contorta ab ijs tela ſumo, & retorqueo, ac intorquentes configo. Diſſidentium inter ſe contentione vtor, & ora ſono diſcordia ſigno. In eorum me caſtra infero, & infeſta ſignis ſigna, & pila minantia pilis obſeruo. Incito quos à me ſtare video in alios, quos in me pugnare comperio; & certiùs, & tutiùs vinco. Res mihi eſt, non cum hæreticis ſolùm, ſed etiam cum Schiſmaticis. Vtri-

que ſunt Eccleſiæ hoſtes. Hanc illi oppugnare conantur, hi ſcindere. Parùm certè intereſt inter eos, qui veſtem Chriſti inconſutilem, aut rumpunt, aut diſsuunt. Nos omni ope integritati conſulimus. Quantum ego in hoc ſcribendi genere, valeam tute iudicabis. Vnum tibi confirmo, me vt nihil aliud præſtare poſſim multùm ſtudij, ac laboris hoc in opere poſuiſſe. Si minus elaboratum, & politum, certè laborioſum, & ſubactum eſt. Si parum profeci, nimium, & ſudaui, & alſi: Si lucem non videas, certè oleum ſenties, & quidem multarum lucernarum. Vereor tamen ne oleum, & operam perdam. Moneo te, Lector, mihi non deeſse obtrectatores. Illorum quæſo dictis ne credas. Lege tuis oculis, & iudica; nec aliorum arbitrio calculum pone. Iure meo id à te poſtulo, vt qui ſum maximè in ſentiendo, & dicendo liber, liberum de me, ſcriptiſque meis iudicium exigam. Accipe pro coronidè illud Auguſtini. Abſit vt non cum gratiarum actione lucris meis deputem; Si fuero te docente inſtructus, aut emendante correctus. Vale.

S. Aug. ep. 15.

ELEN-

ELENCHVS SCHOLARVM.

De

INDEX

INDEX SCHOLARVM, ET CAPITVM,

Sect. 1.

SCHOLA V.

De Principio Spiritus Sancti, & distinctione Spiritus S. à Filio.

SCHOLA VI.

De Iudicio veritatis Fidei, & morum in dubijs circa eam ortis.

SCHO-

SCHOLA VII.

De infallibili authoritate Pontificis Romani.

SCHOLA VIII.

De Ecclesia Christi.

SCHOLA IX.

De Hierarchia, & Monarchia Ecclesiæ.

SCHOLA X.

De Traditionibus.

SCHOLA XI.

De Immunitate Ecclesiastica.

SCHOLA XII.

De Sacramentalibus, et Ceremonijs.

SCHOLA XIII.

De Antichristo.

SCHOLA XIV.

De Peccato, et Iustificatione à Peccato.

SCHOLA XV.

De Purgatorio.

SCHOLA XVI.

De Continentia Clericorum.

SCHOLA XVII.

De Funere, et Sepultura.

SCHOLA XVIII.

De Possibilitate, et Impossibilitate Mandatorum Dei.

SCHOLA XIX.

De Canonizatione, Beatitudine, Cultu, et Inuocatione Sanctorum.

SCHOLA XX.

De Communione sub ũtraque specie,

FACVLTAS

Reuerendissimi P. Ministri Generalis.

FR. MICHAEL ANGELVS A SAMBVCA Totius Ord. Min. S. Francisci Minister Generalis, & Seruus. Dilecto nobis in Christo P. F. Francisco à S. Augustino Macedo, eiusdem Ordinis, & Instituti nostri Lectori Iubilato, & Controuersiarum Theologicarum in Collegio de Propaganda Fide de Vrbe Professori actuali, salutem in Domino.

OPus quoddam, cui titulus est, SCHOLAE THEOLOGIAE POSITIVAE, &c. à te compositum, & elaboratum, cum à duobus Religionis nostræ Theologis reuisum, & approbatum fuerit, quibus id rei commisimus, harum vigore facultatem tibi facimus, quatenus illud cum benedictione Dei Typis mandare possis, seruatis in reliquo sanctionibus Apostolicis, nostrique Ordinis Constitutionibus. Vale. Datum Romæ in Aracæli Die 15. Maij Anno 1664.

Fr. Michael Angelus à Sambuca Minister Generalis.

Ap-

Approbatio R. P. Fr. Agnelli de Neapoli Prædicatoris Generalis, Lectoris Iubilati, & Diffinitoris.

OPus istud, cuius titulus est, SCHOLAE THEOLOGIAE POSITIVAE, &c. ex iussu Reuerendissimi Patris Ministri Generalis ego infrascriptus diligenter inspexi, cumque nihil contra Catholicam fidem, aut bonos mores, sed potius omnia ad eiusdem fidei exaltationem, & studiosorum profectum vtilia inuenerim, typis mandari posse censeo. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in Conuentu S. Mariæ de Aracæli Die 10. Maij Anno 1664.

Frater Agnellus de Neapoli Prædicator Generalis, Lector Iubilatus, & Diffinitor.

Approbatio R. P. Fr. Francisci Mariæ de Castro S. Petri Prouinciæ Bononiæ Patris, Lectoris Iubilati.

TOmum istum, qui SCHOLAE THEOLOGIAE POSITIVAE, &c. prætitulatur, sic mandante Reuerendissimo Patre Michaele Angelo à Sambuca totius Ordinis S. Francisci Ministro Generali, ea qua potui diligentia percurri. Cumque in eo quidpiam, quod Sanctæ Fidei, aut bonis moribus aduersetur minimè repererim; quinimmo grauissimis quæstionibus, ac solida doctrina refertum deprehenderim, prælo dignissimum existimaui. Prodeat igitur tantum opus in lucem, et ad tanti Præceptoris gloriam, et ad Religionis Seraphicæ decus, ac incrementum. Datum Romæ die 11. Maij 1664.

Fr. Franciscus Maria de Castro S. Petri Prouinciæ Bononiæ Pater, Lector Iubilatus.

Appro-

Approbatio R. P. Fr. Francisci Molloy Sacræ Theologiæ Lectoris Iubilati.

OPus hoc SCHOLAE THEOLOGIAE POSITIVAE, etc. à P. Fr. Francisco à S. Augustino Macedo compositum iubente Reuerendiss. P. Hyacintho Libelli Sacri Palatij Magistro, et Sacræ Indicis Congregationis Secretario attentè perlegi nihil in eo vel sanæ doctrinæ, vel Christianis deprehendi moribus contrarium. Quin imo multi in eo calles aptæque doctrinarum viæ ad Catholicos erudiendos, et Hæreticorum in omnibus de quibus agit materijs confutandos aperiuntur. Quare censeo communi vtilitati consultum iri, si ad publicæ lucis vsuram, celeriter prodeat. Datum Romæ ad S. Isidori Fratrum Hibernorum Die 10. Maij Anno 1664.

Fr. Franciscus Molloy Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus.

Impri-

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſſ. P. Mag. Sacri Palatij Apoſtolici.

O. Archiep. Patrac. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri, & Apoſt. Pal. P. Mag. Ord. Prædic.

SCHOLA PRIMA DE VERBO DEI DICTO

De Diuinitate, & consubstantialitate Verbi Diuini cum Patre.

AD LOCVM ILLVM EVANGELII S. IOANNIS.

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

CAPVT PRIMVM

Quid sit Verbum Dei?

PRAEMITTO istam Aquilam è Terris in sinum Patris euolantem, & ibi vnigenitum eius Filium ipsius Patris Verbum intuentem, hanc diuinam suis pennis scripsisse sententiam, siue ad Ebionem, & Cherintum Diuinitatis Christi hostes, qui negabat eum ante Mariam fuisse, teste Irenæo lib.3. cap.11. & Epiph. hæresi 51. & Hieron. in Vita Ioannis, & Chrysost. hom.2. in Ioannem, & Cyrillo in Prologo, & Beda in comment. confutandos: siue ad futuras contra Verbum diuinum hæreses, quas diuino præuidebat spiritu, & quarum postea authores dabimus, vti author est Chrysost. hom.3. in Ioannem, & Theophyl. in præfatione occupandas, & refellendas: siue vt dum prætermissa ab alijs Euangelistis commemorat, minus explicatam ab ijs, qui de humana in primis potissimum scripserant, Diuinam generationem ennarraret, quemadmodum tradũt Euseb. lib.3. de Histor. Eccles. cap.24. Basil. lib.2. cont. Eunom. & Nicephorus lib.2. cap.45.

Irenæus. Hieron. Epiphan. Chrysost. Cyrill. Beda.

Chrysost. Theoph.

Euseb. Basil. Niceph.

Igitur Verbum Dei ijs verbis descripsit Ioannes, quibus nihil altius, nihil elegantius, nihil aptius proferri potuit. Quare ipsemet Philosophi Platonici, qui primas inter cæteros & doctrinæ, & facundiæ habebant, hoc Ioannis exordium plurimi fecerunt, adeo vt duo eorum Principes Amelius, & Heraclitus, authore Euseb. lib.11. Euang. Præparat. cap.10. & Cyrillo lib. aduersus Iulianum faterentur, barbarum illum, quo nomine Græci aliarum gẽtium homines appellabant, idest Ioannem, rectè affirmasse: *In principio Verbum apud Deum; ipsumq; Deum fuisse.* Quin etiam in suos libros

Euseb. Cyrill.

hanc Veritatem Platonicos Philosophos inseruisse, quòd maximè diuina videbatur, idoneus author est Augustinus lib.8. confess. & lib.10. de Ciuit.cap.19.his verbis. *Initium Sancti Euangelij, cui nomen est secundum Ioannem, quidam Platonicus, sicut à S. sene Simpliciano, qui postea Mediolanensi Ecclesiæ præsedit Episcopus, solebamus audire, aureis litteris conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat.* Itaque apud priscos illos aurei æui Catholicos tanta religione colebatur, vt illud suspensum de collo ferre solerent, vt Concil. Antioch. & Hieron. comment. in cap.2. Matth. & Chrysost. hom.73. in Matth. Maldonat. teste significant.

August.

Concil. Antioch. Hieron. Chrysost.

Verbum græcè *Logos* scribitur: eo autem significari Filium Dei cõstat, ac ne id quidẽ Arriani negarunt; manifestum id quippe est cũ eodem hoc capite Ioannes & Verbum, & Filium dicat, ait v. 1. *Verbum erat apud Deum*, & v. 18. ait *Vnigenitus qui est in sinu Patris*. Vbi Verbum vnigenitum appellat, & quomodo apud Deum esset, dicit; nimirum *in sinu Patris*, à quo genitus erat. Et v.14. *Et Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre*. Certũ est enim Filium incarnasse, eumque Vnigenitum esse Patris; hæc est autem phrasis Ioannis; nam Epistola 1. cap.1. Verbum vitam, & vitam Filium Dei appellat, *quod Verbum*, inquit, *manus nostræ contrectauerunt, quod erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et paulò post *cum Patre*, ait, *& cum Filio eius Iesu Christo*. Et cap.5. vndecies *Filium Dei* vocat, quem semel Verbum eodem cap. dixerat. Et Apoc. cap. 19. cum Iesum nominasset, *Verbum Dei* nuncupat, vt eumdem omninò, & Filium, & Verbum Dei esse doceret. Nullus autem aliorum in veteri, aut in nouo Testamento Authorum vsus est expressè nomine Verbi pro Filio, quamquam illud significauerit Dauid Psalm. 106. vbi ait: *Misit Verbum suum, & sanauit eos*. Quem locum de Filio exponunt Basil. Chrysost. Cyrill. & Ambr. & fortasse Lucas cap.2. vbi dicit: *Videamus hoc Verbum, quod factum est*. teste eodem Amb. Beda, & Bernar. & Paulus ad Hebræos 1. *Portans omnia Verbo virtutis suæ.*

Ioan.1. Ioan.Ep.1 cap.1. ib. cap. 5. Apocal. cap.19.

Psal.106. Basil. Luc.2. Ambr. Beda. Bernard.

A summo Theologo Ioanne reliqui Theologi Patres, & Scholastici appellare Verbum Dei Filium didicerunt: Iustinus Martyr in Apolog. ad Antoninum, Orig. lib.7. in Ioannem, Clem. Alex. exhort. ad gent. & in Pædagogo cap.12. Athan. lib. de definitionib. Basil. in hæc verba Ioannis. Nazianz. orat. 4. de Philos. Hilar. lib.2. de Trin. Augustin. lib.5. de Trin.cap.13. & lib.6.cap.2. & lib.7. cap.1. & Tract.1. & 14. in Ioannem. & in comment. Epist. 1. Ioann. & præcipue lib. vlt. de Trin. Fulg. lib.3. ad Monymum, & lib.2. ad Thrasimundum. Ansel. in menol. cap.29. & 30. & 31. 32. Rupert. comment. in cap.1. Ioannis. Ex Scholasticis Magister in 1. d. 27. & ibi Bonauent. & Ricchard. Scotus, Gab. & D. Thom. 1. p. qu.27. art.1.2.3. qu. 31. art.1. & quæst.34. art.1. c.12. & quæst.4. de Verb. art.2. & vtraque Schola Thomistica, & Scotica, & alij plures, excepto Durando in 1. d. 27. qu.3. qui ait: Verbum esse quoddam essentiale, cum sit actus intelligendi, qui est communis omnibus personis; ac ex communi tantùm vsu Filio accommodari.

Iust Mart. Origen. Clem. Alexand. Athanas. Basil. Nazianz. Hilar. August. Fulgent. Anselm. Rupert. Magist. Bonauen. Ricchard. Scot. Gabr. S.Thom. Vide Bonauent. in 1.p.qu.37. ar.1. & 2. Durand.

Solus ergo Filius Verbum dicitur. Verum quidem est Basil. lib.1. cont. Eunom. cap.11. Spiritum item sanctum, *Verbum*, appellasse. De illo quippe intelligit locum Pauli ad Hebr.1. *Portans omnia Verbo virtutis suæ*. Quod Verbum de Spiritu sancto interpretatur. Magna quidem

Basil. Hebr. 1.

dem est authoritas Basilij, sed hìc sanè minus mouere nos debet. Audiamus Maldon. in cap. 1. Ioannis v. 1. *Mirum*, inquit, *est fuisse inter Catholicos, qui non solum Filium, sed Spiritum sanctum Verbum dicerent, in quibus Basilius lib. 1. cont. Eunom. cap. 11. ea ratione, quòd sicut Filius Patris, & Filij Spiritus sanctus interpres sit: quod nomine Verbi significatur. Citat in hanc sententiam illud Pauli; & gladius spiritus, quod est Verbum Dei, & illud: Portans omnia Verbo virtutis suæ, quasi D. Paulus Verbum Virtutis Filij Spiritum sanctum appellauerit, quia sicut Pater per Filium, ita Filius per Spiritum sanctum voluntatem, mentemque suam hominibus declarauerit. Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Ioannis 14. v. 22. Ausus est dicere Vir modestius Diuus Thomas Basilium impropriè locutum fuisse, enimuerò si propriè loquamur, solus Filius Verbum est. Nec D. Paulus Spiritum sanctum Verbum vocat; Cum enim dicat: portans omnia Verbo virtutis suæ, Verbum non Spiritum sanctum, sed Præceptum significat, vt D. Thomas interpretatur: tanquam dicat Filium iussu suo omnia sustinere, ac gubernare, aut Verbo suo potenti, se ipso, qui potens Patris Verbum est, omnia portare, vt alij exponunt, mihique placet.* Ita Maldon. cuius ore loqui me volo, & hanc secundam expositionem probo: nam ille locus Pauli de Verbo, idest Filio intelligitur, qui *brachium*, & *virtus Patris* in sacris litteris dicitur. Quam expositionem sequitur Pater del Bene in 1. parte d. 59. qu. 3. quamuis sustinere velit sententiam Basilij, quod sentiat Spiritum sanctum Verbum propriè vocari, quia Christi doctrinam hominibus declarauit, qua certè ratione etiam Pater Verbum dici poterit, quòd Filium suum Deum esse declarauit. Hoc autem quis dixerit?

Maldon.

Thomas del Bene.

Alio nomine, sensu eodem Filius *Sermo* à PP. vocatur. Tertull. lib. contra Praxeam cap. 5. & 7. & lib. de Trin. tribus locis, & lib. aduersus Hermogenem. Lactant. lib. 4. Institut. cap. 7. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos. Hilar. lib. 2. de Trin. Amb. lib. 1. de Fide contra Arianos, & lib. Hexam. c. 9. & lib. 2. cap. 2. Hieron. cap. 11. in Isaiam. Aug. tract. 54. & 58. in Ioannem, & Prudent. hymno Cathem.

Tertull. Lactant. Hilar. Ambr. Hieron. Prudent.

Ades Pater Supreme,
Patrisque sermo Christe.

Et Remig. in cap. 4. Epistolę ad Hebr. & Anselm. in 1. Ioannis. Hoc vocabulum retinet Translatio Persicæ, vt videre est in nouis Biblijs. Et quidem sunt in scripturis loci, qui Sermonem pro *Verbo* ponunt. Imò non desunt, qui malint legere hoc loco Ioannis *Sermonem* pro *Verbo*, quasi ille ita scripserit: *In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum*; probabili, ex Cypriano, sumpta coniectura, qui solet *Sermonem* loco *Verbi* vertere, Psalm. 144. *Eructauit cor meum verbum bonum*, transfert *sermonem bonum*. Fundâtur præcipuè eo loco Sap. 18. *Omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit*: Quem Ecclesia de Verbo incarnato, & nato exponit; & altero Ioannis 17. *Sermo tuus veritas est*. Quo sensu Christus se *veritatem* appellauit Ioannis 14. *Ego sum via, veritas, & vita*: qui locus de Christo veritate intelligitur ab August. tract. 108. in Ioannem. Et quidem *Logos* græcè significat vtrumque, & Verbum, & Sermonem.

Remig. Cyprian. Psal. 144. Sap. 18. Ioann. 17 Ioann. 14 August.

Hæc Versio *Sermonis* pro *Verbo* suspecta redditur, quòd illam auidè arripiunt Hæretici, qui *Sermonem*, quàm *Verbum* Filium Dei appellari malunt. Itaque non *Verbum* hìc, sed *Sermonem* perpetuò legunt, vt in eorum Commentarijs videre est, atque hoc eam, opinor, nomine Maldon. improbat, vir eximiè doctus.

Maldon.

Nihilominus illa *Sermonis* pro *Verbo* versio p otest vtcunque sustineri, præsertim propter authoritatem Patrum, ac in primis Augustini illam probantis, & Persicæ Translationis loco *Verbum Sermonē* reddentis. Perinde enim est apud Persas & Arabas *Verbum & Sermo.* & vtroque modo *Logos* græcum interpretatur Translatio Persica; ac nisi me horum reuerentia teneret, illam ego versionem improbarem: tum quia *Sermo* est quoddam compositum ex multis verbis, quod videtur derogare simplicitati Diuinæ: tum quia non vnico ictu, sed per moras profertur, quod videtur detrahere æternitati: tum quia sermo supponit Verbum, nec nisi ex verbis componitur, quod videtur minuere dignitatem: tum quia ad declarandum Verbum mentis instituitur, & conficitur; quod videtur tollere rationem Principij: tum quia Verbum propriè ad mentem refertur, & conceptum mentis significat, sermo aumo autem ad os pertinet, & foras exit, quod est contra generationem internam Verbi, quæ intra Deum fit, cum sermo ad operationes ad extra videatur pertinere: vnde Verbum notionale est, & proprium Filij, & sermo communis omnibus personis ad extra operantibus. Quæ certè rationes concisæ, ac contortæ fulminis instar sunt, & hæreticos feriunt, negantes Filium Dei propriè Verbum dici, quod volunt sermonem appellari. Fateor tamen non nimis in hoc hæreticos errare, cum Patres habeant Authores; sed quia hæc non faciunt studio illos legendi, sed Ecclesiam deserendi, idcircò sunt damnandi. Probant enim *Sermonem* pro verbo, quia vocabulum *Verbi* volunt excludere, vt apparet in eo, quod *Logos* positum initio Euangelij Ioannis, non *Verbum*, sed *Sermonem* perpetuò vertunt, quod signum est insolentiæ, & peruicaciæ; nam & Patres, & Interpretes Catholici vtroque modo, & *Verbum*, & *Sermonem* transferunt, nec vni mordicus, vti hæretici, adhærent.

Superest de obiectis testimonijs ferre iudicium. Igitur ille Sap. 18. *Omnipotens sermo tuus Domine è regalibus venit*, à multis Patribus cum Cyprian. & Athanas. de Filio Dei incarnato & nato intelligitur. Quæ sanè expositio probabilis est, & textui conformis. Ecquis enim sermo omnipotens erit? nisi Verbum, & Filius sit? Addam pro momento verba illa sequentia: *è regalibus sedibus venit*; quæ sane indicant maiestatem, dignitatemque venientis; & vix in alium, quam in Dei Filium quadrare possunt. Atque ita Ecclesia iudicauit, quæ in antiphonis natiuitatis Domini hanc sententiam Verbo Diuino Incarnato, & nato accommodat. Et quamquam Maldonatus, hunc sensum minus probet, & de Angelo exterminatore, & percutiente Aegyptiorum primogenitos intelligat, & alium sensum multis modis conetur euertere, ego non video qua ratione possit improbari. Nec enim illa verba ad Angelum tortorem, & exterminatorem trahi possunt, cum ad Christum Seruatorem pertinere Ecclesia iudicauerit. Quod autem ait Maldonat. huiusmodi sensum litteralem non esse, sed per accommodationem, non video quomodo cum doctrina Maldon. possit consistere; qui enim, quæso, tortor, & vastator Angelus adumbrare, & significare possit Filium Dei assertorem, & liberatorem mundi? Vnde, si iste sensus litteralis esse nequit, nec ille alius per accommodationem sustineri potest. Quare iudico illo loco Sapientiæ probabilem reddi sententiam Patrum proximè citat. cum *sermo* hic apertè pro Verbo Diuino vsurpari queat: hæreticos autem non curo; nam quæ illi dicunt verè, hęreticè non dicunt.

Sap. 18.

Maldon.

Ita eorum, & studium prauum improbo, & versionem, & interpretationem probo, præsertim cum Ecclesia illum sensum proferat, & authoritate sua confirmet.

Ioan. 17. Quod attinet ad alium locum Ioannis 17. *Sermo tuus veritas est*; non puto quicquam ad rem probandam proficere; nam sermo ibi non sumitur aptè pro Verbo Diuino, sed pro doctrina ab illo tradita, vt perinde sit: *Sermo tuus*, atque *doctrina tua*, quam prædicari iussisti, quæ omnino vera est, & à veritate profecta, cū presertim de doctrina nobis tradita dixerit Christus: *Sermonem tuū dedi eis*. Quæ certè verba de ipsomet Verbo, & Filio Dei intelligi commodè nequeunt: queunt autem de doctrina, & præceptis datis à Christo pro seruanda lege Euangelica. Nec obstat ille alter locus Ioannis 14. *Ego sum via, veritas, & vita*, quia ille locus apertè de ipso Christo capiēdus est. Affirmat enim de se, quod proprium est ipsius, idest esse *Viam, veritatem, & vitam*, & illud pronomen, *ego*, alium sensum non patitur. In illa autem sententia *Sermo tuus veritas est*, de alio sermone loquitur Christus, quem etsi *veritatem* vocat, non vocat tamen veritatem ipsam diuinam, sed ab ea participatam. (margin: Ioan. 14.)

Maneat igitur Filium Dei propriè vocari *Verbum*, & minus propriè *sermonem* propter eas rationes iam factas, quæ tamen non obstant quo minus Verbum *sermo* possit vocari; nam etsi Verbum simpliciter sit, omnia tamen eminenter continet, & omnium principium, & Author est, qui ea ratione non ineptè sermo, imò cum virtute poterit appellari, præsertim si ratio idearū, quæ propriæ sunt in Verbo, habeatur, de quibus suo loco pauca dicemus. Hæc de significatione *Verbi*, & *Sermonis*, prout Filium Dei significant.

Cur autem Verbum dicatur? alia, & grauis quęstio est. *Logos* græcè tū rationem, tum definitionem, tum verbum, tum sermonem significat. *Rationem* igitur Verbum dixerunt Nazianz. orat. 4. de Theolog. Basil. hom. in hoc exordium. Ioan. Chrys. hom. 2. in Ioannem. Aretas in c. 19. Apocal. Theophyl. & Euthym. comment. ad hunc locum, & Amb. lib. 1. de Fide cap. 2. & illi omnes, qui dixerunt Filium, idcircò Verbum dictum esse, quod *apathos* sine vlla perturbatione à corruptione, à macula, sed purè, & candidè, & naturaliter ex mente Patris procederet. Nazianz. Basil. Chrysost. August. Aretas. Theoph. Euthim. Ambr.

Ratio autem Filius Dei dictus: primò, quia ratio actus est animi arcanus, & mentis vitalis, & intellectualis motus. Hanc significationem præter cæteros Patres, acutè, & copiosè August. inuestigauit, & explicauit lib. 9. de Trinit. in quo similitudinem Verbi Diuini, Verbum humanæ mentis nostræ ponit; ac eius exemplo generationem, & naturam Diuini Verbi explanat: Vbi item causam affert, cur Verbum Diuinum sit diuinæ mentis quidam fœtus, & partus, non autem amor: vt probet Verbum Diuinum esse Filium, Spiritum sanctum non esse, quam doctrinam perspicuè tradit D. Thomas 1. par. qu. 27. art. 2. 2. 3. & 4. & ibi Caiet. & Banez. August. D. Thom. Caiet. Banez.

Secundo: Ratio Filius dicitur, quod sicut ratio nobis intima est, ita Filius est intimus, & omnino idem cum Patre, à quo gignitur. Ita Basil. homil. super hæc verba Ioannis. & Nazianz. oratione 4. de Theol. proximè adducti sentiunt, & optimè August. eodem lib. 9. cap. 12. subtili argumento: quod nimirum Verbum est notitia mentis à qua oritur, & in quam cognoscēdo redit, atque adeo eiusdem mentis, cuius est partus, cognitio, & imago est; præsertim cum Verbum Diuinum sit substātia, & eiusdem cum mente Patris natu- Basil. Nazianz. August.

naturæ. Etenim est à Patre, & in eo est, & ipsum nouit, & se ipsum nouit; nam Pater nouit Filium gignendo, & Filius nouit Patrem nascendo. Quæ sunt verba August. lib.15. de Trinit. cap.15. vbi rem hanc accuratè exponit, ac post eum D.Thomas qu.27. in 1. partem. D.Thom

Tertiò iuxta Origenem lib.1. in Ioannem Verbum dicitur ratio, quòd nos rationi obsequentes facit, auferens à nobis quidquid rationi contrarium est; quod aliter August. dixit, & acutius cum docuit lib.22. contra Faustum cap.27. rationem illam æternam, quæ prima, & æterna lex est, esse principium totius honestatis, & sanctitatis; ideoque propriè solam esse, à qua sit omnis idea honesti, & boni, quam qui participat, bonus, & sanctus est; in qua vis rationis Origenis consistit, qui effectum docuit significare, cum August. causam adduxerit. Itaque nulla est honestas creata, quæ ab illo fonte non proueniat; ideo enim est honestas, & probitas, quia ab illa ducitur, & ad illam ideam conformatur. Vnde authore Augustino bonitas, & honestas moralis non consistit in conformitate cum recta ratione, sed in rectitudine rationis ad legem æternam conformata: quia ratio ideo recta est, quia ab æterna illa lege oritur, & cum ea conformatur. Deinde peccatum etsi difforme rationi rectæ sit, ex primaria tamen ratione ideo peccatum est, quia ab æterna illa, & diuina rectitudine, & conformitate discordat; quæ est aperta Augustini sententia lib.22. contra Faustum cap.27. dum ait peccatum esse contra legem æternam, non quidem vti punientem, sed vti dirigentem, & iubentem rectitudinem actus, ac illius bonitatem ad libellam suæ bonitatis exigentem. Hæc quoad primam ethymologiam Verbi, quæ est ratio. Origen. August.

Secunda Ethymologia Verbi est Definitio. Dicitur ergo Filius Verbum, quia definitio est omnium rerum, quæ est interpretatio Nazianzeni orat.4. de Theol. & Eliæ Cretensis ibi. & Marij Victorini apud Maldonat. cap. 1. Ioannis. Id autem acutius, & apertius August. dixit, quod Verbum imago Patris sit, & quod sit idea, & exemplar omniũ rerum, quæ per ipsummet Verbum facta sunt. Quid enim est definitio nisi Oratio, quæ rerum naturam explicat? Filius autem Dei, quatenus Verbum est, naturam Patris per se ipsum exprimit, cum sit imago, & notitia expressa Patris: & omnium rerum naturas, quarum est exemplar & idea repræsentat. Quod attinet Patris imaginem, cuius Verbum quasi definitio, substantialis tamen & naturalis est, id tradit Aug. lib.9. de Trinit. cap.12. & lib.15. de Trin. fermè per totum. Et in Deuteron. qu.4. Quod autem spectat ad definitionem creaturarum, ideo talis dicitur, quia est idea, & exemplar illarum, continens omnium factibilium rationem, cum sit omnium causa exemplaris, secũdum August. lib.83. quæstionum qu.46. & lib.14. de Ciuitat. cap.28. & lib.5. de Genesi ad litt. cap.13. & 14. & lib.85. quæst. qu.26. & tractatibus in locum Ioannis: *Quod factum est in ipso vita erat*: Vbi subtiliter totam materiam idearum Diuinarum accuratè, & eleganter exponit. A quo Scholastici Theologi suas commentationes acceperunt. Imò ab ipso illud proloquium manauit: *Scientiam Dei necessariam esse causam rerum.* Nazianz. Elias Cretens. Mar. Vict. Maldon. August. August.

Tertia Ethymologia maximè propria huius loci est illa, quæ *Logos* Verbum significat. Hæc probatur à Patribus. Ac in primis Augustino qui totis 15. lib. de Trinit. & commentarijs in Ioannem Filium Dei Verbum vocat. Cum sit autem duplex: alterum mentis, quem terminum intellectionis appellamus, seu

speciem

Nazianz. Elias Cretens. Mar. Vict. Maldon. August. speciem expressam dicimus, estque formalis imago obiecti: alterum vocis externum, quod ore profertur, & Verbum illud mentis intus conceptum, foras edit, & prodit, vtramque rationem PP. & Scholastici vindicarunt, & approbarunt; Internumque Verbum mentis Filio Dei à Patre intelligendo genito tribuerunt, externumque oris eidem Verbo cum incarnatum est, & foras per humanitatem exijt, applicarunt. Quæ optima interpretatio est, eamque multis PP. locis Maldon. illustrat ad hunc locum Ioannis. Quod attinet ad verbum mentis internum, quæ species expressa dicitur, affero hic verba D. Thom. 1. part. qu. 34. art. 1. in corp. quæ rem continent: *Primo*, ait, *principaliter*, *interior mentis conceptus verbum dicitur*: *secundariò verò ipsa vox interioris conceptus significatiua*. & paulò post: *Dicitur autem propriè Verbum in Deo secundum quod Verbum significat cõceptum intellectus*. Quare ex propria natura Filius Dei est ratio Verbi. Vnde illi inest ratio, & denominatio Filij; nam nisi Verbum esset, Filius non esset, quod dicit August. lib. 7. de Trinit. cap. 2. & lib. 6. cap. 2. & lib. 15. multis in locis. Ex quibus D. Thom. loco cit. 1. par. & Scotus in primo d. 27. quæst. 2. hanc doctrinam sumpserunt. Vnde apud vtramque illorum, & aliorũ Theologorum Scholas *Verbum notionaliter*, idest propriè isto modo dici de Filio, commune proloquium est. Cumque in intellectu Diuino multa sint, quæ considerari possunt, ex his omnibus solum Verbum notionaliter, & propriè sumitur. Audiamus D. Thom. qu. 34. artic. 1. ad 2. *Nihil eorum*, inquit, *quod ad intellectum pertinent*, *personaliter dicitur in diuinis*, *nisi solum Verbum*. Idemq; tradit artic. 2. eiusdem quæst. Quod ex eo confirmatur, quia hæretici, qui Filium Dei esse negarunt, Verbum esse inficiati sunt, quales fuerunt Alogiani à Voce *Alogos*, idest sine Verbo dicti, teste Epiphan. hæresi 51. & August. lib. de hæresibus hæresi 30. Qui ne erroris conuincerentur, Euangelium, & Apocalypsim non recipiebant: imò ne ipsas quidem fortasse Epistolas, in quibus Filius Dei *Verbum* dicitur: authore eodem Epiphanio citato.

Maldon. D. Thom. August. D. Thom. Scot. D. Thom. Epiphan. August.

Notat D. Thomas duo commentarijs in Ioannem. Primum est: Verbum hic non dici Filium, ne quis, vt Arriani, putaret Verbum genitum esse instar creaturæ, in quarum generatione datur præcedentia causæ ad effectum, & dependentia effectus à causa. Altera est: dici hoc loco antonomasticè *Verbum*, non autem *Verbum* Dei. Quia Verbum solitariè dictum, diuinitatis argumentum est. Si autem adderetur Dei, illa additio indicabat Verbum illud additum alij, eius veluti appendicem esse; atque adeo illam præstantiam non retinere. Itaque *Verbum* Dei, quando ponitur in scripturis, non pro Verbo Diuino solitariè, sed etiã pro Christo Deo, & homine, & pro doctrina, & præcepto Dei vsurpatur. Neque obijcias locum Apocal. cap. 19. v. 13. vbi Filius Dei *Verbum Dei* vocatur; nam non erat imago illa Verbi solitariè sumpti expressa, sed Verbi in vtraque natura Diuina & humana subsistentis, atque adeo Christi Domini, vti vestis aspersa sanguine indicabat; atque ideo additum *Dei*, vt ratione Verbi diuinitas, ratione additamenti humanitas significaretur, quod latuit Silueyram accuratè ista examinantem lib. 1. in Ioannem cap. 1. quæst. 9.

D. Tohm. Apoc. 19. Silueyra.

Quarta Ethymologia est *Logos*, vti sermonis, de quo supra diximus, & hoc tantum addimus vocabulum hoc *Sermonem* non impropriè de Verbo Diuino, nec imperfectè dici; Nam etsi sermo noster creatus, nec simplex sit, & habeat illas, quas attuli-

tulimus imperfectiones, diuinus sermo caret ijs, cum sit simplex, & indiuisibilis, & contineat quæcumque cogitari, sciri, & dici possunt. Itaque re vnum, & simplex Verbum est; sed eminenter multiplex, quod omnia verba, resque contineat. Non tamen melius dicitur Sermo, quam Verbum, vti perperam affirmat Erasmus in eum locum Ioannis, quem ob id reprehendit Canariensis in artic. 1. quæst. 27. disp. 6. quæst. 2. authore Vasquez 1. part. dist. 141. c. 1. qui ait Verbum Dei vocari posse sermonem iuxta August. & Patres sup. citatos: aptius tamen Verbum, quam Sermonem appellari: quamobrem nos proximè diximus sermonis vocabulum nobis minus probari.

Erasmus. Canariēs. Vasquez.

Hæ Ethymologiæ spectant ad diuinitatem Verbi, seu ad Verbum, quod Deus est, & apud Deum, & Patrem est, & prout ab eo intelligendo dicitur ad intra, & generatur, & Filius constituitur. Pergamus nunc inquirere illas, quæ foras emanant, & ad communicationem Verbi cum creaturis pertinent.

Igitur considerandà venit natura Verbi, quæ eiusmodi est, vt declaratiuum sit cogitationis internę mētis, atque adeo ad significandum tendat, & in vocem veniat, & sermonem efficiat. Itaque Verbum hoc modo acceptum ita natum est, vt sit dictio, & expositio, & expressio mentis diuinæ, aptum foras prodire, & loqui. Vnde apparet Verbi cum Incarnatione proportio, quam verbis Augustini proponere volo lib. 5. de Trinit. cap. 11. *Verbum*, inquit, *quod foris sonat signum est Verbi, quod intus latet, cui magis verbi competit nomen, nam illud, quod profertur carnis ore, vox verbi est, verbumque & ipsum dicitur propter illud à quo vt foris appareret assumptū est: Ita enim Verbum nostrum vox quodammodo corporis fit, assumendo eam, in qua manifestetur sensibus hominum*. Acutè Augustin. verbo spirituali mentis diuinitatem, voci sonanti corporeæ humanitatem comparauit, quòd duæ sint in Christo naturæ, Diuina, & humana, per quā vti per vocem sonantem exprimitur verbum, cuius diuinitas foris per carnem apparuit. Miror autem Maldonat. dicere Augustinum hæc minimè indicasse, cum maximè significauerit. Itaque ille sibi acumen hoc tribuit, quasi fugerit Augustinum, quem nihil acutum latere potuit. De hac manifestatione Verbi pro humanitate, cum de Verbo Dei viso dicamus, opportunus erit sermo: quò item reseruamus modum, quo Verbum Diuinum hominibus apparuit, & qua id ratione contigit.

August. Maldon.

Illud huius loci proprium est: cur Scriptura dicat Deum per Verbum fecisse omnia: *Omnia per ipsum facta sunt*, quasi Verbo faceret: *Dixit & facta sunt*, vti apparet in prima Orbis molitione, vbi semper dicitur: *Dixit Deus fiat, & factum est ita*, vti dixerat. Ratio autem dubitandi est, quia ad Verbum spectat dicere, non facere, cum facere sit omnipotentiæ, non Verbi. Vnde Moyses initio Genesis non scripsit: *dixit & fecit*, sed *dixit. fiat, & factum est*, quasi distinguens Verbum ab Omnipotentia. Verùm constat Verbum ipsum Diuinum esse omnipotentem, imò & omnipotentiam in actu, actūque operandi, vt indistinctè tamen, ita vt potentia actus & simul sint. Id apertè dixit Ioannes: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil*, & postea: *Mundus per ipsum factus est*. Quod omnes fermè Patres, & Interpretes obseruant, præcipuè Chrysostom. homil. 4. qui ait. *Plus vno verbo Ioannem, quam pluribus Moysen dixisse*. & Augustinus sępè tractat. 1. in Ioannem probat Filium Dei, idest *Verbum creaturam non esse, contra Arianos, quod omnium rerum author est. Quomodo enim*

Genes. 1. Chrysost. August.

enim, inquit, *potest fieri, vt verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia*. Quare illa prima verba Genesis, *In principio creauit Deus*: litterali, & principali sensu intelligit *in Verbo*, *in Filio*. Praeterea, vt aduertit Maldonatus illa sententia: *& Mundus per ipsum factus est*, non nisi ad Logon referri potest, à quo mundus, & per quem mundus est conditus. Maldon.

Ratio dubitandi soluitur dicendo Verbum, quamuis dicendo genitum sit, esse eiusdem omnino cum Patre naturae, atque adeo idem esse, & Verbum dictum, & actum omnipotentem. Vnde dicto Verbo facta sunt omnia, imò & Verbi dicta facta sunt, quod pulchrè, ac sępè Augustinus obseruat; cum praesertim *Verbum* ad intra dicatur, *Omnipotens* idem extra appellatur; quod enim fecit omnipotens, id commune habuit cum Patre; quod autem est Verbum dictum à Patre, commune id non habet cum Patre, ad quem dicentem Verbum dicitur relatiuè, in quo est ratio distinctionis. Omnipotens autem non est per aliquod propriũ, & notionale, sed per quoddam absolutum, & commune omnibus personis, nec relatiuè dicitur ad intra, sed ad summum dicit quendam quasi respectum ad creaturas. Quare optimè *Omnipotens sermo appellatur*, quòd eo Pater omnia operatur ad extra, sicut omnia Verbo dixit ad intra. Nam vti Verbum ad intra est idea, & exemplar rerum. ita, vti sermo, est author rerum ad extra. Itaque Verbum est idea factibilium, & brachium factorum: dirigit tanquam Verbum, & operatur tanquam brachium.

Duae hic breues supersunt quaestiones: vna vtrum conceptus, seu Verbum mentis propriè verbum dicatur? Sunt qui negent, & Verbum tantum vocis proprium velint: quos reprehendit Canariensis, qu.3.q.27. Canar. Quod ex hac opinione sequitur Dei Filium impropriè dici Verbum. Itaque omnino affirmandum Verbum propriè mentis & esse, & dici, vti docet Augustinus lib.13. de Trinit. cap.11. quam sententiam sequitur D. Thom. 1. part. quaest.34. artic.1. & 2. Et Scotus in 1. d.27. cum reliquis Scholasticis. Qua de re vide Vasquez in Comment. ad eam quaestionem. August. D.Thom. Scot. Vasqu.

Secunda magis Scholastica est, quam positiua, sed non ideo est omittenda. Vtrum Verbi generatio sit propriè intellectio, an dictio? idest vtrum generetur à Patre, quatenus intelligit, aut quatenus dicit? de quo contendunt Thomistae, & Scotistae: illis affirmantibus intelligendo generari, his negantibus, & asserentibus dicendo gigni. Breuiter dico quaestionem in vocabulo versari. Durand. Nam Thomistae, vno excepto Durando, aiunt intelligere Patris generantis Filium, prout generat, esse aliquid notionale, quod certè est ipsum dicere. Scotistae tamen melius loquuntur: quia intelligere propria significatione essentiale, & quiddam absolutum significat. At verò dicere, cum omnino sit proprium, & notionale, magis quadrat in generationem Verbi. Idque tradit D.Thomas quaest.34. art.1. & 2. Et quamquam aliud videatur sensisse in 1. d. 27. qu.2. ad 2. teste Caietano, mutauit in partibus sententiam, quod ex eo Vasquez obseruat d. 141. c. 3. Et sanè *dicere*, & *dici*, & *verbum esse* in Diuinis, relatiua sunt, quemadmodum docet Augustinus lib.5. de Trin. cap.23. & lib.6. cap.2. & lib.7. cap.1. D.Thom. Caiet. August.

Tandem concluditur Filium, vti est propriè Verbum, ita esse propriè imaginem Patris. Sic Hilarius lib.7 de Trinitat. ad finem, Augustinus lib.3. de Trinit.cap.2. & D.Thomas quaest.35. artic.2. & ibi Caietanus. Estque Catholica sententia. Iterum Hilar August. D.Thom.

Richard. Auguſtinus lib.2. cap.vlt. Ricchard. lib.6. de Trinit. cap. 55. Id mihi ex illa vendico, quod obſeruat Auguſtinus Filium dici Dei imaginem, quod ſit expreſſa imago per intellectum: hominem autem dici ad imaginem Dei, vti eo loco Geneſis: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Multum autem intereſſe inter eſſe imaginem, & fieri ad imaginem.

Obijcit ſibi Auguſtinus locum 1. Epiſt. ad Corinth. cap. 1. *Vir*, ait, *non debet velare caput, cum ſit imago, & gloria Dei*. Vbi homo dicitur *imago*. Reſpondet autem Auguſtinus lib. de Geneſ. ad litt. imp. cap. vlt. *Hæc imago ad imaginem Dei facta, non eſt æqualis, & coæterna illi, cuius imago eſt; nec ad ſolius Patris, aut ſolius Filij, aut ſolius Spiritus ſancti, ſed ad totius Trinitatis imaginem factus eſt homo*. Quibus verbis dicit hominem ita dictum imaginem, vt ſit ad imaginem. Et quamquam dicatur imago, dici imaginem Dei, vti tribus perſonis communis eſt. Id autem eſt eſſe creaturam. Nam quod totius Trinitatis imago eſt, ad imaginem totius Trinitatis factum eſt, atque adeo factum à tota Trinitate, & per omnipotentiam, per quam fiunt creaturæ.

August. 1. Corint. 11.

Vltimò notandum, fuiſſe quoſdā hoc enim nomine referuntur in Concilio Epheſino p.1. *Qui nomen Chriſtus ſoli verbo quod ex Deo Patre ortum eſt, vt ſeorſim, ac per ſe ſubſiſtere conſideratur propriè conuenire aſſerebant*. Contra ſentit ibi Concilium his verbis: *Nos autem ita ſentire, aut loqui nequaquam didicimus quandoquidem tunc primum Verbum IESV Chriſti appellationem ſortitum dicimus, cum factum eſt Caro. Siquidem ob id Chriſtus vocatur, quia exultationis oleo hoc eſt Spiritu ſancto à Deo Patre inunctum eſt: quod autem inunctio illa aſſumptæ humanitatis ratione illi conueniat, id apud rectè ſentientes in quæſtionem non venit: nam ſi Dei Verbum Deus eſt, nulla vtique vnctione indiget*.

Concil Epheſ.

CAPVT II.

De Hæreſibus aduerſus Verbum Dei.

PRima eſto illorum, qui Verbum nullum eſſe dixerunt, & ob id Alogi nominati. His adnumerandus Mahometus, qui in ſuo Alcorano, Deum carere Filio affirmauit. Secunda Arij negantis Verbum æternum eſſe, ſine quo Patrem, aliquando fuiſſe: ab eo Verbum in tempore cœpiſſe, ex nihilo factum, atque adeo creaturam eſſe aientis, idque ex prima Alexandri Patriarchę Alexandrini epiſtola ante Nicęnum poſita apparet. Hic fuit proprius Arianorū error, qui *Homouſion* tollebant. Tertia fuit Semiarianorum, & Macedonij, cum ab Acacianis receſſit, dicentium Verbum eſſe *Homæuſion* Patri, non *Homouſion*, ideſt ſimilis naturæ, non eiuſdem. Quarta Aetij qui & *Homouſion*, & *Homæuſion* negabat: & *Heterouſion* inducebat aſſerentis Verbum alterius à Patre eſſe ſubſtantiæ: cuius author dictus Eunomius Aetij diſcipulus, quòd ſectæ, vti magiſtro audacior, propagator extitit. Ibi Anomei, ſeu Anomiani vocati. Quintam Valens, & Vrſacius vafri, & verſipelles Epiſcopi inuexere, & arripuit Conſtantius, qui nihil horum verbum eſſe dicebant; ſed teſte Hilario lib. aduerſus Conſtantium, affirmabant Verbum eſſe quidem ſimilem Patri, quia voluntatis Filius erat, nō Deo, quia ex Deo natus non erat: atque adeo minimè Deus natura, & ſubſtantia. Tandem non defuere, qui Verbum Patris Filium, & eiuſdem cum eo ſubſtantiæ, ſed minorem tamen eo Deum dixerunt, vti Maldon. in Ioan. ſcitè animaduertit. Hæ propriè cōtra Verbum Filium Dei fuerunt

Alogi. Mahom. Arius. Tom. 1. Concil. Maced. Ibidem. Aetius. Eunom.

runt

runt hæreses, omnes ex Arij fonte infecto ductæ.

Ebion. Cerinth. Photin. Paul. Samosat. Quod attinet Christum: Ebion,& Cherinthus ante Ioannis Euangelium: post illud Photinus,& Paulus Samosatenus, cum alijs plerisque Filium Dei Deum esse negarunt, & purum hominem dixerunt, contra quos Ioannem diuino spiritu afflatũ scripsisse proximo capite obseruauimus.

Has antiquorum hæreses Nouatores renouarunt; manifestos recenseo. Mich. Ser. Michael Seruetus Hispanus, Mahometicis in Africa ritibus imbutus, sepultum iam diu errorem Arij suscitauit. Valentin. Gentil. Matth. Illyric. Ochinus. Biandrata Summer. Francisc. Dauid. Christian. Franc. Eidem Valentinus Gentilis Italus Cosentinus adhæsit. In eadem cum ijs naui fuerunt Matthias Illyricus, Bernardinus Ochinus, Georgius Blandrata, Ioannes Summerus, Franciscus Dauid, & Christianus Francus. Hi enim omnes perspicuè dicunt Filium Dei non esse Patri consubstantialem,sed esse creaturam. Alij ex eorumdem secta illum cum mitioribus Arianis minorem Deum dixerunt.

De Luthero, & Caluino, quid senserint,paucis aperiam. Luther. Lutherus certè mihi videtur cum Arianis sensisse; nam in confutatione Latomianæ rationis fatetur displicere sibi vocem *Homousion*, *Odit*, inquit, *anima mea vocem Homousion*, quæ vox non displicet ob sonum, sed ob significationem; quamuis ille obtentu Hieronymi,quem eam vocem minime probasse ait, hæresim suam tegere velit, qua 'e re nos postea dicemus. Deinde in cap. 1. Genes. Filium Dei more Arianorum vocat *instrumentum* Patris. Præterea in publicis precationibus dici vetuit illud: *Sancta Trinitas,vnus Deus,miserere nobis*. Ioan. 1. Et in Epistola 1. Ioannis deleuit illam sententiam: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo: Pater,Verbum, & Spiritus sanctus,& hi tres vnum sunt*.

Caluinus. Caluinum huiusce hæreseos si minus compertum, certè suspectum iudico; etenim sæpè vocat Christũ *Dei Vicarium*. Item in harmonia Euangelica ad cap. 22. Matth. v.44. & cap. 26. Matth. vers. 64. & Marci cap.16. v.19. & in comment. in Ioannem cap.6. v.55. Christum vocat *Seruum Patris*; & v.57. Patrem *primam causam vitæ*, Christum *secundam appellat*. Et lib. Gallico de actis Serueti impresso ann. 1554. fol.219. *Filius*, ait, *est conformis Patri habens substantiam distinctam ab eo*. Et lib. aduersus Valent. Gent. refut. 10. affirmat impropriam, & duram esse locutionẽ Symboli Nyceni: *Deum de Deo, lumen de lumine*; quia nomen Dei per excellentiam *ad solum Patrem pertinet*. Epistola autem secunda ad Polonos apertè asserit Christum secundum naturam item diuinam, Patre minorem esse. His ille dictis aliorum quibus verbi Diuinitatem asserit,authoritatem infringit.

Erasmus. Prælusit his, vti prodromus Erasmus, qui eius se participẽ erroris ostendit, dum multum de Verbi detrahit diuinitate; nam ad cap.2. Epistolæ ad Philipp. Philipp. 2. iuxta Maximini Ariani sensum exponit illa verba Pauli: *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*; & defendit Arianos dicentes Filium esse quidem Deum, sed Patrem esse quodam peculiarì, & certo modo Deum, quo non sit Filius, nec Spiritus sanctus. Quam sententiam alias sequitur in cap.9. ad Romanos, & cap.5. ad Ephesios. Sander. Coccius. Bellarm. Vasquez. De his accuratè Sanderus lib.7. de visibili Monarchia ad annũ 314. Coccius,& Bell. de Verbo Dei, & Vasquez 1. p. d. 109.

Origen. De Origene magna, & nobilis quæstio est. Verum Arium hanc hæresim docuerit; fuit enim illo antiquior. Epiphan. Docuisse affirmant Epiph. in Epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, quæ est 60. in

Hieron. Theoph. August. Epiſtol. Hieronym. & Theophylact. Epiſcop. Alexandr. in ſuo Paſchal. lib.2. & Auguſt. lib. de hæreſ. c.43. Author lib.de Eccleſiaſticis dogmatibus inter opera Auguſtin. Negant Ruffin. Socrat. Ruffinus, & alij antiqui apud Socratem lib.6. Hiſtor. cap.15. Pro Origene facit Athanaſij dictũ, dicentis Vide Banez in 1.p. q.27. ar.1. Athanaſ. nullum ex antiquis Patribus pro illa hæreſi allegari potuiſſe, & vtentis teſtimonio Origenis cõtra Arianos. Itaque liberant hac nota Origenem Picus Mirand. in Apolog. de hac re, Picus Mirand. Sixt. Sen. Vaſquez. Sixtus Senenſis annot.165. & Vaſq. 1. p. diſp.109. cap.1.

In hac quæſtione iudico Origenem fauiſſe Arianis; nam comment. in Ioannem, ſuſpectam omnino tradit de diuinitate, & æqualitate Verbi cum Patre doctrinã: vti obſeruat Maldonatus, nec vult negare Vaſq. nec inficiari Bellarminus. Quamquam hi duo cum Ruffino ſentiant locos illos eſſe ab Arianis deprauatos. Crederem ſi vnus tantum, & alter eſſet, ſed cum ſint multi, & perpetuus Origenis in ſcribendo tenor, non eſt locus excuſationi. Itaque Maldonatus Maldon. ſic ſentit apertè comment. in Ioannem cap.1. v.3. & cautè legendum monet Origenem eodem cap. v. 1. Adducor autem in hanc ſententiam propter authoritatem D. Thomæ D. Thom. qui 1. par. qu.34. art.1. ad 1. affirmat Origenem fuiſſe fontem Arianorum, idem ſignificat commentarijs in hunc locum Ioannis. Quo teſtimonio, & authoritate Auguſtini Origenem damnat, quem video à Bellarmino liberari: cui ego fidenter Maldonatum appono, & inſignem Theologum Banez 1. part. Banez. quæſt.27. art.1.

Quibus autem rationibus ducti Ariani diuinitatem, & æqualitatem Filij cum Patre negarint, non video ab Authoribus controuerſiarum ſatis explicari; igitur præſtare id volo. Non enim tot, & tanti Viri eam in hæreſim ſine aliquo ſpecioſo titulo, prætextu ve veniſſe videntur. Primò videbant Patrem eſſe principium, fontemque diuinitatis, ingenitum, & primam à ſe Perſonam; hinc eum Deum & verum, & propriè maiorem putabant; Filium verò, qui ab eo eſſet productus, & genitus, dicebãt eſſe creaturam à Patre ex nihilo factã, & Filium poſteriorẽ, ſanè minorem Patre Deum, qui à Patre diuinitatem, quaſi effectus à cauſa, accepiſſet: Vnde illum *inſtrumentum* Patris vocabant. In Patre itaque arcem, & culmen diuinitatis ponebant: eumque non modo Principium, ſed etiam cauſam Filij dicebant. Quo nomine cauſæ Patrem multi Doctores Catholici innoxiè appellarunt. Baſil. lib.1. & 2. contra Eunom. Nazianz. orat.29. & communiter Patres Græci, quos ait Cõcil. Florentin. in Decret. de Proceſſione Spiritus ſancti Patrem cauſam dixiſſe: cum Latini *Principium* mallent dicere. Baſil. Nazianz. Concil. Florent. Quamuis non defuerint ex Latinis grauiſſimi Patres, qui nomen cauſæ Patri attribuerint. Hilar. lib.4. & 9. de Trinit. & Auguſtin. lib.7. de Trinitat. cap. 1. & lib.83. quæſtionum queſt.16. & Hieronym. ad Epheſ. 3. Hilar. Auguſt. Hieron.

Secundò exiſtimabant locos aliquos ſcripturæ minus Filio, quàm Patri in ſpeciem fauere, quibus ſuſpicionem ſuam cõfirmabant. Quatuor principales erant. Ioan.14 Primus Ioannis 14. *Pater maior me eſt*. In quo (teſte ad eum locum Maldonato) Maldon. ſententiæ ſuæ præſidium collocabant. Hunc enim locum de Chriſto, etiam ſecundum diuinitatem intelligendum eſſe putabant hac ratione, quod comparatio non ſoleat fieri, niſi inter ea, quæ ſunt eiuſdem generis, & rationis; ineptè enim quis dicat hominem Deo minorem eſſe. Deinde quia ſi de Chriſto homine loqueretur, non eſſet opus Chriſtum dicere Patrem ſe homine eſſe maiorem, cum id ſatis conſtaret.

Ioan. 5. Secundus locus Ioannis 5. *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Quæ verba non nisi de diuina Filij natura accipi queunt. Videbatur autem ibi docere Christus, se vti Filium Dei, & Verbum inferiorem esse Patre, qui nihil propria virtute facere possit, nisi à Patre virtutem, & scientiam accipiat. Vim autem præcipuè faciebant in Verbo illo, *non potest*, quo significat impotentiam sine Patre, & in altero *nisi viderit*, quod significat scientiam sibi deesse ad faciendum, & tamquam discipulum à Patre dicere. Quo argumento asserebant Filium longe esse Patre debiliorem, & imperitiorem: itaque & creaturam, & Deum minorem. De eo Banez in 1. part. quæst. 27. artic. 1.

Ioan. 17. Tertius locus Ioannis 17. vers. 3. *Vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*, quē contra Catholicos maximè vrgebāt. His enim verbis videtur dici solum Patrem esse verè Deum, Principem, & Causam Deitatis. Filium autem aut non esse Deum, sed creaturam; aut, vt Deus sit, non esse verum, ac principalem Deum, sed paruulum, & minutum, cum præsertim hæc verba distinguant Patrem à Christo, & istum videantur excludere à vera ratione diuinitatis. Nam si scriptum esset solum Patrem esse Deum, nulla Christi mentione facta posset subintelligi nomine Patris, & Filium, & Spiritum sanctum ratione naturæ, in qua vnum sunt. Atque adeo sensus esset Patrem, nec sine Filio, nec sine Spiritu sancto Deum esse. Sed cū post Patrem meminerit de Christo, & de solo Patre dixerit verum esse Deum, videtur Christum exclusisse, & nullum euadendi locum reliquisse.

Ibidem. Quartus eodē c. v. 11. *Pater serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnū, sicut & nos.* & v. 21. Vbi significatur nō alio modo vnum esse Patrem cum Filio, nisi quo homines iusti per charitatem vnum sunt. Constare enim videtur ex illis verbis homines ita vnum inter se esse posse, quomodo, & Pater, & Filius, vnum sunt; non possunt autem esse vnum in natura singulari, sed animo & voluntate. Igitur Pater, & Filius non sunt vnum in vna, & eadem natura, sed amore, & voluntate.

His armis oppugnabant Ariani Diuinitatem, & æqualitatem Verbi Filij Dei, vt videre est in Concilio Aquileiensi sub Damaso, & in Athanasio orat. 2. contra Arianos, & lib. de Synodo Ariminensi, & Basil. lib. 4 aduersus Eunom. & Nazianz. orat. 4 & 5. de Theologia. Ambr. lib. 2. de Fide cap. 4. & lib. 5. cap. 8. Hilar. lib. 5. & 11. de Trinit. Epiphan. hæresi 79. August. lib. 1. de Trinit. cap. 7. & 11. & lib. contra Maxim. & sæpè comment. in Ioannem. Erant alij minuti loci, quibus hoc solebant confirmare, omnes fermè petiti ex Euangelio Ioannis, Ecclesiastico, Prouerbijs, quos videre quis poterit apud Toletum, & Maldonatum, & Banez 1. p. q. 27. Ex hac peruersa doctrina ortæ sunt illæ assertiones Valentini Gentilis. Prima: Pater nō est hypostasis, seu persona in vno Deo, sed est vnus Deus, à quo omnia. Secūda: solus Pater Authotheos, idest à se & à nullo superiore numine genitus. Tertia: solus Pater est Spiritus ingenitus, vniuersitatis Author, immensæque substantiæ. Filius verò Spiritus est ex Deo infallibiliter genitus, Paternæ voluntatis executor, ac pro generationis modulo circumscriptibilis genitus. Quæ tria prænunciata solum Patrem verum, ac propriè Deum, Filium verò impropriè, & secundariò Deum; imò ne Deum quidem esse significant.

(Athanas. Basil. Nazianz. Ambr. Hilar. Epiphan. August. Maldon. Tolet. Banez Valentin. Gentil.)

Obseruandum autem hic est cum Bellarmin. lib. 1. de Christo cap. 4. Bellarm.

nemi-

neminem vnquam hæreticorum negasse Patrem esse Deum; imò plures dixisse illum solum Deum esse. Idque probant ex eo, quod est ingenitus, Filius autem genitus, perinde ac qui genitus esset ab ingenito, Deus esse non posset; qui fuit error Pauli Samosateni, teste Turriano in sua Hoplotheca, & Vasquez in 1. par. disp. 140. cap. 1.

CAPVT III.

Verbum Dei dictum à Patre esse verum Deum, contra Mahometanos, Arianos, & Seruetanos probatur.

MAhometus sterilem fecit Diuinam naturam, negauitque in Deo esse productiones; contra quem ratione agendum, quæ huiusmodi est. Deus debet esse intelligens & volens, alias truncus erit; intelligere autem, & velle sunt actiones, vel instar actionum, quæ procedunt vitaliter, terminosque producunt; igitur Deus, cum intelligit, & vult, agit, & producit intra se vitaliter. Ecquis enim neget intelligentem viuere, & conceptum exprimere, & amantem viuere, & amorem producere? Quare Deus intelligens, & amans, Verbum, & amorem producit; cum autem sit substantia illa intellectio (nec enim in Deo accidens esse potest) quidquid substãtia sit, necesse est, Deum esse. Rationi additur prima confirmatio ex eo, quod fœcunditas est perfectio: oritur enim ex abundantia: hanc autem in Deo deesse absurdum esset; quomodo enim erit sterilis natura Diuina infinitè perfecta, & cõmunicabilis? Additur secunda ex eo, quod nulla est natura viuens, quæ non sit fœcunda: de corporeis viuentibus patet; de Angelis item constat; quamuis enim alios Angelos non producant, viuunt tamen, & intelligunt, & volunt, atque adeò producunt terminos vitales intellectionis, & volitionis. Itaque vel est negandum Deum se intelligere, & amare, quòd negari nequit, vel affirmandum intelligendo, & amando se, non esse sterilem, sed fœcundũ; Hoc autem Mahometus inficiari nõ potuit, si intellexit, & amauit. Igitur concedant oportet eius discipuli Deum non esse sterilem, ac proinde Filium habere posse, & omnino habere. Erudirentur si Augustinum audirent ita nobiscum ratiocinantem lib. 7. & 9. & 15. de Trinitat. & D. Thom. 1. par. quæst. 2. art. 1. 2. 3. Auguſt. D. Thom.

Esse autem Verbum hoc Patris intelligentis eiusdem cum Patre substantiæ, aduersus Arianos, & Seruetanos monstremus. Hoc Verbum, quod Pater intelligendo dicit, debet esse substantia, & quidem Diuina, nam Deus nihil intra se potest producere, nisi substantiale, & Diuinum; ergo illud Verbum est eiusdem substantiæ, & naturæ Diuinæ. Dicunt tamen Ariani esse quidem eiusdem substantiæ, sed non omnino eiusdem perfectionis cum Patre dicente. Vrgeo: vel id oritur ex necessitate, vel ex libertate, non ex libertate, quia Patri non est liberum se intelligere, sed omnino necessarium, ac proinde intelligendo se necessariò, & liberè operatur; igitur ex necessitate; ex hac autem oritur totalis & perfecta communicatio; nam causa necessaria non impedita operatur quantum potest; talis autem est Pater, quando se intelligit. Deinde si potest communicare Filio omnem suam perfectionem, & non vult illam totam communicare, certè auarus est, & inuidus, quod in Deum non potest cadere. Hanc veritatem demonstrat D. Thomas 17. demonstrationibus lib. 4. cont. Gent. cap. 7. S. Thom.

Hoc ipsum autem scripturis, & testimonijs probandum. Primus locus

[Psal. 2.] cus Psalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: Pater loquitur in æternitate, qui dum gignit, parem sibi, & similem Filium gignit, cui suam communicet essentiam; nec enim generat alium Deum diversum, sed Filium, qui est idem Deus, & alia persona. Quomodo enim erit Filius distinctus natura, si Patris accipit singularem naturam? [Psal. 109.] Secundus. Psalm. 109. *ex utero ante luciferum genui te*. idest ex mente, & memoria fœcunda ab æterno te genui, fœtum mentis, & partum intellectus, secundum August. lib. 9. de [August.] Trinit. cap. 12. Tertius Prouerb. 8. [Prouer. 8] *Ego iam cōcepta erā: ante omnes colles ego parturiebar*. quę sunt verba diuinę Sapiētię genitę ab ęterno à Patre his terminis, & cōceptionem & partum significantia, vt Verbum Dei Filium parem in natura, & similem indicarent. Expressos tantùm, & germanos veteris Testamenti affero locos: alios ex Nouo accerso, qui rem continent. Primus sit ille Ioan- [Ioann. 1.] nis 1. *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: Erat Deus eadem ratione, qua Deus, apud quem erat, Deus erat: idest Pater, nulla facta distinctione Diuinitatis, supposita diuersitate personæ. Secun- [Ibidem.] dus in eodem cap. Ioannis: *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*, qui Vnigenitus Patris, is eiusdem cum eo naturæ est. Quem locum egregiè expendit August. lib. 7. [August.] de Trinit. cap. 3. & tract. in Ioannem sæpè. Vno verbo totum hoc primum Ioannis cap. diuinitatis Verbi argumentum est, ideo extraordinarium pono, & redeo ad Prophetam Dauidem, qui principio Psalm. 109. hanc veritatem aperte proponit, cū ait, [Psal. 109.] *Tecum principium in die virtutis tuæ*, quòd Pater ipse principium tui (loquitur enim cum Verbo Filio) generando te minimè ante te sit, sed tu prorsus simul cum eo sis eadem æternitate, & æqualitate, vti eo loco exponit Augustinus. [August.] Isaias concordat Dauidi cap. 9. v. 14. [Isai. 9.] *Vocabitur nomen eius Emmanuel*. Et eodem cap. v. 6. *Vocabitur Deus fortis*; [Ibidem.] & cap. 35. v. 4. [cap. 35.] *Deus ipse veniet, & saluabit*. & cap. 45. 14. [cap. 45.] *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator*. & cap. 53. [cap. 53.] *generationem eius quis enarrabit?* Baruch illud est præclarum de Verbo Dei Incarnato testimoniū c. 3. v. 36. [Baruch. 3] *Hic est Deus*. & 36. post hęc: *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Qui loci cum tribus alijs Dauidis, & Sapientiæ coniuncti diuinitatem Verbi perspicuè ostendunt.

Venio ad testimonia Euangelij, quæ cum multa sint, pauca ex ijs seligo. Matth. 3. & 17. [Matth. 3. & 17.] *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. eiusdem cap. 16. [Matt. 16.] *Tu es Christus Filius Dei viui*. Cui Martha ijs verbis consonat Ioannis 11. [Ioann. 11] Ex Ioanne nōnulla adduco cap. 3. [Ioann. 3.] *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitū daret*. Quo diuinitas Verbi haud dubiè probatur, addito momento loci Ioannis 5. v. 18. [Ioann. 5.] *Iudæi quærebant Christum interficere, quia non solum soluebat Sabbathum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Huc spectat illud Ioann. 8. [Ioann. 8.] *antequam Abraham fieret ego sum*; cuius sensum lapides à Iudæis sumpti eum esse testantur, quem ira & inuidia eorum ferre non poterat: idest Deum se æternum, & æqualem cum Patre esse. Et illud adijciendū Ioannis 14. [Ioan. 14.] *Creditis in Deum & in me credite*. & illud: [Ibidem.] *Philippe qui videt me, & videt Patrem meum*, Eodem pertinet illud Ioannis 16. [Ioan. 16.] *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*. Idem sonat illa vox Thomæ Ioannis 20. [Ioan. 20.] *Dominus meus, & Deus meus*. Ille autem locus capitalis est Ioannis 10. *Ego & Pater vnum sumus*. [Ioan. 10.] In Epistolis eiusdem Apostoli duo sunt præcipua testimonia. Epist. 1. cap. 5. [1. Ioan. 5] *Pater, Verbum, & Spiritus*

Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. & paulò post v.20. *Vt simus in*
Ibidem. *vero Filio eius; hic est Deus, & vita æterna*. A D. Paulo idonea item ha-
Rom.9. bemus. Primum ad Romanos 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus, benedictus*
Philip.6. *in sæcula*. Secundum ad Philipp.c.6. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. Tertium ad Hebræos cap.1.v.5. *Cui*
Hebr.1. *enim dixit aliquando Angelorum Filius meus es tu, ego hodie genui te*. &
ib. cap.3. cap.3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*.

In his locis tam apertè diuinitas Filij continetur, vt mirum sit Arianos homines in scriptura versatos eam non vidisse. Pudeat eos, & qui postea nostris temporibus illis adhæserunt, non intellexisse, quod vel Iudæi obtusi, & adipalis ingenij homines intellexerunt. Existimabant enim, quando Christum illa de se, quę adduximus testimonia afferentē audiebāt, Christum Deum se dicere, & quæ de se prædicabat, ijs Dei se Filium Patri æqualem, & eundem prorsus, cum eo Deum significare; quod nihil interesse videbant inter Filium Dei, & æqualem, vti diximus. Cur enim quæso Caiphas ipsum interrogauit, *Tu es Christus Fi-*
Marci 14 *lius Dei benedicti?* nisi quod sibi persuaserat Christum Filium se Dei & dixisse, & haberi voluisse? idipsum Iudæi accusantes eum coram Pi-
Ioan.19. lato pronunciarunt: *Debet mori, quia Filium Dei se fecit*. Imò & ipsi diaboli fassi sunt eum esse Dei Filium, atque adeo æqualem. Perinde enim erat Dei Filium esse, ac Deum, & æqualem Deo esse. Quod qui hæretici non viderunt, minus Caipha, & Iudæi, diaboloque viderunt. Et sanè dubitationem sustulit omnem, quæ oriri poterat, Ioannes cum scripserit: *vt simus in vero Fi-*
1.Ioan.5. *lio eius, hic est verus Deus, & vita æterna*.

Vltra locos sacrę Scripturæ est authoritas Symboli Fidei, vt vocat Tridentinum, quod in illis diebus solemnioribus recitatur, in quo hæc veritas apertè traditur illis verbis: *Ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*. quæ Concilium Concil.
Nicænum Symbolo Apostolorum Nicæn.
explicando adnexuit, & addit: *Eos autem, qui dicunt. Erat aliquando, quando non erat, & quia ex multis subsistentibus factus est, aut ex alia substantia dicunt esse mutabilem Filium Dei, anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia*. Eandem verita- Concil.
tem tradidit Concil. Ephesin. sub Ephesin.
Cælestino, & Chalcedon. sub Leo- Chalced.
ne, & Sardicense apud Theodore- Sardic. Synod.
tum lib.2. cap.8. histor. Eccles. & Constant.
Synodus Constantinopolitana 150. 1.
Patrum, quæ *Homousion* recepit, & 5. 6.
quinta, & sexta, & septima, & octa- 7. 8.
ua Synodi generales. Concil. La- Concil.
teran. & Florent. & Constantiense, Lateran. Florent.
Aquileiense sub Damaso in quo fuit Toletan.
Ambr. & Toletanum, & Brachar. in Brachar.
Confess. Fidei. Denique Tridenti- Trident.
num eandem veritatem docet, dum probat Decretum de Symbolo Fidei Apostolico. Imò nullum fermè Concilium est: in quo Fidei confessio præmittatur, quod non tradat hanc veritatem expressam.

Ex Summis Pontificibus Felix I. Felix.
Epist.3. Marcellinus Epist.1. ad Sa- Marcell.
lomonem. Anacletus Epist.2. Hygi- Anacl. Hygin.
nus Epist. 1. Ioannes II. Epistola Ioann. 2.
ad Valerium. Patres innumeros re- Maldon.
censet Maldonat. commen. in Ioan- Vasquez.
nem cap.1. & cap. 10. ad illud *Ego & Pater vnum sumus*. & Vasquez 1. part. d.109. cap.3. & Bellarmin. de Christo lib.1. vbi per seriem sæculorum Patrum ætates secutus eorū hac de re testimonia colligit. Ego vnum ex omnibus Augustinum ci- August.
tare volo, multoque quam illi exactius, & locos vbi Arianos refutat præcipuos (sunt enim innumerabi-

les

les) proferre. Nemo igitur hanc hæresim Augustino acutius, solidius, copiosius refutauit 2. tom. Epistolarum epist. 57. ad Dardanum. epist. 120. ad Honoratum. ep. 150. ad Elpidium. epist. 174. vsq. ad 179 contra Pascentium. Et in epistolis Basiliensibus epist. 2. ad Consentiũ. Tom. 3. lib. de Fide, & Symb. Et in Enchirid. à cap. 34. ad 42. Et totis 15. lib. de Trinit. Et lib. 1 de Gen. ad litt. à cap. 1. ad 11. Tom. 4. lib. 83. quæstionum qu. 28. ad 30. Tom. 5. de Ciuit. Dei lib. 11. cap. 10. Tom. 6. in orat. de 5. hæresibus. In Sermon. contra Paganos, Iudæos, & Arianos, & lib. contra serm. Arianorum. Et libris 3. aduersus Maximin. Et disp. cum Feliciano. Et tractat. vlt. super illa sententia, *Ego sum qui sum*. Et comment. in Ioannem vbique in multis tractatibus.

CAPVT IV.

Respondetur Argumentis, & locis Scripturæ allatis ab Arianis.

DVo genera hostium Verbi Diuini olim fuisse comperimus. Primum Arianorum duce Ario, qui dicebant Verbum esse creaturam. Secũdum Semiarianorum duce Macedonio, qui dicebant Verbum esse Deum, sed minorem Patre, eique non consubstantialem, sed similem. Arianis respondemus malè eos colligere Filium esse creaturam ex eo, quod sit à Patre. Potest enim esse à Patre, & esse Filius: Filius autem naturam Patris habere potest; atque adeo eiusdem esse cum Patre substantiæ; nec enim debuit Pater nisi Filium sibi consubstantialem gignere, cum id pertineat ad perfectionem Patris generantis; alioqui generaret mostrum, si creaturam generaret, cum præsertim Filius ab illo per intellectum procedat, qui intellectus cum sit substantia, non potest gignere, nisi substantiam, & imaginem substantialem eiusdem rationis cum mente diuina, à qua procedit. Quæ sententia Arianorum accedit ad sententiam Mahometi negantis Patrem habere Filium, & naturam Diuinam sterilem inducentis.

Semiarianis autem Respondetur. Patrem genuisse Filium sibi consubstantialem, & imaginem naturalem suam omnino similem in eadem natura, quam communicabat, & habebat, nec Filium se minorem gignere potuisse, cum non liberè, sed necessariò genuisset. Instantia autem sumpta ex ratione ingeniti, nullam vim habet, quia esse ingenitum, non est aliquid positiuum in Patre, sed tantum, quemadmodum vult Augustinus in libris de Trinit. quiddam negatiuum, idest non esse ab alio, sed à se esse principium originis. August. Declaratur autem hæc veritas ex ratione spiritualis productionis, quæ sine tempore fit, & in instanti perficitur, vti apparet in mente intelligente, quæ in eodem instãti producit Verbum suum; quod si spiritualis substantia pareret, momento pareret. Id patet exemplo Solis, qui vbi primum est, & apparet, continuo lucet; si autem lux Solis esset substãtia, eodem momento essent Sol substantia, & lux substantia: quæ sanè iusta est locutio, nec improbari potest à Semiarianis.

Quod opponunt de excellentia Patris tot nominibus declarata, dicimus eam esse tantum originis, non substantiæ, quatenus Pater est principium, à quo est origo. Esse autem principij non est positiua potentia naturæ, aut essentiæ, sed, quod aiunt, prioritas originis, quæ in sola negatione consistit. Hanc verò Patres exaggerant more humano, quod non essent vocabula apta ad illam proprietatem declarandam: vnde fontem, & causam vocarunt: non quod his exemplis omnia essent si-

milia, sed quod vellent ijs illam notionem originis significare. Cuncta igitur illa vocabula solam vocem ingeniti continent, & omnibus equipollent, ijsque illa exprimitur, non aliæ excellentiæ significantur.

Quod attinet ad locos Scripturæ singulos expendemus. Primus *Pater maior me est*. triplicem habet solutionem. Prima est Chrysostomi, Theophylacti, & Euthymij in Ioannem, Christum ad mentem se, & opinionem Discipulorum accommodasse, qui tum putabant, quod minus essent illuminati, Filium minorem esse Patre. Itaque eorum sensu locutum, non suo: vti illi existimabant, non vti res erat; quemadmodum cùm dixit Marci 10. *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus*. Verum hæc solutio non satisfacit: est enim à Christi veritate aliena, nec in re tam graui alieno sensu loqui debuit, sed suo. Præterea id esset errorem discipulorum confirmare, & veluti diuinitati suæ detrahere, præsertim cum Christus ibi cum solis discipulis loqueretur, eosque erudiret ad doctrinam diuinitatis suæ, quod præcipuè agit in toto isto sermone, & illud omnino ageret, vt Deum se esse verum Patris Filium, & æqualem cum Patre ostenderet; adeo vt Philippum reprehenderet minus hac in re doctum: *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est: Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*. Non potuit ergo Christus magistrum agens opinionem discipulorum errantium sustinere, & ansam errandi conniuendo dare.

Chrysost. Leont. Theoph. Euthym.

Marc. 10.

Ioan. 14.

Secunda solutio est Athanasij orat. 2. contra Arianos, Epiph. hæres. 69. Hilar. lib. 5. & 11. de Trinit. Nazianz. orat. 4. & 5. de Theolog. Cæsarij dialogo 1. Cyrilli lib. 2. thesauri cap. 3. Damasceni lib. 4. de Fide cap. 19. & Chrysostomi, Leontij, Theophylacti, & Euthymij in Ioannem. Patrem dici maiorem Filio etiam secundum diuinitatem, non re tamen, sed denominatione, quatenus fons est, & principiū diuinitatis, & vti Græci loquuntur *causa Filij*, quem genuit. Itaque vti est author illius propter generationem, Filio dici posse maiorem, non quod re ipsa maior, sed quod maiorem illo, quem genuit, habeat authoritatem. Hæc solutio placet Clictoueo, qui sentit Patrem, vti persona est, dici posse maiorem Filio: *nam principalior*, inquit, *est existendi modus Patris, qui à nullo est, quam cæterorum duorum, quo ab eo sumunt originem*. Nititur autem hæc solutio illa opinione Theologica, quæ sentit personalitates diuinas, qua tales, dicere perfectionem formaliter; nam si hoc verum est, maius aliquid dignitatis videtur habere prima persona Patris, quam secunda persona Filij. Non placet tamen nobis ista solutio: est enim saltem in specie periculosa, & Arianorum errori fauet, & sanè illa denominatio in aliqua re fundari debet, ac perinde re ipsa poterit Pater maior esse Filio. Sed ob id præcipuè displicet, quia dissentit à Symbolo Athanasij, in quo dicitur: *Aequalis Patri secundum diuinitatem, minor Patri secundum humanitatem*. Quare nullatenus dici potest quocunque sensu absolutè Filius minor Patre secundum diuinitatem. Præterea si ob eam rationem principij, & causæ Pater dicitur maior Filio, eadem ratione Filius potest dici maior Spiritu sancto. Quod nunquam legimus in scripturis. Clictouæum, illam Patris excellentiam admittentem, acriter reprehendit Vasquez in 3. par. d. 122. cap. 2. Ad fundamentum autem Clictouæi dicimus in communi, quæ est nostra, sententia personalitates non dicere formaliter perfectionem; quod si eam dicant id non obstare quo minus omnes sint æquales in perfectione; quod si inæ-

Athanas. Epiphan. Nazianz. Cyrill. Hilar. Damasc. Chrysost. Leont. Theoph. Euthym.

Clyctou.

Symbol. Athanas.

Vasqu.

inæquales sint, adhuc dicendum non esse vnā alia perfectiorem, quia ratione essentiæ diuinæ continentis omnes illas perfectiones eminenter, singulæ personæ continent alias etiam eminenter.

Tertia igitur solutio esto: Christum maiorem se Patrem dixisse secundum humanitatem, nullo autem
Athanas. modo secundum diuinitatem. Ita communis Patrum sententia Atha-
Basil. nasij citati, & lib. de Synodo Ariminensi, Basil. aduersus Eunom. lib.4.
Nazianz. Ambr. Nazianzen. cit. Ambr. 2. de Fide
Hilar. cap.4. & lib. 5. cap.8. Hilarij libr.5.
August. & 11. de Trinit. August. lib. 1. de Trinit. cap.7. & 11. & lib.3. contra Maximin. & quæst.4. ad Orosium. & lib.88. quæstionum quæst.69. &
Leo I. tract. 78. in Ioann. Et Leon. Primi sermon.3. in Pentecosten. Hanc sequuntur omnes R. R. qui contra no-
Maldon. uos Arianos, præcipuè Transylua-
Tolet. nos scribunt. Probatque Maldonatum comment. in 14. cap. Ioan. v.29.
Bellarm. Vasquez. & Tolet. ibi. Et Bellarmin. lib.1. de
Suarez. Christo cap.6. & Vasquez 3. p. d.80. cap.1. & Suarez ibi d. 43. in cap. disputationis, & in comment. ad q.20. art.2.

Veram hanc esse solutionem con-
D.Thom. stat ex ijs, quæ dicit D. Thom. 3. p. quæst.20. art. 1. secundum mentem
Lugo. D. Augustin. lib.6. de Trinit. & ibi Vasquez, & Suarez, & Lugo, & cæteri Interpretes dum disputant de subiectione Christi erga Patrem. Idoneam tamen, & aptam solutionem hæretici negant esse, & nostri quidam Authores minus accuratè, quia facilis est, probant. Ego id vindico, & suadeo hoc modo. Toto isto capite multa dixerat Christus de sua diuinitate, & consubstantialitate cum Patre, & fortasse nusquam tot, & tam perspicua. Ne igitur putarent discipuli, & qui post eos futuri erant auditores, eum non esse hominem, nec veram hominis naturam gerere, vti existimarunt Manichæi, voluit monstrare se ita Deum esse, vt homo item esset; atque id fassus est his verbis: *Vado ad Patrem, quia Pater maior me est*. Quare non solum potuit propriè ita loqui, sed omnino ita loqui debuit, ne Deus solùm esse putaretur. Pertinebat autem ad fidem vtrumque asserere, & Deum se esse, & hominem, quemadmodum sæpe Christus fecit; nam cum maximè asserebat diuinitatem suam, tunc humanitatem suam vehementer commendabat, vti cum coram Caipha dixit se esse Filium
Dei, addidit: *Videbitis Filium hominis venientem* &c. Quare non solum Matt.27.
certa solutio est, sed idonea, & necessaria. Accedit, quod tunc Christus loquebatur de suo ad Patrem reditu, qui non nisi in hominem cadere poterat. Vt ergo propriè loqueretur, oportebat dicere se redire ad Patrem secundum humanitatem, nam secundum diuinitatem, vti decedere à Patre non poterat, ita nec ad eūdem redire poterat. Congruebat igitur, vt Christus, quoniam vtriusque naturæ erat, vtrumque affirmaret, & quò magis vnam asserebat, eò minus alterius obliuisceretur, vt fidem ambarum in vna persona confirmaret.

Quod autem acutè videbantur Ariani obijcere, scilicet comparationem non fieri inter diuersa, & quæ nec specie, nec genere conuenirent; id negandum in primis est: nam sæpè diuersa diuersis comparantur. Ecquis enim neget rectè dici. Leo fortior est Agno. Quod si dicāt esse generis eiusdem, idest animalis, non negabunt item rectè dici Elephas maior est quadam rupe. Imò sæpè ad rem exaggerandam, diuersi generis inter se comparantur, vti cum dicimus Gigas altior est arbore. Non ineptè opinor dicta sunt ista: sed solidius volo agere, & sacratius. Phrasis est Scripturæ sacræ familiaris, res diuersi generis inter se com-

parare, Exempla suppedito. Lib. 3.
1. Reg. 3. Reg. 10. Saba Regina ad Salomonem; *Maior est*, inquit, *sapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiui*. Puto opera, & sapientiam non esse eiusdem generis cum fama, & nomine. Aptius est in Iobo exemplum cap. 33. *Respondebo tibi, quod*
Iob 33. *maior est Deus homine*. Ecce comparatio inter Deum, & hominem mortalem fit. Et quidem venustè in nouo Testamento eadem Phrasis
Luc. 7. inuenitur Lucæ 7. *Qui autem minor est in regno Cælorum, maior est illo*. Angelus, nimirum homine Baptista, secundum multorum interpretationem. Ad Hebr. 1. *Tanto melior An-*
Hebr. 1. *gelis effectus*, idest Christus Deus homo, non Angelus. Eadem Episto-
Ib. 6. la cap. 6. *Homines per maiorem sui iurant*: vbi Deus maior hominibus significatur, & necesse est significari, adeo vt interdum sit opus comparare res diuersi generis. Itaque desipiunt hæretici, quibus nos ora obstruimus. Hæc autem Authores nostros reliquisse miror, nullis productis exemplis, ex quibus apparet rectam esse illam Christi phrasim, & idoneam sententiam, & germanam interpretationem.

Nec sola veritate confutantur hæretici, sed etiam acumine Patrum refelluntur. Accipiunt Basilius, &
Basil. Cyrill. Cyrillus citati obiectionem Arianorum; & admisso, comparationem non versari nisi inter eos qui sunt eiusdem generis, rationisque, retorquent dictum acutius. Ergo Pater, & Filius eiusdem sunt naturæ, & diuinitatis, quando inter eos comparatio exercetur. Multum hæc Pa-
Maldon. trum subtilitas placet Maldonato. Mihi aliquanto minus, quàm ei placet; quòd video facilè Arianos posse respondere: esse quidem eiusdem naturæ, sed non eiusdem independentiæ & dignitatis, atque adeo intra idem genus, & rationem, maiorem Filio esse Patrem, & saltem Filij causam esse posse, vti in creatis. Ita nostra, & communis solutio est solidior. Ita enim subtilitas alia subtilitate retorquetur, quæ si idonea esset, eam Augustinus opinor, non præterijsset.

Respondendum igitur est Arianis eo loco Ioannis, *Pater maior me est*, sermonem esse de humanitate, eumque aptum esse sensum, & in rem natum.

Quoad secundum locum Ioan. 5. *Non potest Filius à se facere quicquam nisi quod viderit Patrem facientem*. Antequam ei respondeam, primum sumo: Christum hic loqui vti Deum, quòd certè docent Patres communiter, & Augustinus præcipuè hoc August.
loco, idque apparet Maldonato teste, ex eo, quod hæc verba coherent cum ijs, quæ paulo ante dixerat: *Pater meus vsque modo operatur, & ego* Ioan. 5.
operor. Propter quæ Iudæi volebant eũ interficere. Sequitur ergo ratio, cur dicat se cum Patre operari, quia nimirum necesse erat, vt quæ faceret Pater, & videret ipse facienda, & omnino, vti vidisset, faceret, cum esset eiusdem cum illo, & naturæ, & potẽtiæ: perinde ac diceret. Operor, cum Patre, quia nõ potest aliter fieri, vt quæ facit ille, non faciam ego, qui video, & scio quod ipse facit. Vnica est ergo mei, & Patris ratio operandi, scire, & videre quæ agit Pater, & vti video, sic operari. Hæc enim inter vtrumque connexio est, vt nec ille sine me vidente, nec ego sine illo monstrante quicquam facere possimus. Vnde sequitur: *Et omnia Pater eidem demonstrat, quæ ipse facit*, quia cum per intellectum procedam, & intelligendo gignar, non possum sine Patre ego, nec ille sine me operari. Ex quo apparet Diuinitas Filij vna cum Patre, & personalitas Filij diuersa à Patre, secundum quam ait: non posse à se sine Patre operari, sed omnino necesse esse, vt quando simul operatur, ita

opere-

operetur, vt sit à Patre, & intelligendo sit, atque ita cum Patre, vt vnus Deus, & diuersa persona operetur. Illud autem, *non potest*, nihil derogat potentiæ Filij, imò declarat æqualitatem cum Patre, & distinctionem à Patre. Etenim quædam non potest Deus, quæ si posset non esset omnipotens, vti mentiri, inquit Augustinus lib. 22. de Ciuit. cap. 25. & lib. 26. contra Faustum cap. 5. Itaque istud non posse Filij, à natura eius est, non enim à se potest operari tanquam à principio, cum sit à Patre, & ab eo nascendo accipiat & videre, & posse operari, quod est ipsum esse Filium, quemadmodum notat Augustinus, à quo hic locus sæpè, & copiosè explanatus est tractatibus in Ioannem, vtpotè qui omnino vult contra quosdam Græcos Authores, Christum tanquam Deum loqui. Animaduerto autem Christum non dixisse absolutè, *non potest*, sed respectiuè *non potest à se*: quo non negauit potentiam, sed modum, idest, dixit: non esse se principium faciendi; quia id quo erat omnipotens, à Patre, qui à se erat, acceperat: non negauit ergo, se posse, sed negauit eo modo se posse, quo Pater poterat, idest *à se*.

August.

Obijciunt Ariani: Christum, qui *nihil facere possit, nisi quod viderit Patrem facientem*, omnino discipulum esse Patris, & discere à Patre. Quid enim aliud est non posse operari, nisi prius viderit, quàm discere à Patre, & ab eo regulas, & normas operandi accipere?

Cæsar. Seuer.

Respondebant Cæsarius dial. 3. & Seuerus Antiochenus in Epist. ad Sergium, Christum loqui secundum humanitatem, quare mirum non esse, quod dicat nihil se, nisi à Patre videat, & discat facere posse. Qua ratione Arianos, non tam confutabant, quam vitabant subtrahendo materiam erroris, & ad humanitatem confugientes. Aliter tamen dicendum cum Augustino, & Patribus communiter, fatendo Christũ secundum diuinitatem loqui, ac ita loqui debere, quod sic probatur. Christus dixerat se cum Patre operari. Explicandum erat quomodo: ne quis existimaret eandem se cum Patre esse personam. Igitur distinguit personam à persona, dicens ita se cum Patre operari, vt à se non operetur, sed cum Patre ita operetur, vt sit à Patre, idest vt operetur tanquam Filius genitus à Patre, qui nascatur ex eo videndo, & intelligendo, quique ipsum intelligere accipiat à Patre; atque adeo non possit nisi videndo, & intelligendo à Patre accipere, & rationem operandi, & potentiam operandi. Hæc est germana huius loci solutio, quam Interpretes prolixè, & obscurè interpretantes minus explicarunt. Nos, opinor, clarè ex Augustino soluimus. Cuius locos oprtet afferre tract. 20. in Ioannem. *Inseparabilia*, inquit, *sunt opera Patris, & Filij: sed non potest Filius à se facere quicquam nisi quod viderit Patrem facientem. Quia videre Filij, hoc est natum esse de Patre. Non alia visio eius, & alia substantia eius, nec alia potentia eius. Totum quod est, de Patre est, totum quod potest de Patre est. Hoc ergo est non potest Filius à se facere quicquam; quod est, si diceret, non est Filius à se. Etenim si Filius est, natus est, si natus est ab illo est, de quo est natus*. Rursum. *Hoc intelligitur in illis verbis. Non potest Filius à se facere quicquam nisi quod viderit Patrem facientem. Hoc est: quicquid Filius habet, vt faciat, à Patre, habet, vt faciat. Quare habet à Patre vt faciat? Quia à Patre habet, vt Filius sit. Filio hoc est esse, quod posse*. Ita tract. 20. Iterum tractat. 21. *Omnia per Filium facta sunt. Verbum Patris est Filius, nihil dixit Deus, quod nõ dixit in Filio. Dicendo Filium genuit. Non carnaliter accipiamus illud, nisi viderit opus Patris.*

August.

Viden-

Videndo enim natus est, & nascendo videt. In eo quod est illi videre, in eo est illi natum esse: in eo est illi esse. Consonat lib. 16. de Trinit. cap. 14. hoc ipsum exponens. Vellem hic adessent omnes Ariani. *Non potest*, inquit, *Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Potenter hoc non potest: nec est infirmitas ista, sed firmitas. Nouit omnia Deus Pater in se ipso, nouit in Filio: sed in se ipso tanquam se ipsum. In Filio tanquam Verbum suum. Quod est de his omnibus quæ sunt in se ipso. Omnia similiter nouit & Filius. In se scilicet tanquam ea quæ nata sunt de ijs quæ Pater nouit in se ipso. In Patre autem tanquam ea de quibus nata sunt, quæ ipse Filius nouit in se ipso. Sciunt ergo inuicem Pater, & Filius: sed ille gignendo, iste nascendo.* Hic locus cõtinet germanam illius apud Ioannem, loci interpretationem. Qua certè nihil est subtilius, nihil verius: hic enim non separaueris à veritate subtilitatem. Acumine opus est, opus Augustino. Huiusce interpretationis confirmatio, ac explicatio est, quod addit vers. 20. *Omnia demõstrat ei quod ipse facit.* quemadmodum ostendit Augustinus tract. 19. *Ad hoc quod supra dixi. Nisi quod viderit Patrem facientẽ videtur pertinere, & quod omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Quid autem sit hoc ipsum *demonstrare*, explicat tract. 21. *Videamus quemadmodum demonstrat Pater Filio quæ facit, cum Pater nihil faciat, nisi quod per Filium facit. Vbi demonstrat Pater Filio quod facit, nisi in ipso Filio per quem facit? Videre Patrem, hoc Filio est esse Filium. Verbũ Patris est Filius. Nihil dixit Deus quod non dixit in Filio. Dicendo Filiũ genuit Filiũ.* Hoc est *demonstrare*. In Patre quod est dicere, id est gignere Verbum. Itaque mens est Augustini: quemadmodum *Videre Verbum* est esse natum: & genitum à Patre, ita demonstrare Patris esse gignere Filium, & Patrem Filij esse. Hac interpretatione Augustini non solum soluitur, sed etiam retorquetur in Arianos argumentum.

Ad tertium Responsio est duplex. Prima communis Nazianz. orat. 4. de Theolog. Basil. libr. 5. aduersus Eunom. Chrysostom. comment. in Ioannem cap. 17. Cyrill. Leontij. Theophyl. & Euthymij ibidem Theodoreti, Cyri Episcopi in Catena Græcorum. Hilar. lib. 9. de Trin. Qui aiunt illius loci sensum esse: solum Patrem esse verũ Deum, cõparando illum cũ falsis gentium Dijs. Qua ratione non erat comparatio inter Patrem, & cæteras Personas, sed inter Patrem, & deos Gentium, qui illa particula, *solum*, excludantur. Quare sub nomine Patris etiam Filium, & Spiritum sanctum intelligi, sed poni solum Patrem vti principium, ac eo posito reliquas duas Personas significari. Hæc solutio expedita videtur, & facilis. Secunda est Tertullian. siue Authoris libri de Trinit. inter illius opera cap. 24. & Hilar. lib. 9. de Trin. & Chrysost. & Cyrill. in hunc locum. & Ambr. lib. 5. de Fide cap. 2. & August. tract. 105. in Ioannem, & Bedæ commẽt. in eundem locum, videlicet vt de vtraque persona sermo sit, & vtranque illa coniunctione & connecti, & de vtraque affirmari: esse *solum*, & *verum Deum*: illa enim particula copulari Patrem, & IESVM Christum à Patre missum; atque adeo vocabulum illud, *solum*, ad Christũ etiam pertinere, vt sensus sit: solum Deum Patrem, & Christum Filium eius, verè Deum esse, non excludendo Filium, sed admittendo. Quare de Flio etiam intelligendam esse illam particulam, *solum Deum*; quo maximè testimonio diuinitas Christi asseritur. Ordo enim verborum est, inquit August. tract. 105. in Ioannem, *vt te, & quem misisti IESVM Christum cognoscant solum Deum verum*

Nazianz. Basil. Chrysost. Cyrill. Leont. Theoph. Euthym. Theodor. Hilar.

Tertull. Hilar. Chrysost. Cyrill. Ambr. August. Beda.

August.

rum. Quibus verbis communiter Spiritus sanctus intelligitur, qui cũ Patre & Filio vnus est Deus; in quo omnes Catholici conueniunt. Harum interpretationum

Maldon. Bellarm. Prima magis placet Maldonato hic, & Bellarmino lib. 1. cap. 17. quod sit facilior, vti aiunt, & expeditior. Secundam ait Maldonatus non satis explicari ab ijs, quibus non probatur. Quo significat ipse, probari quidem sibi, sed ab alijs minus probari. Verum hæc secunda meo iudicio multùm alteri præstat, quia parum erat dicere Christum Patrem suum, *solum esse verum Deum*, facta comparatione cum Idolis, & Dijs gentium. Quid enim, quæso, magnũ illa veritas continebat, aut quis de eo dubitabat, præsertim in priuata, & inter discipulos concione, qui ea doctrina minimè indigebant, & de illa veritate non ambigebant? quod scirent Deos gẽtium Idola esse. Certè non puto id tunc egisse Christum nec id ei in mentem venisse, nec inuenio in hoc argumento quicquam fundamenti vt dicamus, quod Deus Pater cum Idolis Gentium, in Euangelio comparetur; nam in Lege gratiæ, quam Euangelium inchoabat, nemo fermè fideliũ dubitabat Deos Gentium idola esse, nec posse cum Deo Patre & Christo comparari. In veteri Testamento reperio locos, vbi Deus Iudæorum Dijs Gentium anteponitur, & meritò; quoniam ita necesse erat Iudæis Idola sæpè colentibus; at in Nouo inter Apostolos, & fideles vbi nullum penè iam erat illius Idololatrię vestigium, non video tantam necessitatem Diuinitatem vnius Numinis asserendi. Præterea ratio est idonea, quæ me mouet; nam si id Christus ageret, loqueretur sanè de Deo perspicuè, & apertè cum alijs Dijs comparato, non vero de solo Patre: quorsum enim Patrem solum assumeret, & illum Dijs Gentium præferret, si volebat illis Deum anteponere? Deinde admisso isto sensu, quod de Patre præ alijs Dijs loqueretur, adhuc restat integra quæstio de Patre, & Filio, scilicet, quomodo Filium non expresserit, dicendo eum esse verum, & solum cum Patre Deum, si Deum cum falsis Dijs Gentium comparabat; si enim de Deo loqui volebat, cur Filium non nominauit, sed solum Patrem? perinde ac Filius Deus non esset cum Patre? Imò & vrgetur argumentum hoc modo: Si Christi mens erat dicere solum Deum Hebreorum esse verum Deũ, excludendo falsos, & mẽdaces Deos, quomodo de solo Patre locutus est, quasi ille solus esset Deus, & non Filius? Quod si nomine Patris intellexit Filium, iam reditur ad secundam solutionem: *Et quem misisti Iesum Christum*, quæ est Augustini, ac proinde vera interpretatio. Itaque prima solutio minus mihi, quam secunda probatur, quam puto certam, nimirum illud *cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum*, nexum omnino esse, & copulatiuè sumendum, vt sensus sit: *te, & Christum esse solum Deum verum*. Interruptio autem illa verborum nihil tollit de sensu, vti notat Chrysostomus adducto exemplo Epist. 1. ad Corinth. cap. 9. *An ego solus, & Barnabas non habemus hanc potestatem*? Vbi illa intercisio sententiæ nihil detrahit Barnabæ, cum sensus sit: *Ego & Barnabas soli*, non excludendo Barnabam, sed admittendo. Ita illud, *solum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, nõ excludit Christum à Diuinitate, sed potius includit. Et quidem Augustinus hoc tantum modo interpretatur. Chrysost. 1. Cor. 9.

Vltimo loco lentius respondetur, quod sit difficilior est, quam vulgò existimatur. Itaque diligentiùs tractandus est, ac eò magis, quod video minus ab Interpretibus accuratè exponi. Noto primum: eo maximè

nixos

nixos Arianos veteres, & nouos, id est Transyluanos, teste Bellarmino lib. 1. de Christo cap. 6. Deinde obseruo cum D. Augustino tr. 110. in Ioann. duas hic esse suppositiones. Primo enim supponitur Filium Dei esse vnum cum Patre natura, & essentia, vti sæpè Christus affirmauerat; vti apparet; ac proinde hic eandem illam naturæ vnitatem supponere, & aliam charitatis, & amoris commendare. Secundo supponitur discipulos esse vnum in natura humana, & indigere alia vnione in amore, & charitate. Itaque hic semper præmitti vnitatem in natura, ad vnionem in charitate. Notat deinde August. lib. 2. contra Maximin. cap. 22. & lib. 3. in Scriptura, nunquam dictum inueniri, *vnum sunt*, de rebus diuersarum naturarum. His assumptis, patet

Bellarm.

August.

August.

Sensus loci, & constat nihil ex illo detrahi posse diuinitati Filij. Est enim sensus. Peto à te Pater, vt hi, qui homines essentia, & natura sunt, vti nos, qui idē sumus natura Deus, ita inter se vniantur amore, & charitate, vti nos amore, & charitate vnimur.

Est tamen difficultas, & ex illa existit obiectio, quia homines sunt vnum in natura communi, Pater verò, & Filius sunt vnum in natura singulari. Præterea Pater, & Filius vniuntur amore essentialiter, & amor ipse natura Diuina est, ac proinde inter Patrem, & Filium non sunt duę vnitates altera naturæ, altera amoris, sed vna essentiæ & naturæ; at verò in hominibus duæ vnitates esse debent vna naturę, altera amoris.

Respondeo: Verum hoc esse, sed nihil veritati sensus obstare; & germanam solutionem adhibeo, quæ huiusmodi est. In comparatione attendi proportionē rerum comparatarum, seruata semper natura, & proprietatibus illarum, quibus retentis procedat comparatio secūdum proportionem, in qua non requiritur identitas, sed similitudo. Itaque comparando Angelos cum hominibus, possumus rectè dicere, eos vnū esse inter se amore, & charitate, cùm tamen natura & essentia sint diuersi. Quare obiectionibus

Respondeo: In exemplis tenendam esse proportionem eius rei, in qua fit comparatio, seruata diuersitate reliquarum. Itaque hic optari vnionem Iustorum inter se per amorem, ad exemplar vnionis illius Diuinæ Personarum inter se per amorem Spiritus sancti; non vt æqualis sit illa vnio, sed similis. Nam illud, *sicut & nos*, non inducit æqualitatem, sed similitudinem, quæ satis est ad veritatem particulæ, *sicut*; non enim homines inter se sunt capaces vnionis illius essentialis Diuinæ, quemadmodum nec vnitas in natura, potest esse tanta, quanta est vnitas naturæ in Personis diuinis, quæ sunt vnum, & idem inter se, atque adeo tres Personæ, & vnus Deus. Hinc apparet congruitas comparationis, quod sicut homines non possunt esse idem in natura singulari, sed tantum in natura communi, ita idem esse non possunt per charitatem, & amorem essentialem, sed per accidentalem; & quemadmodum illa vnitas est minor, quàm Diuina, ita, & hæc vnio minor esse debet; quæritur enim proportio, & similitudo, non autem æqualitas, & identitas.

Ostendo autem apertam esse huiusmodi solutionem, adhibito vno, & altero exemplo Euangelij. Primum esto illud Matth. 5. vers. 48. *Estote ergo perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est*. Et aliud Lucę 6. v. 26. *Estote misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors est*: Iuxta expositionem Maldonati, quem magni facere Authorem soleo. Is igitur Matth. 5. ait: *Sicut, non æqualitatem, sed qualitatem, similitudinemque declarat:*

Matth. 5.

Luc. 6.

Maldon.

declarat, & eam quidem similitudinem, quæ inter Deum, & hominem, non quæ inter hominem, & hominem esse potest, proponit nobis Christus signum ad collimãdum, quo scit nos peruenire non posse, vt quò possumus perueniamus. Quæ interpretatio in hũc locum Ioannis benè quadrat, eumque Maldonatus ad explicandum alium Matthæi commodè adducit.

CAPVT V.

Alijs obiectionibus occurritur, & Diuinitas Verbi confirmatur.

SIT huius capitis initium illa Augustini sententia lib. 83. quęstionum quæst. 69. *Quoniam multa secundum proprietatem personæ, excepto quod attinet ad susceptionem hominis, de illo ita dicuntur, vt Patrem non aliud quàm Patrem, & Filium non aliud, quàm Filium intelligi oporteat, putant hæretici in ijs, quæ ita dicuntur, atque intelliguntur æqualitatem esse non posse*. Igitur necesse erit eos locos adducere, quibus hæretici potissimum hanc inæqualitatem conantur persuadere. August.

Ioann. 1. Primus est Ioannis 1. *Deus erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Vbi Ariani obseruant differentiam phrasis ex articulo græco; nam in ijs verbis: *Deus erat Verbum*, quę ad Verbi Diuinitatem spectant, & reddunt hunc sensum: *Verbũ erat Deus*, non ponitur articulus *ὁ* græcè, qui excellentiam indicat, sed ponitur simpliciter vox *Deus*, non, ille Deus, cum energia, & excellentia. In alijs autem verbis: *Et Verbum erat apud Deum*, præponitur huic voci *Deum* articulus gręcus, & effertur *ton theon* idest, illum Deum, videlicet excellentem, & principalem. Ex quo videtur colligi, Filium, quamuis Deus sit, esse Deum Patre minorem, vti colligebant Ariani, teste Chrysostomo Ioannis 3. & Theophylacto. Nec id leue argumentum videatur, cum eo ductus loco Origenes Arianis faueat. Hæc tamen coniectura futilis est. In primis enim.

Respondetur ex Augustino Deum hic non sumi pro solo Patre, sed pro Deo, vti includit totam Trinitatem. Itaque illud *apud Deum*, non est idẽ præcisè, atque *apud Patrem*. Quare articulus ille, *ton*, non cadit in Patrem, sed in Deum, *apud Deum, apud illum Deum*.

Respondetur secundò: admisso quod Deus hic pro Patre ponatur, negandum cum Chrysostomo esse Patrem eo semper articulo significari; sæpè enim alias nominatur Pater, & articulo caret. Exemplum est in hoc ipso cap. v. 6. *Fuit homo missus à Deo*. Vbi *Pater* significatur sine articulo. Et epist. ad Romanos cap. 1. v. 7. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre*: vbi nullus est articulus. Igitur leuis illa coniectura est, cum eius fundamentum firmum non sit. Chrysost. Ioan. 1. Rom. 1.

Vrgeri tamen potest obiectio, quod non oporteat semper articulum præponi, satis est enim aliquando præponi. Si enim soli Patri semel attribuatur, signum est ob aliquam eius excellentiam in Diuinitate attribui.

Respondetur: non soli Patri, sed etiam Verbo accommodari articulum solere, ac proinde Patri eum æqualem declarari, & nullum inter vtrumque discrimen esse. Si probetur assumptum, res confirmatur. Igitur in Epistola ad Romanos cap. 9. v. 5. sic habetur: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Ibi *Deus* habet articulum: refertur autem ille *Deus* ad Christum, vti patet. Qua ratione ostenditur etiam Filio illum articulum conuenire. Rom. 9. Ioan. 1

Secundus locus habetur 1. Ioannis vers. 3. *Omnia per ipsum facta sunt*. Quasi per instrumentum, & ministrum, aiebant Ariani, vt Pater

causa, & author esset. Ita eos argumentari solitos refert Athanasius (Athanas.) lib. de com. essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti. & Basilius (Basil.) lib. de Spiritu sancto. & Cyrillus (Cyrill.) lib. 1. in Ioannem cap. 5. & lib. 5. thesauri, & Idacius (Idacus.) contra Varimadum cap. 11 Multum enim interesse inter fieri ab aliquò, & fieri per aliquem. Illud enim, *ab*, significare Authorem, & causam principalem; at verò, *per*, significare ministrum & instrumentum. Quare ratione Origenes (Origen.) hic interpretatur, qui omnino Arianizat dicens propositionem, *per*, nunquam propriè causam, nec Authorem significare, sed ministrum, & instrumentum.

Dupliciter soluitur hæc difficultas. Primò dicendo illam præpositionem, *per*, significare sæpè Authorem, & causam principalem, & eandem habere significationem cum præpositione, *ab*. Itaque negandum est Arianis illud discrimen, quod nullum est. Adduco exempla. Genes. (Genes. 4.) cap. 4. v. 1. dicitur: *Possedi hominem per Deum*, idest *à Deo*. & Prouerb. (Prouer. 8.) 8. v. 15. *Per me Reges regnant*, idest, *me Authore*. & 1. ad Corinth. (1. Corint. 1.) cap. 1. *Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei*, scilicet *à voluntate Dei*. & ibidem (Ibidem.) v. 9. *Fidelis Deus per quem vocati estis*, idest *à quo*. & Galat. (Galat. 4.) 4. v. 47. *Si Filius, & hæres, per Deum*, idest *à Deo*. Atque hoc sensu apud Ioannem isto in loco sumi præpositionem, *per*, Greci quidam apud Maldonatum (Maldon.) Authores testantur. Et D. Augustinus (August.) hoc loco ita exponit: *Omnia per ipsum facta sunt; idest per illud Verbum, & ab illo Verbo creatore*. Dicitur autem Filius Author cum Patre tanquam causa principalis apud Paulum ad Hebræos cap. 1. v. 10. Vbi illud Psalm. (Hebr. 1. Psal. 101.) 101. v. 26. *Initio tu Domine terra fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli*, de Christo intelligit, & ex eo arguit Christum esse Deum, quod non argueret, nisi esset Author. Idem autem Paulus 1. ad Colossens. (Coloss. 1.) dixit de Verbo Diuino: *omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*, idest *ab ipso*. Et apparet ex cap. 8. (Prouer. 8) Prouerb. vbi de Sapientia Diuina dicitur: *Cum eo eram cuncta componens*. Et Ioannis (Ioann. 5.) 5. *Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*, quibus testimonijs constat Verbum causam rerum principalem, & Authorem esse. Declaratur exemplo Processionis Spiritus sancti ex Filio, quæ à multis Patribus dicitur esse *Per Filium*, quod perinde sit *Per*, ac *Ex*, quemadmodum eruditissimè in Concilio Florentino sess. 26. Bessarion demonstrauit collatis locis Patrum Græcorum.

Secundo modo soluitur dicendo illam præpositionem, *per*, ideo poni, & applicari Filio, quia significat efficientem, & exemplarem causam: quæ duo genera causandi conueniũt Verbo Diuino, in quo est propria ratio idealis, & repræsentatiua; nam ipse formaliter est actus intelligendi, & Sapientia genita, in qua est scientia necessaria, & causa rerum secundum ideas, quas continet, quæ sunt rationes faciendi; quo indicatur Filium esse verè Authorem rerum, cum is demum verus sit Author, & Artifex, qui efficit secundum ideam, quam habet in mente, in qua est ratio quædam vitalis, inquit Augustinus (August.), quia res ibi viuit anima Artificis: vt ille hoc loco Ioannis ponderat ex ista sententia sequente: *Quod factum in ipso vita erat*, quam ad ideas Verbi refert, quia omnia in Verbo viuunt, quando in eo factibilia repræsentantur: *Sapientia enim* inquit, *Dei*, *per quam facta sunt* (Ibidem.) *omnia*, *secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia*. Quam rem optimè item prosequitur lib. de Ciuit. cap. 29. & lib. 14. cap. 35. & lib. 5. de Genes. ad litt. cap. 13. & 14. lib. 83. quæstionum quæst. 46. &

lib. 83.

lib.83. quæstion. quæst.26. In quibus hunc locum Ioannis de ideis interpretatur; quem sequitur D.Thomas 1. part. quæst. 18. artic. 4. ad 1. (D.Thom) vbi exponit hunc locum Ioannis: *Quod factum est in ipso vita erat.* Hic autem modus operandi, & causandi idealis propriè significatur per illam prępositionem, *per*; ac perinde Verbo Diuino attribuitur, in quod hoc sensu maximè quadrat.

1.Cor.14. Tertius, qui opponitur est epist.1. ad Corinth. cap.15. *Cum autem subiecta illi fuerint omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia.* Nomine enim Filij significatur Persona Verbi, quæ à Paulo subiecta dicitur. Qui autem subijcitur minor est, non æqualis. Accedit quod Christus propriè dicitur: *seruus Patris*; non potest autem seruus dici, nisi minor sit. Hic tamen textus nullam prorsus vim habet: intelligitur enim de Christo, vti homo est, & nullatenus ad Diuinitatem referri potest. Ratio autem est clara, quia Paulus agit de statu Christi glorioso post diem Iudicij in cælo futuro, cum se, omneque corpus Ecclesiæ Triumphantis Patri suo offeret possidendum. Id enim significant illa verba: *cum subiecta illi fuerint omnia.* Quod etiam Dauid cecinit Psalm. 109. (Psal.109.) *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Ex quo, ait Paulus: *subijciendum Deo Patri Filium*, quādo magis exaltatus fuerit ad maiorem Patris gloriam contestandam. Hæc autem subiectio temporanea est, atque adeo propria humanitatis; nam si sermo esset de subiectione Filij secuudum Diuinitatem, non tēporalis, sed æterna esset, nec haberet initium, cū esset à natura diuina. Igitur illa subiectio temporanea fundatur in humanitate quando dicitur: *tunc ipse Filius subiectus erit*, & ita respondet Basil. lib.4. contra Eunom. & Cyrill. lib.20. Thes. cap.4. (Basil. Cyrill.) & Ambr. lib.5. de Fide cap.6. & Augustin. lib. 5. de Trinit. cap.8. & est communis interpretatio Theodoreti, Primasij, Sedulij, & aliorum, quos refert Bellarmin. lib.1. de Christo cap. 16. & Vasq. in 3. part. disp. 80. art.1. (Ambr. August. Theodo. Primas. Sedul. Bellarm. Vasquez.) Itaque illa propositio, *Christus erit subditus Patri*, intelligenda est secundum naturam humanam, vt docet D. Thom. 3. part. quæst. 20. art.1. & sequitur Suarez disput. 48. sect.2. (D.Thom Suarez) qua ratione dicitur: *Christus est minor Patre*: quod antea sæculi quinti author egregiè explicauit Agnellus Rauennatensis Episcopus in Epistola vnica, sed optima ad Armenium 3. p. tom.5. Bibliothecæ. (Agnell.)

Quod attinet ad seruitutem Christi: seruum eundem dici posse, negat acriter Vasquez 3. par. disp. 80. Suar. leniter affirmat disp.44. sect.1. Ego hanc quæstionem alibi dedita opera tracto: nunc dico breuiter, me non videre, cur non possit seruus, *quà homo est*, appellari, cum videam Patres id affirmare, & quidem Maximos. Hi sunt Athanasius serm.4. cont. Arianos, & Nazianzenus oration.1. & Nicetas ibi, & Augustinus epist. 178. & Cyrillus lib. ad Euoptium, & dial.6. de Trinit. (Athanas. Nazianz. Nicet August. Cyrill.) Idque tandem fatetur Suarez, dummodo tamen excludatur seruitus, quę peccatum redoleat. (Suarez) Non est tamen absolutè semper dicendum: *Christus est seruus*, vti nec *Christus est creatura.* Quo sensu negant dicti Authores seruum Christum vocandum. Et ita docet D. Thomas quæst. 20. art.2. Estque magis conforme Concilio Francofordiensi; (D.Thom Concil Francof.) quamquam propositio illa, cum sit affirmatiua, non mihi videatur esse damnanda, addito, *quà homo est.*

Quartus componitur ex multis testimonijs, & maximè vrgetur à Semiarianis. Sunt autem ea petita ex Euangelio, in quo sæpè dicitur Filius: *missus à Patre.* Quo vocabulo aiunt, significari superioritatem Pa-

[Matt. 15] tris erga Filium. Videlicet Matt. 15. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt*. & Marc. 9. [Marc. 9.] *Quicunque me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui me misit*. & Lucæ 4. [Luc. 4.] *Alijs me oportet euangelizare, quia à Deo missus sum*. Apud Ioannem plurima sunt huiusmodi testimonia. [Ioann. 3.] cap. 3. *Misit Deus Filium suum in Mundum*; & cap. 4. [Ibid. 4.] *Vt faciam voluntatem eius, qui misit me*; & cap. 5. *Qui misit me, ipse testimonium perhibuit de me*, [Ibid. 5.] & cap. 6. [Ibid. 6.] *Sicut misit me viuens Pater*; & cap. 7. *Ab ipso sum, & ipse me misit*; [Ibid. 6.] & cap. 8. [Ibid. 8.] *Non sum ego solus, sed ego, & qui misit me Pater*. Omitto cætera, quibus Euangelium Ioannis abundat, quorum magna pars intelligitur de Filio, & Verbo Diuino, prout est missus ab æterno, & genitus à Patre, non vti est homo tantùm, missus in tempore secundum humanitatem per Incarnationis mysterium, atque adeo constat, mitti, quadrare in Personam Diuinam. Idque fatentur Patres, & Scholastici cum Magistro [Magist.] in 1. d. 14. 15. 16. & 17. & D. Thoma [S. Thom.] qu. 43. 1. p. qui communi consensu dicunt dari Personarum diuinarum missiones ad intra. Quod si verum est, ex eo colligi videtur personam missam minorem esse mittente, ac mittentem superiorem missa; quare Patrem, à quo Filius mittitur, Filio prorsus esse maiorem. Hoc argumentum, quod videtur efficacius, & difficilius, maiori à nobis opera est soluendum.

[Banez.] Suppono primò cum Banez ex doctrina D. Thomæ 1. part. qu. 43. *mitti* trifariam vsurpari. Vno modo pro mitti ab alio ex imperio, & authoritate, vti cum seruus à Domino mittitur. Altero modo pro mitti ab alio ex consilio, & hortatu, vti cum quis alteri persuadet, vt vadat. Tertio modo secundum originem, quādo vnum oritur ex alio, veluti cum arbor mittit flores, vel Sol radios: quo patet exitus vnius ab alio, vti mittitur sanguis ex venis. *Hos modos* tradit, explicatque S. Thomas [D. Thom] 1. part. quæst. 43. art. 1. quemadmodum proximè diximus.

Suppono secundò: Verbum omnino esse Filium, & mitti à Patre, non tantùm ad extra per Incarnationem, sed etiam ad intra per generationem; atque adeò Filium Verbum gigni, & mitti. Idque docet Augustinus [August.] lib. 4. de Trin. cap. 20. & lib. 3. contra Maximin. cap. 14. Et sæpè tractatibus in Ioannem. & Cyrillus [Cyrill.] lib. 1. Thesauri cap. 5. & Gregorius [Gregor.] Magnus homil. 6. in Euang. ad illa [Magn.] verba: *Sicut misit me viuens Pater*. Scholastici autem cum D. Thoma [D. Thom.] idem tradunt 1. part. quæst. 43. vbi [Caiet.] [Scot.] Caiet. & reliqui Thomistæ, & Scotus cum Scotistis in 1. d. 14. Ex alijs [Vasquez.] Vasquez disp. 170. Pater del Bene [del Bene.] d. 3. quæst. 24. Qui omnes ex Hila- [Hilar.] rio sumpserunt lib. 9. de Trinit. vbi expendit illa verba Christi apud Ioannem: *Exiui à Patre, & veni in mundum*. *Exire* quippe à Patre, interpretatur mitti à Patre, & nasci ex Patre. Quod item obseruat Maldo- [Maldon.] natus in Ioann. cap. 16. v. 7. loquens de processione Spiritus sancti, cuius *procedere*, ait, esse, *mitti*. Id autem argumento est, *mitti*, significare, aut saltē inuoluere processionem, quod quæ personæ procedunt, illæ solæ dicuntur mitti, cuiusmodi sunt Filius, & Spiritus sanctus. Nec enim Pater mitti dicitur, nec vnquam in scripturis missus legitur, vt docet August. lib. 5. de Trin. cap. 5. quem [August.] citat, & sequitur D. Thomas 1. par. [D. Thom] quæst. 43. art. 4. in corp.

Suppono tertiò: Authores Scholasticos communiter dicere, missionem illam Diuinæ Personæ ad intra, semper fieri cum respectu quodam ad externam missionem: ita vt duo significata inuoluat, alterum processionis intra Deum, alterum communicationis extra Deum ad creaturas, & vtrumque ad missionem requiri.

Caiet. Canar. Ferrar. Banez. Vaſq. del Bene D.Thom

Ita Caietanus in comment. ad q.43. art. 1. & Canarienſ. in commen. ar. 8. eiuſdem quęſt. & Ferrarienſ. 4. contra Gent. cap. 23. & Banez ibi 1. p. quæſt. 43. Et ſequitur Vaſquez diſput. 170. cap. 1. & 2. & Pater del Bene d. 3. quæſt. 24. & videtur eſſe doctrina D. Thomæ in hac quæſt. 1: art. 1. In quo ego tamen animaduerto. Verum id quidem eſſe in Trinitate, quod de facto *mitti* conueniat perſonis, quæ *miſſæ* ſunt ad extra, vti eſt Filius, & Spiritus ſanctus, tamen ex natura rei, & ſecundum rationem miſſionis ad intra, ſatis eſſe proceſſionem vnius perſonæ ab alia, nec eſſe opus illo reſpectu ad miſſionem. Itaque præſcindendo ab illa Filium cum gignitur dici propriè mitti à Patre, & Spiritũ ſanctũ, mitti à Patre & Filio, cum ab vtroque procedat. Ac ita video tradere Auguſtinum locis citatis de Trinitate.

His ſuppoſitis reſpondetur argumento ex locis conflato: mitti quidem Filium à Patre, ideſt gigni ab eo, & procedere ab eo, quod eſt eſſe à Patre ſecundum originem, quod idem prorſus eſt, ac eſſe Filium, & genitum: hoc autem nihil derogat æqualitati, cum Pater gignat Verbum omnino æquale, & par ſibi. Quare ad argumentum: negandum mitti, ex parte mittentis, & maiorem authoritatem, & poteſtatem ſignificare, ſed tantum dicere principium originis reſpectu perſonę miſſæ, quę ratio principij non importat in principio aliquid, & anterius, & maius, & excellentius; nam illud eſſe mittentis, nihil eſt aliud, quam non eſſe miſſum ab alio, & eſt idem cum ratione ingeniti, quæ nihil poſitiuum formaliter ſignificat, ſed negationẽ geniti ab alio. Nec dicas in hac ipſa ratione mittentis ineſſe quiddam anterius reſpectu perſonæ miſſæ; quia cum ipſa ratio mittentis reſpectiua ſit ad perſonam miſſam, dicit ſimultatem & in eſſendo, & in cognoſcendo, atque adeo ſicut in Patre & Filio non eſt niſi prioritas originis, quæ nihil ſupponit ante Filium, ita neque in mittente eſt aliquid prius reale reſpectu miſſi, cum illa miſſio nihil ſit aliud, quam productio; vti Sol ſplendorem ſuum mittit, non quod illo prior ſit tempore, aut inſtanti, ſed quia ſplendor eſt à Sole, non Sol à ſplendore, quanquã exemplũ in eo deficiat, quod Sol ſit ſubſtantia, ſplendor accidens; cum in Deo ſint omnia ſint ſubſtantia, ac proinde maiorem vim habeat ratiocinatio. Itaque ordo mittentis, & miſſi non importat prioritatem temporis, aut inſtantis, ſed tantum originis, non qua vnus eſt prior altero, ſed qua alter eſt ex altero, ſecundum Auguſtinum orat. de 5. de hæreſib. & D. Thomam 1. part. qu. 42. art. 3. qui Auguſtinum citat, & ſequitur. Vnde ex vtroque magnus Theologus Vaſquez 1. par. diſp. 170. artic. 2. miſſionem definit: *exitum à mittente ſecundum originem*. quod ante docuerit inſignis Magiſter Banez cit.

Auguſt. D.Thom Vaſquez. Banez.

Obſeruandum eſt autem has proceſſiones perſonarum, quæ miſſæ ſunt, natura ſua aptas eſſe ad miſſiones item externas. Nam cum hæ perſonæ natura ſua procedant ad intra, aptæ ſunt tendere ad extra, & communicari per externam miſſionem. Quo ſenſu rectè dicunt Theologi miſſionem internam inuoluere reſpectum ad externam, vti apparet in Filio, & Spiritu ſancto, qui cum ſint miſſi ad intra, exterius apparuerunt, & communicati ſunt hominibus. Hinc eſt quod D. Thomas duas habitudines diſtinguit in miſſione; vnam perſonæ miſſæ ad mittentem, quam dicit proceſſionem miſſæ à mittente, alteram ad terminum, ad quem mittitur, & hæc ad externam communicationem pertinet: veluti cum Filius miſſus eſt in mundum per Incarnationem, & Spiritus ſancti per apparitionẽ in ſpecie Columbæ, D.Thom

Lin-

Linguarumque ignearum. Vnde colligitur ex Patribus à D. Thoma Ibidem. qu.42. art.4. nunquam Patrem dici missum, quia & si aliquando apparuit, non tamen potuit mitti, quia procedere non potuit; est enim missio per modum passiuum propria solius personæ procedentis.

Notandum tamen Patrem venire, Ioan. 14 non mitti; vnde est illud Christi Ioann. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Vtrum autem Pater dicatur *mitti*, quando venit? sunt qui affirmant mitti à se ipso, sed ineptè; me iudice, & Vasq. dis. 170. cap.3. nu.11. debet enim intercedere distinctio inter mittētem, & missum. In eo tamen à Vasquio dissentio, quòd ille sentit Patrem posse item mitti ab alijs personis. Ego contrà negem, nam id non potest cum eiusdem Vasquij, & communi doctrina consistere. Illud cōstat Filium posse mitti ad extra à Spiritu sancto, à quo tamen ad intra non procedit; est quippè illa missio externa, ac proinde ab omni persona fit. Imò Incarnatio Verbi Spiritui Concil. Tolet. sancto tribuitur; idque docet Concil. Toletan. 1. in confessione Fidei: *Missus tamen*, ait, Filius, *non solum à Patre, sed à Spiritu sancto esse credendus est, in eo, quod per Prophetam dicitur: & nunc Dominus misit me, & Spiritus eius*. Igitur vno verbo secūdum hanc doctrinam soluitur argumentum Semiarianorum; scilicet Filium à Patre mitti, non tanquam à Superiore per potestatem & authoritatem, sed tanquam à generante per originem, & processionem: sumpto vocabulo missionis pro processione ad intra. *Mitti* autem potest vti est homo, non solum à Patre, sed etiam à Spiritu sancto, sumpta missione pro communicatione ad extra, qua ratione non solum Patre minor est, sed etiam Spiritu sancto, vt potè homo comparatus cum Deo. Sed de his missionibus cum de Spiritu sancto egerimus, latius, & enucleatius disseremus.

Vt autem occludamus ora Semiarianis, tandem aduertimus: Paulum Epist. ad Titum cap.2. de Filio Dei ad Tit. 5. ita scripsisse: *Aduentū gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Qui eum magnum* dixit *Deum, æqualem* sanè Patri *Deum* dixit. Addo illud August. lib.83. quæst. quæst.50. *Deus quem genuit, quoniam meliorem* August. *se generare non potuit (nihil Deo melius) generare debuit æqualem. Si enim voluit, & non potuit, infirmus est, si potuit, & non voluit inuidus est. Ex quo conficitur æqualem genuisse Filium*. Augustino consentit Agnellus in citata proxime epistola ad Armenium. Ego cum eodem Augustino concludo. Ineptè omninò agere Agnell. Arianos, *qui non possunt ad gloriam Patris, nisi per contumeliam Filij peruenire*. Nos Catholici retinemus gloriam Patris cum Filij æqualitate & dignitate.

SCHO-

SCHOLA II.

DE VERBO DEI VISO AD ILLVD BARVCH

In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est,

CAPVT PRIMVM

Status quæstionis proponitur.

INVISIBILEM esse Deum, cùm per se constat, tum Paulus docuit prima ad Timoth. cap. 1. v. 17. *Soli Deo immortali, & inuisibili*. Quò spectat illud Ioan. ep. 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquã*, quibus id in locis Patres docent. Hanc veritatem in venenum erroris Ariani verterunt. Dixerunt, Patrem solum esse inuisibilem, ac proinde solum esse Deum, Filium autem non esse Deum, quòd esset visibilis, imò & sæpè visus fuerit. In hoc errore, & causa erroris fuisse eos, tradit Chrysost. comment. in cap. 1. Ioan. & August. tract. 3. in Ioann. & lib. 2: & 3. de Trinit. & lib. contra Maximin. & Idacius Clarus lib. contra Arian. cap. 18. & 20. vtebantur autem hoc argumento. Pater nunquã visus fuit, & in toto veteri Testamẽto, nusquã legitur apparuisse. Filius sæpè & visus est, & apparuisse in veteri Testamento legitur. Igitur solus Pater est Deus, quòd sit inuisibilis: Filius quòd sit visibilis, & & visus, Deus non est. Ita apud Augustinum argumentantur lib. 2, & 3. de Trinitat. & tractat. 3. in Ioannem.

1. Tim. 1. Ioann. 1. Chrysost. August. Idac. Clar. August.

Vt ergo causam errandi præcidamus scire oportet, an & quomodo Verbum Filium Dei visum sit? Inprimis visum eum aliquando fuisse, omnino constat. Apparuit enim hominibus, & iuxta Baruch cap. 3. vers. vltimo: *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Confirmatur testimonio Ioannis epist. 1. cap. 1. *Quod audiuimus*, inquit, *quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Itaque apparuisse liquet. Quomodo autem apparuerit? de eo quærebant Ariani, & affirmabant in veteri Testamento ante Incarnationem Verbi apparuisse illud, seque hominibus ostendisse, ab ijsque per se, & secundum substantiam suam, nec tantùm per speciem visum fuisse. His apparitionibus plenam esse Scripturam, quæ sæpè apparuisse illum narrat. Et in hunc sensum interpretabantur multos Scripturæ locos, in quibus huius-

Baruch. Ioan. 5.

huiuſmodi apparitiones commemorantur: quas latè proponit Auguſtinus lib.2. & 3. de Trinit. quo nemo Patrum acutiùs quò tenderent Ariani vidit, nemo prudentiùs vias omnes ad errandum apertas obſtruxit. August.

Duo aiebant Ariani; alterum Filium Dei per illas ſpecies in propria perſona apparuiſſe, & corporeis oculis viſum fuiſſe, alterum Patrem nũquam per ſe ipſum apparuiſſe, nec vllo modo ab hominibus viſum fuiſſe. Negat Auguſtinus primum, & docet Verbum Dei videri ſecundum Diuinitatem corporeis oculis non poſſe, cum ſit Sapientia Dei omnino inuiſibilis. Affirmat deinde ſi apparuit, corpus externum viſibile aſſumpſiſſe, & ſpeciem illã corporalem mortalium oculis obieciſſe. Tertium ſtatuit Auguſtinus: non tantum Filium hoc modo viſum, ſed etiam Patrem fuiſſe, ac proinde viſiones illas, ſi Dei erant, toti Trinitati fuiſſe communes, & omnes æquè Perſonas per illas ſpecies apparuiſſe: ne quis inde Arianus occaſionem accipere poſſet, dicendi Patrem extra eum ordinem eſſe, atque adeo viſionis expertem, & propter excellentem quandam Diuinitatem omnino inuiſibilem eſſe. Demonſtrat omnia hæc Auguſt. lib.2. de Trinit. commemoratis omnibus apparitionibus, quæ narrantur in veteri Teſtamento, quas probat non minus Filio, & Spiritui ſancto quam Patri fuiſſe communes. Addit lib. 3. apparitiones illas fuiſſe factas miniſterio Angelorum; & probat non Diuinas Perſonas, ſed Angelos in aſſumptis corporibus apparuiſſe. Quo diſcurſu radices illius erroris euellit. Altiùs ſane iſta vidit: nam ſi admitteret eas apparitiones Diuinarum fuiſſe Perſonarum, daret anſam Arianis dicendi fuiſſe Filij, non Patris, quòd Pater Filio dignior Deus eſſet. In eo autem maximè errabant Ariani, quod putabant Dei Verbum corporeis oculis videri, ac proinde corporeum illud eſſe aſſerebant, non ſpiritum, & inuiſibile, contra rationem, & Scripturam.

Præſtat Auguſtinum tract. 3. in Ioann. audire. *Fuerunt homines qui dicerent vanitate ſui cordis decepti; Pater inuiſibilis eſt: Filius autem viſibilis eſt. Vnde viſibilis niſi propter carnem quam ſuſcepit? Manifeſtum eſt; ſi autem ante carnem viſibilis, ſicut ipſi docent, ideſt, antequàm incarnaretur, multum delirant, & multum errant. Facta enim ſunt illa viſibilia corporaliter per creaturam, in quibus typus oſtenderetur, non vtique ſubſtantia ipſa demonſtrabatur. Sapientia videri oculis non poteſt. Fratres ſi Chriſtus ſapientia, & virtus Dei eſt, ſi Chriſtus Verbum Dei, & verbum hominis oculis non videtur, Verbum Dei videri ſic poteſt? Illud ſciatis, quia omnia quæ corporaliter apparebant, nõ erant illa ſubſtantia Dei: illa enim carneis oculis videmus, Dei ſubſtantia vnde videtur?* Aduertendum hìc eſt eum errorem antiquiſſimum fuiſſe; nam Euariſtus quintus à Petro Papa, illum proponit, & refutat Epiſtol. 1. ad Epiſcopos Africanos. Refellit autem loco illo Pauli 1. ad Timoth. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem*, quem probat rationibus, & teſtimonijs de Filio etiam intelligendum: quod item apparet in Epiſtola Felicis Papæ I. ad Benignum Epiſcopum. August. Euariſt. 1. Tim. 6. Felix I.

Alij contrà fuerunt hæretici (nam in extremis ſemper, vti vitioſi, ſentẽtijs verſantur) qui negarunt Verbum Dei vllo modo eſſe viſibile, quòd Deum nullo modo eſſe viſibilem affirmabant: huiuſmodi fuerunt Armeni teſte Armacano lib. de Armen. cap. 1. & quidam Recentiorum Græcorum, & Abaylardus, & Arnaldus Brixienſis Authore Caſtro hæreſi 1. & Almericus, apud Vaſq. 1. parte d.37. cap.2. & 4. quibus etiam hic Armacan. Abaylar. Arnald. Brixien. Caſtro. Almeric. Vaſqu.

error

Gregor. Magn. error multo sit antiquior; in eum quippe inuehitur D. Gregor. Magn. lib. 18. Moral. cap. 28. Hi ergo hæretici visionem Dei impossibilem aiebant, ac proinde beatitudinem, quæ in ea formaliter consistit, prorsus tollebant. Cum omnino de Fide sit Dei essentiam intuitiue à Beatis in Cælo videri, iuxta illud Ioannis 1.3. (Ioann. 13.) *Videbimus eum sicuti est*: quam doctrinam tradebit Euaristus Epist. ad Episcopos Africanos, his verbis: (Euaristus.) *Hanc lucem inaccessibilem quam Pater & Filius inhabitant, nullus in hoc mortali corpore constitutus potest aliquatenus contueri; sed dum apparuerit, tunc verè eum videbit, sicuti est, & non sicut Moyses, cæterique Prophetæ per ænigmata & figuram, sed ipsam veraciter in Filio contuebitur Deitatis Imaginem*.

Quæstio autem hic celebris est: Vtrum aliqui Patres idem senserint, saltem de eo dubitarint? Sunt enim qui dicant Chrysostomum eò inclinasse, ac eius Sectatores Theophylactum, & Euthymium consensisse. Sanè Vasquez ita putat, iisque adiungit Theodoretum, & Isidorum; nec excludit Hieronymum, & Basilium, Epiphanium, duos Cyrillos Hierosolymitanum, & Alexandrinum, & Gregorium Nyssenum, quorum locos producit, qua solet eruditione. Sed hi Patres non fuerunt in ea sententia: tantum minus clarè loquuntur quemadmodum in Controuersia de Beatitudine Sanctorum iuxtà S. Thomam docebimus.

Inter omnes tamen maxima de Chrysostomo est Controuersia; & quidem Vasq. 1. par. disp. 37. cap. 2. & 4. apertè docet sensisse Chrysostomum substantiam Dei visibilem non esse, & multa affert testimonia eius sententiæ. Vtiturque illo argumento, quod Chrysostomus aduersus Anomæos disputabat, qui dicebant Deum posse comprehendi. Hoc autem de Chrysostomo, tam constanter Vasq. affirmat, vt non patiatur, vti est acer, & vehemens, aliter intelligi; veruntamen D. Thomas 1. par. quæst. 12. art. 1. Chrysostomum excusat, aitque, illum comprehensionem Dei negasse, at minimè negasse visionem. Cum D. Thoma sentiunt pro Chrysostomo Durandus, & Sixtus Senensis citati ab eodem Vasq. qui omnino Chrysostomum liberant. Hac in re Vasq. sequi non possum, quamuis enim testimonia ab illo allata speciem aliquam eius erroris præbere videantur, possunt tamen meo iudicio de comprehensione commodè accipi. Præterea alij sunt non pauci apud eundem loci, in quibus non obscurè visibilem esse Deum, & videri à Beatis affirmat, quos diligenter colligunr Recupitus lib. 6. de Veritate quæst. 1. cap. 6. Suarez, & Vasq. Pręterea ex eo, quod aduersus Anomeos disputabat, satis erat negare visionem Dei cōprehensiuam, nec opus erat negare intuitiuam, vnde corruit Vasq. fundamentum cui oppono nobiles familiæ suæ Authores Suarez lib. 2. Summæ cap. 7. & Bellarminum lib. 1. de Beatitud. 55. ac præcipuè Maldonatum hominem in Patribus versatissimum, & Vasquio parem, qui comment. in cap. 1. Ioannis quęstione huiusmodi agitata Chrysostomum à suspicione liberat, eumque de comprehensiua Dei visione loqui affirmat.

Chrysost. D. Thom. Durand. Sixt. Sen. Recupit. Suarez. Bellarm. Maldon.

Nunc propriùs ad quæstionem. Volo hic iudicium meum interponere, perspectis enim, & collatis inter se diligenter Chrysostomi, & quorundam aliorum Patrum locis comperio, haud temerè de illis Patrem Vasq. esse suspicatum. Itaque, nouum aliquid afferre statuo, quod legentibus non ingratùm fore existimo. Igitur Chrysostomo, & illis qui cum Patres videntur sentire, difficile omnino visum, posse videri Deum, nec comprehendi, nam si (Vasquez.)

E Deus

Deus qui est indiuisibilis spiritus, & actus purè intellectiuus, intuitiuè, vti aiunt, ac in sua substantia intimè videtur, certè totus quantus est videtur, cum partes non habeat secundum quas partim videri, partim non videri possit, vnde sequitur semel posita visione Dei, vti est intuitiua, Deum totum ex integro attingi, atque adeo nihil in eo esse, quod non videatur; quo modo enim potest intuitiuè Deus videri, & ex integro non videri? Ergo cum intuitiue videtur, comprehensiuè videtur: quod sanè argumentum speciem magnæ difficultatis præbet. Est verò certum ac de fide Beatos Deum in substantia sua, & omnino intuitiuè videri; habetur id clarè in 1. Ioannis cap. 3. vbi ait: *Videbimus eum sicuti est*. Potuit enim fieri, vt illi Patres existimarent Deum videri intuitiuè non posse, nisi comprehensiuè videretur, & sanè quidã Theologi apud Vasq. 1. par. disp. 52. cap. 2. Visionem ipsam beatam qua Deus totaliter, & intuitiuè videtur, & in qua Beatitudo formalis consistit, comprehensionem vocant, quasi nihil inter vtramque distinguant. Imò eodem Authore Vasquez, quamuis sit certũ Deum non posse ab intellectu creato comprehendi, non tamen id de fide constat, contra sentiente Scoto in 4. d. 49. q. 3. art. 1. cum alijs communiter asserentibus, illud dogma esse de fide, quod non audet Vasq. affirmare. Accedit quod ægrè vlla ratione naturali probari potest Deũ esse incomprehensibilem, in quo magnoperè sudant Theologi, vti videre est, in Victoria, & alijs quos citat Vasq. disp. 43. quin & ipsemet Vasq. eius rei abundè testis est, à quo cum aliorum rationes oppugnentur, nulla omnino conuincens videtur afferri, cur Deus incomprehensibilis sit, vti apparet ex ijs quæ adducit illa d. 43. cap. 4.

1. Ioan. 3.

Vasq.

Scotus.

Victoria.

Vasq.

Augetur magis hæc difficultas argumento Diui Thomæ 1. parte quæst. 12. art. 7. vbi sic argumentatur: *Illud comprehenditur, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem, sed si Deus per essentiam videtur, totus videtur, & nihil eius latet videntem, cum Deus sit simplex: ergo à quocunq; videtur per essentiam comprehenditur. Si dicatur, quod videtur totus, & non totaliter. Contra: totaliter vel dicit modum videntis, vel modum rei visæ; sed ille qui videt Deum per essentiam, videt eum totaliter, si significetur modus rei visæ, quia videt eum sicuti est, vt dictum est. Similiter videt eum totaliter, si significetur modus videntis, quia tota virtute sua intellectus Dei essentiam videbit: quilibet enim videns Deum per essentiam totaliter, etiam eum comprehendit*. Quod sanè argumentum sic à Diuo Thoma propositum difficilè est, quamuis ab illo optimè soluatur.

D. Thom.

Crescit item huius rei difficultas ex aliorum opinione prorsus erronea, qui dixerunt omnes Beatos æqualiter videre Deum, non quod merita sint æqualia, quæ fuit Iouiniani hæresis, sed quod cum omnes Beati Deum, vt est in se intuitiuè attingant, eodem modo omnes intueri eius substantiam videntur. Vnde existimarunt illam visionem capacem non esse, vel maioris perfectionis, vel imperfectionis. Quam rationem cum adduxisset Vasq. disp. 43. cap. 6. ad finem, minus certè eam, meo iudicio, exactè refutat, imò eius vim refutando auget: verum etsi argumentum videatur forte, dicendum tamen Deum inæqualiter à Beatis pro ratione meritorum, & luminis gloriæ videri. Quod est omnino fidei consentaneum. Ex his apparet potuisse veteres illos Patres minus constanter loqui de visione Dei intuitiua, quòd difficilè ijs videretur posse videri Deum, nec tamen videndo comprehendi. Sustineo ergo iudicium meum; non enim Theologum

gum, ſed controuerſiſtam ago, contẽtus nouas rationes aſſerre, ob quas illi Patres ea de re potuerint dubitare, non quod negarent viſionem beatam, ſed quod negarent comprehenſionem, quæ ex intuitiua viſione ſequi videbatur, quod tamen ex eo minimè ſequitur.

CAPVT II.

Filium ſecundum Diuinitatem omnino inuiſibilem, & tamen ſecundum humanitatem viſibilem eſſe.

INuiſibilem eſſe Patrem omnes Ariani conſentiunt; inuiſibilem item eſſe Filium ſecundum Diuinitatem omnes negarunt. Hæc hæreſis erat, cũ Filius Dei ſit verus Deus, atque adeo inuiſibilis ſecundum Diuinitatem. Id autem opus eſt vt probemus, & quidem accuratè ex Scriptura. Primum teſtimonium habetur Matth. 11. apud quem ait ipſe Chriſtus: *Nemo nouit Filium niſi Pater, neque Patrem quis nouit niſi Filius*, & *cui voluerit Filius reuelare*: quibus verbis docemur Patris & Filij vnam eſſe, eandemque naturam, eamque recipere à Patre, ita vt Pater norit Filium gignendo eum, & Filius Patrem genitus ab eo, ac proinde vnus, & idem ſit amborum intellectus. Ex quo apparet Filium per ſe minimè à creaturis cognoſci vt Deus eſt, ſicuti Pater, ſed ſolum ab ijſdem creaturis per reuelationem cognoſci; atque adeo hic locus docet æquè inuiſibilem eſſe Patrem & Filium, cum hic dicat à ſolo Patre cognoſci Filium, & Patrem à Filio ad intra. Ad extra verò non niſi quibus ipſe reuelare velit, ab ijs agnoſci: Hunc locum accuratè tractat, & in hunc ſenſum exponit Felix I. in Epiſt. ad Benignum: *Nos*, inquit, *euidentioribus teſtimonijs veteris, & noui inſtrumenti Filium Patrem ſemper videre doceamus, Salomone dicente: Eſt tecum ſapientia, quæ nouit opera tua, quæ aſſuit tibi cum faceres Orbem terrarum*. &c. *Et in Euangelio: Nemo nouit Filium niſi Pater, nec Patrem quis nouit niſi Filius*, &c. *& iterum: Deum nemo vidit vnquam, ſed vnigenitus*, &c. & item: *Vos non noſtis eum, ego autem noui eum*, &c. *& iterum: Qui ex Deo eſt nouit Deum*.

Matth. 11

Felix I.

Secũdum teſtimonium nobis prebet Paulus ad Coloſſ. 1. *Imago Dei inuiſibilis*, licet enim illud inuiſibilis genitiuus ſit, & cum genitiuo Dei cohereat, tamen rectè ſequitur ex eo, quod ſit Dei, qui videri nõ poteſt imago, eſſe eũ inuiſibilem: nã quomodo eſſe poſſet imago rei inuiſibilis, niſi eſſet inuiſibilis? cũ præſertim vis fiat in appoſito *inuiſibilis*, perinde ac dicat per ſe eius inuiſibilitatis imaginẽ reddere; nec eludet argumentum, qui excipiat, ſufficere eſſe imaginem Dei ſecundum illius ſubſtantiam & naturam, non autem ſecundum inuiſibilitatem, quia hac ratione etiam homo erit imago Dei, & non multum inter Filium, & quemcunq; hominem alienum diſcriminis in repræſentando eſſet: quare omnino affirmandum ſenſum Pauli fuiſſe Filium eſſe imaginem *Dei inuiſibilis* ſecundum rationem inuiſibilitatis; idque eo maximè loco confirmatur, quem citauimus Matth. 11. *Deum Patrem noſci à Filio*. Quid enim eſt *noſſe* niſi repræſentare, quid autem repræſentare, niſi imaginem eſſe?

Coloſſ. 1.

Matth. 11

Tertium teſtimonium accipimus à Ioanne cap. 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem, ego in Patre, & Pater in me eſt*. hoc enim poſito eo modo videtur Pater, quo Filius, & eadem eſt in vtraque ratio viſibilitatis, quæ ſanè non alia ſit ratione, quam per viſionem ſupernaturalem, qua Deus à Beatis videtur, vti eſt in ſe, ac intuitiuè. Præterea eſſe in Patre Filium, & in Filio Patrem, quid

Ioann. 14.

est aliud, quam eandem vtriusque esse naturam, & substantiam, ac proinde vti vnus est inuisibilis, ita & alterum esse inuisibilem?

Quartum reddit idem Ioannes in
Apoc. 19. Apocal. his verbis: *Et nomen habens scriptum: quod nemo nouit nisi ipse, & nomen eius est Verbum Dei*. Quę rem continent; nam, si nomen Verbi quo natura ipsius significatur, nemo nisi Verbum ipsum nouit, certum est, quod ab alijs non potest agnosci, ac proinde nec videri, ac illius esse inuisibilem naturam: hęc autem veritas breuiter probatur. Filius Dei est eiusdem naturæ, & substantiæ cum Patre, vt superiori controuersia dictum est, sed natura, & substantia Patris est inuisibilis. Ergo etiam Filij est inuisibilis. Quo sanè syllogismo res hæc tota conficitur. Acce-
August. dat confirmatio Augustini lib. 3. contra Maximin. quæ huiusmodi est. *Si Pater est inuisibilis, etiam Filius debet esse inuisibilis*, & vterque inuisibilis. Sequela ab August. probatur. Christus, docet Ioann. 16. *omnia quæcun-*
Ioan. 16. *que habet Pater mea sunt*: quod est omnino credendum, at vnum ex ijs quæ habet Pater, est inuisibilitas, ergo Filius habet inuisibilitatem, quam habet Pater: quo argumento, & pluribus alijs ibi concludit Augustinus, non solum Patrem inuisibilem esse, sed etiam Filium qua Deus est, eadem ratione qua Pater, inuisibilem existere.

Probato Verbum Dei esse inuisibile secundum Diuinitatem: illud manet, cum visibile dicitur, visibile esse secundum humanitatē, iuxtà id
Ioann. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. & vti Baruch cap. 3. *In ter-*
Baruch. 3. *ris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. quod Augustinus tract. 2.
August. in Ioannē exponit his verbis: *Attende Deum natum ex hominibus, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, ipsa natiuitate collyrium fecit, vnde tergerentur oculi cordis, vt possemus videre maiestatem pro eius humilitate*. Quæ verba Maldonato valde placent comment. in Maldon.
hunc locum Ioannis. Mihi non minus arrident illa eiusdem Augustini in epist. 1. Ioannis super illa verba: 1. Ioan. 1.
cap. 1. *Et ipsa vita manifestata est: & vidimus*. ait enim, *Verbum vitæ &* August.
vita; vnde ergo manifestata est? erat enim ab initio, sed non erat manifestata hominibus, manifestata autem erat Angelis videntibus, ergo manifestata est ipsa vita in carne, quia in manifestatione posita est, vt res quæ solo corde videri potest, videretur etiam oculis, vt corda sanaret. Solo enim corde videtur Verbum; Caro & oculis corporalibus videtur. Erat vnde videremus carnem, sed non erat vnde videremus Verbum; factum est Verbum Caro, quam videre possemus, vt sanaretur in nobis, vnde Verbum videremus. Et argumentum hoc persequitur adducto illo Psalm. 18. loco *In Sole posuit tabernaculum suum. Vt videretur*, Psal. 18.
inquit Augustinus, *oculis carneis, qui Solem vident, ipsum tabernaculum suum in Sole posuit: carnem suam in manifestatione huius lucis ostendit*. Itaque Incarnatio Domini, missio visibilis fuit illius Verbi, quod est per se inuisibile, vti idem Augustinus testatur lib. 2. in Sermone Arianorum August.
tom. 3. Hoc multo ante Augustinum dixerat Felix Papa I. in Epistola ad Felix I.
Benignum, *De alio*, inquit, *sæpè diximus, quod secundum hominis formā Filius visibilis dicitur: secundum verò Deitatis substantiam inuisibilis præditur, vt Paulus multis in locis ostendit*. Sed quoniam hæretici tum Prisci, tum Noui huic Soli viso, & incarnato multas, easque densas errorum tenebras offuderunt, necesse est illas remouere, & hoc Verbum Filium perspicuè, mediaque in luce videndum per Incarnationem se offerentem intueri.

CA-

CAPVT III.

De hæresibus antiquis circa Verbum Dei visum, siue incarnatum.

QVinque antiquos errores inuenio circa Verbi Diuini Incarnationem. Primus fuit Apollinaris aientis Verbum Diuinum solum corpus sine anima assumpsisse, animæ autem loco Diuinitatem fuisse, vti scribunt Epiphanius hæres. 77. & Augustinus hæres. 25. & lib. 7. confess. cap. 9. & Vincent. Lyrinens. in commonitorio, & Theodoretus in Aeraniste, & Socrat. histor. Eccles. lib. 1. cap. 26. In hoc errore aliquando fuit Alipius socius Augustini eodem teste lib. 7. confess. cap. 19. & in quo Augustinus nunquam fuit, vti ibidem obseruat. Damnatur hic error à Damaso in Professione Fidei ad Paulinum in septimo loco.

Apollin. Epiphan. August. Vincent Lyrin. Theodor. Socrat. Alipius. August. Damas.

Secundus error fuit Nestorij, qui asserebat in Christo fuisse personam humanam, & Christum purum hominem fuisse, non secundum naturam assumptum à Verbo, sed vnitũ Verbo accidentaliter per affectum quendam amoris & charitatis specialis. Ac proinde Christum non esse Deum, sed hominem acceptum Deo, nec Beatam Virginem Mariam Theotocon esse, sed antropotocon. Ita eius hæresim referunt Euagrius lib. 1. cap. 2. & Theodoretus lib. de hæreticorum fabulis in fine, & Augustinus lib. de hæresibus hæres. 39. Socrat. lib. 7. histor. cap. 32. & Vincent. Lyrinens. lib. contra profanas nouitates, & in hunc sensum hunc errorem explicat Diuus Thomas 3. par. quæst. 2. art. 6. in quo antea fuerat Ebion, & Cherinthus, Carpocrates, & Theodous Byzantinus, Paulus Samosatenus, & Photinus: vt refert Alphonsus Castro lib. de hæres. & Bellarminus lib. 3. de Christo c. 6. & Vasquez 3. part. disp. 18. cap. 1. & Suarez in comment. ad art. 6. qu. 2. 3. par. S. Thom. & d. 3. ad eam quęstionem. Damnat hanc hæresim Damasus in Profess. ad Paulinum sexto loco.

Nestor. Euagr. Theodor. August. Socrat. Lyrin. D. Thom. Castro. Bellarm. Vasq. Suarez.

Tertius fuit Eutychetis, qui post Apollinarem vixit, affirmantis humanitatem Christi post Incarnationem in Diuinitatem fuisse conuersam, ita vt vna tantum in Christo natura existeret, teste Flauiano Epistol. ad Leonem Papam, & Leone Epist. 97. ad Imperatorem, & Gelas. lib. de duabus in Christo naturis contra Eutychetem, & Nestorium, & Vigilio Papa lib. 3. contra Eutychetem in principio, & Theodoreto lib. 4. de hæreticorum fabulis in fine, & Augustin. hæres. 90. & Nicephoro lib. 18. histor. cap. 45.

Eutych. Flauian. Leo Papa Gelasius. Vigilius. Theodor. August. Niceph.

Quartus fuit Manichæorum, qui negabant Christum verum ex Maria corpus sumpsisse, & phantasticum esse volebant, vt tradit Augustin. tom. 6. orat. de 5. hæresibus, & lib. 2. & 3. contra Faustum, & lib. 83. quęstionum qu. 14. & epist. 1. ad Volusianum; & sæpè alibi contra Manichæos, quem errorem acceperunt ex Cerdone, qui primus eius Author fuit apud Tertullianum lib. de præscript. cap. 51. & August. lib de hæres. hæres. 2. & Epiphan. hæres. 41. in quo etiam fuisse Marcionem scribit Philastrius lib. de hæres. & Tertullianus lib. de præscript. cap. 3. & 51. & lib. de carne Christi cap. 1. & Irenæus libr. 1. aduersus hæres. cap. 29. & Epiphanius hæres. 42.

Manich. August. Cerdo. Tertull. Epiphan. Philastr. Irenæus.

Quintus fuit Tropitarum, qui dixerunt: Verbum in carne fuisse conuersum, teste Philastrio, & Socrate apud Maldonatum comment. in cap. 1. Ioannis vers. 14. & apparet ex Canone 11. Synodi Syrmiensis, in quo anathema dicitur hisce hæreticis. Eiusdem erroris fuisse Eutychetem tradit Bellarm. lib. 3. de Incarnatione cap. 2.

Tropitæ. Maldon. Concil. Syrm. Bellarm.

CA-

CAPVT IV.

Quis & qualis fuerit error Eutychetis.

ERrasse Eutychetem circa Incarnationem Verbi, vti constat, ita quomodo errauerit, ambigitur. Alijs alia sentientibus. Ratio dubitandi est, quia Eutyches dixit post Incarnationem vnam ex duabus naturis factam fuisse: Christumque nō in duabus naturis, sed ex duabus subsistere: quod dificile est intellectu, primo, quia videtur supponere ante Incarnationem fuisse naturam humanam, & per vnionem transijsse in naturam Diuinam, quasi ante Incarnationem per se existeret. Secundò, quia non explicat Eutyches modum quo ex duabus naturis iam existentibus per vnionem vna tantum facta fuerit, vel enim illa natura humana esse desijt, vel abijt in Diuinitatem, vel mansit, & cum Diuinitate, ita confusa est, vt omnino mista fuerit, vel ex vtraque vna tertia natura distincta à duabus resultauit. Præter hos modos alius errandi est, dicendo Diuinitatem conuersam in humanitatem, quod quidem videtur sensisse Eutyches, quoniam affirmauit Diuinitatem ipsam passam, & sepultam, quod fieri non posset, nisi Diuinitas in carnem transiret. Tandem non apparet. Vtrū de sola anima loquatur Eutyches, an etiam de corpore? videlicet, quid senserit, an de conuersione carnis in Deum, an de conuersione Dei in carnem? Quare necesse erit hanc rem diligenter tractare. (Eutych.)

Pater igitur Suarez in 3. par. d. 7. sect. 2. sensit Eutychetem vnam tantum naturam post Incarnationem posuisse, humanam conuersam in Diuinam, idque multis argumentis probat. Contrà Vasquez 3. p. d. 14. cap. 1. negat Eutychetem vnam naturam per conuersionem admisisse, sed vnam ex duabus conflatam per compositionem, & mixtionem, neutra tamen consumpta, ita vt verum esset dicere vtranque mansisse, sed inter se confusas, & mistas vti elementa in corpore. Bellarminus autem lib. 3. de Incarnatione cap. 2. affirmat duo: Alterū Eutychetem vnā tantum naturam post Incarnationem in Christo posuisse; sed non explicat vtro ex duobus modis vna dicēda sit, per conuersionem ne altera pereunte, an per mistionem vtraque manente? Alterum Diuinitatem in corpus fuisse conuersam, atque adeo concessisse Diuinitatem in Christo, & mortuam fuisse, & sepultam. Maldonatus comment. in Ioannem c. 1. versu 14. ait Eutychetem ex Verbo, & carne tertiam quandam naturam factam sensisse, idque supponit potius quam probat. Addit in commēt. in cap. 6. Ioannis versu 38. Eutychetem vnam tantum voluntatem in Christo posuisse, atque adeo Monothelitam fuisse. E quidem Maldonatus minus hoc probat authoritate, Bellarminus doctè, Suarez doctiùs, Vasquez doctissimè sua placita confirmant. (Suarez.) (Vasq.) (Bellarm.) (Maldon.)

Ego inter hos quatuor doctissimos Viros constitutus probo sententiam Suarij, in qua esse puto Bellarminum, & Maldonatum, & contra Vasquez sentio. Nego in primis Eutychetem confusionem illam, & mistionem naturarum fecisse, in qua naturæ ambæ compositæ, & mistæ permanerent. Ago primùm ratione: deinde authoritate. Ratione sic: hæc confusio, & mistio, vel relinquit vtranque naturam in misto, vel vnam tantum, vel tertiam ex vtraque ita componit, vt neutra maneat ex duabus, sed vna tertia diuersa ex mistione resultet; nec enim superest alius modus: Tum probo primum dari non posse in sententia Euthychetis, quia si manent illæ duæ naturæ in illa permistione, vt neutra earum pereat, destruitur error Eutychetis

chetis dicentis per Incarnationem vnam tantùm factam fuisse in Christo naturam.

Quòd si respondeat Vasq. in illa mistione ita confusas manere naturas, vt vna ab altera non discernatur, nihil proficit, quia non apparere discretionem, non est tollere multiplicitatem, imò quo maior fuerit mistio, & confusio, eo magis multiplex erit natura, quare miscendo se, & inuoluẽdo cum altera multiplex redditur, omnis autem multiplicitas naturæ errori Eutychetis aduersatur. Confirmatur, quia error Eutychetis fuit contrarius errori Nestorij, sed hic ponebat duas personas, Diuinã, & humanam distinctas, vnitas tamen inter se per vnionẽ gratiæ & amoris. Ergo Eutyches à contrario posuit vnam tantùm naturam indistinctam. Tertiò autem modo non errauit Eutyches, quiam semper admisit, & retinuit naturam Diuinam; si autem hæc ex coniunctione humanæ naturæ in tertiam quandam abiret naturam, non maneret in sola substantia, & statu Diuinitatis. Prætereà hac tertia natura non esset humana, nec Diuina; sed tertia ab vtraque diuersa, quòd sanè est ineptum, & impossibile, quomodo enim Diuinitas degeneraret in aliam naturam, & suam substantiam amitteret, vt abiret in aliam tertiam? Tandem quomodo Verbum esset Deus conuersa Diuinitate in aliam, aut quomodo esset homo, si natura humana in aliam naturam transierat? Ex quo probatur nec primo, nec tertio modo illã confusionem, & permixtionem naturarum in Eutychetis sententia fieri potuisse. Superest ergo secundus, vnam naturam in aliam fuisse conuersam, idest humanam in Diuinam, & huiusmodi fuisse errorem Eutychetis.

Rationi adijcio authoritatem. Primò, quia Patres communiter sentiunt, ac docent Eutychetis errorem recidere in errorem Apollinaris, ita vt pro vno ferme ab ipsis computetur. Apollinaris autem, vti constat Apollin.
solam Diuinitatem in Christo inesse dixit, & animam exclusit, ita vt loco animæ in Christo Diuinitas esset. Ita Augustin. lib. de hæres. ad Quod vult Deum hæres. 91. loquens de August.
Eutychete: *Cum videretur*, inquit, *refutare Nestorium, in Apollinarem, Manichæumque transiuit, & humanitatis in Christo denegans veritatem, quidquid à Verbo nostræ proprietatis receptum est, Diuinæ tantummodo ascribit essentiæ; vt fundamentum salutis humanæ, quod non nisi in vtraque substantia est, nostram in Christo naturam negando, dissolueret*. Quæ verba tam sunt clara, vt mirer Vasq. cum ea producat audere detorquere, Vasq.
& in suum sensum interpretari.

Secundò hoc ipsum Gelasius lib. de duabus naturis in Christo, paulò Gelasius
post initium libri his verbis tradit: *Qui vnam, idest solam Diuinitatem conatur asserere*. Quibus significat Eutychianum errorem. Vigilius Eutych. Vigilius
item Papa lib. 2. aduersus Eutychetem ante medium, sic ait: *Eutyches respiciens vnam personam, vnam inquit esse naturam, & ob hoc humanam ausus est denegare*. Et lib. 1. etiam ante medium: *Quia*, inquit, *secundum istos, qui vnam tantum contendunt esse naturam, non Verbi mutata est in carnẽ vt fieret vna, sed carnis in Verbo consumpta est, vt extantiam per sui abolitionem amittens omnino esse non possit, in sola natura Verbi remaneat*. Præter hos hanc prius tenuerat de Eutyche sententiam D. Ambr. Ambr.
lib. de Incarnatione cap. 3. tacito tamen nomine Eutychetis, vbi mentionem facit mutationis, & conuersionis naturæ.

Diuus Thomas quæst. 2. art. 6. in D. Thom
corpore vtrunque errorem Apollinaris, & Eutychetis pro vno ponit, & sextam Synodum allegat, in qua id habetur, & quamuis verba Synodi signi-

significent vnitas inter se per confusionem fuisse, intelligenda est, non de confusione in qua mistæ naturæ maneant, sed in qua vna natura tantùm maneat ex confusione illa existens: ait enim eos sustulisse vtranque naturam, & vnam interemisse; qui erat error Apollinaris; ac ita sentit D. Thomas. Eiusdem sententiæ est Coccius lib.2. de Christo Saluatore art.2. citatis multis, vt solet Authoribus. Ex his apertè refellitur opinio Vasquij, & apparet errorem Eutychetis in eo situm, quod poneret vnam naturam per conuersionem humanitatis in Diuinitatem, vti posuit Apollinaris quanquam diuerso modo.

Coccius.

Hunc autem modum oportet inquirere. Fuit verò huiusmodi. Eutyches opinatus est humanam in Christo naturam aliquandiu ante Incarnationem fuisse, itaut præexisteret anima, & corpus Christi in se; deinde factam Incarnationem vniẽdo illam naturam præexistentem ad Verbum, perquam vnionem natura humana quæ erat, conuersa in Diuinitatem, esse desijt. Hoc autem non dicebat Apollinaris, qui nolebat in Christo esse aut fuisse animam, sed vt pro anima Diuinitas esset malebat; itaque solam carnem assumptã sine anima, in cuius loco Diuinitas erat. At Eutyches volebat, vt anima existeret priusquam esset assumpta, & affirmabat hanc assumptam fuisse, sed in ipsa assumptione conuersam in Diuinam naturam fuisse, & in Diuinitatem transijsse; qui longè diuersus est modus errandi à modo errandi Apollinaris. Quem fatetur diuersum Suarez, & cũ eo Vasquez citatus: sed diuersitatem non exprimunt, cuius nos exactam mentionem, opinor, fecimus.

Eutych.

Suarez. Vasquez.

Quod autem Eutyches illas duas naturas præexistentes ad vnionem fecerit; perspicuè tradit Nicephor. lib.18. histor. cap.47. *Duas*, inquit, *& ipse ante vnionem naturas dixit, deinde vnitas; post vnionem autem in vnam naturam abijsse.* Quo nihil apertius dici potuit. Hinc erat, vt affirmaret Christum ex duabus naturis, non in duabus naturis subsistere, quòd cum duæ essent ante vnionem, ex illis duabus vna facta est per vnionem. Vtrum senserit illas duas naturas prius tempore, an momento, vel natura extitisse, minùs certè cõstat. Vasq. prioritatem temporis illum posuisse negat. Ego crediderim de hac locutum Eutychetem, & putasse Christum prius tempore fuisse hominem in sua natura cõstitutum, & deinde illam naturam assumptam fuisse à Verbo, & conuersam in Diuinitatem; & quamuis sit crassus hic error, non est ab homine tam habete & rudi alienus, qui existimauit ex vtraque natura vnam fieri, consumpta prorsus altera, potuisse.

Niceph.

Quid autem senserit, de carne Christi Eutyches, magis ambiguum est. Existimo tamen eum sensisse in Diuinitatem item illam transijsse, & hac de re cum Tropitis consensisse; quod ex multis Authoribus probat Coccius lib.2. de Christo art.2. non excludebat tamen corpus visibile, & phantasticum, siue ex alia natura cælesti, siue aerea cum Manichæis: vti apparet ex Vigilio lib.1. contra Eutychetem, & ostendit Vasq. in 3. par. disp.14. cap.1.

Coccius

Vigilius. Vasquez.

Hunc errorem secutus est Dioscorus teste Liberato Archidiacono Carthag. in suo Breuiario cap. 12. quod opus habetur tom. 2. Concil. post Concil. Aurelianen. Eundem postea amplexi sunt Acephali, seu Acephalitæ Anastasio Imperatore, & Symmacho Pontifice 494. anno. Authore Prateolo in Elencho heresum, verbo Acephali; & Alphonso Castrio, verbo Christus. hæres. 4. Quorũ caput fuisse dicitur Seuerus. Eodem correptum fuisse Petrum Ggnapheum Episcopum Antiochenum

Dioscor. Liberat.

Acephali

Prateol. Castro.

Petrus Ggnaf

Niceph. num scribit Nicephorus lib. 18. cap. 45. & illos hæreticos qui Monophysitæ sunt dicti, quasi vnam duntaxat in Christo naturam ponẽtes, & Monothelitę hoc nomine appellati, quia vnius tantum in Christo voluntatis Coccius. assertores erant: teste Coccio lib. 2. de Christo art. 2. Quanquam hi propriè Eutychiani non essent, sed suspecti, imò & participes necessaria connexione eius hæreseos, quoniam qui vnam tantum voluntatem in Christo ponebant, vnam etiam naturam ponere tenebantur. Inter Eutychianos autẽ recensendus haud Iac. Cyr. dubiè est Iacobus ille Cyrus, cuius discipuli Iacobitæ appellati, & Io. Philo. Ioannes Philosophus Grammaticus, Niceph. vti narrat Nicephorus lib. 18. histor. cap. 45. & 48.

Magna controuersia est. Vtrum Monach. Syr. Monachi Syri, Hormisda Pontifice, quorum vnus erat Ioannes Maxent. Maxentius, Eutychiana item hæresi infecti Vasqu. Baron. fuerint? de quo nobile certamen est Patri Vasquio cum Cardinali Baronio: hic enim tom. 7. Annal. affirmat eos Eutychiano fuisse. Pater autem Vasq. in 3. part. disp. 15. cap. 3. acriter negat. Ego vtriusque rationibus inspectis Vasquio assentior, eosque illa labe pollutos inficior; nec alia argumenta adhibeo, quàm quæ à Vasq. eruditè collecta, & apertè proposita sunt, sic enim illo loco citato Baronium refellit, vt nullum relinquat addere quidquam volenti locum. Illud tantum adijcio, non posse me adduci, vt credam Eutychianum fuisse Ioannem Maxentium hominẽ Augustinianæ doctrinæ deditum, & acerrimum post ipsum Diuinæ gratiæ contra Semipelagianos defensorem. Illud etiam valdè miror, ne verbum quidem de hisce Monachis, deque tota huiusmodi Controuersia aut Suarium, aut Bellarminum dixisse.

Explicato errore Eutychetis, eiusdem Sectatoribus numeratis, ad cæteros errores veniamus. Et quidem error Manichæorum, & Tropitarum, quoniam patet, videtur esse prætermittendus, cum præsertim vterque per se clarus sit, nec eius Sectatores nobiles fuerint. Itaque de ijs, qui cum Apollinari, Nestorioque senserunt cõmemorabimus. Igitur Apollinari adhæsit Timotheus quidam antiquus hæreticus, & Vitalis item, Timoth. Damasus teste Damaso in Epistolis 1. & 2. & illi qui Dimeritæ nuncupati sunt, Epiphan. authore Epiphan. hæres. 77. & 78. quanquam non omnino cum Apollinari sentirent. Distinguebant enim animam & mentem, animamque Christo cum corpore dabant, sed mentem ab anima auferebant, itaque amentem animam Christo tribuebant. Hinc eis nomen *Dimeritarum*, quoniam duas partes admittebant corpus & animã, exclusa tertia, idest mente, si tamen partes sunt dicendę; functiones melius dixerim.

Errorem Nestorij sectatus fuit Theodor Mopsueu. Theodorus Mopsuestenus teste Nicephoro lib. 14. cap. 39. quem secutus fuit Petrus Ggnapheus, de quo Gnaph. supra, qui vtrunque errorem Eutychis, & Nestorij est amplexus, teste Vasq. quamuis non admodum, constanter disp. 15. cap. 1. sed hoc de illo Vasq. affirmat constanter Suarius d. 12. s. 2. Suarez.

CAPVT V.

De nouis hæreticis circa Christi Domini Incarnationem.

HAeresim Apollinaris, quòd Christus non haberet animam non inuenio ex nouatoribus, qui id propriè affirment. Sunt tamen qui cum Eutychete sentiunt vnam in Christo esse naturam, atque hos quidem Apollinaristas esse dicemus. Nestorij hæresim sectantur apertè Brentius lib. de Maiestate hominis Brent. Christi. Smidilinus in Thesibus, & Beza lib. de hypostasi duarum in Smidil. Beza.

Christo naturarum. pagina 64. & 65. Occultè eum errorem videtur Caluin. tenuisse Caluinus lib. 1. instit. cap. 13 §. 9. & 23. & 24. in quibus de persona humana mediatoris Christi, quem appellat, tanquam de distincta loquitur, vt obseruat Bellarminus Bellarm. lib. 3. de Christo cap. 5.

Errorem Eutychetis secuti sunt Memnon Memnon, Adam Pastoris, Gaspar Adam. Lindan. Suuenecfeld. Authore Lyndano dialogo 2. Dubitantij, & Andreas Muscul. Musculus teste Staphyl. lib. de Concordia Staphyl: discipulorum Lutheri. Præterea Echius scribit Ekius Zuinglianos in Synodo Dunensi mistionem naturarum in Christo instar Eutychetis admisisse. Vasquez. Addit autem Vasq. disp. 14. cap. 1. ad finem, accepisse se Romæ à Patribus suæ Societatis, qui eò missi fuerunt à Pontifice, Orientales multos sub Alexandrino Patriarcha nolle fateri duas in Christo esse naturas, ne duas personas facere cum Nestorio vi[...]eantur.

Quod attinet reliquas duas hæreses circa Christi corpus, illæ inter nouatores maximè vigent. Huc omnes fermè incubuerunt. Igitur negãt Christum veram carnem assumpsisse cum grege Manichæorum Albigenses in Gallia noui Manichæi, Albig. Sander. teste Sandero lib. 7. de visibili Monarchia Prateol. 4. hæresi 151. & Prateolo in Elencho. Cum ijs senserunt Albanenses Alban. Guido. S. Anton., teste Guidone de hæresibus, & S. Antonino 4. parte Summę 11. cap. 7. §. 5. Hos sequuntur Anabaptistæ Suuenec. Anabab. Cocleus Suuenecfeldiani, teste Cochleo lib. de erroribus Monasteriens. Canis. & Canis. lib. 1. de corruptelis Verbi Dei. De Anabaptistis idem affirmat Caluin. Caluinus; & de Libertinis cap. 17. Suuenecfeldius tom. 2. Epistolarum epist. 72. & 77. docet carnem Christi nullo modo similem carni Adæ, siue ante, siue post lapsum, & par. 1. Confess. & par. 3. Epist. ad Augustanos, & lib. de totalitate Christi, negat carnem Christi, & humanitatem esse creatam. Atque vti veteres hæretici variè errarunt, ita & noui; quidam enim dixerunt corpus Christi esse cæleste, & diuinum, & ex ipsa Patris essentia genitum, quem item fuisse errorem Apollinaris, testatur Iustinus Apologia 2. ad finem: cu- Iustin. Memnon iusmodi sunt Memnon, qui affirmat illud corpus iam formatum ex sinu Patris descendisse in vterum Virginis, vti probatur ex colloquio Nismariensi, & Michael Seruetus lib. 2. Seruet. de Trinitate, qui affirmat corpus Christi esse de essentia Dei tractum, & Suuenecfeldius, quem proximè citauimus.

Alij verò hæretici in Christo carnem esse dixerunt, sed illi ita Diuinitatem communicatam, vt diuina attributa in carnem transirent, atque adeo, quicquid in diuinitate est, ac de illa prædicatur, omne id de humanitate verificari, & prædicari posse, ac debere. Vnde manauit hæresis Vbiquist. Vbiquistarum, vel Vbiquetariorum, qui affirmarunt corpus Christi esse vbique per immensitatem propriam Dei, quæ humanitati cõmunicatur. Huius erroris Author fuisse videtur Iacobus Faber Stapulensis, qui hoc indicat in cap. 12. epist. 1. ad Corint. Iab. Fab. & cap. 14. in Ioannem. Hunc sequutus est Lutherus Serm. de Sacramento Cœnæ Domini tom. 2. operum Luther. suorum fol. 112. vulgò tamen habetur huius erroris Author, & princeps Ioannes Brentius, illum quip- Brent. pe apertè tradit dicens: corpus Christi vbique esse in Apolog. pro Confess. Vuitembergensi. tractatu de Cœna Domini; & lib. de Maiestate Christi hominis, & Matthias Illyri- Illyricus cum lib. de Ascensione Domini, & & ad locum Petri Act. 3. ad illud, *Quem oportet cælum suscipere*. & alij apud Bellarminum lib. 3. de Christo incarnato cap. 1. & Vasq. tom. 3. in Bellarm. 3. part. qui est de Eucharistia d. 80. Vasquez. cap. 7. vbi numerat Kemnitium, Vvigandum, Senelcerum, & alios. Prouiden-

uidente Deo, vt his calamitoſis temporibus, quando Zuuingliani, & Caluiniſtæ, alijſque Sacramentarij negant præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia, & eo vtuntur argumento, quòd vnum corpus eſſe non poſſit in diuerſis locis, tot alij hæretici ex contrario argumento dicant corpus Chriſti non ſolùm eſſe poſſe in locis diuerſis, ſed neceſſario eſſe oportere per vnionem hypoſtaticã, & communicationem Diuinorum attributorum, qui quanquam error eſt, tamen alium errorem tanquam clauus clauum tradit, iuxta illud: *Salutem ex inimicis noſtris*:

CAPVT VI.

Hæreſis Apollinaris refellitur.

OPortet primum quæ ad animam Chriſti ſpectant, deinde quæ ad corpus pertinent, hæreſes refutare. Duplex igitur de anima Chriſti error fuit. Arianorum alter, alter Apollinariſtarum; ſed vterque eodem reuoluitur. Ariani enim dicebant in Chriſto nullã omnino fuiſſe animam, ſed verbum eſſe loco animæ. Ita refert Epiphanius hęreſ. 69. & Auguſtinus hæreſ. 49. & Nazianzenus orat. 51. & ſeptima Synodus act. 6. tom. 5. cum errorem tribuit Euſebio Cæſarienſi. Apollinaris in hoc primum errore fuit: poſtea cum multis ſcripturarum locis vrgeretur, non eſt auſus animam prorſus negare; ſentientem igitur dedit Chriſto, intelligentem abſtulit, ſuſtulit rationalem, reliquit ſenſibilem, Auguſt. teſte hæreſ. 55. vbi de illo ait: *Negauit mentem, quæ eſt anima rationalis hominis, cum autem rationalis anima hominis propria ſit, cum eam Apollinaris ſuſtulerit, neceſſe eſt animam prorſus ſuſtuliſſe*; ac ita Authores ſentiunt, & nos proximè diximus. Vt autem huiuſmodi errorem impugnemus, oportet fundamẽta eius adducere, quandoquidem illa expreſſa inuenimus apud Athanaſium lib. de Incarnatione Chriſti, & Ambr. lib. de Incarnatione Dominicæ Sacramento cap. 7.

[Margin: Ariani; Epiphan.; Auguſt.; Nazianz.; 7 Synod.; Euſeb.; Apollin.; Auguſt.; Athanaſ.; Ambr.]

Primum fundamentum ſumebatur ex peccato originali, quo humanæ omnes animæ inficiuntur, & ex concupiſcentia per peccatum contracta, & ad omne genus peccati inclinante, cum enim Chriſti anima nulla fuerit inquinata ſorde peccati, & non ſolùm peccato caruerit, ſed peccatum admittere non potuerit; argumentum videbatur eſſe, humanam in Chriſto animam non fuiſſe, quæ ſi fuiſſet, omnino peccatrix foret. Huic tamen argumento facile

Reſpondetur, animam Chriſti eiuſdem prorſus naturæ cum noſtris eſſe, non eſſe tamen peccatricem, cum peccatum nec conſtituat, nec pertineat ad naturam, ſed præter naturam ſit, & voluntate committatur; vnde potuit, ac debuit Chriſtus habere animam eiuſdem naturæ ſine effectu, defectuque peccati, & carere concupiſcentia, quæ eſt pœna peccati.

Secundum fundamentum eſt, ſi Chriſtus haberet animam, eſſet vnũ quiddam compoſitum ex tribus ſubſtantiis, ſcilicet, Diuinitate, Corpore, & Anima, qui modus loquendi improbatur à Patribus cum periculoſus videatur, & quantitatem inducat in Diuinis. Quare illum impugnat Damaſcenus lib. 3. de Fide, & Paulinus in lib. Sacroſyllabo, qui eſt in Concilio Francoford. Epiſtol. ad Epiſcopos Hiſpaniæ; & maximè diſplicuit Benedicto II. Papæ, vti habetur in Concilio Toletano 15. §. ad 2. cum enim Patres illius Concilij non formidarẽt dicere: *Chriſtum ex tribus ſubſtantijs componi*, Benedictus Papa vetuit, vt eo modo loquerentur. Igitur dicendum eſt Chriſtum anima caruiſſe, ne tres ſubſtan-

[Margin: Damaſ.; Paulinus; Benedictus Pap.; Concil Tolet. 15]

tiæ in Chriſto eſſe dicantur. Hoc argumentum, quia multùm doctrinæ poſtulat, eſt accuratiùs refutandum.

Reſpondetur igitur primo, non eſſe periculoſum dicere in Chriſto eſſe tres ſubſtantias, cum reuera ſint Diuinitas, Corpus, & Anima in vna perſona Diuina, modo non dicantur eſſe tres naturæ, cum anima, & corpus in vnam vniantur naturam, & humanitatem vnam efficiant. Bene autem dici poteſt in Chriſto eſſe naturas duas Diuinam, & humanam. Quarum humana ex duabus ſubſtantijs componitur, ideſt, corpore & anima; corpus enim & anima duę ſubſtantiæ ſunt, quæ partialiter concurrentes, efficiunt vnam naturam totalem, ideſt humanam. Hoc autem modo rectè admittitur vna perſona in duabus naturis cum tribus

August. ſubſtantijs. Ita enim loquitur Auguſtinus lib. 13. de Trinitate cap. 17. *Sic Deo coniungi potuit humana natura, vt ex duabus ſubſtantijs fieret vna perſona, ac per hoc iam ex tribus, ſcilicet, Deo, Anima, & Carne.* Vbi obſeruandum eſt Auguſtinum nomine ſubſtantiæ appellaſſe totam huma-

Idem. nitatem, & deinde partes humanitatis, ideſt, animam, & corpus, ſubſtantias item dixiſſe. & tract. 78. in Ioanne: *Agnoſcamus*, inquit, *geminam ſubſtantiam Chriſti: Diuinam, ſcilicet, qua æqualis eſt Patri, & humanam, qua minor eſt Patre: vtrunq; autē ſimul non duo, ſed vnus eſt Chriſtus, ne ſit quaternitas, non trinitas, ac per hoc Chriſtus eſt Deus, anima ra-*

Magist. D.Thom. *tionalis, & caro.* Ecce tres ſubſtantiæ, & duæ naturæ. Hos autem locos Auguſtini afferunt Magiſt. in 3. d. 6. & D. Thom. ex vtroque 3. par. qu. 1. art. 2. qui eiuſdem eſt cum Auguſtino ſententię. Et in corp. articuli vtitur ijſdem verbis Auguſtini. Vt vna perſona fiat ex tribus Verbo, Anima, Carne. Et qu. 2. art. 1. exponit quomodo ex anima & corpore fiat vna natura; atque adeo in Verbo ſint duæ naturæ, quarum altera eſt humana, & componitur ex dua- Iſidorus.

bus partialibus anima & corpore. Concil. Tolet. 11

Eodem modo loquitur Iſidorus lib. de different. cap. 6. & Concil. Toletan. 11. in Confeſſione Fidei, vbi ſic: *Idem Chriſtus in duabus naturis extat: ſubſtantijs tribus.* Quare non eſt timendum fateri in Chriſto eſſe tres ſubſtantias, & duas naturas. Igitur ad argumentum in forma.

Reſpondetur ſecundò, ſimpliciter loquendo debere dici duas naturas humanam, & Diuinam in vna Perſona Verbi Diuina: ac proinde nullam eſſe quæſtionem de quaternitate Perſonarum, quam inducere hæreſis eſt, cum humana natura in Chriſto non ſit perſona, ſed natura ad perſonam Verbi aſſumpta. Quod autem ſpectat ad modum loquendi melius eſt dicere in Chriſto eſſe duas naturas, quam tres ſubſtantias proter vitandam æquiuocationem naturæ & ſubſtantiæ. Ac ita loqui ſolent non ſolum Damaſcenus Damaſc.

& qui cum eo reprobāt illū modum loquendi tres ſubſtantias; ſed etiam Auguſtinus, & Hilarius, & alij Patres, & Doctores, qui tres ſubſtantias aliquando dicunt. Quod autem alter modus loquendi: Tres ſubſtātiæ ſunt in Chriſto: tutus ſit, & idoneus, patet ex Concilio Toletano 11. & 14. & 15. Vbi Patres illi Hiſpani Cōc. Tolet. 11. & 14. & 15.

fatentur duas naturas, & tres ſubſtantias, quod item ait Iſidorus lib. de differentijs cap. 6. & Stephanus Eduenſis Epiſcopus libr. de Sacramento Altaris, cap. 7. & D. Bernar- Iſidorus Stephan. Eduenſ. Bernard.

dus Sermone 3. de Vigilia Natiuitatis, vbi: *Attende, quia ſicut in illa ſingulari Diuinitate Trinitas eſt in perſonis, vnitas in ſubſtantia, ita in iſta ſpeciali commixtione Trinitas eſt in ſubſtantijs, in perſona vnitas.* Verum quidem eſt, minus placuiſſe hunc modum loquendi Papæ Bene- Benedict.

dicto Secundo, & Paulino, & Con- Paulinus

cilio

Concil. Francof. cilio Francoford. quia videtur occasionem præbere confundi naturas, cum substantijs; quod periculum, vt vitarent, noluerant tres substantias dici prædicti Patres, quo longiùs ab errore discederẽt, & omnem errandi ansam Nestorianis, & Eutychianis præscinderent. Accedit, quod cum compositio ex anima, & corpore sit remota respectu Christi, qui immediatè significat personam ex natura diuina, & humana in Verbo subsistentem, minus rectè dicitur componi ex tribus, cum partes humanitatis separatas non assumpserit, sed vnitas; atque adeo ipsam naturam humanam; itaque non debet componi ex duabus substantijs remotis, & partialibus, idest, corpore & anima, sed ex humanitate, quã proximè assumpsit Verbum in Diuina natura subsistens, & ex Diuinitate, quę est proxima & adæquata compositio.

Quemadmodum igitur homo nõ dicitur propriè componi ex substantia corporea, & viuente, sed ex Animali, & rationali, & rectè definitur *Animal Rationale*, quæ est proxima ratio componendi, quæ illum proximè & immediate constituit, & omnino adæquate: ita Christus minus propriè dicetur componi ex tribus substantijs, quàm ex duabus; nam ex illis remotè, ex his autem proximè, & adæquatè componitur. Idcirco rectè iudicauit Benedictus, & obseruat Vasquez 1. tom. in 3. part. disp.37.cap.2. Itaque simpliciter dicendũ cum Damasceno lib.3. de Fide cap.16. Christum esse compositum ex duabus naturis, siue substantijs. Est verò maximè notandum nunquam dici posse in Christo fuisse tres natnras: qui error tribuitur Raymundo Lullo, estque damnatus.

Benedict. Vasquez

Damasc.

Lull.

Tertium argumentum est. Anima Christi habebat attributa, & proprietates Diuinitatis, quæ sunt extra naturam humanam, & sunt intra naturam Diuinam, & illius duntaxat propriæ. Ergo hæc natura diuina pro anima erat in corpore. Antecedens probatur ex donis animę Christi, quæ erant ei veluti connaturalia, queq; in alijs erãt dona gratiæ. Nam in eius intellectu erat lumen Gloriæ: erant species per se infusæ à Deo, erant aliæ per accidens immissæ, præter acquisitas. Erat visio Dei clara: & vtraque scientia, per se, & per accidens infusa, seclusa prorsus ignorantia humano intellectui naturali. Voluntas erat omnino recta, & nullo habitu vitioso deformata, nec vllis concupiscentiæ stimulis obnoxia, nec perturbationum motibus opportuna, citra rebellionem appetitus, cltrà tumultũ passionum, sine discordia partium animi, extra motus turbulentos exurgentes contra rationem. Et ipsa anima vestita Gratia habituali, qua maior esse non possit, & ornata singularibus donis, quæ Gratiam comitantur, tuentur, & consequuntur: quæ omnes, & singulæ perfectiones sunt, omninò supra conditionem animæ creatæ, ac proinde propriæ Diuinitatis. Huic argumento

Respondetur, Animam Christi omnibus his prorsus dotibus instructam & ornatam fuisse, imò & alio multo præstantiore Dono, idest ipsa Vnione hypostatica affectam, quæ vnio ad Diuinam Verbi Personam verè ac physicè animam, & corpus vniebat: ita vt illa omnia ornamenta, & dotes, animæ humanę ratione vnionis connaturaliter deberentur. Negamus tamen per hęc detrahi substantiæ animæ. Imò affirmamus locupletari eam, & perfici ijs ornamentis, & dotibus mediante illa vnione hypostatica, quæ erat ratio participandi quæcunque dona supernaturalia excogitari possunt: quare non sequitur perijsse animam & in Diuinitatem abijsse. Illud tantum sequitur animam illam ornatam

& per-

& perfectam fuisse donis supernaturalibus eximijs, quæ nudam animæ naturam, & naturalem eius facultatem excederent: non enim illa dona naturaliter manebant,& inerant animæ, sed à Diuinitate procedebant, & animę communicabantur: ex quo non conficitur animam esse ipsam Diuinitatem; sed esse vnitam Diuinæ Verbi Personæ.

Vrgent nihilominus: Illa dona esse signa, & argumenta naturæ Diuinæ. Distinguimus,& damus esse dona Diuinitatis vnitæ: non Diuinitatis innatæ: & esse non naturalia, sed supernaturalia: ex quo sequitur animam esse naturam, & substantiã naturalem; quandoquidem illa dona ei non sunt naturalia, nec ex illius substantia procedunt, sed à Diuinitate prômanant. Velle autem probare, aliquid esse Deum,ex eo quod habeat aliqua dona Dei, est omninò ineptum & absurdum. Nam & Angeli,& Animæ Beatæ, Gratia vestiũtur, & lumine Gloriæ ornantur, & visione Dei fruuntur, quę sanè Diuina maximè dona sunt, nec tamen ideo naturæ esse desinunt. Vnde apparet futilitas obiectionis.

Quartum argumentum sit sumptum ex cap.I. Ioannis: *Verbum caro factum est*: quod sic proponit Augustinus nomine Apollinaris lib.83. quæstionum quæst. 80. *Solam Carnem humanam Christum suscepisse dixerunt, adhibentes testimonium ex Euangelio, Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis. Volunt enim ita Verbum Carni esse copulatum, atque concretum, vt nulla ibi nõ solum mens, sed nec anima humana intersistat.* August.

Respondetur verbis ipsius Augustini citat. *Solere homines in scripturis per nomen solius carnis significari, vt secundum hanc locutionem etiam illud possit intelligi, vt quod dictum est Verbum Caro factum, nõ aliter sit dictum, nisi Verbum Homo factum est. Sic vt à parte totum, plerunque vna sola nominata Anima intelligitur, sicut est illud: Tot animæ descenderunt in Aegyptum, etiam nominata sola carne homo intelligitur, sicut Lucæ 3. Videbit omnis Caro salutare Dei. Et Psalmo 64. Ad te omnis Caro veniet. Et Ioan. 17. Dedisti ei potestatem omnis Carnis: quibus in locis Caro pro toto homine ponitur.* Cur autem maluerit Euangelista dicere: *Verbum Caro factum est*, quàm *Verbum Homo factum est*; ideo fuit eodem teste Augustino, vt commendaret humilitatem, quia eò vsque Verbum se demisit, vt non solum animam, sed carnem quoque assumeret. Addo: Ne quis dubitaret Verbum veram Carnem assumpsisse; cùm plures negaturi essent verum Corpus à Verbo assumptum, quàm Animam: idcircò voluit Euangelista Carnem expresè nominare, de qua hæresi inferius dicemus. Hanc eandem quam de Verbo Diuino in assumpta Carne tradimus, doctrinam, habet Augustinus lib. de Agone Christiano cap.19.& 25.& libr. contra Felicianum Arianum cap. 13. August.

CAPVT VII.

Refutatio erroris Apollinaristarum.

SOlutis argumentis aduersus animam, oportet errorem pro quo sunt adducta refellere. Primùm testimonijs Scripturarum. Deinde authoritate Pontificum, Conciliorum, & Patrum. Tandem rationibus agemus. Igitur locos Scripturæ quinque manifestos affero. Primum Ioann. 10. *Pono animam meam, vt iterum sumam eam*, quod de Diuinitate nequit intelligi, quæ nec poni potest, nec sumi, cum semper sit, & deesse nõ possit. Secundum ibidem. *Animam meam pono pro ouibus meis.* Tertium ibidem. *Nunc anima mea turbata est.* Quartum Matth. 16. & Marci 14. *Tristis est Anima mea vsq; ad* Ioann. 10. Ibidem. Matth. 16. Marci 14.

Luc. 14. *ad mortem*. Quintum Lucæ 23. *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*. Accedit Symbolum Athanasij, vbi dicitur: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens*. Damnauit hanc hæresim Damasus suis temporibus iterum renouatam in Professione Fidei ad Paulinum Episcopum Thessalonicensem, quæ habetur inter ipsius Decreta 1. tom. Concil. & in Concilio Romano, teste Hieronymo in additamento ad Chronicon Eusebij anno 379. & Leo Papa in epist. ad Iulianum 11. & epist. ad Episcopos Palestinos 83. Damnauit Concilium Ephesinum approbans Cyrilli epistolam octauam, & Concilium Chalcedonense act. 1. & Synodus Constantinopolitana act. 8. can. 4. & 11. vbi anathematizatur Apollinaris, & sexta Synodus Generalis act. 1. & act. 18. & Concilium Toletanum 1. & 4. & 11. in Confess. Fidei, & Carthaginense 4. c. 1. Scripserunt cōtra illam ex Patribus Athanas. lib. lib. de Incarnatione Christi, & epist. ad Epitectum, Nazianzen. epist. 1. & 2. ad Cledonium, & Nectarium, quæ sunt orationes 51. 52. 56. Epiphan. hæres. 77. Cyrill. ep. 8. citat. à Concilio Ephesino, & Chalcedonensi citato, & lib. de Fide ad Theodosium. Damascen. lib. 3. de Fid cap. 6. Hi Græci. Ex Latinis duos affert Vasquez, Ambrosium lib. de Incarnatione Dominicæ Sacramento cap. 7. & Fulgentium libr. 1. ad Thrasimundum à cap. 8. ad finem. Miror omisisse Augustinum, quem tamen citat Suarius tom. de Incarnatione disp. 17. sect. 2. citat autē librum de Agone Christiano cap. 19. & 21. & contra Felicianum Arianum cap. 13. Agit autem hac de re Augustinus sexcentis locis. Affero duos lib. 13. de Trinit. cap. 17. & ep. 120. ad Honoratum.

(Marginalia: Symbol. Athanas. — Damasus. — Hieron. — Leo. — Concil. Ephesin. — Syodus Constant. — Sexta Syn. — Cōc. Tol. 1. 4. & 11. — Carthag. — Athanas. — Nazianz. — Epiphan. — Damasc. — Ambr. — Fulgent. — Vasqu. — Suarez — August.)

Ad rationes venio. Prima sit, Christus vt homo esset, anima carere non potuit, ergo animam habet cum homo sit. Antecedens patet: nam homo physicè componitur ex materia & forma, idest corpore, & anima rationali. Metaphysicè autem constat ex gradibus animalis rationalis, qui sunt genus, & differentia, qui gradus sine corpore & anima constare non possunt.

Secunda sumitur à resolutione. Christus verè mortuus est; non potuit autem mori, si anima caruit, ergo habuit animam. Maior est de Fide. Minor patet, quia mors est animæ à corpore separatio. Præterea cōfirmatur ex descensu animæ Christi ad Inferos, & ex resurrectione, quæ fieri nequit sine reditu animæ ad corpus, & sine reuersione ad illud. Diuinitas autem non potuit, nec separari à corpore, nec redire ad corpus, à quo nunquā recesserat.

Tertia esto. In Christo erat vera materia corporea, quæ non poterat esse informis, ergo erat informata anima, quæ esset forma proportionata, & naturalis. Diuinitas autem forma esse non poterat, nec enim est actus materiæ, nec cum ea vnum physicum, & naturale potest componere.

Quarta; est Christus debuit mereri, & satisfacere. Quod non posset, nisi haberet animam, in qua est liberum arbitrium, & in qua inest gratia, quæ sunt principia merendi. Igitur animam habuit, quæ per actus liberos meritum exerceret, & quamquā per gratiam minimè mereretur, nec enim Christo ad merendum necessaria fuit gratia, tamen gratiam habuit vt esset connaturale principium respectu actuum supernaturalium. Hac ratione ex merito sumpta vtitur Augustinus lib. contra Felicianum Arianum cap. 13. August.

Quinta ducitur ab effectibus; nam in Christo erant motus, & perturbationes animi, timoris, lætitiæ, tristitiæ, & huiusmodi, de quibus constat

in

in Euangelio, qui affectus, & passiones, quamuis Christo essent volūtarij, & liberi, teste Augustino tract. 49. & 60. in Ioannem, non poterant cadere in Diuinitatem, ac proinde in anima erant.

August.

Sexta sic procedit, Christus debuit redimere id, per quod homo propriè peccauit & cecidit, hæc autem fuit anima, in qua est voluntas, qua peccat homo, & in qua est priuatio Gratiæ; vnde ruina, & status naturæ lapsæ extitit communis animę & corpori; ergo animam debuit hominis redimere, corpus ipsum animantem, & in corpore existentē, quod est argumentum Nazianzeni orat. 51. & 52. & Damasceni lib. 2. cap. 6.

Nazianz. Damasc.

Septima huiusmodi est: *Christus crescebat sapientia & gratia*, teste Luca cap. 2. *apud Deum & homines*, non poterat autem crescere secundum Diuinitatem, sed secundum experimentalem animę scientiam, ergo habebat animam.

Lucæ 2.

Octaua fit: quia Patrum communis sententia est, corpus assumptum fuisse mediante anima; vnde sequitur non fuisse assumptum corpus sine anima. Antecedens patet ex Nazianzeno epist. 1. ad Cledonium, & orat. 3. de Theologia, & Damasceno lib. 3. de Fide cap. 6. & præcipuè ex Augustino epist. 3. ad Volusianum, & lib. de Agone Christiano cap. 18. quos locos affert D. Thom. 3. parte quæst. 6. art. 1. Addo ego locum epistolæ 120. ad Honoratum, vbi Augustinus sic: *Verbum particeps carnis effectum est rationali anima mediante.* Quid autem Patres intelligant *mediante anima*, optimè docet Magister in 3. dist. 2. & ibi Scotus, & D. Thom. ibi, & hic 3. par. qu. 6. art. 1. ad 2. vt sit, animam fuisse rationem & motiuum sumendi corpus. Verbum enim assumpsit carnem, vt mereretur, & moreretur. Hæc autem sine anima fieri non poterant, & huc recidunt omnes aliæ expositiones, quas excogitant Vasq. 3. part. disp. 37. & Suarez disp. 16. & 17. vterque latissimè.

Nazianz. Damasc. August. S. Thom. Magist. Scotus D. Thom. Vasq. Suarez

Ego breuiter dico: ac me expedio hac ratione. Motiuum sumendi carnem anima fuit: tum quia anima est actus, corpus materia, ordinatur autem materia ad formam, per quam perficitur: tum quia anima est principium, vitale, intellectuale, liberum, & meritorium: non autem mediante anima assumptum est corpus, eo sensu, quod immediate corpus non fuerit vnitum Verbo; vel quod posterius, quàm anima fuerit vnitum. Corpus enim & anima, vtrunque immediate, ac per se primo vnita fuerunt Verbo Diuino. Itaque in executione, neutrum prius altero fuit, aut vnitū fuit: sed in intentione prius, & principalius intenta fuit anima, tanquam pars nobilior, quam corpus: & hoc est *mediante Anima* assumi.

Vtrum autem prius natura vnita fuerint inter se anima & corpus vnione naturali, & postea humanitas tota vnita fuerit Verbo per vnionem supernaturalem hypostaticam? An contra, prior fuerit vnio partium singularium ad Verbum, idest animæ & corporis, quam vnio animæ & corporis inter se naturalis? Disputant Suarez de Incarnatione disp. 17. & Vasquez disp. 37. & 39. negante Vasquez animam & corpus prius vnita Verbo, quam inter se, Suarez affirmante (loquuntur autem de prioritate, vt aiunt naturæ: cum ea omnia facta sint in instanti) subtilis & purè Scholastica quæstio est. Cuius vtraque pars probabilis. Ego tamen libentius adhærerem placito Suarij, quòd videtur ad dignitatem Matris Dei accommodatius, nisi reuocaret ratio generationis, quæ cum terminari debeat ad naturam humanam in Christo, debet eam producere, & vnire, quod est argumentum

Vasq. Suarez.

Vasquij, de quo infra suo loco. Hac tamen in medio relicta quæstione, redimus ad nostram.

Eodem, quo proximam explicauimus modo, exponenda est alia Patrũ sententia, qui dicunt animam assumptam media mente, idest animã rationalem fuisse intentam in Incarnatione, eo quod rationalis erat.

CAPVT VIII.

Hæresis Nestorij refutatur.

VT meliùs hæc hæresis confutetur, opus est, eius fundamenta proponere, eaque soluere, ac postea nostris argumentis refellere.

Igitur Nestorius negabat Christum esse vnam personam ex duabus naturis Diuina & humana compositam, his argumentis, quæ omnia petita ex difficultate mysterij. Quì enim fieri potest, vt naturæ duæ in vnam personam coeant, & quodammodo monstrum efficiant? cum pręsertim subsistentia vix intelligatur quid sit, & multi eam Philosophi à natura minimè distinguant, & in sola negatione locent; alij communiter modum esse dicant, ac eundem omnino realiter cum ipsa natura, vnde sequitur vbicunque natura sit, ibi esse etiam subsistẽtiam: ac proinde cum in Christo humana natura sit, in ea etiam subsistentiam remanere, atque adeo in Christo humanam quoque cum natura esse personam. Deinde magis distinguitur materia à forma, quàm subsistentia à natura: nam illa realiter omnino, istę tãtùm modaliter distinguuntur, sed materia & forma sunt in Christo vnitę: ergo etiã erit subsistentia, quæ multo minùs distinguitur à natura, quam partes inter se naturę. Hæc erat maxima difficultas, quæ mouebat Nestorium ad ponendum duas personas in Christo, & negandã vnionem hypostaticam substantialem ad personam Verbi. Hanc rationem dubitandi cap. sequenti refellemus.

Argumenta ex Scriptura adducta hæc sunt.

Primum locus ille Ioannis 2. *Soluite templum hoc.* vbi non ait Christus, *soluite me*, quasi esset vnus, sed *soluite templum*, quasi quoddam diuersum in quo habitat Deus, qui est omnino à templo suo, in quo habitat distinctus. Ioan. 2.

Huic loco respondetur: Christum ibi loqui de morte sua, quæ est dissolutio corporis, & animæ, quæ sunt partes humanitatis, quæ hoc loco vocantur *templum*; non dixit Christus *me*, tum quia nolebat clarè, & perspicuè de morte sua loqui, tum quia persona, quæ erat Diuina, non dissoluebatur à corpore, & anima, quæ semper manserunt vnitæ Verbo, cum igitur persona immortalis esset, noluit, nec potuit de illa loqui, quando de morte loquebatur. Itaque nihil colligit locus.

Secundum testimonium ex 2. ad Philippenses: *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, non enim, inquit Nestorius, dicitur factus homo, sed similis hominum, quasi non esset natura homo, sed habitu, & repræsentatione. Ergo verè homo non fuit, sed vestitus humanitate, quæ instar erat vestis, manente extrà Verbum humanitate in persona hominis, & sicut tunica Verbum contegente. 2. Philip.

Respondetur: plus adhuc voluisse significare Paulum, quàm hominem esse Christum; nempè non tantùm hominem esse natura, sed etiam accidentibus homini similem esse voluisse, infirmitatibus nempè humanis obnoxium, cum enim naturam posset suscipere sine defectibus, miserijsque naturę, maluit eam his omnibus (præter peccatum) oneratã suscipere, & nihil humani à se alienum putauit: quo sensu dixit Chri-

stum in similitudinem hominum factum, vt, & homo esset,& ex humanis infirmitatibus hominem esse appareret, dixit habitu inuentum vt hominem, idest specie quoque ipsa, & habitu animi, & corporis, vt ex illius effectibus,& perturbationibus ex affectionibus, & doloribus homo deprehenderetur: *Suscepit quippe infirmitates nostras, & dolores nostros pertauit*, & noluit videri gloriosus & beatus, cum posset, sed mortalis & pauper, & calamitatibus nostris obnoxius. Semel se ac seorsim in Monte transfigurauit. Cæterum vixit vt homo, & cum minimis conuersatus est, sæpè fatigatus, sæpè lacrymatus, sæpè turbatus,donec tandem passus & crucifixus. Isai. 53.

Tertium est Matth.27. *Deus meus vt quid dereliquisti me*, ex quo sic arguũt. Derelinqui est deseri à Deo, cum Deo enim loquitur. Igitur ita in Christo erat Diuinitas, vt abesse ab illo posset, ac proinde non erat illi intrinseca, saltem pro eo tempore quo derelictus est ab ea Persona Verbi, humanitas Diuinitati vnita non fuit: vnde sequitur, si non fuit vnita redijsse personam humanam, & saltem eo tempore duas in Christo fuisse personas, quod si aliquando fuerunt, argumento est semper fuisse separatas, & vnicuique naturę suam. Matth.27.

Respondetur: huiusmodi derelictionem non fuisse naturæ, vel personæ, sed assistentiæ, & fauoris; permittente Deo pati & mori eum, qui cum esset Filius Dei pati & mori nõ debuisset. Itaque mansisse vnionem omnino humanitatis cum Verbo,sed non remansisse priuilegium immortalitatis, quod cum esset illi humanitati ex vi vnionis connaturale, noluit tamen Deus illud humanitati tribuere, vt Christus nos redimeret, ac morte sua seruaret. Tunc est derelictus, quando permissus est mori.

Quartum sumitur ex alio principio. Verbum assumpsit hominem, sed homo est, & dicitur Persona: ergo Verbum assumpsit personam hominis. Maior est de communi consensu Patrum: qui ita loquuntur: imò & Concilia, Alexandrinum in epistol. ad Nestor. quæ est 10. inter epist. Cyrilli,& approbata est à Cõcilio Ephesino, Francfordiense in epist. ad Episcopos Hispaniæ, Toletan. 6. cap. 1. & Toletanum 11. in Confess. Fidei. Patres multos adducit Vasquez 3. part. disp. 38. c. 1. in quibus est Augustinus lib. de Prędest. Sanctorum cap. 18. & epist. 62. & lib. 9. de Ciuit. cap. 17. & 21. 26. & 29. & Boet. lib. de duab. naturis. & Damascenus lib. 3. de Fide cap. 4. & Anselm. lib. de Incarnation. lib. 5. imò & Adrianus Papa in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, quæ est Conc. Frãcoford. Minor autem propositio est D. Thom. 3. p. q. 4. art. 3. & probatur à Theologis Scholasticis, qui ita distinguunt hominem, & humanitatem, vt humanitas dicat solam naturam, homo autem personam. Consequentia patet: quia si assumpto homine assumitur persona hominis, certè assumitur subsistentia. Vnde sequitur duas esse in Verbo subsistentias, ac proinde duas esse personas Diuinam, & humanam. Concil. Alexand. Concil. Francof. Concil. Tolet. Vasq. August. Boetius. Damasc. Anselm. Adrianus Papa. D. Thom.

Respondetur huic argumento concedendo Patres, & Concilia eo modo loquendi vsos fuisse, sed non in sensu Nestorij. Itaque per hominem verterunt humanitatem, & naturam hominis, non autem subsistentiam, & personam. Et quidem vulgari modo sunt locuti, & exponendi sunt *pie*, vt inquit S. Thomas, & *probabiliter*. Nam homo quamuis sit persona, dicit tamẽ deformali solam naturam, connotat autem subsistentiam. Vnde optimè Diuus Thomas 3. p. qu. 4. art. 2. in corpore: *Nomen homo significat naturã humanam, prout nata est in supposito esse, vt dicit Damascenus*. & iterum ibidem D. Thom.

dem ad primum: *Dicimus hominem assumptum, quia eius natura est assumpta, & quia assumptio terminata est ad hoc ut Filius Dei sit homo*. & ad tertium: *Dicendum quod Filius Dei non est homo quem assumpsit, sed cuius naturam assumpsit*. Patres ergo, & Concilia rationem formalis significati, idest naturę humanę non connotet hominis, idest subsistentiæ, habuerũt. Verum est quidem Theologos, qui subtilius ista solent distinguere hunc modum loquendi minus probasse, ne daretur occasio errandi. Ita olim ante D. Thomam exposuit Patres Ioannes Maxentius dialogo 1. contra Nestorianos, qui habetur tomo 5. Bibliothecæ Patrũ his verbis: *Nonnulli Sancti Patres non quidem sicut vos ò Nestoriani, sed ad naturam potius respicientes, hominem assumptum à Deo dicere comprobantur*. Quæ est eadem allata proximè S. Thomæ expositio, quam ibi latè, & ingeniosè, & solidè prosequitur Caietanus. Aliter sensit, & dixit Ludouicus Viues audacis, & proiecti viri ingenij vltra suum captum affirmans, Verbum assumpsisse hominem; & reprehendit D. Thomam, quod contrarium docuerit. Sed meritò hic Grammaticus taxatur à Suario in commentarijs ad q. 4 art. 3. D. Thomæ, & Vasquez d. 35. cap. 5. quod Nestorio hac ratione dicendi consentiat, vel saltem conniueat.

Maxent.

Caiet. Ludonic. Viues.

Suarez. D.Thom. Vasq.

Quintum sumitur ex Conceptione Christi in vtero Virginis. Nam non potuit, aiunt, homo fœmina esse Mater Dei, cum enim non posset producere personam Diuinam, debuit generare personam humanã, quam si produxit non genuit Deum sed hominem; atque adeo Mater Dei esse non potuit, quæ fuit hæresis Nestorii circa Matrem, negando Beatam Virginem esse Theotocon.

Respondetur: hominem fœminam potuisse generare naturam humanam subsistentem in supposito Diuino, non quod generarit suppositum, sed quod genuerit naturam, quæ suscepta est à Verbo Diuino. Itaque terminus formalis generationis est natura humana, vnio autem hypostatica huius naturæ ad Verbum est alia distincta à generatione; non autem fuit necesse attingere personam Verbi Diuini ad Maternitatem Virginis constituendam: satis enim fuit versari generando circa naturam humanam, quæ ad personam Verbi assumpta est, vt Beata Virgo Mater Dei, & esset, & diceretur. Quo enim puncto Beata Virgo vniuit corpus, & animam inter se, eodem fuit humanitas vnita Verbo. Potuit autem hoc fieri duobus modis, vti diximus. Primò, vt anima, & corpus Christi prius cum Verbo vnirentur quàm inter se; & Beata Virgo eas partes vnitas iam Verbo inter se vnierit. Secundò, vt partes humanitatis prius inter se Beata Virgo vnierit, quas deinde vnitas Verbum assumpserit. Vterque autem modus procedit secundum prioritatem naturæ. Primum vult Suarez 3. p. d. 17. sect. 1. cum D. Thom. vt ipse ait. Secundum mauult Vasq. disp. 37. & 39. cum Scoto: qui reuera ita sentit in 3. d. 2. qu. 2. §. in Deo. Primum magis videtur congruere dignitati Matris Dei: est enim excellentius vnire inter se partes humanitatis vnitas iam Verbo, quàm vnire vniendas. Verum secundum videtur conuenire rationi: nam anima antequam vniatur corpori, & corpus antequam vniatur animæ, non est natura humana, Verbum autem assumpsit naturam humanam; ergo iam erant partes inter se vnitæ. Satis est autem ad veram rationem Matris Dei generare humanitatem, quę subsistat personalitate Verbi Dei: cum enim actiones terminentur ad suppositum, & à supposito denominentur, non potuit, quæ genuit hu-

Suarez D.Thom. Vasq. Scotus.

manitatem terminatam persona Verbi, nō gignere Christum Deum. Quod autem Philosophi quidam dicunt B. Virginem concurrisse ad vnionem hypostaticam, vti instrumentum eleuatum à Deo, placere mihi nunquam potuit, non quod id impossibile iudicem, sed quòd illa productio, cū minimè naturalis sit, sed per potentiam obedientialem fiat, nulla potest ratione ad Maternitatem, quæ naturalis esse debet, & naturaliter fieri conducere; Vti obseruat Vasq. disp. 25. cap. 1. & disp. 71. cap. 3.

CAPVT IX.

Proponitur Catholica sententia.

STatuendum primò est contra Nestorium. Naturam humanam assumptam fuisse non tantùm sine propria persona, sed antequam esset, aut fuisset in propria persona. Nam vti docet Leo Primus epist. 11 ad Iulianum post medium; *Natura nostra, non sic assumpta, vt prius creata post assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur*. Et est doctrina Damasceni lib. 3. de Fide cap. 11. dicentis. Verbum assumpsisse naturam humanam, non quæ seorsim in se, atque indiuiduum prius fuerit, postea que ab eo assumpta sit, sed quæ in ipsius hypostasi extiterit, ipsa enim Verbi hypostasis, carnis hypostasis extitit. Contrarium autem dixit Eutyches, qui voluit naturam prius extitisse in proprio supposito, & postea assumptam fuisse: quod notat Vasquez disp. 33. cap. 1. & alij, quos supra citauimus.

Leo Papa

Dam̄a sc.

Vasq.

Igitur vt monstremus errorem Nestorij, asserimus non modo Verbum non assumpsisse personam hominis, sed ne assumere quidem illā potuisse; quod impossibile sit personam creatam assumi à Deo, vel ab alio supposito etiam creato. Itaque tàm procul fuit ab assumptione hominis, vt non potuerit hominem assumere. Illa vero propositio non posse naturam propria susibstentia affectā aliena subsistentia terminari. Communis sententia est Theologorum in 3. d. 1. & 8. qui sunt Scotus qu. 2. dist. 1. Durand. ibi qu. 3. nu. 16. Palud. qu. 3. art. 2. ad 4. Caiet. 3. p. qu. 3. art. 6. & D. Thom. 4. contra Gent. cap. 43. Vasq. disp. 31. & 33. & Suarez disp. 14. sect. 1. ratio huius rei est, quia implicat contradictionem assumi personam; implicatio autem in eo est, quia esse in se, & esse in alio, sunt termini omnino impossibiles; sed natura in propria persona est in se; ergo non potest esse in alia persona. Confirmatur: nam subsistentia, vel est negatiuum quid, vel positiuum; si primum est negatio alterius subsistentiæ, ergo in alia esse potest. Si secundum: habet negationem annexam essendi in alio: ergo in alio esse non potest. Declaratur exemplo: Accidens inhærens in subiecto non potest simul esse per se sine subiecto; ergo neque natura per se subsistens, potest simul esse in alio subsistente; est enim manifesta implicātia. Quare Patres, vt benè Vasquez obseruat disp. 33. c. 2. ex eo quod natura humana fuit assumpta à Verbo, rectè, præter alias rationes deduxerunt eā nō esse personam, quia sciebant non posse propria, & aliena subsistentia terminari.

Scot.
Durand.
Palud.
Caiet.
D. Thom.
Suarez
Vasquez

Objicies tamen primò: Natura Diuina retenta personalitate Patris, est in persona Filij, & Spiritu sancti; quæ sunt, & dicuntur personæ distinctæ à Patre; ergo natura creata retenta propria susibstentia, poterit per aliam subsistere.

Objicies secundò. Eadem natura creata potest assumi à duabus personis Diuinis; imò & à duabus creaturis, & habere duas subsistentias alienas; ergo poterit propriam, & alienam habere. Hæ duæ obiectiones

nes difficiles videatur, nec perſpicuè ſolui ſolent; nos eas exactè, opinor, ſoluemus.

Reſpondetur ad primam hoc modo. Diuinam naturam exigere non vnam tantum, ſed tres illas ſubſiſtẽtias, propter ſuam infinitatem, & fœcunditatem, ac proinde omnes eſſe proprias, non vnam propriam, & alienam; & ita corruit argumentum. Addo præterea illas ſubſiſtentias neceſſariò fore plures, cum ſint relatiuæ. Vnde non minus repugnat vnam naturam creatam habere plures ſubſiſtentias, quàm naturam Diuinam carere pluribus.

Scotus Reſpondetur ad ſecundum dupliciter. Primò negando cum Scoto citando poſſe vnam naturam creatã terminari pluribus ſubſtantijs alienis. Ratio eſt, qui natura humana eſt limitata, & incapax ſubſiſtendi per diuerſas ſubſiſtentias alienas, nec intelligi poteſt, quomodo eadem natura terminetur pluribus alienis ſubſiſtentijs; ad quas habeat vniones intrinſecas. Deinde quia eadem natura non poteſt ſubſiſtere per plures ſubſiſtentias proprias; ergo neque per plures alienas: antecedens concedit Vaſquez, & probat ex eo quod modi intrinſeci totales ſunt incompoſſibiles in eodem ſubiecto; cum vnus efficiat id, quod alij poſſunt facere. Conſequentia colligit, quia etiam cum ſubſiſtentijs alienis debent dari intrinſecè vniones hypoſtaticæ, quæ ſimul in vna natura eſſe non poſſunt.

Reſpondetur ſecundo admiſſo antecedente, longe diuerſam eſse rationem, quia ſubſiſtere ſubſiſtentijs alienis non inuoluit implicantiam, quam habet ſubſiſtere in propria, & aliena: nam qui ſubſiſtit in propria & aliena, eſt in ſe, & in alio, quod non habet ille, qui ſubſiſtit in alienis ſubſiſtentijs, cum tantum ſit in alijs, non in ſe, & in alio.

Quod autem aiunt Doctores cõmuniter, eandem naturam creatam poſse aſsumi à duabus Diuinis perſonis, Patre, v. g. & Filio, id certè mihi non probatur, vti nec Scoto in 3. diſt. 1. q. 2. & Durando ibi q. 3. num. 16. & Palud. ibidem q. 3. art. 2. & Caiet. 3. p. qu. 3. art. 6. quia natura non eſt capax duarum ſubſiſtentiarum Diuinarum, quod ſit finita & limitata. Deinde quia ſi eſset vna natura in duabus perſonis, v. g. humana, eſset idem homo Pater, & Filius, quod naturę finitæ, & ſingulari creatæ repugnat; Itaque poſse vniri vnam naturam vni perſonæ Diuinæ non erit abſurdum. Verum vniri duabus abſurdum erit, & impoſſibile; præſertim cum ſubſiſtentia relatiua procedat ab origine, nec poſſit ſine origine intelligi, ac proinde duæ ſubſiſtentiæ reſpiciant ſeſe mutuo, non autem reſpiciant vnam naturam creatam, quæ eſt ad extra, & cum qua vnum duo termini relatiui facere non poſſunt: quod autem faciant vnum cum Diuina eſſentia, non eſt mirum, cum in ipſa eminenter contineantur, ac ex ea re ipſa oriantur. Itaque nego vnam naturam poſſe terminari paternitate, & filiatione Diuina, quæ cum ſint ex origine intrinſeca oppoſitæ, non poſſunt ſub ea ratione eidem naturę creatæ conuenire. Denique abſurdum exiſtimo eandem naturam, v. g. humanam in Patre ſuſcipere rationem Patris, & in Filio Filij; nam hoc ex illa vnione reſultaret, vt homo ille eſſet Pater, & Filius, & ita Pater Filius, diceretur.

Scotus Durand. Palud. Caiet.

Occurret tamen Neſtorius: ſe nolle vt homo aſſumatur cum ſubſiſtẽtia humana, imò velle, vt non poſſit aſſumi cum ea, & quia aſſumi nequit, idcircò manere in propria perſona humana, atque adeo nec eſſe Deum, nec dici: ſed habere quandam vnionem moralem cum Verbo Diuino, & hanc eſſe ſatis ad denominationem, qua dicatur Deus.

Verum

Verum hæc est aperta hæresis; quæ negat Christo Diuinitatem, cum Christus verè sit Deus; quod multis supra argumentis probauimus. Vnio autem illa moralis inepta est, nec enim per illam cōstituitur Christus Filius Dei naturalis, sed adoptiuus; qua ratione nos omnes filij Dei esse possumus, & sumus, si in gratia Dei sumus. Vnde ex illa sententia Nestorij sequitur ruina Catholicæ veritatis. Itaque siue Nestorius admittat posse personam assumi ad personam, siue non posse, semper errat, & minimè ab hæresi liberatur, estq; nouissimus error peior priore.

Soluamus nunc argumentū à ratione, quod initio capitis proposuimus, & videtur difficile. Dicimus igitur Incarnationem fieri per vnionem quandam substantialem naturæ humanæ ad personam Verbi amissa humana subsistentia, siue ista negatio sit, siue non: nam si est negatio tollitur adueniente forma, idest, subsistentia Diuina, imò hæc non permittit antecedenter illam negationem, quia non assumpsit naturam subsistentem humanitùs, sed reddidit illam, subsistentem Diuinitùs. Si non est negatio, sed modus, non resultat in natura assumpta ille modus positiuus, per quem natura deberet subsistere, & loco eius substituitur personalitas Verbi Diuini. Modus autem ille amitti potest manente natura sine illo modo: quamuis enim modus non possit existere sine re cuius est modus intrinsecus, res tamen sine modo potest existere: imò eadem res inuariata modos sæpe mutat, vti vbicationes, & situs, & vniones, quibus dissolutis manent adhuc integræ partes, v. g. materia & forma rationalis. Præterea in nostra sententia relationes sunt modi, & passim amittuntur. Dicimus autem subsistentiam non esse negationem, nec in negatiuo consistere, sed affirmamus esse modum positiuum substātialem intrinsecum, cum communi Philosophorum sententia. Instantia materiæ, & formæ nulla est; nam quamuis illæ magis distinguantur inter se, tamen efficiunt vnum in ratione naturæ, quà natura est, quę necessario includit illas duas partes, ac proinde sine illis vnitis non potest, vel intelligi, vel esse natura. Subsistentia autem non pertineat ad constitutionem naturę, sed ad compositionem personæ; cum igitur Verbum naturam humanam assumpserit, non potuit non assumere partes ex quibus constat natura: at verò subsistentia nec opus erat assumi, nec illa poterat asumi quod repugnaret assumptioni.

CAPVT X.

Solutis argumentis Nestorij nostra sententia aduersus illum Catholica confirmatur.

Conclusio est. Vna sola persona, eaque Diuina est in Christo. Probatur primum ex Scripturæ loco Matth. 16. *Tu es Christus Filij Dei viui*. & Ioannis 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris*. Ecce Filius Dei viui, & vnicus, quod vna sit persona; Est apud Lucam cap. 1. locus alius: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*. & Matth. 17. & Ioan. 1. *Hic est Filius meus dilectus*, & Marci 14. *Tu es Christus Filius Dei benedicti? Ego sum*. Quo nihil clarius dici potuit. & Ioannis 9. *Credis in Filium Dei? quis est Domine vt credam in eum? Vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est*. Hoc etiam cœci viderunt. Præterea Ioannis 20. Dicit Thomas: *Dominus meus, & Deus meus*. & Ioannis vltimo. *Vt credatis, quia Iesus est Filius Dei*. Hic finis, & scopus Euangelij. Rom. 8. Paulus: *proprio*, ait, *Filio non pepercit*. & cap. 9. *Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus*

Matth. 16 Ioann. 1. Luc. 1. Matth. 17 Ioan. 1. Marc. 14. Ioan. 9. Ioan 20. Ioan. vlt. Rom 8. 9.

dictus in sæcula. tandem Ioãnis epi-
1.Io. 4. stola 1. cap.4. illud est testimonium: *quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet.*
Ioann. 5. & cap.5. *quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei?*

Symbol. Fidei. Probatur secundo ex Symbolo Fidei: *Et in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum, & ex Patre natum*, & postea: *Qui natus est de Maria Virgine, & Homo factus*
Athanas. *est*. Et ex Symbolo Athanasij: *Qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus, vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate Personæ*.

Probatur tertio ex duobus Concilijs
Concil. Ephesin. Generalibus, Ephesino, quod aduersus Nestorium congregatum fuit in quo Decretum, Christum vnam tãtum esse in duabus naturis perso-
Concil. Chalced. nam, & Chalcedonensi, vbi eadem
Concil. Later. veritas confirmata. Lateranensi sub Martino Primo, quod idem Mysterium declarauit. Patrum communis hac de re consensus est; quos latè citat Bellarmin. lib.3. de Incarnatio-
Bellarm. ne cap.6. & Vasq. & Suarez toties citati.

Suadetur, vel colligitur rationibus. Prima, In Euangelio Christus de se vno affirmat ea, quæ sunt propria duarũ naturarum; ergo est vna persona in duabus naturis: nã docet Io-
Io.10.14. annis 10. *Ego & Pater vnum sumus.* & Ioann.14. *Pater maior me est*. Vbi pronomen subiectum vna est persona, prædicata pro duplici natura duo, æqualitas in natura Diuina, inæqualitas in humana. Secũda. Christus erat Filius Dei naturalis, qualis esse non poterat, nisi esset Deus; non erat autem ratione naturæ humanæ Deus; ergo ratione suppositi; ergo istud erat Diuinum. Tertia est Theologica petita ex redemptione, & satisfactione pro peccatis nostris,
D.Thom quam affert D.Thomas 3. par.qu.1. art.2. ex Augustino, & Leone probans Incarnationem Verbi Diuini fuisse maximè conuenientem ad redimendum hominem, quia debuit esse redemptio cum perfectissima satisfactione, & merito infinito, atque adeo infinitæ personæ. Tradit hanc doctrinam D.Thomas his verbis ad 2. *Oportuit ad condignam satisfactionem, vt actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, vtpotè Dei, & hominis existens: Quo sensu Leo* Leo Papa
Papa dixit: Si non esset Deus, remedium non afferret: non quod aliter non posset, sed quod ita maximè conueniens fuisset. Quæ est Augustini August.
sententia lib. 15. de Trinit. cap. 13. hausta à Paulo cap. 2. ad Hebr. *Decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare*. Et quidem ad perfectissimam rationem satisfaciendi opus esse homine Deo: sentiunt Thomistæ omnes in 3. d. D.Thom
20. & D. Thom. 3. p. qu. 1. art.17. & quodlibeto 2. art.2. cum plerisque alijs à Suario citato tomo de Incarnatione d.4. sect. 2. & 4. & Vasquez Suarez. Vasquez
disp.4. & 5. cum multis PP. & Scholast. ab ipso citatis.

Quarta. Quia cum Christus sit caput Hominum, & Angelorum, non poterat esse purus homo, quia tunc non excederet Angelos; ergo debuit esse Deus, & habere personam Diuinam. Assumptum constat ex Scriptura ad Hebreos 1. *Tanto* Hebr. 1.
Angelis melior effectus, quanto differẽtius præ illis nomen hæreditauit, cui enim dixit aliquando Angelorum Filius meus es tu ego hodie genui te?
Et probatur latè à Vasquio disp. 48. Vasquez. Suarez.
& Suario dis.33. sect. 1. Id nos latè, & accuratè ostendemus in Schola de dominio excellentiæ Christi Domini ad probãdum dominium temporale Papæ. Traditur hæc veritas contra Nestorium in Syrmiensi Cõcilio, & in Professione Fidei Damasi ad Paulinum, in Concilio Tolet. 1.

& Hi-

Felix I. & Hispalen. 2. & in Epistol. Felicis Papæ ad Petrum Episcopum, & in Summa Fidei Sanct. Quintian. Episcop. Esculanum ad Petrum Antiochenum, quę subijcitur Aurelianensi Concilio tempore Vigilij Papæ. Nihil frequentius occurrit in Concilijs, & Patribus.

CAPVT XI.

Eutyches erroris conuincitur.

SAtis in Apollinari præcipui fuit erroris conuictus Eutyches, quod in eundem fermè coincidunt, vti animaduertimus supra, proponendo hæresim vtriusque. Naturã enim vterque abstulit, & pro ea Diuinitatem posuit; idque satis est cõfutatum, nunc id quod superest, & propriè error est Eutychetis refellamus nempè, quòd natura humana antequam vniretur Verbo subsistens fuerit: hoc autem sic impugno. Si humana illa natura fuit subsistens, fuit persona, & fuit homo, antequam esset Christus, ergo fuerunt in illa natura duæ subsistentiæ, quod esse non potest. Explico rationem: Vel illæ subsistentiæ fuerunt simul, vel successiuè: simul, est impossibile, vt dictum est contra Nestorium; cum simul esse non possint subsistentia propria, & aliena. Successiuè nec decuit, nec potuit fieri; ergo nullatenus fuit illa natura subsistens. Quod non decuit, patet, quia esset in Vtero Virginis alius homo antequam Christus; essentque duæ personæ, & duo indiuidua, alterum ille homo primò non Christus, & postea Christus. Quod minimè decuit Verbum assumere naturam alterius suppositi, & personæ. Quod autem id fieri non potuit probatur: quia si illa natura habuit subsistentiã quãdo assumpta est à Verbo, & non potuit cum ea assumi, vti dictum est, debuit amittere subsistentiam. In sententia autẽ D. Thomæ amissa subsistentia debuit consequenter perire illa natura, quia non potest subsistens natura perdere subsistentiam suam, & non perire, ac proinde natura illa extingueretur; & necesse esset Verbum aliam humanitatem illa pereunte assumere. Fuit autem hæc sententia D. Tomæ 4. contra Gent. c. 43. patet. ibi enim ait non posse assumi naturam creatam subsistentem, quia destructa personalitate necesse est destrui quoque naturã. Et ita eum citat Vasquez 3. p. disp. 33. cap. 1. & citarat antea in expositione art. 2. qu. 4. Vbi D. Thom. idem videtur iudicare; nec Suarez dissentit à Vasq. in referenda sentẽtia D. Thomæ disp. 14. sect. 1. tantum addit D. Thomam in 3. parte mutasse sententiam, quam tenuerat 4. contra Gent. tenuerat autem non posse manere naturam, destructa propria subsistentia. D.Thom Vasquez. Suarez.

Hic philosophandi modus non placet his duobus AA. sed mihi certè non displicet. Ratio est, quia ille modus subsistendi tàm est intrinsecus naturæ, vt illam compleat intimè, & terminet, & faciat vnam, atque adeo illa amissa, & non suppleta per aliam pereat illa natura; quomodo enim manebit sine vlla subsistentia, sine qua nec erit completa, nec vna; sed manebit abstracta, & vaga? nec illa subsistentia propria, postquam semel fuit, potest suppleri per alienã; quia in instanti quo amittetur, cõsequenter destruetur natura. Itaque puto veram esse sententiam Diui Thomæ; nec puto illum mutasse sententiam in eo art. 2. qu. 3. 3. p. dum ait: *Si corrumperetur subsistentia per assumptionem, frustra esset assumpta*: nam *frustra* iudicat illam assumptionem fore nullã, cum pereat natura quæ assumi posset; corrupta enim subsistentia corrumperetur natura, ac proinde frustra esset assumptio: quare non mutauit D.Thom

tauit hic sententiam, quam tenuerat 4. contra Gent. imò confirmauit.

Sed potuit dicere Eutyches illam naturam humanam extitisse ante Incarnationem; quia fuit producta more ordinario humanæ Generationis, idest, paulatim formata in Vtero Virginis, & non momento concepta tota, & vnita. Quo sensu quęsierunt aliqui: vtrum Verbum Diuinum vniuerit sibi humanitatem post 40. dies concepti fœtus? quo die anima rationalis, ex communi sententia, corpus informat. Non deerunt, qui affirment potuisse id fieri, nec enim ante 40. diem erat humanitas, quæ non est sine anima rationali, ac proinde nec natura humana, quę essentialiter componitur ex anima rationali, & materia. Itaque non esse inconueniens assumi 40. die illam naturam, cuius antea non esset nisi materia & forma embryonis, quam Verbum non assumeret, quia non erat natura humana non existente forma rationali. Ita nonnulli existimare videntur. Ego vero sentio non debere fieri Mysterium Incarnationis post præteritos 40. dies; sed momento prorsus & esse factũ, & fieri debuisse. De possibilitate non contendo: nec enim implicat contradictionem illo modo fieri Incarnationem, vt ex terminis patet.

Probo autem ratione assumptum illud: non decuisse, nec debuisse naturã assumi, post illos 40. dies. quia illa materia ante 40. diem habet suã formam, & est compositum substantiale, ex materia, & forma substantiali constans; ergo est subsistens, & cum forma efficit suppositum; igitur prius esset in vtero Virginis aliud suppositum, quam esset suppositum Christi: id autẽ absurdum est. Confirmatur argumentum, quia illa materia corporis antequam informetur anima rationali, non potest esse informis, ergo debet habere formam competentem substantialem; igitur est compositum ex materia, & forma substantiali, quod necesse est vt sit suppositũ, & hoc præcederet suppositum Diuinum; ex quo sequitur, fore in vtero Virginis aliud suppositum, quod non esset Christus, hoc autem, nec decuit, nec debuit fieri. Quæ vero illa sit forma ante rationalem, quæstio est inter Philosophos agitata.

Qua in re est singularis quædam opinio, quæ asserit fœtum statim ab initio informari anima rationali; sed hanc tunc non efficere operationes rationales: sed primum vegetatiuæ, deinde sensitiuæ; cum omnes illos gradus habeat, & gradatim iuxta illos operetur in materia fœtus: primum vegetando, & nutriendo illud, deinde tribuendo sensum, & vim sensitiuam, donec tandem die 40. (de masculis loquor) quo fœtus organizatur, rationalis, & intellectiuæ animæ munus obeat. Sed hæc opinio contradicit Aristoteli lib.2. de anima cap. 3. & D. Thoma 1. p. qu.118. & communi sententiæ, quã sequuntur Conimbr. lib.2. de anima qu.4. imò & sacri Canones dicunt secundum hanc sententiam, non esse homicidam eum, qui ante infusionem animæ rationalis fœtum in vtero matris occidit, quia hominem non occidit: occideret autem si esset animatus forma rationali. Tandem quæ de abortu tradunt Theologi morales, istam sententiam confirmant.

Quare dicendum est corpus illud Christi, in vtero Virginis, si modo ordinario conciperetur, non esse animandum anima rationali ante 40 diem, quę est secunda sententia Aristotelis, & D. Thomæ, & Conimbricensium, quam ego puto verissimã, fœtumq; in vtero matris successiuè tribus formis animari: prima vegetatiua; secunda sensitiua; tertia rationali. Hoc autem posito, absurdum est ponere cõceptionem Chri-

sti modo ordinario, & dicere, quod Verbum vnitum fuerit illi fœtui ante animam rationalem, quia ea vnio debuit fieri primum ad animam vegetatiuam, deinde ad sensitiuam, postea ad rationalem, per tres vniones successiuas distinctas, quod nemo hactenus Theologus, quod sciam, admisit, qui omnes asserunt animam rationalem primò vnitam fuisse Verbo, aliter enim sequeretur Verbum Diuinum fuisse vnitum ei naturæ, quæ non esset natura humana; nec enim natura est humana, nisi composita ex materia informata anima rationali. Tandem, non esset verùm illud, quod supra adduximus SS. PP. effatum, Verbum fuisse vnitum corpori mediante anima, & animæ mediante mente. Itaque in hac sententia de diuersis formis successiuè in fœtum inductis absurdus esset ille modus Incarnationis.

Imò nec in illa opinione decet Incarnatio; nam etsi anima rationalis sit in eo fœtu, non facit tamen operationes gradus intellectiui, sed stirpis, & animalis; ac proinde non esset ratio incarnandi gradus intellectiuus; & illa vnio esset imperfecta, dum paulatim, & gradatim tenderet, vsque ad gradum operantis animæ rationaliter, & tribuerentur Verbo operationes embryonis, quæ sunt omnino brutarum animantium. Absurdum sanè est dicere immergi tam profundè in materiam personã Diuinam, nec per actiones intellectiuas eminere.

Superest vna obiectio ex cadauere Christi, nam huic Verbum vnitum fuit, cum in forma cadaueris non sit forma rationalis, sed ab ea essentialiter distincta; & indigna, & incapax videatur vnionis hypostaticæ, quia non est spiritualis nec immaterialis cum dependeat à materia sicut reliquæ formæ animantium. Omissa quæstione, an detur ista forma cadaueris, & vtrum fuerit in Christi corpore mortuo, de qua latè disputat Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 38. & admisso dari istam formam Suarez

Respondetur, Verbum Diuinum cadaueri vnitum fuisse, non tamen embryoni vniri debuisse; quia forma cadaueris successit cõnaturaliter formæ rationali, quæ iam præextiterat in ea materia, cum qua naturam humanam composuerat; vnde illud corpus pars est naturæ humanæ, nec per mortem amittit rationem partis, cum sit corpus organizatum, & proportionatũ animæ rationali; at vero embryo, non est adhuc natura humana, nec partes ex quibus componitur, partes sunt naturæ humanæ, ac proinde Verbum ijs vniri nõ debuit, quia non assumpsit nisi naturam humanam, & partes eius: non esse autem illam formam cadaueris spiritualem, & immaterialem, non tollit vnionem ad Verbum, quo cũ illa forma vnita fuerit ratione corporis cui aduenit, & quo cum vnum totũ substantiale constituit, quod totum Verbo Diuino vniri debuit, vti est compositum. Animaduertendum tamen est illud non fore personam, sed suppositum propriè loquendo, huc redeunt omnia, quæ adducit Vasq. de Incarnatione d. 30. cap. 1. Suarez d. 14. sect. 2. & tom. 2. in 3. p. disp. 38. sect. 3. ex mente D. Thomę 3. p. qu. 1. art. 6.

CAPVT XII.

Verum, & humanum in Christo fuisse Corpus, non phantasticum, aut cæleste ostenditur.

VErum, & naturale in Christo fuisse Corpus contra Manichæos, & Phantasiastas ex principijs animæ supra ostendimus: nunc propriè argumentando monstremus. Primò, Corpus illud cæleste esse idest è materia cęli, nõ potuit, si materia cæli distinguitur specie à sub-

lunari

lunari; nec enim potest naturale compositum effici nisi ex materia, & forma proportionatis; nulla verò esset proportio naturalis formæ humanæ, cum illa materia diuersę speciei. Si autem hæc materia cæli, quod ego existimo, est eiusdem omnino speciei cum sublunari, posset quidem vniri apte cum forma rationali, sed tamen minime conueniret Christo, in quo debuit esse corpus humanum organizatum ex carne, & ossibus constans ex quatuor humoribus compositum, atque passibile, & mortale, miserijsque nostris, de quibus supra, obnoxium.

Secundò. Phantasticum esse non potuit, tum quia rationali anima informatum non esset; tum quia vitalium actionum incapax foret; tum quia non esset germanum, & humanum corpus, sed fictum, & in quo Christus mentiretur, cum aliud esset & aliud appareret, quod est à summa veritate alienum. Itaque.

Conclusio sit de fide. Corpus Christi fuit verum, & naturale, ac physicum, carne, ossibus, & quatuor humoribus constans, cæterisque proprietatibus, quæ humanum corpus comitantur. Verè enim Christus, iuxtà Isaiam cap.53. *Languores ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et pro nobis passus est.* iuxtà Petrum epist.1. cap.2. *Nobis relinquens exemplum.* Definitum hoc est in Concilio Ephesino, & Chalcedonensi, & Lateranensi sub Martino I. & in Telensi, & Toletano Concilio primo: & tradit Damasus Papa in Epistola de Professione Fidei ad Paulinum; & Leo Epistola 11. & Magnus PP. numerus, citati in Bellarm. tom.1. lib.4. de Christi anima; inter quos est præcipuus Augustinus in libris, quos multos & illustres edidit contra Manichæos, & Maldonato in cap.26. Matthæi versu 37. & Salmerone tom.10. de Passione, & Vasquio disp. 59. cap. 1. & Suario disp.32. Instar omnium sit Tertullianus de carne Christi: estque doctrina D. Thomæ 3. p. qu.5. & 6. & præcipue qu. 14. Vtrum autem Hilarius, aliud senserit? prolixa quæstio apud Vasquium disp. 59. cap.1. Excusandus tamen est ab errore cum D. Thoma qu. 15. art. 1. ad 1. siue quod nunquam ita sensit, siue quod retractauit sententiam, teste Carthusiano in 3. d. 11. & si Vasquez more suo malit errasse Hilarium, quod non est ausus affirmare Maldonatus, à quo sanè Maldonato hæc veritas patibilis Christi corporis eo loco Matthæi 26. probatur, ex animi passionibus, & affectionibus, quas tamen ille cum Diuo Augustino, quē citat, voluntarias posuit, & meritò.

(Left margin: Isai.53 · 1. Petr. · Concil. Ephes. Chalced. Lateran. Tolet. · Damas. · Leo. · Bellarm. · August. · Maldon. · Salmer. · Vasq. · Suarez. — Right margin: Tertull. · D.Thom. · Vasquez · Suarez · Hilar. · Maldon.)

Quos autem cum humano corpore defectus assumpserit Christus, suprà dictum est. Nunc illud breuiter & accuratè videndum. Vtrum Christo senescendum, & moriendum naturaliter esset spectatis principijs naturæ humanæ?

Respondetur affirmatiuè cum D. Augustino lib.2. de peccatorum meritis, & remissione cap.29. & Alexan. 3. p. qu.17. membro 1. & Bonauentura in 3. d. 16. art.1. qu.3. & Scoto ibi qu. 2. & significat D. Thomas qu.14. art.1. 2. & 3. & sequitur, & explicat Vasq. d.60. cap.1. Probatur quia licet Christus propter vnionem hypostaticam, & propter visionem Beatam aliunde esset expers senectutis, & mortis, & immunis esset ab omni peccato, ac proinde à debito mortis, prout est pœna peccati: tamen cum carnem assumpserit humanam, cui senectus, & mors ex principijs naturalibus debita erat, assumpsit etiam naturalem senescendi, & moriendi necessitatem, quæ naturalis erat homini, nisi per donū supernaturale in statu innocentiæ auferretur; vnde amisso isto per peccatum Adæ, redijt natura ad sua naturalia principia, quæ senectutem,

(Right margin: August. · Alex. · Bonauen. · Scotus. · D.Thom. · Vasq.)

 & mor-

& mortem postulabant: vnde autem hæc necessitas sit in homine disputant Medici cum Galeno in libro de Marasmo, & optimè Valesius lib. 1. Controuers. Medicarum cap. 1. ex Hippocrate, & Platone.

Galen. Valess.

Superest vnum argumentum importunum aduersus huiusmodi passibilitatem corporis Christi, quod ex nostra Catholica doctrina sumere se, & conuertere in nos affirmant heretici. Sic enim argumentantur. Attributa Diuina cõmunicantur Christo Domino, quod est principium, aiunt Catholicorum, sed hæc communicatio transit ad naturam humanam, quę est minor hæreticorũ; ergo Immortalitas quæ est attributum Diuinum communicata fuit naturæ humanæ, ac proinde corpori Christi: sicut ergo Diuinitas pati & mori non potuit, ita neque humanitas, eiusque pars, idest, corpus potuit mori. Suadetur argumẽtũ verbis Vbiquetariorũ, quod idem omnino est: ac ex eo deducunt corpus Christi vbique esse, quia nimirum participat immensitatem.

Respondetur: hæreticos nõ intelligere principium illud Catholicorum dum putant realiter communicari proprietates naturarum trãseundo re ipsa de vna ad aliam: quemadmodum sentit Brentius lib. de maiestate Christi hominis, & Smidelinus in thesibus, & lib. concordiæ, & cęteri Vbiquistæ. Nam hic error est similis Eutychiano, & Monothelitico confundenti naturas, & proprietates. Doctrina Catholica est communicari idiomata proprietatũ, & attributorum ratione Personæ, dum vna est in duabus naturis. Ita vt proprietates ambarum applicentur personæ, & proinde naturis in concreto, non in abstracto. Dicimus enim rectè *Deus est passus*, *Deus est mortuus*. *Homo est omnipotens*, *& infinitus*. Quia Deus, & Homo sunt concreta, & cõcernunt suppositum, de quo prædicantur. Vnde apparet esse aliquid reale, & esse aliquid verbale, in hac communicatione. Reale in supposito cui insunt natura, & proprietates, verbale in naturis, de quibus affirmantur mediante supposito: & hac ratione conuincũtur Lutherus, & Brentius, qui totam communicationem aiunt esse realem; & Beza lib. contra Brentium, & Petrus Martyr dialog. de duabus naturis, qui affirmant esse purè verbalem. Ex his patet solutio argumenti; dicimus enim Christum esse impassibilem, & immortalem, quia in concreto dicit personam, quæ cum sit Deus est impassibilis, & immortalis. At negamus corpus humanum esse impassibile, & immortale, nec enim corpus est persona, sed vna pars naturę humanę, quæ non amittit suam proprietatem. Ad exemplum autem Vbiquitatis, quoniam illud negant hæretici, accuratissimè volo respondere.

Brent. Smidel. Luther. Brent. Beza. Petr. Mar.

Vis argumenti in eo est, quod corpus vnitur personæ Verbi, quæ vbique est per suam immensitatem, & vbicunque est Verbum, corpori vnitur; nam Verbum est omnino indiuisibile, & secundum se totum vnitur corpori, & corpus vnitum habet, vnde sequitur vbicunque sit Verbum, & ibi corpus esse futurum, ac proinde immensum, vti est Verbum, fore.

Respondet Bellarminus huic argumento, negando sequi ex vnione corporis ad Verbum, participare immensitatem ipsius Verbi: potest enim aliquid esse vnitum alteri, nec tamen adæquare illud. Suadet exẽplo Solis, qui cum sit pars cælestis sphęræ, in qua est, multo ea tamẽ est minor, nec illam adæquat. Sphæra enim tota cælestis in qua Sol versatur, occupat spatium totius Cæli, globus autem Solaris tantùm occupat illum locum rotundum sui Epicicli, seque tenet intra limites illius.

Bellarm.

Hæc

Hæc quidem solutio vera est; sed exemplum aptum non puto. Nam vnio Solis cum sphæra Cæli, in qua est, non fit ad omnes partes Cæli, sed tantum ad illam, quam occupat, vnde non potest adæquare partes, quibus non vnitur. At verò corpus Christi vnitur toti Verbo, quod est indiuisibile,& caret partibus,ac proinde semel vnitum illi, vnitur toti; ergo adæquare debet totum, ac proinde esse vbi Verbum fuit, quod est immensitatem habere: qua ratione argumentum hæreticorum illo exẽplo Solis magis confirmatur, quam infirmatur.

Respondetur igitur: ex vi vnionis vnius rei cum alia non sequi, nisi præcisè effectum illum ad quem datur vnio, & cuius res vnita capax est, non autem alios effectus, qui sunt extra rationem vnionis. v. g. Corpus vnitur animæ spirituali, accipit per vnionem effectum animæ informantis, idest, vitam, & sensum, & motum, non accipit tamen aut vbi animæ, aut subsistentiam animæ, aut cæteras animæ proprietates: ita corpus vnitur quidem Verbo in ratione personæ, & accipit effectum subsistentiæ, & terminationis, vt fiat subsistens, & terminatum, non tamen accipit immensitatem Verbi, nec æternitatem, nec cætera attributa quorum capax non est: retinebit ergo suum vbi finitum limitatum; immensum, & infinitum non admittet. Exemplum perspicuum est in vnione oculi cum anima rationali,oculus vnitur per vnionem substantialem animæ,quæ cum sit indiuisibilis, tota vnitur, & illi oculus; non tamen idcirco adæquat oculus totam sphæram animæ, nec totum illius vbi participat; nam anima est in brachio, & pede, vbi non est, nec potest esse oculus, licet sit vnitus toti animæ. Ita res se habet in vnione corporis ad Verbum, vnitur quidem toti Verbo, quod est indiuisibile, non tamen sequitur esse vbique cum Verbo. Quo exemplo nihil opinor est aptius ad refellendam absurdam Vbiquistarum sententiam, cuius author fuit Lutherus aduersus Zuinglium, quod aliter nesciret defendere realem Christi in Eucharistia præsentiam, quam ille negabat. Vnde omnes Vbiquitatem illam Lutherani inducunt contra Sacramentarios. Qui plura velit de his legat Valentiam tom.4. quæst. 2. part.3. §. 3. & Bellarmin. lib.3. de Christo Incarnato cap.1. & Vasquez tom. 3. in 3. part. qui est de Eucharistia disp. 80. cap.7. & Becanum in Manuali lib.2. cap.1. Valens. Bellarm. Vasq. Becan.

Volo illustrem huic Controuersiæ coronidem imponere adducta extrema parte Conc. Hispalensis II. Sisebuto Rege,Honorio I. Pontifice celebrati Aera.671. An.Christi 663. In cuius 12.& 13.capite,doctrina de incarnato Christo accuratissimè, & eruditissimè traditur,vt nihil ego viderim inter Concilia Prouincialia pulchriùs, & aptiùs ad omnes eas, quæ vlla ratione Incarnationem Christi impugnarunt, hæreses confutandas. In quod ego cũ inciderem primum affici & admirari,deinde inflammari, & rapi me sensi obiecta illa egregia, mirabilique doctrina. Et quanquam aliquantò lõgior, gratum erit, opinor, Lectoribus eam ex integro legere, nec operæ pœnitebit. Quicquid enim per alios vsquã tractatus dispersum est, in hoc Corollario cõiunctum inuenitur: ita vt nihil prorsus desideretur. Sic igitur ponuntur verba Concilij actione 12. Habetur Concil. istud tom.2. par.2. Conciliorum; & in tomo Conciliorum Hispaniæ collecto, & composito à Loaysa, & notis eiusdem illustrato.

CAPVT XIII.

Adducitur Concilium Hispalense II.

TErtia decima, idest vltima prosecutione breuiter narrandum putauimus, ad refutationem eorundem hæreticorum, qui duas naturas Christi, post vnionem delirantes cõfundunt, & passibilem in eo diuinitatis substantiam asserunt. Contra quorum blasphemias oportet nos in vnam personam Christi geminæ naturæ proprietatem ostendere, passionemque eius in sola humanitatis susceptione manifestare; vt si fortè aliqui stultorum huius insc ientię errore decepti sunt, dum ista legerint, resipiscant, rectæque fidei veritatem firmiter teneant. Nam proculdubio multi sunt stultorum, qui secundùm Apostoli vocem prurientes auribus, à veritate auditum auertũt, ad fabulas autem conuertuntur. Ergo (sicut immaculata fides, & sancta Dei Euangelia docent) confitemur Dominum nostrũ Iesum Christum intemporaliter ex Patre Deo natum, temporaliter ex vtero gloriosæ Virginis Mariæ hominem editum; & ob hoc in vna subsistenti persona duas naturas habentem, deitatis, qua ante sæcula genitus est; humanitatis, in qua diebus vltimis editus est: in illa, secundùm formã Dei; in ista, secundum formam serui consistens; in illa Patri manens æqualis; in ista sine peccato similis nostræ conditionis; in illa inuisibilis; in ista visibilis; in illa inuiolabilis; in ista passibilis; in illa ex qua mori non potuit; in ista, in qua mortem suscepit. Cuius geminæ naturæ distinctio primùm ex literis legis, deinde ex Propheticis, & Euangelicis, atque Apostolicis depromenda est paginis. Vt ea quæ asserimus non argumentis, sed exemplis Scripturarum firmemus, Lex in vna eademq; Saluatoris nostri persona, sic demonstrat vtranque naturam; Diuinam, loquente Domino ad Moysen: Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat te in via, & introducat ad locum quem præparaui: obserua eum, & audi vocem eius; quia est nomen meum in illo; humanam, loquente eodem Domino ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes gentes, idest, in carne Christi, quæ de Abrahæ stirpe descendit. Prophetia in Psalmis, sub vna eademque Christi persona, sic ostendit vtranque naturam; diuinam, secundùm illud: Ex vtero ante luciferum genui te: humanam, secundùm hoc: Et Homo factus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus: Diuinam, secundũ illud: Eructauit cor meum verbum bonum: humanam, secundùm hoc: Speciosus forma præ filijs hominũ. Prophetia in Prouerbijs in vna eademque Christi persona sic declarat vtranque naturam; Diuinam, secundùm illud: Ante colles genuit me; humanam, secundùm hoc: Dominus creauit me in initio viarum suarum; Diuinam, secundùm illud: Nec dum erant abyssi, & ego iam concepta eram; humanam, secundùm hoc: Sapientia ædificauit sibi domum; corporis vtique sui templum, in quo Filius Dei inhabitaret, dum Verbum caro factum est. Prophetia in Isaia sub vna eademque Christi persona sic demõstrat vtranque naturam; Deitatis, secundùm illud: Nunquid, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? humanitatis, secundùm hoc: Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filium; Diuinitatis, secundùm illud: Rorate cæli desuper, & nubes pluãt iustum; humanitatis, secundùm hoc: Aperiatur terra, & germinet Saluatorem, & iustitia oriatur simul.

Margin notes: 1. Tim. 4. — Exod. 23. — Genes. 22 — Psal. 109. — Psalm. 86 — Psalm. 44 — Prouer. 8. & 9. — Ibidem. — Ioann. 1. — Isai. 66. — Isai. 7. — Isai. 45. — Ibidem

Item alibi humanitatis, secundùm hoc: Paruulus natus est nobis; Diuinitatis, secundùm illud: Filius datus Isai. 9.

tus

Ibidem. tus est nobis. Paruulus enim Christus ad susceptæ humanitatis naturam pertinet, quia homo est factus: Filius autem datus, ad Diuinitatis, quia Dei Filius. Et vt ostenderet in vtraque natura vnam esse personam paruuli nati, & filij dati, adiecit. Vocabitur nomen eius magni consilij Angelus, Deus fortis, Pater futuri sæculi.

In Euangelio quoque in vno eodemque Christo Diuinæ naturæ significatio: Ego & Pater vnum sumus; humanæ naturæ insinuatio: Pater maior me est. Diuinæ naturæ significatio: Ego sum via, & veritas, & vita; humanæ naturæ insinuatio: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Diuinæ naturæ significatio: Omnia per ipsum facta sunt; humanæ naturæ insinuatio: Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Paulus quoque Apostolus in vno eodemq; Christo naturam Diuinitatis exprimit, dum dicit: Primogenitus omnis creaturæ, ipse est ante omnes, & omnia in illo constant. Naturam humanitatis declarat, dum dicit: Ipse est caput corporis Ecclesiæ. Et alibi: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanuit, formam serui accipiens. Per hoc enim, quod dixit: Qui cum in forma Dei esset, naturam in eo Diuinæ Maiestatis ostendit: per hoc autem quod adiecit: Formam serui accipiens, naturam in eo humanæ humilitatis significauit. Et iterum inquit: Cum esset diues, pauper factus est, vt illius inopia nos diuites essemus. Vbi enim dixit: Cum esset diues, diuinæ naturæ gloria panditur; & vbi adiecit: Pauper factus est, humanæ infirmitatis susceptio demonstratur. Item in ipso initio Apostolici Symboli gemine sic ostenditur in vno eodemque Christo naturæ distinctio, Deitatis ex Patre, dum dicit: Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum; humanitatis ex Matre, dũ dicit: Natum de Spiritu sancto, ex vtero Mariæ Virginis. Ecce ex vtroque Testamento duæ naturæ in Christo; Diuinitatis vna, altera humanitatis: quæ quidem gemina vnam fecit personam, quia vnus, idemque mediator Dei, & hominũ, homo Christus Iesus. Iam verò de passione eiusdem Saluatoris nostri, & Domini Iesu Christi, quam in sola humanitate, non in Deitate sustinuit (sicut superius) Legis, & Prophetarum auctoritas, Euangeliorum quoque, & Apostolorum prædicatio adhibenda est. Lex de passione corporis Christi sic dicit: Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Quid hic palliũ, quid stola, nisi caro Christi passionis sanguinis decorata? hæc enim sola contumelias crucis sustinuit; Diuinæ verò naturæ Maiestas nihil iniuriæ sensit. Prophetia quoque in psalmis passionem Christi in carne sola sic asserit: Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Vbi non Deitatis, sed tantum crucifixi corporis iniuria intelligitur. Ibi enim in membrorum significatione sola caro clauis suspensa in ligno, atque suffixa pronunciatur. Sicut & apud Hieremiam legitur: Venite mittamus lignum in panẽ eius, idest crucem in corpore eius. Neque enim Diuinitas ligno suspendi potuit, sed sola vtique humanitas cruce suffixa pependit. Cuius etiam caro tolerantiam mortis passa sic ostenditur alibi, dum dicit: Caro mea requiescet in spe; vtique quia sola in Christo carnis materia, mortis fragilitate defuncta, spem resurrectionis suæ expectabat, etiam sine corruptione receptura, dum dicit: Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Marginal notes (left): Ioan. 10 F; Ioan. 14 d; Ioan. 14.; Matth. 16; Ioan. 1.; Ioan. 5. 6; Coloss. 1.; Philipp. 2; 2. Cor. 8.

Marginal notes (right): Genes. 49.; Psal. 21; Hierem. 11; Psal. 15.; Ibidem.

Salo-

Salomon autem in Canticis Canticorum passionem carnis Christi prędicat, dicens: Manus meæ (inquit) distillauerunt myrrham, digiti mei guttam. Vbi specialiter ostenditur in manibus, ac digitis solam carnem Christi suffixam stipite; sicut in psalm. 118. legitur: Confige clauis timoris tui carnes meas. Isaias autem Christum in sola humanitate, quæ apparuit, passionis iniuriam suscepisse, ita prædixit: Homo (inquit) in plaga, & sciens ferre infirmitates. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Quis ipse, nisi vtique homo? nam pati, & deficere in illo natura Dei non potuit: sed homo portauit in eo passionem & mortem, in quo & ipsa mors habet conditionem. Nam & cum de eo idem Propheta dixisset: Quis iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? & adiecit: Quare rubrum est vestimētum tuum, tanquam calcantium in torculari? quid hìc per indumentū, & vestimentum rubrum voluit ostēdere, nisi solam carnis Christi passionem, crucis infectam cruore? vnde & in ipsa passione chlamyde coccinea Christus induitur; vt imago sanguinis in carne tantùm demonstraretur. Isaias quoque corpus solum obtulisse Christum passioni, sic loquitur: Non sum (inquit) contumax, neque contradico, corpus meum dedi percutientibus. Non dixit Diuinitatem, quæ passionem nescit perferre. Et iterum: Posui scapulas meas ad flagella, & maxillas ad palmas, quod & ipsum ad carnis patiētiam, non ad Deitatis refertur iniuriam. Et Zacharias: Videbunt (inquit) in quem confixerunt: quem alium, nisi indubitanter hominem, quem Iudæi crucifixerunt, & in carne iudicantem videbunt? Ecce prænunciata est passio corporis Christi ex lege, & Prophetis.

Isaias 53.

Isai. 63.

Matth. 27.

Isai. 50.

Ibidem.

Zacch. 12.

Transeamus inde ad Euangelia: ibi quæramus Christum Filium Dei in sola carne portasse valetudines passionis, & iniuriam crucis; loquēte ipso Discipulis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetam de Filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum, & die tertia resurget. Quod totū in Christo, secundùm hominem dictum, non ad substantiam Deitatis, sed ad naturam pertinet carnis; quod etiā in sequentibus docetur, Iudæis dicentibus Christo: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Et dixit Iesus; Soluite hoc templum, & post triduum suscitabo illud: hoc autem dixit de templo corporis sui: nam & in passione sua, dum corripiens proditorem diceret: Iuda osculo Filium hominis tradis? Quē interrogat tradere proditorem, nisi hominem? Et comprehenderunt nō Deitatem, quam cœcati perfidia, nec agnoscere potuerunt. Beatus autem Apostolus Paulus, Christum in homine solo pertulisse crucem, sic asserit: Vt homo (inquit) humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, qui proinde dixit, vt homo, vt nuncupatione hominis, distinctio naturæ insinuaretur passibilis: quod confirmans aliàs, ait: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur? Christus non infirmatur, sed potens est in vobis: nam & si crucifixus est ex infirmitate nostra, sed viuit ex virtute Dei. Passus ergo Christus, & mortuus; sed ex nostra infirmitate: viuit autem impassibilis, & immortalis; sed ex sua virtute, quæ tanta est, vt in se, nec passionem recipiat, nec mortem admittat. Petrus quoque Apostolorum Princeps crucis Christi supplicium sic prædicat in solo corpore consummatū: Qui peccata (inquit) nostra

Matth. 20. Luc. 18.

Ioann. 2.

Luc. 22.

Philipp. 2.

2. Cor. 13.

1. pet. 2.

1.Pet.4. nostra pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viueremus: cuius liuore sanati sumus. Et paulò post: Christo igitur passo in carne. Ergo si Christus in carne est passus, non est secundùm Deum, sed secundùm hominem crucifixus. Ecce perpatuit de Filio Dei, quòd passus est, quòd mortuus est, corporis hoc tantum fuisse, non Deitatis. Aliena sunt ista à Deo, testante Propheta de illo: Deus sempiternus, Dominus creans fines terræ, non laborabit, neque deficiet. Esai.40. Et psalmus: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Psal.101. Luc.2. Omnes enim in Christo infirmitates humanitas sola portauit: caro enim habuit vagitus infantiæ, non Diuinitas: caro est pannis inuoluta, non Deitas: caro habuit alimenta, caro portauit ætatum commercia; nam & quòd fatigatus est, quòd esurijt, quòd dormiuit, quòd fleuit, quòd passioni proximus tristis fuit, quòd postremò ipsam passionem, & mortis conditionem sustinuit: totum hoc ad infirmitatem pertinet humanitatis, non ad incomprehensibilem substãtiam Deitatis. Vnus est enim Christus, Deus, & homo, caro, & verbũ: sed vnde Deus, inde habet immortalitatem: vnde homo, inde pertulit passionem: & vnde caro, inde mortuus: & vnde verbum, inde ęternus. Nec enim potest esse Deitate passibilis, qui est virtute, paternæ glorię naturæ æqualis. Vnde & Patri derogatur, dum natura Deitatis in Filio passibilis creditur. Ioann.10. Nam si vna Patris, & Filij substantia est: vtique sicut Pater, ita & Filius immortalis est. Et si ego, & Pater vnum sumus, Ioann.17. & 18. sicut in Patre non est mors, ita nec in Dei Filio mors. Et si verum est. 1.Cor.2. Omnia quæ habet Pater mea sunt, ergo immortalitas Patris cum Filio cõmunis est. Nam quod ait Apostolus de infidelium ignorãtia: Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent: non quasi Dominus glorię sit crucifixus, vt natura Deitatis videatur esse passibilis: sed quia vnus in vtraq; natura est Christus secũdum assumpti hominis formã, Dominus glorię dicitur passus. Ioann.6. Sicut è contrariò est illud: Nemo ascendit in Cælũ, nisi qui descendit de cęlo, Filius hominis. Dum de cęlo non descẽdisset, nisi tantùm Dei Filius, nondum idem factus Filius hominis. Propter personæ ergo vnitatem, & ad hominem referuntur in Christo, quæ Dei propria sunt, & Diuinitati adscribuntur, quæ hominis sunt. Et ideò dum pati, ac mori dicitur, non est Deitatis, sed carnis proprium: sic tamen propter vnitatem personæ, ipse Deus, & natus ex Virgine, & passus, & mortuus prædicatur: Rom.5 sed infirmitate carnis nostræ, non virtute Diuinitatis suæ. Quod verò idem Apostolus ait: Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius; sic dicitur Dei Filius mortuus, sicut dicitur de Martyribus Matth.10. passis, ac mortuis, quorum tamen non sunt animæ occisæ in corporis passione; ore veritatis testante: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Vbi agnosci oportet, si animæ Martyrum corpore perempto supplicijs extingui non possunt, Deus qui conditor est animarum, quomodo per crucem carnis, pati potuit exitum mortis? Ioann.10. Quod etiam alibi apertius declaratur, eodem Filio Dei loquente: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem iterum sumendi eam.

Quod si ipsa Deitas mortua extitit, quæro, quis animam ipsius reassumpsit? Stultum est ergo crucis passionem diuinæ applicare naturæ; sed tantum creabili, & humanæ. Sola enim caro crucis exitium sensit sola caro lanceam pertulit, sola caro sanguine, & aqua manauit, ipsa sola

mortua, ipsa sola in sepulchro posita, ipsa sola tertia die resuscitata: quæ etiam glorificata cælos adijt, in qua & venturus est iudicare in gloria Patris, iudicaturus de viuis ac mortuis. Prolatis ergo noui, ac veteris Testamenti testimonijs, in quibus duæ naturæ Christi patefactæ sunt, in vna subsistentes persona, in quibus, & passio eius apparuit in homine solo expleta, deinde oportuit sententias subnecti sanctorum Patrum, qui in sacris literis ingenti gloria refulserunt: vt etiam eorum traditione perpateat, quia Dominus noster Iesus Christus ex duabus naturis, & vna persona subsistit, & quia mortem, & passionem in sola carne suscepit. Sanctus ergo Hilarius in explicatione epistolæ ad Timotheũ sic loquitur: Nam & cum dicit Scriptura, Homo Christus; & cum dicit, Christus mortuus est; & cum dicit, Verbum caro factum est, non est spoliandus per fraudulentiam legẽtis expositionibus suis sermo. Nam vbi homo Christus est, præcedit mediator Dei, atque hominum; vt ex vtroque Deo & homine vnus subsistat, sitque inter hominem & Deum medius, confessione in se vtriusque naturæ. Vbi vero Christus mortuus est, subijcitur: Qui resurrexit, qui est in dextera Dei.

Ambros. In morte eius, carnis nostræ infirmitas est, in resurrectione virtus

Lucæ 22. eius, in consessu Dei dignitas. Sanctus quoque Ambrosius in expositione Euangelij secundùm Lucam,

Luc. 23 sic asserit: Non enim suam, sed nostram crucem Christus ascendit: nec

Ibidem mors illa Diuinitatis, sed quasi hominis fuit. Et paulò post: Etenim Christus omnia, & in Christo om-

Matth. 26 nia: licet in singulis Christus ope-

Marc. 14. retur, caro tamen moritur, vt resurgat. Item idem in eodem libro exponens inter alia dicit: Tristis est anima mea, & turbata est valde. Non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur: anima enim obnoxia passionibus, Diuinitas libera. Etenim spiritus promptus, caro autem infirma. Ibidem.

Tristis autem non ipse est, sed anima. Non est tristis sapientia, non Ioann. 12.

diuina substantia, sed anima. Susce- Ibidem.

pit corpus meum, non me fefellit, vt aliud esset, & aliud videretur. S. Athanasius in tractatu, quem scripsit de Christi natiuitate, sic dicit: In hoc sit ergo, fratres charissimi, fides nostra, in hoc tota salus, & vita consistat, vt credam, Deum Dei Filium primùm ante omnia sæcula à Deo Patre inuisibiliter genitum, deinde à Maria Virgine, secundum hominem natum, & secundum hunc hominem passum, mortuum, sepultum, resurrexisse ab inferis, ascendisse in Cælum. Item idem in expositione fidei: Verbum (inquit) nascitur de Maria Virgine, accipiens corpus animale, sed neque sermo comprehensus est carne, sed in carne, & supra carnem: & sicut Deus dicitur, ita Dei virtus, Dei veritas; passus autem humana carne, sed sermo Dei impassibilis est. In passione quidem moritur homo, vt viuificaret protoplastum, qui ceciderat per

inobedientiam. S. Gregorius Na- Nazianz.

zianzenus scribens ad Celidonium dicit: Naturæ enim duæ in Christo, Deus, & Homo; non autem duo filij, nec dij duo. Item idem in sermone de Filio: Vno autem (inquit) capitulo moneo, vt altiora quidem adscribas Diuinitati, & illi naturæ, quæ passionibus, & corpore probatur esse superior: humiliora autem naturæ humanæ attribuas, quæ ex parte infirmitatis nostræ assumpta est. Item ipse in quarto libro contra Eunomium: Et ne aliquis incorruptibili naturæ Deitatis crucem passionis applicet, per alia manifestiùs talem emendat errorem, mediatorem ipsum Dei, & hominum, & Deum ipsum nominans; vt cum duo de vno dicantur, congruum intelli-

telligatur circa vtrunque; circa Deitatem quidem impassibilitas, circa hnmanitatem autem dispēsatio passionis. Basil. Sanctus quoque Basilius in quarto libro contra Eunomium, ita scribit: Quid est, Dominus creauit me,& ante omnes colles genuit me? Vbi intelligendum est hoc, quod dicit, Genuit, de Dei Filio: hoc autem, quod dicit, Creauit, de ea parte, qua in forma serui est, vt vtranq; naturam in vna persona ostenderet. Cyrill. Sanctus Cyrillus in prima ad Successum epistola dicit: Ergo quantū quidem ad intellectum pertinet, & ad fidem tantundem oculis animæ: quemadmodum incarnatus est Vnigenitus, duas naturas esse dicimus, vnum autem Filium, & Christum, & Dominum, Deum Verbum incarnatum, & hominem factum confitemur. Item in secunda ad eundem Successum epistola, sic ait: Cum vnus (inquit) sit, & solus Filius Christus, idem ipse Deus,& Homo, sicut in Deitate perfectus, ita & in humanitate perfectus. Non autem ipsum Vnigenitum Filium Dei, secundùm quod intelligitur, & est Filius Dei, passum esse in sua natura dicemus. Oportet enim necessariò vtraque seruare vni, & vero Filio,& non pati secundùm Deitatem; & dici passum esse eundem secundùm humanitatem: ipsius enim passa est caro. Idem in expositione Leuitici inter alia: Totum in his iterum circunspice Saluatoris nostri mysteriū; & emundationem, quæ per sanctum Baptisma fit. Duas enim auiculas sumi iubetur, viuas, & mundas; vt intelligas per volatilia, cælestem hominem simul & Deum in duabus naturis, quantum pertinet ad rationem, diuidendum, vnicuique conuenientem. August. Item S. Augustinus: Nec enim illa susceptione alterum eorum in alterum conuersum, atque mutatum est. Nec Diuinitas quippe in creaturam mutata est, vt desisteret esse Diuinitas: nec creatura in Diuinitatem, vt desisteret esse creatura. Nam si substantia hominis (quod absit credere) in Diuinitatem conuersa est, augmentauit aliquid Deitatis. Sed absit, vt augmētum recipiat ineffabilis, & incomprehensibilis plenitudo. Manet ergo vtraque Filij Dei natura, & vna persona. Rursus ipse aduersùs Maximinū: Si ergò attendas distinctiones naturarum, Filius Dei de cælo descendit, & Filius hominis crucifixus est in terra. Idem in sequentibus: Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia. Vbi resurgit, nisi in eo quòd potuit cadere? Vbi resurrexit, nisi in eo vbi mortuus? Quære mortem in Verbo; nunquam esse potuit: quære mortem in anima: nunquam ibi fuit: quære mortem in carne; planè ibi fuit: & ideò ibi fuit, quia mors vera fuit. Et paulò post: Quid miraris? Certè vita est Christus: quare mortua est vita? nec anima mortua est, nec Verbum mortuum est? Caro tantùm mortua est. Quare? Vt in ea mors moreretur. Idem in expositione Ioannis Euangelistæ: Quis ergo est, per quem factus est mundus? Christus Iesus; sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Idem ipse Iesus Christus; sed in forma serui. Beatus quoque Leo Apostolicæ Sedis Antistes in sua epistola, quam scripsit ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum, sic ait: Salua ergo proprietate vtriusque naturæ, & in vnam coeunte personam, suscepta est à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas. Et ad resoluendum conditionis nostræ debitum, inuiolabilis natura est vnita naturæ passibili; vt, quod nostris remedijs congruebat, vnus atque idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus,& mori posset ex vno,& mori non posset ex altero.

In integra ergo veri hominis, perfectaque natura, verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. Et paulò post: Qui manens in forma Dei, fecit hominem, idem in forma serui factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam vtraque natura. Et sicut forma serui Dei formam non ademit, ita forma Dei formam serui non minuit. Item paulò post: Agit enim vtraque forma, cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante, quod Verbi est; & carne exequente, quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Sanctus quoque Fulgentius in libro, quem de Incarnatione Domini nostri Iesu Christi scripsit, inter alia sic intulit: Dico itaque vobis iuxta sanctorum Patrum traditionem. Dominum nostrum Iesum Christum in duabus inconfusis naturis, idest, diuinitatis, & humanitatis, vnam personam, siue subsistentiam confiteri. Idem post alia: Si quis ergo in Domino nostro Iesu Christo aut duas naturas, aut vnam noluerit, siue dubitauerit credere, aut prædicare personam; vel si quis noluerit confiteri Deum, atque hominem; idest, Verbum incarnatum de Maria Virgine, pro nostra salute veraciter natum, à Catholica fide deprehenditur, ac demonstratur extraneus, vt sacramento redemptionis humanæ resistat ingratus. Et paulò post: Verbum caro factum vnus, & plenus est Christus, vnus ex vtraque, & in vtraque, idest, in humana, diuinaque natura: in quo sic vtriusque naturæ prorsùs vnitio gloriosa persistit, vt siue diuinitati Christi humanitatem quis demat, siue humanitati Diuinitatem detrahat, Christum sacrilega infidelitate, & blasphema prædicatione dissol-

Fulgent.

uat. Item paulò post: Christus pro nobis carne est passus, qui de Deo Deo Patre natus solus est impassibilis Deus. Ipsum itaque Christum Filium Dei, pro nobis mortem carne gustasse, salua immortalitate Diuinitatis eius, veraciter credimus. Iterum post hoc: Quia non est alter Deus, alter homo, sed idem vnus est Christus, Deus & homo, profectò idem Deus Christus est, qui & mortem sua carne suscepit: & idem homo Christus est, qui mortem sua Diuinitate destruxit. Idem quippe Christus Dei Filius, qui Diuinitate mori non potuit, carne mortuus est, quia mortalem Deus immortalis accepit, & idem Christus Dei Filius carne mortuus resurrexit, quia immortalitatem suæ Diuinitatis carne mortuus non amisit. Hinc est quod etiam post resurrectionem suam, sicut in cicatricibus veris, & in vera commistione piscis & mellis, soliditatem in se veræ carnis edocuit, ita clausis foribus ingrediens, veram in se virtutem sempiternæ Diuinitatis ostendit, vt agnosceretur, & naturalis fuisse Christi morientis infirmitas, & eidem resurgenti naturalis inesse maiestas. Hæc quidem, quæ tam diuinæ Scripturæ, quàm etiam sanctorum Patrum eloquia docuerunt, decretis nostris breuiter inserta protulimus, demonstrantes geminam carnis, & Deitatis naturam in vna Domini, & Saluatoris nostri persona: passum quoque eundem in ea natura, quæ corporis est; non passum in ea natura, quæ Deitatis est. His ergo concordi sententia in tribus Secretarijs definitis, pro confirmatione sui, proprias subscriptione subiecimus.

Luc. 24. Ioan. 20.

1 Isidorus, in Christi nomine Ecclesiæ Spalensis Episcopus subscripsi.

2 Bilinus, in Christi nomine Eccle-

clesiæ Eliberitanæ Episcopus, subscripsi.

3 Rufinus, in Christi nomine Ecclesiæ Asidonensis Episcopus, subscripsi.

4 Fulgentius, in Christi nomine Ecclesiæ Astigitanæ Episcopus, subscripsi.

5 Cambra, in Christi nomine Ecclesiæ Italicensis Episcopus, subscripsi.

6 Fidentius, in Christi nomine Ecclesiæ Tuccitanæ Episcopus, subscripsi.

7 Theodulphus, in Christi nomine Ecclesiæ Malacitanæ Episcopus, subscripsi.

8 Honorius, in Christi nomine Ecclesię Cordubensis Episcopus, subscripsi.

Liberabit hoc Concilium, fidem meam. Quod si summi viri desideret lector iudicium, subdo Loaysæ sententiam, quæ gratior erit, quòd eruditione plena est.

In Ciuitate Spalensi Anno nono Regni Sisebuti celebratum est, sub D. Isidoro Metropolitano secundum Concilium Hispalense, pro Ecclesiasticis negocijs, & contra Acephalos hæreticos, negantes temerè in Christo duas naturas, in vna Diuina persona. Acephali sine capite dicti, quia nullus reperitur erroris huius author, à quo exorti nomen. & sectam sibi arrogent, vt Isidorus inquit, lib. etymolog. 8. cap. 5. & Augustinus. De his etiam multa tradit Nicephorus lib. 18. Ecclesiast. histor. cap. 45. plura infra. Interfuit huic Concilio Episcopus quidam Syrus, stolidus huius hæresis propugnator, qui post longam disputationem, rationibus & argumentis D. Isidori, & aliorum Patrum victus, ad rectam, & orthodoxam fidem conuersus est: vt ex 12. actione huius Concilij constat. Estque Concilium eruditum & doctum, iuris ciuilis, & Canonici sapientia refertum; ita vt appareat à viris eruditione Diuina, & sæculari præstantibus esse editum.

Ex hæresi Acephalorum. De Acephalis multa tradit Nicephorus lib. 18. Ecclesiast. histor. cap. 45. Eodem tempore, & Acephali, quorum dux Seuerus Antiochenus fuit, vnam Verbi & carnis naturam malè prædicantes. Et mox: Acephali autem ob eam causam dicti sunt, quòd sub Episcopis non fuerint. Proinde Episcopis, & Sacerdotibus apud eos defunctis; neque baptismus, iuxta solemnem, & receptum Ecclesiæ morem apud eos administratus, neque oblatio, aut res aliqua Diuina facta, ministeriumue Ecclesiasticum, sicuti mos est, celebratum est. Communionem verò illi à plurimo tempore asseruatam habentes, ferijs Paschalibus in minutissimas incisam partes conuenientibus ad se hominibus dederunt. Quo tempore, quam quisque voluisset, placitam sibi sumebat potestatem. Et propterea, quòd quilibet, quod sibi visum esset, fidei insertum volebat, quam plurima defectorum, & hæreticorum turba exorta est, &c.

Lege Isidorum lib. Etymolog. 8. cap. 3.

Equidem cum video hanc hæresim Acephalorum ex tot constare hæresibus, suspicor eo nomine appellatam, quod nullius certi erroris caput ei sectæ, nec author fuit, sed omnium veterum hæresiarcharum collectio ea, & compendium euasit. Vnde ex ea multitudine, & confusione inter se capitum Acephala dicta, & Acephali sectatores, quod nullum certum caput habere voluerunt: sed ex capitibus membra hæresum fecerunt. Ferat saltem coniecturam Lector, si minus probet. Sanè ferre potest, quod non est ineptum. Cum præsertim vulgò ea hæresis principẽ, & authorem ha-

habuisse dicatur Seuerum Antiochenum, qua ratione Acephala eo sensu, quod capite, & authore certo careat, dici nequit.

Quod autem ijs Episcopi non fuerint, quibus obedirent, id minus constare video: nam ex ijs quæ habentur in Concilio, vbi eorum scelera, & flagitia, erroresque numerantur apparet Episcopatus, & gessisse, & ambijsse, & vsurpasse. Profero nonnulla quæ rem contineant hinc inde deprompta, vt obiter item dicam quanta apud eos barbaries, & immanitas fuerit. Sic igitur in Conc. Constant. sub Agapito, & Mena. *Non enim possibile est, omnia quę ab ipsis, & qui similia istis sapiunt ab Eutyche, & Dioscoro, Acephalis hæreticis descendentibus contra Sanctam Dei Ecclesiam in hac Regia Vrbe, & alijs Ciuitatibus præsumpta sunt, & attentantur discutere.* Ecce qui à Dioscoro Patriarcha Alexandrino venerant Episcopos non reijciebant. At postea reiecerunt. Minimè. Sequitur enim. *Totum Orientem perturbarunt. Dira omnia aduersus Chalcedonensem Synodum, & B. Papam Leonem protulerunt. Alter Theopolitarum (idest Antiochiæ) alter vero Apameæ Ecclesiarum thronum illicitè, & contra omnem Sacrum Canonem subripuerunt, & contaminauerunt.* Qui alienos Episcopatus ambiebant, & inuadebant, proprios habuisse verosimile est. Nec opponas eos Leonem Papam excommunicasse, atque adeò ob id Acephalos dictos: id quippe aliorum etiam hæreticorum fuit imò & Schismaticorum, nam cum Dioscoro egerunt. Nec illud rursus obijcias eos dictos Acephalos, quod Episcopis Catholicis non parebant. Hoc enim nomine omnes hæretici, & Schismatici Acephali appellandi, ac imprimis Donatistæ. Itaque non est improbabilis mea coniectura: quam tamen modestè propono, nec communem illam, quam ex Nicephoro scriptore idoneo, idoneus item author Loaysa sententiam produxit, explosam volo. Addo ex meo penu teruncium, & ad institutum reuertor.

SCHOLA III. DE DIVINITATE SPIRITVS SANCTI EIVSQVE A PATRE ET FILIO PROCESSIONE.

CAPVT PRIMVM.

De nomine Spiritus Sancti, & cur illud Tertiæ Trinitatis Personæ tribuatur?

Didym. ESSE pretium operæ in hac quæstione docuit antiquissimus nos author Didymus lib. 3. de Spiritu Sancto, vbi diligenter exquirit, & accuratè expendit significationes Spiritus: & D.Thom S. Thomas 1. p. q. 36. art. 1. Cuius argumentum est. *An nomen Spiritus Sancti proprium sit alicuius Diuinæ Personæ?* Multiplex huiusce vocabuli seorsim sumpti significatum esse constat, nec ea quæ per omnia fermè rerum genera vagantur & ventis, quos etiam spiritus significat, similia sunt, oportet colligere. Illud imprimis obseruandum Spiritum Formam esse Substantiæ Generis (quod Logici appellant summum) quod in Spiritum, & Corpus diuiditur. Itaque Spiritus Vsia, siue substantia est incorporea, & immaterialis: cuiusmodi sunt ex communi Theologorum placito Angeli substantiæ, vti aiunt, completæ: & Animæ Rationales incompletæ, & formæ corporum humanorum. Certè huius in hasce duas Spiritus, & Corporis formas partitionis mentionem illustrem fecit Lateranense Concilium sub Conc.Lateranense Innocentio III. & refertur in cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, & Fide Catholica, vbi dicitur: *Deus vtranque de nihilo condidit naturam, spiritualem, & corporalem Angelicam videlicet, & mundanam.*

Dixi, dedita opera, Angelos esse spiritus puros & omnino, (vti ait S. Thomas eo articulo) incorpo- D.Thom reos ex communi Theologorum sententia, vt animaduerterem Patres olim plerosque existimasse Angelos corpore non carere, sed ex eo item, sed subtilissimo, inuisibilique componi. Id sane sentit Origenes lib. 1. Periarch. in Proæ- Origenes mio ad fin. Cæsarius frater Na- Cæsarius zianzeni in 1. Dialogo, qui habetur tomo 2. operum Nazianzeni. Tertullian. lib. 2. contra Marcion. cap. 8. & lib. de Carne Christi c. 6. Tertull. Hilar. Canone in Matthæum. La- Hilarius Lactant.

ctant.

ctant.lib.2.Diuin.instit.c.19.& lib.4. c.8. Clem. Alexandrin. lib.3. & 5. Stromat. Euseb. Cæsar. lib. 5. de Præpar.Euangel.c.4. Method. serm. de Resurrect.Cassian.Collat.7.c.13. Et quod amplius est Augustinus epist. 111. & 115. & lib. 3. de Trinit. c.11. & lib.2. de Ciuit. c.23. & lib.15. c.13. & in Psalm.85. & in Enchir.c.59.& lib. de Diuinat. Dæmon.& lib.3. de Genesi ad litt.c.10 & Rupert. lib. 1. de Trinit. c.11. & Bernard. lib.6. de Considerat. vbi Corpus æthereum Angelis attribuit, & dubium aufert, in quo fuerat serm. 5. in Cant. ambiguum se ostendens inter vtranque sententiam, licet in hanc quæ Corpus assignat Angelis magis inclinet. Quid? quod in VII. Synodo act.5. nō longè à principio Ioannes Episcopus Thessalonicensis tam id certum, & indubitatum esse voluit, vt ex eo deduxerit Angelos posse depingi, quia corporei sunt. Et pro ea sententia citabat Athanasium, Basilium, & Methodium. *Intelligibiles quidem eos*, inquit, *Catholica, & Apostolica nouit Ecclesia, non tamen incorporeos omnino, & inuisibiles, subtiles autem corpore, & aereos, & igneos secundum id quod scriptum est: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem; & hoc multos Sanctorum Patrum nostrorum sensisse inuenimus: quorum est Basilius ille Magnus, & Sanctæ memoriæ Athanasius, atque Methodius, & qui circa illos sunt.* Cuius opinioni videtur assentiri Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus, & huic ipsum Concilium, dum ait. *Etiam Domine.* Imò hic Ioannes adduxit rationem, qua ducti Patres Angelos sibi esse Corporeos persuaserunt. His verbis. *Sola enim, vt veraciter fatemur, Diuinitas incorporalis est, & Incircumscripta*. Et infra. *Ad comparationem*, inquit, *nostri incorporei sunt, non omnino Incorporei sicut est Diuina natura.* Quare acerrimi ille ingenij, & grauissimi vir iudicij Caietanus etiam post Magistrum, & S. Thomam, imò & post Concilium Lateranense censuit Angelos non esse omnino Incorporeos. In commentar. ad cap.2. Epist. ad Ephes. Idque item placuit Augustino Eugubino lib. 8. de Peren. Philosoph. c. 27. de Dæmonibus affirmare, qui cum eiusdem cum Angelis sint naturæ, de vtrisque eodem modo iudicandum.

[Margin: Clemens Alexand. — Cassian. — August. — Rupert. — Bernard. — Ioan. Ep. Thessalō. in 7.Syn. — Tharas. Constan. 7.Synod. — Caietan. — Augustin Eugubin.]

Certum est tamen Angelos omninò Incorporeos esse, & puros spiritus in natura substantiali, vti docet Magister in 2. dist. 8. & S. Thom.1.p.q.5.art.1. cum Dionysio Areopag.lib.4. de Diuin. nomin. in princip. & Nazianz. orat. 34. de Theolog. 2. & Nyssen. lib. de orat. ad illa verba. *Fiat voluntas tua*. Cyrillo lib. 4. in Ioan. c.10. Chrysost.hom. 22. in Genes. Theodoret. in illud Zachariæ I. *Vidi nocte*, & in quæstion. super Genes. q. 43. & Damasceno lib. 1. de Fide c. 17. & & lib.2.c.3. & Gregor.lib.4.Dialog. c.29. & Richard. à S. Vict.lib.4. de Trinitate c.25. Facit authoritas Sextæ Synodi Act. 11. vbi dicuntur Angeli. *Intellectuales, & Inuisibiles*. Sicuti eos item appellat Cyprian. in Præfat. de operib.Cardin. Christi. Imò in eadem Septima Synodo Act. 4. paulo ante finem adducitur Epistola Germani Episcopi Constantinopoleos, quæ lecta est, & approbata à Concilio, vbi sic. *Certè illorum Cherubim principalia sunt ignota omnimodis natura hominibus; spiritus enim & ignis existunt, & ab omni corporalis formatione atque natura extranea. Quæ enim de ijs corpulentius à Propheta dicta sunt Symbolicum, & excellentem sensum habent, aliter intelligi valentia secundum venerabilem rationem, & id quod incorporalia decet.* Perspi-

[Margin: D.Thom. — Dionys. Areopag — Nazianz. — Nissenus — Cyrillus — Chrysost. — Theodor. — Damasc. — Greg.M. — Richard. — 6.Synod. — Cyprian — 7.Synod.]

spicuè docet Germanus naturam Cherubicam, atque adeò Angelicam, esse incorpoream. Quod multis argumentis ex D. Thoma sumptis probat in 1.p. Bannez & Suarez, & Vasquez,& Cursus Salmanticensis. Patrum locos exponere conatur Suarez, ad quem id remittit Arriaga in commentarijs ad 1.p. S. Thomæ. Locus Ioannis Thessalonicensis non est idoneus: nam si vera illius sententia esset, sequeretur animas humanas esse item corporeas, cum ille disertè dicat eas eiusdem cum Angelis corporeæ naturæ esse participes: sic enim. *Addo etiam nostras hominum animas.* Hoc autem falsum omnino est, & hæreticum. Igitur Ioannis sententia eo tantum est probata Concilio quòd Angelorum picturam cultumque affirmabat: ea quippe mens & scopus erat Concilij. Cætera obiter dicta extra causam cum essent, ad definitionem Concilij minimè pertinebant. Ac ita respondent citati Theologi. A quibus illud etiam quæritur. An sententia quæ negat Angelos esse incorporeos sit erronea: propter locum Concilij Lateranensis. Et quidem testimonium Concilij non parum videtur vrgere. Verum eam hac nota liberant Bartholomæus Carranza in summa Concil. Annot. ad 7. Synod. & Sixt. Senens. lib. 5. Biblioth. Sanct. Annot. 8. quod mens Concilij non fuerit distinguere, & constituere rerum naturas, sed docere Deum omnium creaturarum esse conditorem: & vsum vulgari modo loquendi, quo dicimus eas esse vel spirituales, vel corporales, cum præsertim nomen spiritus possit sumi respectiuè ad corpora, præ quibus Angeli spiritus dici possunt, quemadmodum & ipsi Angeli in sententia multorum, qui dicunt eos esse spiritus respectu Dei, incorporei minimè videantur. Alijs tamen videtur ea sententia erroris damnanda. Meum non est de eo ferre iudicium. Video D. Thomam nullam ei notam inurere.

Suarez. Arriaga. Carranza. Sixt. Sen.

Ea manifesta hæresis est negare vllos esse Spiritus. In hac fuisse Sadducæos refert Lucas Act. 3. Dicebant enim neque esse Angelum, neque spiritum: atque adeò Resurrectionem negabant. Erant quippe homines tam stupidi, hebetisque ingenij, vt non possent spiritum cogitare: itaque nihil nisi Corpus cogitabant. Imò ne Deum quidem spiritum esse volebant. Cuiusmodi fuerunt Antropomorphitæ, & Audiani, qui humanam quandam effigiem Deo tribuebant: cum quibus videtur sentire Tertullianus lib. contra Praxeam: & alij nonnulli prisci, & parui nominis authores qui teste Maldonato in cap. 4. Ioan. n. 24. *Non omni Corpore Deum carere putauerunt: sed spiritum appellari sicut aerem; quia tam subtili sit corpore, vt fugiat oculorum aciem.* Qui cùm multis, tum eo præcipuè Ioannis 4. testimonio à Christo prolato conuincuntur. *Spiritus est Deus: & eos qui adorant in spiritu, & veritate oportet adorare.* Quemadmodum ibi Interpretes probant: ac imprimis Toletus, & Maldonatus, & vnus eiusdē instituti insignis Theologus Didacus Ruiz de Montoya, tomo de Trinitate d. 65. sect. 2. qui eruditos in Sanctis Patribus oculos habet. Fuerunt quoque Philosophi, qui Aristotele authore lib. 4. Physicor. text. 52. & 57. spiritus prorsus negabant: quos redarguit idem: qui eos admittit ibidem, & 12. Metaph. c. 6. 7. & 8. & substantias æternas, & immotas, & sine magnitudine esse dicit. Easdem intelligentias vocans ponit lib. 1. de Cælo cap. 9. quæ sphæras Cælestes torquent. Plato certissimus eorum est author in Symposio: & in Politica. & Xenocrates in lib. de morte, &

Sadducæi Actor. 3. Antropomorph. Audiani. Tertull. Maldon. Ioan. 4. Tolet. Maldon. Didacus Ruiz. Aristot. Plato Xenocrat

Trismeg. Trismegistus in Pimandro. Idque multis rationibus physicis probat D.Thom Diuus Thomas; ceu ad illum, qui Doctor est Angelicus, res ea maximè pertineret: tam efficaciter, vt demonstrare videatur. Legat qui volet lib.2. contra Gentes cap.46.

Munita ad quęstionem via. Quæritur Cur si Deus spiritus est, prout est in omnibus, & singulis Personis, quomodo soli Tertiæ attribuitur? Ac si notio illius, & proprietas sit? Et quidem monstrandum est primum ita rem se habere, & solam tertiam Spiritum Sanctum appellari. Id autem apparet discursu per libros Sacrarum Scripturarum facto, nam vbicunque occurret nomen Spiritus, quod in Deum quadret, ferè semper ad tertiam Personam refertur. Dixi quod in Deum quadret, quod sæpè alia significat, tunc autem in Spiritum Sanctum conuenire nequit. Igitur ad Deum relatum vocabulum Spiritus Tertiæ Personæ tribui solet. Quod animaduertit Basilius lib.2. contr. Eunom. adductis testimonijs Ioan.4. & Thren. 4. atque adeò relatiuè, & possessiuè dicitur. *Spiritus Dei*, *Spiritus Domini*. *Spiritum tuum*. *Spiritum suum*. Quæ fuit Athanasij præclara obseruatio in Epist. ad Serapion, quæ incipit. *Litteræ tui*, col.3. vbi sic. *Dicite saltem in Scripturis Diuinis repereritis Spiritum Sanctum simpliciter nominari spiritum, sine additamento Dei, aut Patris*. Quod quanquam ille ad probandam Spiritus Sancti Diuinitatem trahat, inuoluit hanc, quam tradimus, doctrinam. Rursum idem Athanas. Dialogo 1. de Trinitate contra Anomæum. *Hypostaseos Spiritus Sancti proprium est esse Spiritum Dei*. Idem tradit Anastasius Sinayta lib. 1. de rectæ Fid. dogmat. inter princip. & med. *Spiritus est Deus. Propriè tamen Spiritus complet Sanctam Trinitatem*.

Basil. Ioan.4. — Athan. — Idem — Anast. Sinayta.

Iam verò *Spiritus Sanctus* in ijsdem Scripturis tam propria est notio Tertiæ Personæ, vt vix alteri tribuatur. Quod ego sum expertus legendo, occupauit docendo Theodoretus Dialogo. *Immutabilis*. 1. col.3. *Sancta*, inquit, *Scriptura Spiritum vocauit & Patrem, & Filium, id quod est Diuinæ naturæ incorporeum, & quod circunscribi non potest per hoc significans. Spiritum autem Sanctum solam Spiritus hypostasim nominat*. Idem tradidit Ambrosius in Symbolo Apostolorum c.1. *Licet Pater sit Spiritus, & Filius sit Spiritus; & Pater sit Sanctus, & Filius sit Sanctus: sola tamen Tertia Persona propriè Spiritus Sanctus nominatur*. Consentit Augustinus lib. 15. de Trinitate c. 19. vbi. *Quia communis est ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter*. Quibus verbis rationem item significauit. Et lib. 11. de Ciuit. cap.10. *Propria ratione Spiritus Sanctus dicitur*. Quare D.Thomas 1.p. q.36. ar.1. ita in respons. ad 1. *Si accipiatur Spiritus Sanctus in vi vnius dictionis, sic ex vsu Ecclesiæ est accommodatum ad significandam vnam trium Personarum, scilicet quæ procedit per modum Amoris*.

Theodo — Ambros. — August. — D.Thom

Statuta proprietate nominis illud animaduerto. Tertiam Personam de qua loquimur, vix eo in veteri Testamento appellatam: cum tamen in Nouo frequentissimè appelletur. Lecta igitur accuratissimè Veteris Testamenti Scriptura, vnum dumtaxat inuenire locum potui: in quo *Spiritus Sancti*, vti nomen est coniunctum ponatur. Estque Psalm.50. *Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me*. Quin & ibi non solitariè dicitur, sed copulatum nomine possessiuo *Tuum*. At verò in Nouo Testamento ferè semper inuenitur solitariè, & absolutè positus *Spiritus Sanctus*. Quem primum inuenio locum, is est Matthæi

Psal.50.

thæi 1. *Quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est*. Si Euangeliorum ordinem sequaris. Si temporis, prior est ille Luc. 2. *Spiritus Sanctus superueniet in te*. Qui illo item est posterior Lucæ 1. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*. Hoc autem non caret mysterio. Nam cum Spiritus Sanctus sit author, & dator Gratię, hæc autem per IESVM Christum, vt ait Ioannes in Euangel. c. 1. *Data sit*, erat tum hæc, tum ille Noui Testamenti proprius, non Veteris: ac proinde, à quo Res erat aliena, alienum item erat Nomen: & illius erat proprium nomen, cui res propriè conueniebat. Congruebat ergo nomen *Spiritus Sanctus*, Nouo Testamento, cuius erat Lex Gratiæ. Veteri autem, cuius erat Lex Timoris, minimè congruebat; nisi quod in eo non deerat etiam Gratia, non ex vi Legis, scriptæ, & terrentis, sed ex virtute Legislatoris Legis Charitatis, & Gratiæ instituentis. Quæ est perpetua Pauli, & Augustini doctrina.

Luc. 1.
Luc. 1.
Ioan. 1.

Nunc proprie ad quæstionem. Duæ videntur esse causæ. Cur Tertia Trinitatis Persona Spiritus Sancti nomine appelletur? Prima, quia est substantialiter Amor, & communio Patris, & Filij, vnde *ex ipsa communitate eius*, inquit D. Thomas, *quod dicitur Spiritus Sanctus*, sic dicitur. Siue vt ait Augustinus quem citat l. 15. de Trinitate c. 19. & lib. 5. c. 11. & serm. 38. de tempore: *quia Spiritus Sanctus communis est ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter*. Itaque, *Ineffabilis quædam est Patris, & Filij communio*. Siue vt docet Ambrosius Symb. Apostol. cap. 1. Licet Pater sit Spiritus, & Filius sit Spiritus, & Pater sit Sanctus, & Filius sit Sanctus, sola tamen Tertia Persona proprie Spiritus Sanctus nuncupatur. *Quia ergo coæterna, & communis est ambobus, id ipsa vocatur, quod ambo sunt*. Eandem tradit Isidor. etymol. lib. 7. c. 1. Magist. in 1. d. 10. cap. vlt. Bonau. ib. ar. 2. q. 3. Richard. ar. 2. q. 3. Alexand. 1. p. qu. 43. Albert. 1. p. q. 32. Carthusianus q. 2. Sed quærenda eius rationis ratio est. Cur Amori, & Communioni conuenit nomen Spiritus Sancti? Respondeo iuxta doctrinam Aristotelis lib. de Respir. c. 4. & lib. 4. de part. animal. quo cum consentit Galenus, & alij apud Conimbric. lib. de paru. natural. tract. de respirat. c. 2. & imprimis ex D. Thoma opusc. 35. de motu cordis. In corde residere virtutem effectricem spirituum vitalium: qui ex eo egrediuntur perenni per pulsum, & tractum agitatione: præterea constat cor sedem esse amoris: vnde mire congruit Spiritui Sancto, qui est Amor essentialiter appellatio spiritus. Cum autem in Charitate sanctitas sita sit, non minus ei conuenit nomen Sancti: Cum præsertim Spiritus Sanctus communicatus à Christo sit Apostolis per Flatum. Ioan. 20. *Insufflauit, & dixit. Accipite Spiritum Sanctum*. Quod obseruat Athanasius Epist. ad Serapion. & Basil. hom. 17. in Sanctum baptisma initio. Et Anastas. Sinayta l. 1. de rect. Fid. dogm. ante finem: ac imprimis August. in Ioan. tract. 121. & tract. 99. & lib. 4. de Trinit. c. 20. & lib. 15. c. 26. & lib. 10. de Genes. ad litter. c. 5. & lib. 3. contr. Maximin. c. 14. & Anselm. Epist. de process. Spir. S. c. 8. & Bernard. serm. 8. in Cant. & Richard. Victor. lib. 6. de Trinit. c. 9. post med. Prçterea halitus, qui ore emittitur calidus est ac fouet: quod in Amorem quadrat maximè. Tandem illo reciproco anhelitu, quo respiramus, vita nostra conseruatur: ita vt eo deficiente pereamus, durante viuamus. Quo quid magis simile Spiritui Sancto, qui nos spiritualiter viuificat per

D. Thom
August.
Ambros.
Isidor.
Magister
Bonau.
Richard.
Alex.
Albert.
Carthus.
Aristot.
Conimb.
D. Thom
Ioan. 20.
Athanas.
Anastas. Sinayta
August.
Anselm.
Bernard.
Richard.

Gratiam, & Charitatem: imò & ille principium vitæ eſt, ac dicitur. Vnde in Symbolo Fidei dicimus. *Spiritum Sanctum Dominum, & Viuificantem*. Ex his conſtat Spiritui Sancto, vti eſt Tertia Perſona, illud nomen mirifice conuenire.

D.Thom Secunda affertur item à D. Thoma eodem articulo his verbis. *Nam nomen Spiritus in rebus corporeis impulſionem quandam, & motionem ſignificare videtur. Nam flatum, & ventum Spiritum nominamus. Eſt autem proprium amoris, quod moueat, & impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas verò illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur: Quia ergo Perſona Diuina procedit per modum Amoris, quo Deus amatur conuenienter Spiritus Sanctus nominatur*. Et rurſum ad 1. *In nomine Spiritus Sancti importat quandam vim motiuam*. Ideſt illa Relatio. Eandem Analogiam accommodat ad eundem Spiritum Sanctum 7.contr.Gent. c.19. & 23. Hæc ratio ad Gratiam item ſpectat, quoniam omnis motus Animi, & Voluntatis ad bonum, prouenit ab

Paulus inſpiratione Spiritus Sancti. *Nemo poteſt dicere IESVM, niſi in Spiritu Sancto. Qui Spiritu Dei aguntur hi ſunt Filij Dei*. Apud Paulum.

Ezechiel Et apud Ezechielem. *Vbi erat impetus Spiritus illuc gradiebantur*. Hinc eſt vt Spiritus Sanctus ſimilis ſit Flatui, quòd ſicut hic comparatus eſt ad aliud impellendum, ita & Spiritus Sanctus procedit ad incendendum Patrem in Filium, & Filium in Patrem per amorem Diuinum: qui eſt ipſemet Spiritus Sanctus: ita vt ad intra ſit impulſio amoris mutui perſonarum amantium ſe amore reciproco, vno tamen & eodem: & ad extra inſpiret in creaturas rationales amorem in Deum. Confirmatur maximè

D.Thom iſta ratio D. Thomæ ex eo, quod Spiritus Sanctus ex vi ſuæ Proceſſionis eſt Donum, vti docent omnes communiter cùm Patres, tum Theologi. Patres, Auguſtinus lib. 4. de Trinit. c. 20. & lib. 5. c. 14. & lib. 7. c. 4. & lib. 15. c. 17. & Nazianz. orat. 37. quæ eſt 5. de Theolog. col. penult. n. 72. & Baſil. lib. 5. contra Eunom. c. 7. & Chryſoſtom. tom. 3. ſerm. 2. in Pentecoſt. & in Ioann. c. 16. & hom. 1. in Epiſt. 1. ad Epheſ. Theologi: Magiſt. in 1. d. 18. & ibi. S. Thom. q. 1. ar. 1. & 2. & 1. p. q. 38. ar. 2. & Scotus in 1. d. 18. q. 1. & Bonau. in 1. d. 18. ar. vn. q. 4. & Alexand. 1. p. q. 64. membr. 1. Albert. 1. q. 3. & q. 32. & alij quos ad propriam de hac re quæſtionem reſeruo. Vnde ſicuti Flatus eius eſt naturæ; vt foras ſpectet, & ad impulſum ordinetur, etiamſi intra ſuos ſinus generetur, & contineatur, ita & Spiritus Sanctus. Vnde S. Auguſtinus, lib. 15. de Trinit. explicans rationem Doni conuenientem Spiritui Sancto adducit illum locum Ioannis 3. *Spiritus vbi vult ſpirat*. Quem multi de vento, & flatu intelligunt apud Maldonatum. Habet ergo Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis rationem Doni, cùm procedat, vt ait Auguſtinus, vti *Datus*, non vti *Natus*. Ratio autem *Doni* etſi ad intra pertineat reſpicit tamen foras, & extra Deum creaturas intuetur. Vnde Magiſter diſt. 18. *Spiritus Sanctus eo donum eſt, quo procedit à Patre, & Filio, ſicut Filius eo eſt à Patre, quo natus eſt ab eo*: & poſt pauca. *Eo dicitur Spiritus Sanctus quo donum, & eo donum quo procedens*. Et D. Auguſtinus lib. 5. de Trinit. c. 11. *Ipſa relatio non apparet in hoc nomine, apparet autem cum dicitur Donum Dei*. Quanquam verò Spiritus Sanctus ab æterno minimè donetur, nihil obſtat, quominus Donum dicatur. Expreſſè Auguſtinus lib. 5. de Trinit. c. 15. in fine. *Aliter enim intelligitur cum dicitur Donum, aliter cum dicitur Donatum: nam*

Auguſt. Nazianz. Baſil. Chryſoſt. Magiſter. D. Thom Bonau. Alex. Albertus Auguſt. Maldon. Magiſt. D. Aug.

nam Donum potest esse antequam detur. Donatum vero nisi datum fuerit nullo modo dici potest. Itaque cum natura sua Donum sit, siue donetur, siue non donetur semper habet rationem Doni. Quod optimè D. Thomas q. 38. ar. 1. *Dicendum quod Donum non dicitur ex eo, quod actu datur, sed in quantum habet aptitudinem, vt possit dari. Vnde ab æterno Diuina Persona dicitur Donum, licet ex tempore detur*. Idem prorsus docet Bonauent. in 1. dist. 18. Cum autem Spiritus Sanctus sit Donum Amoris, & Charitatis; atque adeò per Gratiam sanctificans, accedit ad illam rationem, Spiritus, ratio Sanctitatis, & ex vtraque nomen Spiritus Sancti perficitur, & completur. Et duæ illæ Causæ à D. Thoma productæ constant: & perspicuè apparet nomen hoc Spiritus Sancti Tertiæ Trinitatis Personæ maximè conuenire.

D.Thom

Bonau.

CAPVT II.

Errores Hæreticorum, & Schismaticorum circa Personam & Diuinitatem, & Processionem Spiritus Sancti.

NVsquam magis variè, ac enormiter errarunt Hæretici, quam circa Personam Spiritus Sancti. Ante Macedonium, quem vulgò Authorem, & Principem Pneumatomachiæ ferunt, Abstinentes hæretici ideò dicti, quod palam, & cum cæteris minimè manducabant, Spiritum Sanctum Deum esse negarunt. Authore Philastrio lib. de hæresibus, hæresi 36. Fuerunt hi Diocletiani, & Maximiani, Marcellino Papa, temporibus. Postea Vrbicus Potentinus dixit Spiritum Sanctnm vel esse Patrem, vel Filium, vel Creaturam, quem refert, & refellit Athanas. toto dialogo 4. de SS. Trinitate contra Sectatores Apollinaris, & dial. 1. cont. Maced. vt omittam Lactantium Epist. 8. ad Demetrian. asserentem Spiritum Sanctum non esse Personam à Patre Filioque distinctam. Itaque *nomen* esse non *rem*. Et Origenem qui teste Basilio lib. vnico de Spirit. Sanct. 29. non omnino sanas opiniones habuit. Etenim to. 2 in Ioan. docuit. *Spiritum Sanctum per Filium esse factum*. Et tract. in Ioan. 13. ait tanto superiorem esse Patrem Filio, & Spiritu Sancto, quanto hi superiores sunt cæteris Creaturis. Alibi tradidit, Spiritum Santum esse creaturam, & ministrum, Patre, & Filio longè minorem. Authore Epiphan. epist. ad Ioann. Hierosolym. circa med. & Hieron. Apolog. ad Ruffin. & epist. ad Aucitum. Excusari autem nequit Origenes eo nomine, quod eius opera sunt ab alijs hæreticis corrupta, nam in 5. Synodo habetur tractatus Iustiniani Imperatoris ad Menam, qui totus est de erroribus Origenis, eorumque ille author dicitur; ac idcircò damnatur ab eodem. Hæreses autem contra Spiritum Sanctum ibi afferuntur duæ. Prima *eum esse minorem Filio, vti Filius minor est Patre*. Citatur lib. 1. Periarch. Secunda *esse Creaturam cum Filio factam à Patre*. Adducitur lib. 4. Penarch. Marcellus negabat propriam hypostasim Spiritus Sancti teste Basilio epist. 74. propè fin. & affirmabat extensionem quandam esse Diuinitatis ad creaturas, iuxta Theodoret. lib. 2. hæreticar. fabul. Fuerunt qui apud Augustinum lib. de Fid. & symb. c. 9. à med. putarent Spiritum Sanctum esse ipsammet Deitatem, qua Pater, & Filius copulantur. Nonnulli contra quos disputat Athanasius lib. de communi Essentia Patris, & Filij dicebant Spiritum Sanctum esse Donum tantùm modo Patris, & Filij. Antiquior his omnibus Montanus dixit se esse Spiritum Sanctum. Cui mirùm cre-

Philastr. Athanas. Lactant. Orig. Basil. Epiphan. Hieron. 5. Synod. Basil. Theodor. Aug.

Pamelius credidit Tertullianus, qui eum Paracletum nominat lib. de Resurrect. Carn. c. 11. & vlt. & de Veland. Virgin. c. 1. & de Anima c. 55. & cont. Marcion. lib. 1. c. 29. & alijs in locis quos notat Pamelius in Proœmio ad Tertulliani Paradoxa antidoto 29. Finxisse autem Montanum se Spiritum Sanctum esse scribit Basilius lib. 2. contr. Eunom. propè fin. Basil. Arius Ante Macedonium Arius, & Ariani priores negabant Spiritum Sanctum esse Deum, asserentes eum à Filio creatum, et illius; sicut ille Patris, esse Creaturam. Sicuti tradit Athanas. disput. aduers. Arium, Athanas. et lib. de communi essent. Patris, et Filij, et Didym. lib. 1. de Spir. Sancto, et Damasus in symbolo ad Paulinum. et August. in Catal. hæret. Didym. Damasus August. hæresi 49. Nec posteriores discrepabant in hæresi de Spiritu Sancto dicentes eum Creaturam. Quanuis de Filio aliquantum dissentirent. Hos refutat Athanas. duabus Epistolis breuioribus ad Serapionem. Athanas. Cum ijsdem prorsus senserunt illi Semiariani, quorum capita fuerunt quidam Basilius, et Georgius: vti refert Epiphan. hæresi 73. quod etiam obiter dixerat hæresi 69. Epiph. Apollinaris concedebat quidem Spiritum Sanctum esse vnum de Trinitate, sed minorem Patre, et Filio. Ponebat enim quosdam inter Personas gradus dignitatis. Dicens Spiritum Sanctum esse magnum, Filium maiorem, maximum Patrem: quod narrat, et irridet Theodoretus lib. 4. hæretic. Fabul. Theod. Airas, et Airani asserebant Spiritum Sanctum esse administrum, et alterius substantiæ à Patre, et Filio, vti ex Nicephoro commemorat Prateolus lib. 1. Alphab. hæresi 21. Niceph Prateol. Valentinus Spiritum Sanctum Angelum quendam effecit, quem nonnulli secuti sunt Ariani, quemadmodum scribit Athanasius in longiori Epistola ad Serapionem, et Athan. Dialogo 3. contra Macedonium. Quidam ex Antropomorphitis, teste Cyrillo Alexandr. Flatum illum, quo Deus in Adamum inspirauit Animam, Spiritum Sanctum esse dixere. Elchesaitarum lepidum, an insulsum commentum fuit: nimirum Spiritum Sanctum esse sororem Christi fœmineo habitu ei traditam: eundemque sicut Christum habere altitudinem sex milliarium, et latitudinem viginti quatuor milliarium, vti refert Epiphanius hæresi 53. Epiph. Tam inepti sunt hæretici in delirando, vt ne mentiri quidem aptè, et verosimiliter sciant.

Verum proprius Spiritus Sancti hostis, ac ideo Pneumatomachus dictus Macedonius fuit, à quo Macedoniani Pneumatomachi appellati: Macedonius. non quod is primus Spiritui Sancto Diuinitatem ademerit, sed quòd post Concilium Nicenum asserta Filij Diuinitate Spiritui Sancto bellum intulit: et quòd nobilior author extitit cum iam Constantinopolitanam sedem occupasset, à qua tamen ab Eudoxio, et Acacianis deiectus fuerat, et præcipuè, quod sectam de hæresi fecit: nam Pneumatochi propriè Macedoniani dicti, atque adeò aduersus ipsos præcipuè Constantinopolitanum I. Generale Concilium congregatum. Conc. Constantin. I. In quo Spiritus Sancti Diuinitas asserta, et definita. Verum quidem est Aetium, et illius discipulum Eunomium, eandem hæresim tenuisse, Aetius, & Eunom. ac imprimis Eunomium magistro Aetio multo audaciorem, et inuerecundiorē: nihilominus tamen Macedonius eius Princeps, et author habetur: Maced. et ab eo dicta hæresis Macedoniana: quemadmodum apparet ex primo Canone Constantinopolitani Concilij, vbi sic. Conc. Constantin. I. *Non spernendam esse Fidem Patrum trecentorum decem & octo, qui in Nicea Bethyniæ conuenerunt, sed manere eam ratam oportet, & anathematizari om-*

omnem hæresim, specialiter autem Eunomianorum, siue Anomæorum, & Arianorum siue Eudoxianorum, & Semiarianorum, siue Pneumatomachorum, idest qui contra Spiritum Sanctum pugnant & Sabellianorum, & Apollinaristarum. Vbi nomine Pneumatomachorum Macedonianos intelligi patet ex alia editione Canonum Dionysij Exigui, in qua sic. *Macedonianorum, vel Spiritui Sancto resistentium.* Perinde ac ijdem soli essent hostes Spiritus Sancti. Ea nimirum ratione, quod alij aliarum item hæresum authores, & patroni esse volebant: at verò Macedonius, & sequaces Spiritus Sancti ex professo, & propriè impugnatores, & hostes esse volebant.
5.Synod. Sanè in quinta Synodo Iustinianus Imperator in Epist. ad eandem quę habetur pag. 167. collect. Binij. *Macedonio*, inquit, *negante Deitatem Sancti Spiritus.* Et in Concilio Constantinopolitano sub Agapito, & Mena Act. 5. *Præcipuè & nominatim anathematizamus Arium, Eunomium, Macedonium Spiritus impugnatorem, Ebionem &c.* Et quanquam S. Gregorius Papa lib. 1. Epist. epist. 24. recensens Oecumenicas Synodos, ita scribat: *Constantinop. in quo Eunomij, & Macedonij error conuincitur.* Epist. tamen 31. lib. 6. Epistol. sic scribit. *Romana autem Ecclesia eosdem Canones* (idest Constantinopolitanos) *vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accepit: in hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.* Quæ verba hæresim contra Spiritum Sanctum manifestè assignat Macedonio, non Eunomio, cum præsertim addat: *Reliquas verò hæreses, quæ illic memoratæ sunt, ab alijs iam Patribus damnatas reprobat.* Inter has verò erat Eunomianorum. Itaque veritas Diuinitatis Spiritus Sancti propriè contra Macedonium: cæteræ contra reliquos hæreticos statutæ, ac definitæ. Manifestius adhuc erit Macedonio hanc hæresim esse tribuendam ex doctrina S. Leonis Magni, qui serm. 4. de Natiuitate cap. 5. & serm. 1. de Pentecoste c. 4. expresse tradit Macedonium Diuinitatem Filio, saltem verbo tenus, palam concessisse, Spiritui autem Sancto ademisse. Sed quoniam hoc vulgò alij negant authores, nolui cum rationes attuli, eam tunc afferre: abstinere tamen ea nolui, nequis eam doctus desideraret.

Concil. Constan. ; Greg. M. ; Leo M.

Rotunda tandem huius rei probatio est illa Eutychij ad Vigilium Papam quæ ponitur collat. 1. Quintæ Synodi pag. 48. vbi. *Suscipimus autem centum, & quinquaginta Sanctos Patres Constantinopoli congregatos, qui idem Sanctum mathema explanauerunt, & de Deitate Sancti Spiritus dilucidauerunt, & hæresim Macedonianam Sanctum Spiritum impugnantem, & impium Apollinarem impugnarunt.* Habetur eiusdem Epistolæ pars sess. 5. Concilij Florentini: eaque item pars in fragmentis Quintæ Synodi post Acta Concilij collocatur. Pag. 121. 5.Synod.

Hæ sunt Antiquorum hæreses. Recentiorum eędem fermè censentur: nam omnes ij renouarunt, vt nihilominus Nouatores dici nostrorũ temporum Hæretici debeant, quod noua cudant aduersa veteribus, quã Renouatores, quod veterum hæreticorum errores renouent, & quasi exesa situ arma recudant, vt ne inueniendi quidem gloriolam captare possint. Igitur Caluinus Spiritum Sanctum Virtutem Dei essentialem dixit. Theodorus Beza Potentiam Patris, & Filij esse censuit. Matthias Ceruasius, Anabaptista, & Georgius Blandrata virtutem Dei existimarunt, authore Coccio to. 1. lib. 1. de Sanctiss. Trinit. c. 6. & Valentia 1. p. q. 1. de Processione Personarum p. 1. §. 4. & Montoya tom.

Caluin. Beza Ceruas. Blãdrata. Coccius Valentia. Montoya

tom.de Trinit.d.66.5.1. Similes hi errando sunt Vrbico Potentino, & Marcello: & ijs Anonymis apud Augustinum, & Anastasium, qui Personam, & hypostasim Spiritui Sancto auferebant, & cum alijs confundebant, & Diuinam quandam virtutem communem ijs esse dicebant. In quo item errore fuit Ochinus, qui apertè Personam Spiritui Sancto ademit,& Michael Seruetus asserens Energiam quandam, siue agitationem Dei Spiritum Sanctum esse se putare: quem secutus est Franciscus Dauidis agitationem ei vagam attribuens, certã, & constantem personam auferens. *Creatum motum* fecit Guilielmus Farellus cum Abstinentibus,& Antropomorphitis. Non multum ab ijs dissensit Petrus Abaylardus, qui dixit esse mundi animam,teste Bernardo Epis. 190. & Othone Frisigensi lib. 1. de gest. Federici c. 49. Serueto item arrisit, quod placuit Valentino, Spiritum Sanctum Angelum esse, vti refert Valentia 1. p.q.1.p. 1. §.24. Hi fermè omnes consequenter Diuinitatem Spiritui Sancto negarunt. Hanc cum Macedonianis, & Eunomianis haud obscurè abstulit Erasmus, qui in Præfat. ad libros Hilarij audacter imò impudenter ait. *Audemus Spiritum Sanctum nominare Deum, quod veteres ausi non sunt*. Eandem hæresim tradit Lucas Stemberg. apud Prateolum lib.10. Alphab. c. 10. Petrus Gomesius apud Alphonsum Pisanum præfatione in Acta Concilij Niceni. Ioannes Sommerus, Christianus Francus, & Transiluani apud Bellarminum to. 1. l.1. de Christo c. 13. §. 1. & Valent. 1.p.q.1. p.1. §.24. & Coccium l. 1. de Trinit. c. 6. Et Montoyam tom. de Trinit. d. 66. 5. 2. Vnus est inuentus Philippus Melancton, qui dixit Spiritum Sanctum esse *aliquid Dei*, siue *aliquid de essentia Dei*. Sic enim ait. *Quando Spiritus S. mittitur, aliquid de essentia Dei mitti*. Valentia proximè citato authore. In quo ille certè cum illis sensit, quos tacito nomine adducit Athanasius lib. de communi essentia Patris, & Filij, qui asserebant Spiritum esse donum Dei, licet non exprimerent, An hoc donum esset *aliquid donum Dei*, quod vult Melanthon. ineptus certè author, qui Deum habere partes putauit, cuius Spiritus Sanctus vna esset: quē cum Poeta fingit Diuinæ particulam auræ, è Diuinitate decisam, quæ in hanc mundi vniuersitatem tanquam Anima infusa, illam agitat,& mouet: *& magno se corpore miscet*. Atque vt appareat quanta sit & quam indiscreta hæreticorum cum veteribus nouorum similitudo, sicuti Montanus se ipsum fecit Spiritum Sanctum, ita & superiori ætate se ipsum Matthias Steimberch. Spiritum esse dixit, & hoc nomine coli voluit, ita referēte Zuingero in Theatro de Hæreticis, apud Coccium lib.1. de Trinit. c. 6. an. 1550. Nouos ille Cataphrygas habere debuit, vt Montanum ex integro repræsentaret. Prætereo alios minores errores, cuiusmodi fuit Donatistarum: ante Saluatoris aduentum non fuisse Spiritum Sanctum super terram: quemadmodum refert Augustinus lib. 2. contra litter. Petiliani, & Melchisedech illum Regem Salem, & Sacerdotem, non alium nisi ipsum Spiritum S. fuisse: qui fuit error Hieracis cuiusdam apud Epiphanium,& Authoris quæstionum veteris, & noui Testamenti inter opera Augustini, qui author multis id rationibus suadere conatur. Quo magis miror potuisse eum nonnullis hominibus non indoctis imponere, vt crederent eum esse Augustinum. Et in ea, quæ in Baptismate Christi super caput eius in Iordane mersi appa-

pa-

Marginalia: Ochinus; Seruetus.; Francisc. Dauidis; Farel.; Abayl.; Bernard.; Otho Frisingensis; Valentia; Erasmus.; Prateolus; Alphons. Pisanus; Bellarm.; Valentia.; Coccius; Montoya; Athanas.; Zuinger.; Coccius; August.; Epiphan.

paruit Columba Incarnasse Spiritum Sanctum, in quo errore videtur fuisse Tertullianus lib. de Carne Christi, vt refert Maldonatus ad cap.4.Matth. versu 16.

Tertull. Maldon.

Enumeratis Hæreticorum erroribus veniamus ad Schismaticorum hæresim: quæ Græcorum propria dicitur. Ea vero est, ***negare Spiritum Sanctum ab vtroque Patre, Filioque procedere***, & affirmare à solo Patre sine Filio eam processionem esse. De quo diligenter oportet quærere. Sunt quippe nonnulli ex Græcis, qui de Latinis grauiter querantur, quasi hunc ijs errorem innocentibus imponant. Ac primum dico, aliud esse dicere esse errorem omnium Græcorum: aliud dicere esse Græcorum; non ergo dicunt Latini omnes Græcos in eo fuisse errore, cum ij maximè conuincant Græcos, qui in eo sunt errore, Græcorum Patrum contra docentium testimonijs, sed multos Græcos eum errorem habuisse, eumque in Græcia viguisse. Sicuti quando dicimus Arianos, & Macedonianos, Orientalis Ecclesiæ fuisse, non dicimus Ecclesiam totam Orientalem Arianam, aut Macedonianam fuisse. Fuerunt quidem nonnulli errores communes Græcis, & Latinis, cuiusmodi fuit hæresis Ariana, quæ in Græcia sane peruagata inde ad Europam peruenit, & magnam eius partem infecit. Alij in Græcia orti intra illius se terminos continuerunt, nec in Latium se se effuderunt. Qualis fuit error Nestorianorum, & Eutychianorum, & Iconoclastarum, qui cum in Oriente grassarentur vix Latium, & Europam attigerunt. Loquor de priscis illis, non de nostris miseris ferreisq; heu! temporibus, quæ inquinauit hæresum, quæ in ea incubuit, cohors: adeo vt nulla vnquam in Oriente fuerit, quam Nouatores in Occidente non renouarint.

Græci

Igitur qui huius author erroris extiterit in incerto est. Bellarminus tom. 1. lib. 2. de Christo c. 21. & Vasquez in 1.p.d.146. & Montoya, de Trinit.disp.67. §.1. dicunt: si vera esset illa sententia Iustiniani Episcopi Siciliæ, ad Petrum Antiochenum Episcopum, vbi legitur. *Macedonius spirat à Patre solo Spiritum Sanctum*: cum huius hæresis habendum authorem, verum quod locus sit corruptus, ac pro *spirat* legendum *separat*; non posse eam opinionem sustineri. Mihi omnia in suis Fontibus videre cupienti placuit adire Concilium, siue Quintam Synodum, vbi Vasquez, & Montoya inueniri epistolam affirmabant: vt verba ipsa expenderem, & sensum elicerem. Cum que attentissimè totã synodi seriem perlegissem nusquam ea Epistola occurrit. Legi quæ ante, & post Concilium habentur scripta, reperire non potui. Vterque summæ Fidei author apud me erat, vt nefas esset ambigere. Sed quod neuter certum indicarat locum bis & ter Synodus legenda. Nihil reperienti visum fuit operæ pretium adire Bellarminum, si quid is mihi lucis afferret. Is perspicuè dicit eam Epistolam in Prologomenis Synodi haberi. At in Quinta Synodo Collectionis Binianę alię non sunt, præter paucas Epistolas Vigilij, & nonnullas ad ipsum, & quod appellant *Constitutum* Vigilij. Nihil reperi. Consului quæ post Synodum afferuntur additamenta. Frustra laboraui. Fortè ij habuerunt meliores, & locupletiores libros, nec enim fas est eorum fidem in dubium vocare. Dum aliud non inuenio, illud interim aio. Illam sententiam idoneam fore ad sustinendam opinionem Macedonio eam hæresim tribuentem. Nam quod eam corruptam dicunt liberum id est: nec ratio mutandi arridet. Aiunt legendum esse *Separat* pro *Spirat*, quia mens Macedonij fuit negare

Bellarm. Vasq. Montoya

5 Synod

L Diui-

Diuinitatem Spiritui Sancto; eumque tanquam Creatorem à Patre separare, & cum Filio cuius in Macedonij sententia creatura erat coniungere: quippe qui Filius eodem authore Macedonio solius Patris Creatura erat. Quæ est ratio horum trium sapientum virorum. Quorum sic demum Bellarminus concludit *Separabat Spiritum Macedonius à solo Patre, quia solius Filij volebat illum esse facturam.*

Bellarm.

Ego tamen pace illorum dico. Hac non obstare, quominus Macedonius in ea opinione fuerit Spiritum Sanctum à solo Patre spirari quicunque ille tandem esset, non à Filio. Ratio quæ me mouet huiusmodi est. Macedonius, quemadmodum supra ex Leone Magno obseruaui, non negabat palam Filio Deitatem: hostis proprius Spiritus Sancti cui vni diuinitatem adimebat. Igitur hac sententia posita non tantum debebat separare Spiritum Sanctum à Patre, sed etiam à Filio: nam si hunc putabat, & prædicabat Deum, ab eo etiam erat illi spiritus separandus. Igitur malè à solo Patre separabat: non enim ex eo sequebatur Deum non esse, cum superesset Filius Deus, cum quo si esset coniunctus, Deus esse, vti erat Filius poterat. Quare non est locus in hac dicendi ratione vtendi illo termino *Separare*. Manet ergo *Spirat*, eo sensu vt diceret Macedonius solum Patrem spirare Spiritum Sanctum sine Filio, quia solum Patrem Macedonius cum Semiarianis putabat esse summum, & maximum Deum: atque adeò maioris virtutis & potentiæ quam Filium. Constat enim multos Arianos non negasse Filium esse Deum, sed parem, & æqualem Patri, & affirmare minorem, imò paruum quendam Deum esse, ad quem nullatenus spectaret Spiritum Sanctum producere: vtpote qui impari virtute, & inæquali præditus esset. Quin si Filius spiraret Spiritum Sanctum, sibi contradiceret Macedonius credendo habere virtutem ad spirandum cum Patre, atque adeò sentiendo esse eiusdem cum Patre potentiæ, & virtutis. Iam vero si Filius per se solus Spiritus Sancti author erat multum ille sibi honoris vindicabat, & quodammodo cum Patre certabat. Itaque retenta hæresi Macedonij, & Semiarianorum non poterat Spiritus Sanctus à Filio vel solo, vel cum Patre coniuncto spirari. Ergo à solo Patre Macedonio authore spirandus erat.

Macedon

Quod si tres hi Authores obfirmate negent Macedonium Deitatem Filio tribuisse: ac proinde mea prorsus argumenta corruere, respôdeo adhuc stare ista, meque in gradu consistere. Id vero sic ostendo. Nemo vnquam Græcorum negauit Spiritum Sanctum, quicunque tandem is esset, à Patre spirari. Imò plerique voluerunt, & volunt ab eo solo spirari. Quomodo ergo poterat Macedonius negare, quod commune erat proloquium Græcorum? Separare autem Spiritum Sanctum à Patre erat negare ab eo spirari, & spirari à Filio, quod certè durissimum erat cum in Euãgelio tot tamque perspicui sint loci pro Patre, vt quiuis de vulgo eos agnorit. An ignoraret Macedonius illum. *Qui à Patre procedit*? & illum *Quem mittet Pater*? & cœteros, qui coegerunt Græcos in oppositam ire sententiam, & solo Patri excluso Filio integram Processionem assignare? Quomodo tam facilè daret Macedonius homo & Græcus, & eruditus, solum Filium spirare Spiritum Sanctum! quod omnes tum Græci, tum Latini negant, cum de Fide constet Patrem spiratorem esse Spiritus Sancti: ac nemo de illo dubitarit. Certè si hæc esset mens Macedonij vterentur nostri Latini eo

ar-

argumento aduersus Græcos dicendo suos non modo admisisse Filiũ ad spirationem Spiritus Sancti simul cum Patre, sed illi totam, et ex integro spirationem attribuisse. At erat hæreticus Macedonius, sanè; sed non erat in hoc ille damnatus vt hæreticus, sed in eo quod diuinitatem Spiritui Sancto denegabat. Itaque non ab re prorsus erat, eo Macedonij testimonio confirmari. Potuit ergo in duobus Macedonius errare, et credendo Spiritum Sanctum non esse Deum, et credendo quicunque tandem esset, cum à solo Patre sine Filio spirari.

Vna obiectio superest. Multos Arianorum sensisse Filium esse Creaturam Patris, et Spiritum Sanctum Filij, vti supra vidimus. Verum id non euertit meas coniecturas. Primò, quia non constat an ex his esset Macedonius. Potuit ergo in illa esse sententia vtrunque et Filium, et Spiritum esse Creaturam Patris. Secundò quanquam eius esset sententia non sequitur Patrem excludi, poterat quippe Filius Spiritum Sanctum producere non virtute propria, sed Patris: atque adeo non sine Patre. Imò ita sentire debuerunt, qui negabant Filium Deum esse: non enim quadrabat tanta virtus in Creaturam, vt posset Spiritum Sanctum sola producere. Vnde argumentari licebat si Filius propria virtute producit Spiritum Sanctum, creatura certè non est, quomodo enim potest vna Creatura aliam, et tam nobilẽ Creaturam condere? Fecit sanè, quod fecit Pater. Deus cum esset, condidit Filium Creaturam. Idem fecit Filius, condidit Spiritum Creaturam. Igitur aut Deus est Filius, vti est Pater, aut Pater non est Deus, qualis non est Filius. Neutrum autem volebant Ariani, qui et Patrem maximè, imò et solum Deum volebant, et Filium Deum non esse contendebant. Et his patet illam particulam Epistolæ Iustiniani sic tuendam; & errorem in illa Macedonio attributum huius esse potuisse: vt ille primus fuerit eius hæresis author, quæ tradit Spiritum Sanctum à solo Patre, excluso Filio procedere.

Hæc de Macedonio coniectura est. Illa certa, & constans sententia, quam tradit S. Thomas 1. p. q. 36. ar. 2. Nestorianos eum primum errorem inuexisse. Extat enim quoddam eorum symbolum damnatum in Concilio Ephesino, quod apertè dicit Spiritum Sanctum nec esse à Filio, nec per Filium. Et quidem ita in Exemplari eius Concilij à Theodoro Peltano tomo 2. Concil. cap. 37. exhibito habetur. Cuius author vulgo creditur fuisse Theodoretus, quem multi, & graues Nestoriani sequebantur. Hic enim vti constat ex anathematismo 19. Concilij Alexandrini, apud Cyrillum in lib. ad Euoptium eam sententiam tradidit. Aqua tamen postea sicut, & ab ea, quæ propria erat Nestorij de duabus in Christo personis recessit, & ad Ecclesiam redijt. Ac idcirco videtur palidoniam recitante Theodoreto error ille extinctus. Verum Iosephus Episcopus Methonensis in responsione ad libellum Ephesij posita post Concilium Florentinum disertè ait, authorem istius erroris fuisse Nestorium, sic quippe. *Verum* inquit *ex solo Patre nemo dixit Sanctorum: vnus id affirmauit Nestorius hæreticus*. pag. 777.

D. Thom
Nestoriani.
Concil. Ephesin.
Theodor. Peltanus.
Concil. Alexand.
Florent.

Renouatum postea liquet, sed à quo tamen minimè compertum est. Quidam putant Pipini tempore, Caroli Magni Patris, pullulasse, vt enim refert Aymonius lib. 4. de gest. Francor cap. 67. & Abbas Vrspergensis, Sigebertus, Ado Viennensis, & Regino in Chronicis ad annum 766. eo Rege congregatum

Aymon.
Abbas Vrspergens.
Sigebert.
Ado Viẽ.
Regino

Concil. Gentil. est Concilium in Villa Gentiliacensi, ad quæstionem de Trinitate inter Græcos, & Latinos motam decidendam: quam fuisse de huiusmodi Processione Spiritus Sancti affirmat Author compendij Addonis, estque non inepta sententia, nec enim apparet alia, de qua possint inter se Græci, & Latini disceptare. Itaque de controuersia constat, de authore minimè.

Aliquot post annos, eius errroris author certus prodijt Ioannes quidam monachus, qui Hierosolymis Hadriano Primo Pontifice anno 808. eam quæstionem excitauit: quæ cum ad Occidentem peruenisset, à Carolo Magno Aquisgrani habito Concilio compressa est, quemadmodum scribit Aymonius lib. 4. de gest. Francor. c. 95. & subiungit eius rei causa missos fuisse Romam Bertharium Episcopum Vuormaciensem, & Alahardum, seu Adelhardum Abbatem Corbeiensem. Idque habetnr tomo 3. Concil. p. altera, & citantur Annales Francorum Anno 809. De Concilio suo loco dicemus. (Concil. Aquisgr.; Aymon.)

Obscurus hic author, instaurator verius esse potuit, præ Ioanne Damasceno, quem Græci vt tanti se viri authoritate defendant, eius erroris faciunt participem, & quod amplius est D. Thomas q. 10. de potentia ar. 4. vbi reijcit Damascenum quasi cum Theodoreto sentiat. Ait quippe Damascenus lib. 1. de Fide c. 11. *Spiritum per Filium esse dicimus, non ex Filio*. Verum cum is fateatur per Filium esse, eumque Bessario, & Gennadius à nota liberent, non est illius erroris instaurator habendus. (Damasc.; D.Thom)

Photius Photium certè negare non possumus eam hæresim docuisse Synodo in Græcia celebrata, & libro edito, in quo sustinet Spiritum Sanctum à solo Patre, non à Filio procedere, vt refert Hugo Aetherianus lib. 2. de Hæresibus, quas Græci in Latinos deuoluunt. Extat autem tomo 9. Biblioth. & Nilus Thessalon. in quodam manuscripto. Fuit autem hic Photius Fons Schismatum, errorumque sentina: nec mirum quod hunc collegerit. (Athanas.; Nilus Thessal.)

Theophylactus, & Euthymius videntur in hunc scopulum impacti fuisse: vixere tempore Nicolai I. quadraginta post Photium annis. Et quanquam nostri quidam recentiores Theologi conentur eos liberare, quòd tantum negent esse ex Filio, tamen spectato modo loquendi Theophylacti videtur de errore suspectus. Sanè Vasquez disp. 146. c. 1. ait: *cum nostrum modum loquendi acriter notare*. Et Montoya d. 67. s. 2. affirmat: *eum irridere Processionem à Filio*. Confirmat suspicionem quod docet cap. 3. Ioannis prope finem, postquam enim reprehendit Latinos, quod dicant spiritum etiam procedere à Filio ait. *Cæterum esse ex Filio Spiritum Sanctum nulla Scriptura testatur, vt ne duo Principia introducamus Patrem, & Filium*. Accedit eodem tempore vti narrat Ioannes Diaconus synchronos Theophylacti lib. 4. vitæ S. Gregorij c. 75. Græcos transferentes in linguam suam eiusdem Pontificis Dialogos abrasisse ex ijs eam particulam, *Filioque*, quæ erat in exemplari Gregorij: quòd tum eo in errore ob authoritatem Theophylacti versarentur. (Theoph. Euthym.; Vasquez; Montoya; Ioannes Diacon.; Græci)

Procedebant ad apertam huius erroris professionem Græci: nec omnino conspirabant, donec tandem Constantini Monomachi Imperatoris, & Michaelis Patriarchę Constantinopolitani temporibus Pontifice Leone IX. quemadmodum ex illius ad vtrunque Epistola colligitur, & narrat Sigebertus in Chronico, aperto Schismate à Latina Ecclesia defecerunt: idest anno 1054. audente Michaele Patriarcha procla- (Sigebert.)

mare Romanum Pontificem cum suis excommunicatum esse, eo quod in symbolo addidissent illud *Filioque* procedit. Verum quidem est in Epistolis Leonis IX. nullam fieri mentionem erroris de Processione à solo Patre excluso Filio, nec de excommunicatione, ob doctrinam de Processione ab vtroque, lata à Michaele in Leonem, qui solùm meminit de Excommunicatione propter vsum Azymorum, quem Michael non ferebat. Constat nihilominus ex Appendice ad Epistolas Leonis, quæ post eas habetur tomo 3. Concil. part. vltima de gestis Constantinopoli ab Apocrisarijs Leonis excommunicatum fuisse Michaelem à Niceta dicto Pectorato tum ob alias hæreses, tum ob hanc etiam quòd negabat Spiritum Sanctum ab vtroque procedere, & quod particulam à *Filio* expunxerat à symbolo misso Constantinopolim à Leone, qui eam ei inseruerat, vti apparet ex Epistola data ad Petrum Episcopum quæ est V. Atque ob id Græci Pneumatomachi ibi appellantur. Durauit autem hoc Schisma vsque ad Eugenium IV. & Concilium Florentinum. De quo nos suo loco dicemus.

Leo IX.

Michael Pectorat.

Conc. Fl.

Penè exciderat memoria Nicetas qui circa annum Domini MIX. librum edidit contra Latinos asserentes Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, oppositum adstruendo. Quem refutauit Hugo Aetherianus. De hoc libro meminit vir doctissimus Didacus Ruiz de Montoya d. 57. s. 1. n. 11. *Dicitur*, inquit, *hic liber esse in Vaticano*. Hoc lecto incessit animo cupido id sciendi. Consului Illustrissimum eius Bibliothecæ præfectum, viuam sanè Bibliothecam eruditione multiplici animatam Domnum Leonem Allatium, is mihi ibi esse confirmauit. Imò addidit eius socius, & administer, iuuenis vltra ætatem doctus Pastricius, hunc librum Nicetæ reperiri in Bibliotheca Bauarica; vtrique habeo fidem. Adijcio pro Corollario Nicephorum Callistum eo item infectum fuisse errore: nam & cum in Synopsi sua de Trinitate scribit, & in Dedicatione historiæ laudat Andronicum Palæologum seniorem Imperatorem, quòd liquidò *declarauerit Spiritus Sancti Processionem à solo Patre, & non à Filio*.

Nicetas

Hugo Aetherianus

Didacus

Leo Allatius.

Niceph. Callixtus

Atque hi sunt Antiquiores Hæretici, quos quia Græci sunt, malui Schismaticos appellare. Ex nouis eundem renouarunt Ioannes de Vvesalia, siue Vestphalia, authore Prateolo lib. 9. c. 22. Petrus Martyr. Ioannes Cazonouius, Ioannes Sommerus apud Iodocum Coccium lib. 1. de Trinit. ar. 7. Refertur etiam Valentinus Gentilis, quem tamen Vasquez negat in ea hæresi fuisse d. 146. cap. 1. n. 5. Verum cum Valentinus Prothesi 36. & 37. *Solum Patrem*, dicat *esse Essentiatorem Filij, & Spiritus Sancti* (ita enim loquitur) perspicuè admittit eundem errorem: nam siue Deum neget esse Spiritum Sanctum, vti reipsa negat, siue non, semper error ille procedit; quemadmodum in Macedonio proximè obseruauimus. Cum quomodocunque se habeat ad Deitatem Spiritus Sanctus, sui solum Patrem sine Filij societate authorem habeat.

Ioannes Vvesal.

Prateol.

Coccius

Vasquez

Valentin. Gentil.

CAPVT III.

Probatur Spiritus Sancti Diuinitas.

MVltorum, & grauium Authorum hæc Prouincia fuit, qui exactè ex Scripturis, & Concilijs, & Patribus, & argumentis demonstrarunt Spiritum Sanctum verum esse, & vnum cum Patre, ac Filio Deum. Horum præsertim labor fuit, qui contra Pneumato-

ma-

machos & veteres, & nouos scribendi prouinciam susceperunt. Conabor tamen ego ad quem positiua propriè argumenta spectant, eam omni studio confirmare. Agam primum testimonijs sacræ scripturæ, tum authoritate Conciliorum, & Patrum, tum argumentis rationum, vt iusta, & integra probatio existat.

SECTIO I.

Probatur testimonijs Scripturarum.

AC vt ordine procedam. Primum afferam perspicuos, & qui rectè id, & perspicuè admodum probent locos. Quorum ille
Matt.vlt. est celeberrimus, Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Eo Patres fermè omnes vsi. Ab Ignatio ad Anselmum, quos numero viginti recen-
Didacus Ruiz set Didacus Ruiz de Montoya.d.53.
Nazianz. Eum autem vehementer vrget Nazianzenus orat. 7. de Theologia, &
Cyrillus. Basilius Cirill. lib.13. Thesauri, & Basil.lib. 3.contra Eunomium; Alter est Io-
1. Io.c.5 an. Epist. 1. cap.5. *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, & Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres vnum sunt.* Vsi sunt eo item plerique Patrum, quorum adducit
Montoya August. duodecim Montoya d.20.5.7. præcipuè Augustinus in eum locum, & lib.3.contra Maximin. c.11. & c.22.
Act.3. Tertius Actor. 6. *Anania cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quid manifestius? Itaque illum afferunt magno consensu Patres: vnde viginti citat Montoya,
Athanas. Nazianz. ac imprimis Athanasium, & Na-
1.Cor 3. zianzenum. Quartus 1. Cor. 3. *Nescitis quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem Templum Dei violauerit, disperdet illum Dominus. Templum enim Dei Sanctum est.* Et ib.c.6. *An nescitis quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est?* Et mox *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* In quo multus est Augustinus, qui eo delecta- August.
tur. Versat eum Epist.66. à princip. & lib.1. de Trinit. c.6.& lib.3. contra Maximin. c. 21. & contra eundem lib. 1. Septem alios refert Montoya d. 66. 53. Primus quem clarissimum Ariani fecerunt, est ille Ioan.4. *Spiritus est Deus*, quamuis enim eum sensum habere videatur vt *Deus sit Spiritus*, quæ communis est Interpretum Patrumque sententia, teste Maldonato ad eum locum, De Spiritu tamen Sancto propriè intelligunt Athanas. disp. Laodice- Athanas.
na contra Arium. Nazianz. orat. Naz.anz.
37. Concil.Nicen. lib. 2. ad fin.§. Nissen.
cum sit copiosa, & Ambrosius lib.3. Ambros.
de spir. s. qui narrat Arianos ne eo conuincerentur, de vetustis illum codicibus abrasisse. Perperam ergo faciunt ij, qui negant hunc locum de persona Spiritus Sancti posse accipi, & trahi ad illius diuinitatem probandam; cuiusmodi est. Maldonatus, cum Ariani aduersarij nostri eum sic intelligendum esse putauerint. Deinde profero alios, qui Attributa Diuina applicant Spiritui Sancto. Dei proprium est Attributum Iustificare. Sit hoc primum. Iustificare Spiritui Sancto tribuitur. Ioan. 3. *Nisi qui renatus* Ioan.3.
fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei. Cui adiungendus est ille Pauli ad Tit. Tit.3.
3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti.* Iustificare in Baptismo solius est Dei. Spiritus Sanctus iustificat, ergo est Deus. Vnde Nazi- Nazianz.
anzenus, orat. 37. *Si Spiritum Sanctus adorandus non est, quomodo me Deum per Baptismum efficit? Si porrò venerandus, An non Deus?* & Cyrillus lib.13.thes.c.1. *Natura, &* Cyrillus
essentialiter Spiritus Sanctus Deus est, quoniam qui ipsum suscipiunt, Dei per

per gratiam efficiuntur. Hoc item ar-
Basil. gumento vtitur Basilius lib. 3. contra Eunom. Confirmatur illo alio
1.Cor.6. Pauli testimonio 1. Corint. 6. *Iustificati estis in nomine Domini IESV Christi, & in Spiritu Dei nostri*. Et
Rom.8. illo Rom. 8. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*, qui eius, & rursum Ioan. 20.
Ioan.20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiserint peccata remittuntur eis*,
Rom.8. tandem Roman. 8. *Spiritus vitæ in Christo IESV liberauit me à lege peccati*. Hoc argumento vtitur Basil.
Basilius Nissen. lib. 5. contra Eunom. 5. 14. Nyssen.
Cyrill. orat. 3. de orat. dom. Cyrill. Alexandr. Dial. de Trinitate lib. 7. & lib. argumentorum, quod Spiritus
Ambros. Sanctus sit Deus: Ambros. lib. de Spir. Sancto c. 6. & lib. 2. c. 9. & lib.
Cyprian. 3. c. 4. & 6. & Cyprian. lib. de operib. Cardinal. tit. vlt. de Spiritu Sancto.

Secundum est *Creare*, quod est de nihilo producere, hoc autem vni Deo, omnipotenti conuenit. Sacræ igitur scripturæ creare Spiritui
Iob.33. Psal.32. Sancto attribuunt. Iob 33. *Spiritus Dei fecit nos*. Psal. 32. *Verbo Domini Cæli formati sunt, & Spiritu eius om-*
Psal.103. *nis virtus eorum*. Psal. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem oerræ*: Hoc argumentum sumptum à Creatione addu-
Nazianz. Nissen. cunt Nazianz. orat. 44. in sanctam Pentecostem. Nissen. orat. Cathe-
Epiph. Cyrillus Basilius chet. cap. 4. Epiphanius in Ancorato. Cyrillus lib. argument. Quod Spiritus Sanctus *sit Deus*. Basil. lib. contr. Eunom. l. 16. & homil. 17. in
Athanas. Sanct. Baptisma. Athanas. disput. contr. Arium habita Laodiceæ.

Tertium Dei attributum est viuificare, & resuscitare. Hoc enim non quadrat in Creaturam. At verò quadrat in Spiritum Sanctum. Igitur non est creatura. Sed Deus.
Rom.4. Patet ex cap. ad Roman. 4. *Si autem Spiritus eius, qui suscitauit Chistum à mortuis habitat in vobis viuificabit mortalia corpora vestra per Spiritum Sanctum inhabitantem in vobis*. Et Ioan. 6. *Spiritus est qui viuificat*, & ib. Ioan 6.
Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Affirmant hinc Spiritus Sancti Deitatem Chrysostom. homil. Chrisost.
de spir. sanct. Athanas. lib. de com- Athanas.
muni essent. Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Cyrill. Alexand. Dia- Cyrill.
logo de Trinit. lib. 7. & Ambros. lib. Ambros.
1. de spir. sanct. c. 19. & 20.

Quartum est scire, & prædicere futura. Id quippe solius Dei proprium. Iuxta illud Isai. *Annuntiate* Isaiæ
nobis futura, & sciemus quia dij estis vos. Nihil magis proprium Spiritus Sancti. 2. Reg. 23. Dauid. *Spi-* 2.Reg.23
ritus, inquit, *Dei locutus est per me, & sermo eius per linguam meam*. Mar- Marc.12.
ci 12. *Ipse Dauid in Spiritu Sancto dicit*. 2. Petr. 2. *Spiritu Dei inspi-* 2.Pet.c.2
rati locuti sunt Sancti Dei homines.
Actor. 28. *Benè locutus est Spiritus* Act.28.
Sanctus per Isaiam Prophetam dicens.
Et Actor. 20. *Spiritus Sanctus per om-* Act. 20.
nes ciuitates mihi protestatur. Hoc animaduertit Athanasius lib. de Athanas.
human. natura, & disput. Laodicena contra Arium. Sed hic non opus Patribus, cum maius habeamus in scriptura testimonium nimirum Zachariæ Lucæ 1. Qui cum dixisset. Luc.1.
Benedictus Dominus Deus Israel, & Canticum deduceret trahendo nomen illud Dei deuenit ad spiritum sanctum, cui illud applicauit. *Sicut*, inquit, *locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum eius*. Duo hic sunt argumenta, alterum ibi. *Locutus est*. Deus, idest Spiritus Sanctus: alterum *Prophetarum eius*. Quis enim potest habere Prophetas nisi Deus? Manifestior est etiam ille alius Pauli locus. *Multi-* Hebr.1.
fariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis. Hebr. 1 Quanuis enim loquatur de Patre, qui per Filium locutus est, & hoc non possit de Persona spiritus intel-

ligi

ligi, apparet tamen ex eo, sicut Pater loquens in Prophetis Deus est, ita & spiritum sanctum, qui in ijs locutus fuerat Deum item esse: id saltem negare nequit Deum in Prophetis loqui, eamque locutionem cum esset actio ad extra communem Personis fuisse, atque adeò spiritum sanctum eundem Deum esse. Confirmatur ex illa particula Con.Nic Concilij Niceni. *Qui locutus est per Prophetas*. Quæ spiritui sancto applicatur.

Quintum. Patrare miracula Diuinum prorsus est Attributum. Hæc sunt propria Spiritus Sancti. Igitur is est Deus. Iustus est syllogismus, & demonstratio, si constet minor. Constat autem testimonijs sacris. Matth.12 Matth. 12. *In Spiritu Dei eijcio dæmonia*. Rom.15. Roman. 15. *In virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti*. Act.2. Actor.2. *Prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*. Certè in eodem Actor. loco donum linguarum, & signa illud comitantia effectus erant Spiritus Sancti, & Pau- 1.Cor.12 lus 1. Corinth. 12. Spiritui sancto assignat gratiam sanitatum, & operationis virtutum, & ad Hebr.2. miracula patrata per Apostolos vocat *distributiones Spiritus Sancti*. Hoc Chrysost. argumento vtitur Chrysostomus in Ioan. hom. 77. circa medium.

Sextum, mixtum est ex multis. Arguere de peccato, & iudicare mundum solius est Dei. Solus quippe qui natura ipsa est sanctus, & ipsamet Sanctitas illa duo potest præstare. Vtrunque autem præstat Spi- Ioan. 16. ritus Sanctus Ioan. 16. Cum venerit ille Paraclitus arguet mundum de peccato, *& de iustitia, & de iudi-* Ambros. *cio*. Quod expendit Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap.6. Regere, & gubernare Ecclesiam, cui nisi Deo conuenit? At Spiritus sanctus Actor.10 & 13. hoc munus gerit Actor. 10. Dixit spiritus Petro. *Vade ad eos nihil hæsitans, quia ego misi eos*. Actor. 13. *Dixit Spiritus Sanctus. Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*. & ib. *Ipsi missi à Spiritu Sancto*. Actor. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris*. Actor. 16. *Vetiti sunt à Spiritu Sancto loqui verbum in Asia*, & infra. *Tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus sanctus*. Actor.20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Largiri spiritualia dona pro sua libertate nonnisi ad Deum pertinet. Pertinet autem ad Spiritum Sanctum. Est igitur Deus. 1.Corinth. 12. *Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult*. Et Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*. & Rom. 8. *Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis*. Hæc sunt attributa notiora per effectus deprehensa. Nunc ascendamus ad ea, quę intra Deum sunt, & Spiritui Sancto tribuuntur.

ibi. c.15. & c.16. & 20. 1.Cor.12 Rom.5. Rom.8.

Primum sit Scientia. Dicitur de Spirit.s.1.Cor.2. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt nemo cognouit, nisi spiritus Dei*. Scrutari verò, ne quis putet esse inquirentis ex defectu, sciat is proprium Dei esse: qui Hierem. 17. dicitur. *Scrutari corda hominum*, & Saph. 1. *Scrutari Hierusalem in lucernis*. Ideoque Ecclesia in hymno. *Scrutator alme cordium*. Spiritui sancto canit. Itaque scrutari est sciendo intima penetrare. Prætereà Christus doctrinam suam, Spiritui sancto attribuit. Ioan. 14. dicit eum *Spiritum veritatis*, cum ipse sit *Veritas* ibid. suam cum eo doctrinam communicat, dum ait. *Ille vos docebit omnia*. Et cap.15. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. eundem appellat. Et c. 16. *Cum autem*

Hier. 17. Soph.1. Ioan. 14.

tem

tem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Quod autem hæc sapientia, & doctrina spiritus sancti sit diuina, docuit Christus, eodem cap. n. 14. *De meo accipiet, & annuntiabit vobis*: quod

Auguſt. obseruat eo loco Augustinus, &

Beda Beda. Ita probant diuinitatem spiritus sancti, ex attributo scientiæ,

Athanaſ. præter Augut.& Bed. Athanas. disp.

Chryſoſt. Nicena contra Arium. Chrysostom.

Baſil. in Ioan. c. 16. hom. 77. Basil. lib. 5. contr. Eunom. sect. 14. & hom. 17.

Epiphan. in baptism. Epiphan. in Ancorato

Cyrill. pag. 4. Cyril. Alexandr. dialog. de

Hilar. Trinit. lib. 7. Hilar. lib. 12. de Trinit.

Ambroſ. Ambros. lib. 1. de Spir. S. c. 1. & c. 12.

Secundum immensitas. Conuenit spiritui sancto. Psal. 138. *Quo*

Pſal. 138. *ibo à spiritu tuo? Si ascendero in Cælum.* &c. Sapient. 1. *Spiritus Domini repleuit Orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis*. Hoc argumento vtuntur ad asserendam Deitatem spiritus sancti

Auguſt. Augustinus lib. 3. contra Maximin. c.

Ambroſ. 21. & lib. 2. de Trinit. c. 5. Ambros.

Baſil. lib. 1. de spir. s. toto cap. 7. Basil. lib. 5. contra Eunom. sect. 14. & 16. et

Cyrill. homil. 17. in sanct. Baptism. Cyril. lib. argum. quod spiritus sanctus sit Deus, circa med. et lib. 13. Thesau.

Athanaſ. c. 2. et lib. 9. in Ioan. c. 40. & Athanas. lib. de nat. hum. suscepta: et lib. de commun. essent. Patris, et Filij, & spiritus sancti, titulo de spir. sanct. et Epist. ad Serapion. quæ incipit. *Admirabere*, et Dial. 1. de Trinit. contr. Anomæum, et lib. 5. de vnica substantia Trinitatis propè finem.

Fulgent. Fulgent. lib. de Fide ad Donat. cap. 8.

Tertium mixtum ex alijs Attri-

Pſal. 142. butis. Bonitas. *spiritus tuus bonus deducet me*. *Psalm*. 142. *Nemo bonus, nisi solus Deus*, *Luc*. 18. *Matth*. 19. Sanctitas Psal. 50. *Spiritum sanctum tuum*. Isai. 1. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ob Trinitatem Personarum. Omnipotentia. Sapientiæ 7. *Omnem habens virtutem*, dominium, et potestas libera in omnia 1. Cor. 12. *Omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis prout vlt.* Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat*. 2. Corinth. 3. *Deus autem spiritus est, & vbi spiritus Domini, ibi libertas*. Ex his deducunt spiritum sanctum esse Deum. Athanas. lib. de Athanaſ.

hum. nat. suscepta post med. et dial. 2. de Trinit. contr. Anomæum, et Epist. citata ad Serapionem. Chry- Chryſoſt.

sostom. 1. Corinth. 12. hom. 29. propè medi. Basil. lib. 5. contr. Eu- Baſil.

nom. & lib. de Spir. Sancto c. 16. & hom. 17. in sanct. Baptism. Gregor. Nyssen. de orat. Domin. orat. 3. Niſſen.

Theodoret. lib. 5. de spir. sanct. c. 3. Theodor

Ambros. lib. 1. de spir. sancto cap. 1. Ambroſ.

& Augustinus lib. 15. de Trinitate Auguſt.

c. 19.

Tertium argumenti genus petitur ex quorundam Collatione locorum, qui sibi ita respondent, vt quod primus locus obscurè significabat, secundus perspicuè dicat. Primum adduco ex 2. Reg. 23. *Spiritus Domini locutus est per me: & sermo eius per linguam meam*. Hæc est 2. Reg. 23

vox, quæ non vocat Spiritum Deum: sed sequens id manifestè dicit. Sic enim. *Dixit Deus Israel. Mihi locutus est fortis Israel dominator hominum*. Respondet sibi ipsi locus: & perspicuè declarat illum spiritum, qui loquebatur, esse Deum. Nam qui *spiritus locutus est, Deus Israel, & dominator hominum est*. Secundum ex lib. Iudicum c. 13. vbi sic de Sansone. Iudic. 13.

Cæpitque spiritus Domini esse cum eo. Et cap. 14. *Irruit itaque in eum spiritus Domini*. Adhuc non apparet, quisnam sit hic spiritus? Audiamus illam vocem in eodem lib. cap. 16. *Nesciens quod recessisset ab eo Dominus*. Constat eum spiritum Deum esse *cum Dominus sit*. Ac ita colligit Athanas. lib. de commun. Athanaſ.

essent. & Cyrill. in lib. argum. quod spiritus sanctus sit Deus, & Ambr. Ambroſ

M lib.

lib. de spir. sancto in prologo, & cap.1. & 2. Tertium ex Paulo in epist. ad Corinth. 1. cap. 14. *Qui loquitur lingua non hominibus loquitur, sed Deo, nemo enim audit, Spiritu autem loquitur mysteria.* Implexum est hoc. At infra versu 25. de ijs qui prophetant adiungit. *Cadens in faciem adorabit Deum pronuntians quod verè Deus in vobis sit.* Euoluitur: nam ille spiritus loquens mysteria, Deus erat, & adorandus. Sic probat Athanas. lib. de comm. essent. & Cyrill. Alexandr. in argum. quod Spiritus Sanctus sit Deus. Et Ambros. lib. 3. de spir. sancto cap. 19. & Nazianz. orat. 17. id etiam colligit ex sequentibus verbis Apostoli. *Orabo spiritu, orabo & mente.* Hi loci propiùs sunt, & è vicino respondent. Sunt alij, qui in Veteri Testamento loquuntur, & in Nouū vbi longius distant, è longinquo mittant responsum. Huiusmodi est illud Isai. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, &c.* Et dixit. *Vade, & dic populo huic. Audite audientes, &c. Excaea cor populi huius, & aures eius aggraua.* Patet Dei vocem esse. Quæ Persona sit? Expectemus. Reddit vocem Pauli reciprocantem in Nouo Testamento. Actor. 28. dum ait Ecchùs more. *Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam prophetam dicens: Vade ad populum istum, & dic ad eos. Aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis.* Sensus est Eccho, non vocis. Vox Dei in Isaia, redditur spiritus sanctus in Paulo. Nec te moretur, quod Ioan. 12. de Filio intelligitur. *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* Nam de vtroque potest congruè accipi, cum sit actio ad extra, quæ est omnibus Personis communis. His locis probant diuinitatem spiritus sancti, Basil. lib. 5. contr. Eunom. sect. 5. Greg. Nissenus orat. in Pentecost. Chrysost. serm de consubstant. Trinitatis. Ambros. lib. 3. de spir. sancto c. 22. Paschasius lib. 1. de spir. s. c. 5. Eiusdem modi est ille Leuit. 16. in quo Deus Moysi præcipit. *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca, vt non moriatur.* Huius præcepti authorem reuelat Paulus ad Hebr. 9. *Hoc significante*, inquit, *Spiritu Sancto nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.* Redditur vox expressa illi obscuræ, quòd occultaret Personam. Similis est apud Dauidem alius Psal. 94. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* &c. Ad quem referatur *Eius*, cum haud dubiè ad Deum pertineat, non liquet. Liquet tamen apud Paulum Hebr. 3. cum ait. *Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus. Hodie si vocem eius audieritis.* En ille, ad quem illa vox pertinebat. Hunc locum proferunt Nissen. orat. in Pentecost. Didym. lib. 1. de spir. s. Athanas. lib. de com. essent. Cyrill. in lib. argum. toties cit. Ambr. l. 3. de spir. s. cap. 9. Adijcio alium Ieremiæ cap. 31. *Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Fuisse à spiritu sancto hoc Pactum initum docemur à Paulo Hebr. 10. *Contestatur nos Spiritus Sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum scribes eas.* Perspicuè dixit spiritum sanctum. Hoc loco vsus est Athanasius disp. habita Laodiceæ aduersus Arium. Et quidem de testimonijs huius generis satis.

Quartum genus argumentorum desumitur ex comparatione spiritus

[Margin notes: 1. Cor. 14 · Cyril. · Ambros. · Nazianz. · Isai. 6. · Act. 28. · Ioan. 12. · Basil. · Nissen. · Chrysost. · Ambros. · Paschas. · Leuit. 16. · Hebr. 9. · Psalm. 94 · Nyssen. · Dydim. · Athanas. · Ambros. · Cyril. · Ierem. 31 · Hebr. 10. · Athan.]

tus sancti cum Christo Domino, vti Homo est: cui cum ostendatur præstare,& excellere illum Deum esse planè colligitur. Nemo enim negat Christum, in quantum est homo reliquis creaturis esse præferendum. Qui ergo Christo præfertur, is sit Deus necesse est. Apparet verò hęc præstantia spiritus sancti primò ex
Isai.48. loco Isaiæ 48. *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus eius.* Vox est Filij, qui fatetur se missum esse in mundum: non potest autem mitti in mundum, nisi à Deo. Igitur spiritus sanctus Deus est comparatione Filij, quatenus est homo, & missus in mundum. Huc pertinet illud aliud Isaiæ 42. & Matth.12. *Ponam spiritum meum super eum.* Huc spectant alij. *Vnxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute.* Matth.5. & Luc. 1. & Actor. 10. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me euangelizare Pauperibus misit me.* Isai. 61. & Luc. 4. *Ductus est à spiritu in desertum.* Matthæus 4. Marcus 1. Luc.4. *Per Spiritum sanctum se ipsum obtulit.* Hebr.9. *Spiritus sanctus suscitauit Christum à mortuis.* Rom. 4. Sed nullum hoc in genere est illustrius, quam illud, quod sumitur
Luc.1. ex Incarnatione Verbi, quæ spiritui sancto tribuitur, quemadmodum constat ex Luca c.2. *Spiritus Sanctus superueniet in te*, &c. & ex Matth. c. 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu*
Con.Nic *sancto est*: & ex symbolo Apostolo-
Constā.I. rum. *Qui conceptus est de Spiritu sancto.* Et ex Niceno, & Constantinopolitano. *Et incarnatus est de Spiritu sancto.* Ecquis autem tam grande mysterium operetur nisi Deus? Cùm illud factum sit supra vires totius naturæ, & interuenerit Vnio humanitatis ad Personam Verbi diuini, quæ idcirco Hypostatica nuncupatur. Vnde necesse est fateri spiritum sanctum eius authorem, Deum Omnipotentem esse.

Supersunt duo alia ex sacra item scriptura desumpta: Vnum positiuū, alterum negatiuum, meo quidem iudicio inuicta. Primum sic formo. In quem peccatur, is omnino est Deus. Sed peccatur in spiritum sanctum; ergo spiritus sanctus est Psal.
Deus. Notandus est syllogismus. Maior constat ex Psalmo. *Tibi soli peccaui*, & ratione Theologica; quia *Peccatum est offensa Dei*, cum sit contra Legem Aeternam Dei, vetantis Matth.12.
actum malum. Minor patet ex Euāgelio Matth.12. semel vers.31. *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur.* Et vers.32. *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo,* Ambros.
neque in futuro. Consequentia colligit. Hoc loco conuincit Ambrosius Pneumatomachos lib.1.de spiritu sancto cap. 3.

Secundum argumentum quanquam negatiuum sit, est tamen maximè idoneum. Illud in hanc formam redigo. Nusquam in sacris litteris inuenitur locus, quo Spiritus sanctus inter Creaturas numeretur; si autem Creatura esset, debuisset cum cœteris numerari, nec prætermitti, quæ si foret, nobilissima omnium futura esset. Ergo spiritus sanctus non est Creatura, sed Deus. Asumptū suadetur multis locis, in quibus omnes creaturæ inuitantur ad laudandum Deum conditorem, vti in Cantico trium Puerorum, & Psal. 102. & in Psalmis tribus postremis, et alijs huiusmodi, nulla facta commemoratione spiritus s. Itaque de asumpto constat. Quod autem, si is creatura esset, omitti non deberet, liquet ex eo quod iniuria fieret conditori, subtrahendo laudes præstantissimæ Creaturæ, & quod daretur ansa putandi eam Creaturam esse plusquam Creaturam, quando quidem inter alias mi- Athan.

 nimè

nimè ponebatur. Quanti hoc argumentum ſit, oſtendũt Patres. Athanaſ. orat. 3. contra Arianos. Iuſtin. in confeſſ. Fid. de Trinit. Baſil. lib. de Spiritu sancto c. 18. Chryſoſt. tom. 1. hom. in illud. *Tunc & ipſe Filius ſubijcietur*, & Epiphan. in Ancor. pag. 4. qui omnes eo vtuntur. Auguſtinus acutiſſimo ſuo ingenio aſſerendo Diuinitatem Filij Confirmationem addidit obſeruans ipſummet Filium Dei, & vnum, & eundem cum Patre Deum, quod etiam homo erat, ſæpè ſe inferiorem, ac minorem Patre oſtendiſſe: Patremque adoraſſe. Quod de ſpiritu sancto minimè traditur. Ita contra Maximinum lib. 1. ad medium libri verſus principium, vbi ſic. *Vellem*, inquit, *etiam aliquibus ſcripturarum teſtimonijs doceres nos, vbi legatur adorari Patrem à Spiritu ſancto. A Filio autem accipio, etiamſi non proferas teſtimonia, quoniam hic adorat Deum*. Quanquam enim ibi Auguſtinus ſolum probet Filium Dei, vti Deus eſt æqualem eſſe Patri, & vti eſt homo eſſe minorem: tamen obiter hoc argumento ſatis probat Spiritum sanctum non eſſe Creaturam, ſed Deum, quod Patrem non adorauit, nec potuit adorare. Idem tradit argumentum Auguſtinus lib. 2. de Trinit. c. 6. *Ideo nuſquam ſcriptum eſt, quod Deus Pater maior ſit Spiritu sancto, vel Spiritus sanctus ſit minor Patre, quia non ſic eſt aſſumpta Creatura in qua apparerit Spiritus sanctus: ſicut aſſumptus eſt Filius hominis*. & cap. 7. *Miſſus etiam dicitur Spiritus sanctus; non tamen minor Patre dictus eſt: ſicut Filius propter formam ſerui*. Agit vtique de Filij diuinitate, quam tuetur à calumnijs Arianorum ortis ex humana, quam aſſumpſerat natura: qua minor erat Patre. Hinc ergo deducitur, Spiritum eſſe verum Deum, & nullatenus Creaturam, quod nunquam minor Patre ſit dictus.

Iuſtin. Baſil. Chryſoſt. Epiphan. Auguſt. Auguſt.

SECTIO II.

Ex Concilijs, & Patribus Diuinitas Spiritus Sancti oſtenditur.

Ante Concilia Symbolũ Apoſtolorum ponamus. In quo dicitur. *Credo in Spiritum Sanctum*, vbi illæ duæ particulæ *Credo in* notant Deum, non enim niſi in Deum creditur, quemadmodum obſeruat D. Thomas 22. q. 1. à 10. Vnum ex Apoſtolis extra Canonicas ſcripturas proferamus. Iacobus Frater Domini in ſua Liturgia Initio Spiritum sanctum Conſubſtantialem appellat. Deinde accepto calice ponit hæc verba. *Spiritum sanctum ſimul cum Deo Patre, & vnigenito Filio aſſidentem ſimul, & regnantem Conſubſtantialem coæternum*: & tertium in fine. *Conſubſtantialem* inquit *Trinitatem Patrem, Filium, & Spiritum sanctum*. Quod ſæpè in eadem repetitur. Apoſtolo ſuccedat Euangeliſta, item in ſua Liturgia, nam poſt illa verba. *Hoc facite*, vocat Spiritum sanctum *Conſubſtantialem Deo*, & infra in oratione *Sancte Summe* ait. Incomprehenſibile Dei Verbum Patris, & Sancto *Spiritui conſubſtantiale*. Nunc eſt locus Concilijs.

D. Thom. Marcus.

Nicenum in ſymbolo vbi ponitur Phraſis Apoſtolica eadem virtute ac ſenſu. Deinde in definitione Concilij per Oſium expreſſa, quæ habetur in 2. lib. Concilij Alphonſi Piſani §. *Sancta, & magna*, ſic dicitur, *Diuinitas non eſt vna perſona vti Iudæi opinantur, ſed tres perſonæ verè ſubſiſtentes: non ſolo nomine*: Et mox, *ſicut Pater, & Filius, ſimul ſubſiſtit Spiritus sanctus eiuſdem eſſentiæ, & eiuſdem potentiæ, cuius Pater, & Filius*: & ibidem latè proſequitur. Præterea §. *ſi vt tu dicis*. Idem Oſius. *Vna eſt* inquit *Diuinitas, & eſſentia vna Patri, & Filij, & ſpiritus ſancti*. Sed præcipuè ac ex inſti-

Con. Nic. Hoſius

ſtituto monſtratur Diuinitas ſpiritus ſancti ab illo titulo. *Contradictio Philoſophi de ſpiritu ſancto.* Nam cum ibi proponat argumenta contra illius Diuinitatem, ea à Patribus accuratiſſimè probatur ab illo titulo *Reſponſio Patrum*. Per multas paginas penè vſque ad libri finem, qui Patrum ſubſcriptionibus terminatur. Facit huc teſtimonium Damaſi in reſcripto ad ſynodum Nicenam poſito in 4. libro pag. 348. collect. Binianæ, in quo probat doctrinam traditam aduerſus eos, qui impugnabant ſanctam Trinitatem.

Damaſ.

Huc pertinet ſymbolum Athanaſij, quod collocatur poſt Concilium Romanum ſub Iulio Papa ante Concilium Sardicenſe: quod ferunt Romæ editum ab eodem, & coram Patribus recitatum. Inſigne admodum teſtimonium fuit Concilij Conſtantinopolitani primi, in cuius ſymbolo ſunt ea verba ſolemnia, quæ in Miſſis Feſtiuitatum principalium addito *Filioque* recitamus: *Credimus in ſpiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum*, &c.

Symbol. Athanaſ.

Concil. Conſtã. I.

Hoc ſymbolum, & illius articulum ad Diuinitatem ſpiritus ſancti ſpectantem, confirmat Epiſtola ſynodica à Patribus Concilij Romani ad Damaſum Papam, & cœteros Romani Concilij Patres. Inter alia ſunt hęc. *Doceat nos credere in nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti. hoc eſt in Diuinitatem, Potentiam, & ſubſtantiam. Vnam Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti æqualem dignitatem, & coæternum Regnum in tribus perfectis hypoſtaſibus, ſine perſonis, &c.* Eiuſdem ſymboli doctrina repetita illius conceptis verbis formula agnoſcitur, & accipitur à Patribus Concilij Epheſini p.2. Act. 1. & dicitur. *ſpiritus ſancti Fides*, & ibi. *Dominus Opuntinæ ciuitatis Epiſcopus dixit. Quod reſtat Credo in Deum Patrem, & Filium, & ſpiritum ſanctum, optoque in ea Fide, ac doctrina viuere, & extremum ſpiritum emittere.* In Act. 6. p. 2. idem ſymbolum Nicenum commendatur. Et parte 3. in Epiſt. Cyrilli Alexandrini ad s. ſynodum rurſum repetitur, & laudatur. Demum Edicto, quod eſt ad finem Concilij Imperatorio adſtruitur, ac defenditur.

Conc. R.

Concil. Epheſ.

Cyrillus Alexand.

Chalcedonenſe Concilium Act. 2. initio vtrunque ſymbolum profitetur, & in formula Conſtantinopolitani, loco *In ſpiritum ſanctum Dominum. Viuificantem*, ponit *Viuificatorem*, & Act. 4. probatur, & commendatur maximè Leonis PP. Epiſt. quod cum vtriuſq; doctrina ſymboli conſentiat: & omnes ei Patres hoc nomine ſubſcribunt. Act. 5. iterum ea duo ſymbola proponuntur, & in Conſtantinopolitano particula *Viuificatorem* retinetur. Act. 16. Pneumatochi cum Arianis, & alijs hæreticis condemnantur. Eſt verò illuſtris de Diuinitate ſpiritus ſancti confeſſio in Allocutione vniuerſalis Concilij ad Marcianum Imperatorem, quæ locatur p. 3. poſt Actiones Concilij: vbi ſic inter alia. *Iterum ait ſymbolum: Credo & in ſpiritum ſanctum, ſufficientem intelligentiam, quod ſpiritus ſanctus Deus ſit, pijs mentibus tradens. Ea enim ſimiliter, vt in Patrem, & Filium, ita etiam & in ſpiritum ſanctum credere iuſſit: manifeſtum eſt, quod quippe vt in Deum ſpem nos habere præcipit vnã naturam inſinuans in Trinitate credentibus* Idque latè proſequuntur, & damnãt Pneumatomachos, quod eam veritatem impugnent.

Concil. Chalced.

Leo Pap.

In 5. ſynodo eadem Diuinitas Spiritus ſancti aſſeritur, & Macedoniana expreſſo nomine hæreſis damnatur in Epiſt. Eutychij ad Vigilium Act. 1. & Act. 3. definitiones de Fide quatuor Conciliorum Vniuerſalium accipiuntur, & laudan-

V. Synod

dantur. Actione 6. in Epist. Cyrilli ad Nestorium, & synodum Alexandrinam, dum confirmatur diuinitas Christi, Spiritus quoque sancti adstruitur. Actione eadem ponuntur duo symbola Nicenum, & Constantinopolitanum, in quo est illa vox *Viuificatorem*. Collatione sic enim dicitur 8. Definita à quatuor Concilij Oecumenicis confirmantur. Ibidem, quod egregium est argumentum Canone 1. sic statuitur. *Si quis non confitetur Patris, Filij, & Spiritus sancti vnam naturam, siue substantiam, & vnam vnitatem, & potestatem Trinitatem consubstantialem, vnam Deitatem in tribus substantijs, siue personis adorandam talis anathema sit. Vnus enim Deus*, & *Pater ex quo omnia. Vnus & Dominus* IESVS *Christus per quē omnia; & vnus Spiritus sanctus in quo omnia.* In ijs autem, quæ sunt post Concilium, initium est condemnatio Hæresum, & inter eas Macedonianę contra Spiritum sanctum. Eadem damnatur in Epistola Gregorij ad Ioannem Episcopum pag. 131. in tract. Iustiniani proscribentis Origenis errores. Error item circa Diuinitatem Spiritus sancti, quem Creaturam efficiebat, damnatur. Pag. 147. In Confessione recta Fidei Iustiniani Imperatoris missa ad vniuersam Ecclesiam luculenta sanè habetur Spiritus sancti Diuinitatis, & sæpè repetita professio. Pag. 151. ibid. insertus est illi primus Canon proximè adductus de vna, & consubstantiali Trinitate personarum.

Iustinus Imperat.

VI. Syn. Sexta synodus multa, eaque eximia spiritui sancto reddit testimonia. Initio ante actionem 1. Concilij locatur Episcopi Mediolanensis Mansueti ad Constantinum Imperatorem Epistola: in qua primum anathema dicitur Macedonio. *Qui Spiritum*, inquit, *sanctum non consubstantialem Deo Patri, sed magis creaturam impulsu satanæ ausus est prædicare*. Et postea exhibet suæ, & Mediolanensis Ecclesiæ Professionem Fidei, in qua illustris est spiritus sancti diuinitatis confessio. Actione 4. pag. 26. Epistola Agathonis pulcherrimam repræsentat eius mysterij litteris expressam imaginem. *Confitentes sanctam, & inseparabilem Trinitatem, idest Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum vnius esse Deitatis, vnius naturæ, & substantiæ, siue essentiæ, vnius eam prædicemus, & naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, maiestatis, potestatis, & gloriæ*, &c. Eiusdemmodi est alia in 2. epistola Agathonis, & synodi cum eo Romanæ tradita Legatis ad 6. synodum missis, quæ instructio eorum fuit: locus est pag. 46. in Biniana Collect. Actione 10. habetur symbolum Fidei accuratissimè compositum cum insigni confessione Diuinitatis spiritus sancti; vbi eius cū Patre, & Filio consubstantialitas exprimitur: & magnoperè inculcatur. Tota Actio 11. plena est testimonijs spiritui sancto de Diuinitate redditis: ac in ea cum cœteris hæresiarchis *Macedonius* anathemate percellitur, *Qui sancto reluctatus est spiritui*, & *Pneumatomachi appellationem dignam accepit*. Pag. 129. Actionis 18. argumentum est damnare hæresiarchas, quorum vnus Macedonius impugnator spiritus sancti dicitur; & proponuntur duo illa celeberrima Niceni, & Constantinopolitani Concilij symbola, quæ continent diuinitatem spiritus sancti.

Ep. Agathonis P.

Alia eius.

Eadem Actione pag. 211. iterum damnatur Macedonius rebellis spiritui sancto: & rursum ei anathema infligitur pag. 221. Non pauca, nec obscura suppeditat 7. synodus argumenta. In Apologetico ante actionem 1. dicto à Tharasio ponitur Confessio Trinitatis, cum mentio-

VII. Syn.

tione præclara spiritus sancti. 1. Actione insignis habetur symboli professio, vbi sic. *Et in Spiritum Sanctum* inquit *Dominum, & viuificantem, Trinitatem consubstantialem, & considentē in vna Deitate, potentia, & potestate adorandam, & glorificandam.* In eadem actione pag. 495. condemnatur Seuerus negans vnitatem, & consubstantialitatem essentię Trinitatis. Actionis 3. pag. 526. illa est præclara in symbolo de Spiritu Sancto commemoratio. *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem ex Patre per Filium procedentem, & eundem Deum esse, & cognosci, Trinitatem vnius substantiæ, &c.* Ibidem pag. 533. ponitur alia similis confessio in Exemplari synodico Theodori Patriarchæ Hierosolymitani. In eadem synodo Actione 7. legitur Professio symboli Constantinopolitani: & anathematizatur Macedonius, & asseclæ, qui Pneumatomachi appellantur. Et in fine sectionis, quæ est vltima Concilij de Spiritu Sancto ponitur *esse vnum Deum in Trinitate*, & in extrema parte actionis pag. 170. sic. *Spiritu Domino viuificante, & omnipotente, qui ex Patre per Filium procedit*: & paulò infra: *Docentes nos credere in vnum Deum, qui in Trinitate laudatur, & glorificatur.*

VIII. Sy. In Octaua Synodo actione 3. legitur Epistola missa ad Papam Nicolaum I. quæ sic incipit. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnius, & solius, & veri Dei.* Actione 7. eadem verba ponuntur. In inscriptione Epistolæ Adriani pag. 657. Actione 10. hæc habetur in Macedonium lata sententia. *Pneumatochum, immò & Theomachum anathematizamus Macedonium*, pag. 678. ibi vocatur *Principalis Spiritus sanctus*. In Appendice

Nicetas Concilij ore Nicetæ, qui enarrat vitam, & gesta Ignatij pag. 716. insignis habetur Trinitatis expressio. *Sicut vnam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti naturam Diuinitatis, ita potentiam, operationem, gloriam, & magnificentiam profiteamur, & credamus.*

Hæc de Diuinitate Spiritus Sancti sufficiat ex Concilijs afferre testimonia, quæ cum Vniuersalia fuerint, demonstrant consensum, & traditionem Ecclesiæ, in ea doctrina: quam multa Concilia particularia sunt perspicuè professa, quibus solenne erat initio Symbolum Fidei recitare: quemadmodum videre est in Toletanis, & Bracharensibus Concilijs; alijsque aliarum nationum, quæ infinitum esset percensere.

Eandem veritatem Patres ab initio Ecclesiæ docuere, quasi dedita opera Spiritus Sancti Diuinitatem adstruerent. Quorum numerum inire opus immensi laboris esset. Indicabo Scriptores à quibus numerantur. Eos consulat, qui volet. Valentia 1. p. de Processione Personarum q. 1. p. 1. §. 24. ad fin. Valq. d. 110. c. 2. in 1. part. Bellarm. tom. 1. lib. 1. de Christo. c. 14. Suar. lib. 2. c. 5. & eruditissimè omnium Didacus Ruiz de Montoya tomo de Trinit. d. 66. s. 5. & 6. Ego aliquot tantum affero, ex antiquioribus, & Pontificibus, & ex ijs qui tractatus de Spiritu Sancto proprios composuerunt. Valentia Vasqu. Bella. Suar. Didacus Ruiz

S. Martialis Apostolorum discipulus epist. 1. ad Burdegalenses c. 10. in fine tomi 3. Bibliothecæ sic. *Vnus idem* inquit *Deus, qui cuncta creauit Pater: vnus & idem Dominus, per quem omnia facta sunt Filius eius IESVS Christus; & vnus, & idem Deus Spiritus sanctus, in quo omnia subsistunt.* Et addit. *Non genitus sicut Verbum, non factus, non creatus, sed procedens.* S. Dionysius de diuinis nominibus cap. 2. sub initio probat Diuinitatem Spiritus sancti. Illa notanda sunt verba. *In Patre, & Filio* S. Mart. Dionys.

lio nomen Domini celebretur. Atqui Dominus est etiam Spiritus. Pulchrum quoque, & sapiens in tota Diuinitate laudatur. Et infra. *Omnia, quæ sunt Patris, eius etiam sunt omnia, idest Filij, & Diuini Spiritus, & communiter, & coniunctè tribuit diuina opera, venerationem primã, perpetuamque causam optimorum donorum, & munerum tributionem.* Idem innuit lib. de Ecclesiast. Hierarch. c. 12. vbi appellat Spiritum Sanctum *mysteriorum Principem.*

Ignatius. S. Ignatius ad Philadelph. *Vnus* inquit *est ingenitus Deus, & Pater: vnus vnigenitus Filius Deus, Verbum, & homo, vnus Paracletus spiritus veritatis.* Et rursum: *Veri Prophetæ, & veri Apostoli vnum eundemque sanctum principalem, bonum, & verum, atque doctorem per Christum acceperunt spiritum.* Iterum. *Vnus Paracletus, qui operabatur in Moyse, & in Prophetis, & in Apostolis.* His accensendi duo Irenæus lib. 5. c. 12. initio, & Iustinus in expositione Fidei de Trinit. Pro Patribus antiquissimis satis hi quinq;

Irenæus Iustinus

Clem. P. Pontificum Clemens epist. 1. ad Iacobum fr. Dom. sic. *Omnes homines, qui Christiano censentur nomine Patrem, & Filium, & spiritum sanctum vnum Deum, & Dominum veraciter credere, & confiteri, eumque tota mente, & toto corde, & tota virtute diligere, & summopere oportet.*

Alex. I. Alexandri 1. Epistola Decretalis 1. plena est testimonijs ad vnitatem Dei, & Trinitatem Personarum cõfirmandã ex sacra scriptura collectis prorsus eruditè. Tota eius pars 2. huc esset transferenda, quæ benè longa est. Idcircò à citando abstineo. Illud delibo. *Si Trinitas non est, quare Dominus Discipulos suos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vniuersas gentes misit baptizare? Si vnitas non est, quare dixit. In nomine, & non in nominibus præcipiendo perdocuit?* Idem argumentum tractat Sixtus 1. Epist. 1. sed methodo breuiore. Inter alia. *Vnitatem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti demonstrans Ephesiis scribens ita confirmat. Sufferentes inuicem in Charitate soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo Pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus. Vnus Dominus, vna Fides, vnum baptisma, vnus Deus.* Higinus epist. 1. ad omnes Christi Fideles sic. *Tres sunt qui testimonium perhibent in Cælo Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres vnum sunt. Nos itaque in natura Diuinitatis, quia vnum sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, nec Patrem aliquo tempore credimus, &c.* Liberij in Epistola cõmunicatoria, cuius fragmentum extat, & collocatur inter illius, quæ tredecim recensentur, tomo 1. Conciliorum perspicua, & illustris est de Spiritus Sancti Deitate sententia. *Est igitur nostra confessio. Verbum Dei Filium secundum Naturam ex Deo, eodemque Patre suo genitum esse, non creatum, semper in imperio collegam Deo, & Patri, & indesinenter regnum obtinere in infinita secula. Amen. Spiritum quoque Sanctum verè, ex Deo naturaliter Deum inuisibilem à Deo, secundum diuinas scripturas, vt sit verè Pater, verè Filius, & verè spiritus sanctus, neque transferri debere vnum quodque nomen à suo significato, cui assignatum est, quo vera sit Trinitas sub vna Deitate, sub vna potestate, sub vna substantia; non enim dispertitur Filius, aut spiritus sanctus à Patris substantia. Est igitur Trinitas in vna substantia non diuisa, sed per essentiam vna Deitate, vna potentia, vna & regno, vna quoque gloria, vna item imagine, vna denique spiritu. Spiritus enim non diuiditur.* Videtur spiritu præuidisse Liberius hæresim illorum qui diuidebant, & separabant Spiritum sanctum à Patre, quasi creaturam à Deo. Hinc apparet lectionem illam in Epistola

Sixtus I. Higinus. Liberius.

stola Iustini probabilem esse, quæ reddat *separat*, non *spirat*. Ea quippe erat capitalis hæresis contra Personam spiritus sancti, vt ea non esset idem cum Patre Deus, sed vti Persona creata alterius naturæ, à Patre diuisa, & separata consisteret.

Damasus — Damasus Papa Epistola 6. hæc habet. *Vt Pater, & Filius vnius diuinitatis, vnius vnitatis, vniusque magnitudinis debeat credi, vniusque essentiæ, siue substantiæ, simul & Spiritus Sanctus*. Sed illud est palmare testimonium, quod inuenitur in Confessione Fidei scripta, & missa à Damaso Paulino Episcopo Antiocheno: quæ habetur post Concilium Romanum 3. in 1. tomo Collectionis Binij pag. 515. quæ propriè composita est aduersus Pneumatomachos. *Qui audent dicere Spiritum Sanctum factum esse per Filiū*. Itaque non opus est decerpere testimonia, cum ea integrum sit testimonium. Id solum adduco, quod claudit Confessionem. *Hæc est ergo salus Christianorum, vt credentes Trinitati idest Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & in eam baptizati, veram, solamque vnam Diuinitatem, potentiam, maiestatem, & substantiam eiusdem sine dubio credamus*. In eadem Confessione verba sunt, quæ confirmant, quemadmodum diximus de Liberianis, Pneumatomachorum errorem fuisse illam separationem naturæ, & essentiæ Spiritus sancti à Patre, vt semper illa lectio *spirandi* pro *separandi* minus idonea esse videatur. Cœteros omittimus Pontifices post Damasum: quòd sint plures, nec oporteat recensere. Terminamus hæc Pontificum testimonia, eo quod traditur cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, quod illud sit Innocentij III. oraculum. — Inn. 3.

Patrum elenchum exhibet P. Didacus Ruiz de Montoya: in quo sunt Patres Græci tredecim. Latini vndecim. Et ijs tantum nomino illos, qui proprios tractatus de Spiritu Sancto ediderunt. Basilius scripsit librum de Spiritu sancto ad Amphilochium, & homiliam de Spiritu sancto, quæst. 27. Gregorius Nissenus scripsit opusculum ad Eustachium, quod Spiritus sanctus sit Deus. Chrysostomus habuit sermones duos de Pentecoste, & Spiritu sancto. Cyrillus librum composuit de argumentis, quod Spiritus sanctus sit Deus. Didymus tres libros edidit de Spiritu S. Ambrosius totidem condidit. Sermones de Pentecoste habuerunt Leo Papa, & Augustinus. Hic vltimus, & Athanasius, & Nazianzenus eruditissimè probant Diuinitatem Spiritus sancti. Nazianz. orat. 26. de moderata in disput. seruanda, & orat. 4. de Theologia, & 5. & orat. 40. de sancto bantism. & orat. 45. de Fide, & orat. 50. de Fide Nicena, & carmine arcano 1. & 3. Athanasius tribus epistolis ad Serapionem, & orat. contra Gregalis Sabelij, & lib. de commun. essent. Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & in vtraque dis. contr. Arium. & lib. de hum. nat. susceptа: & dialogo 1. & 2. de sancta Trinit. contr. Anomæum, & lib. 5. de vnica substantia Trinitatis. Augustinus lib. 1. de Trinit. c. 3. 6. & lib. 2. c. 3. & 5. & 6. & lib. 3. c. 9. & 21. & lib. 5. c. 8. 9. 10. 11. 13. 14. 15. & lib. 6. c. 5. 8. 9. & 10. & lib. 7. c. 4. 5. & 6. & lib. 8. c. 9. & 10. & lib. 9. penè toto, & lib. 11. c. 11. & 12. & lib. 15. c. 17. & 18. 19. 26. & 27. Et libro 1: contra Maxim. c. 1. & 2. & lib. 2: c. 9. & 10. & 11. & 19. & lib. 3. c. 3. & 5. & 16. & 14. & 15. & 17. & 21. & 22. & 23. & 24. & serm. 38. & tract. 15. in Ioan. & epist. 124. ad Pascentium Arianum.

Basil. — Nissen. — Chrisost. — Cyrill. — Dydim. — Ambros. — Leo Pap. — August. — Nazianz. — Athanas. — August.

Solet item probari Diuinitas Spiritus sancti insigni quodam miraculo cæci cuiusdam, qui quòd negarat Filij, & Spiritus sancti cum Pa-

Patre consubstantialitatem, & ęqualitatem oculorum lumen amisit, & cum ad se redijsset, & facti pœnitens fassus veritatem fuisset, subitò lumen amissum recepit, atque vt perspicuum esset miraculum, ante quam visum recuperaret, Sanctus, à quo curabatur, Eugenius signum Crucis eius oculis impressit hæc dicens. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti veri Dei, quem Trinum in vna æqualitate, atque omnipotentia confitemur.* Narrat id Gregor. Turonens. lib. 2. hist. Francor. cap. 3. ex quo illud in suos commentarios integrum transtulit Bellarminus 1. tomo l. 1. de Christo c. 13. ac eiusdem Valentia, & Montoya tanti Theologi meminerunt.

Gre. Tur
Bellarmi.
Valentia.
Montoya

SECTIO III.

Rationibus Theologicis suadetur.

VErum ne quis è schola desideret scholasticam rationem: ex media illam Theologia petamus. Suppono in Deo ad intra processiones duas tantum, nec plures esse *scilicet intelligere, & velle*, verba sunt D.Thomæ 1.p. q.27.ar.5. rationem reddit, quod in natura intellectuali, & diuina, & vtraque debet esse, & nulla alia, præter has duas, esse potest. Hæ autem sunt Verbi, & Amoris: illa Intellectio, hæc volitio: nam per Intellectionem producitur Verbum, per volitionem Amor. Hæc est certa, & constans, vno excepto Durando, scholasticorum doctrina D.Thom. a.5. cit. Scoti, quodlib. 2. a. 2. & in 1. dist. p. 2. q. 4. quæ 7. est in ordine. Alex. de Verbi processione 1.p. q.42. in 2. de Process. Spiritus sancti q.43. in 3. Bonau. in 1. d. 2. q. 4. Gabr. in 2. d. 10. q. 1. a. 1. Marsil. in 1. q. 6. a. 1. Caiet. ad art. 5. D. Thom. & Couar. ibid. Vasq. d. 111. c. 2. Suar. lib. 1. de Trinit. c. 4. & 5. Montoya d. 3. s. 2. Patris nulla est processio ab alio; cum is sit Ingenitus, & sine principio, vt ait Concil. Antiochenum in Profess. Fidei missa ad Paulin. & Athanas. epist. ad Serapionem referens Concilium Nicenum. Cuius testimonium affert S. Thom. opus. 1. cont. errores Grecorum c. 8. *Imprincipiatum, & ingenitum soli Deo Patri Catholica Ecclesia congregata apud Niceam fideliter attribuit, & toti mundo sic esse credendum sub anathemate mandauit.* Damascenus, & Cyrillus Hierosolymit. ille 1. Fid. c. 9. & 11. hic catechef. 11. *sine principio* dicunt, quia *non de alio est*, & *ideo ingenitus*, inquit August. lib. 15. de Trinit. c. 26. quomodo loquitur Isidor. & Anselmus. Innascibilem appellat Concil. Syrmiense can. 16. & 19. & Hilar. lib. de synod. & ad can. 1. & 2. Oriental. & ad can. 16. & 17. Syrmicæ fid. & lib. 9. de Trinit. Patrem vocat Innascibilem. Nazianz. *Principij expertem* vocat orat. 25. ad Arian. & orat. 32. ad 50. Episcopos. Itaque Pater est Principium, non de principio, quia non est ab alio, & alias processiones ab ipso sunt, quanquam spiratio etiam sit à Filio, vti docet S. Thomas q. 33. a. 4. Estque communis Patrum doctrina, qui Patrem Principium, & Fontem, & Originem Diuinitatis appellant, vti est Dionysius cap. 3. de Diuinis nominibus, & Augustin. l. 4. de Trinit. c. 2. & Athanas. contra Gregales Sabellij. Et Concil. Toletan. 11. in Confess. Fidei Patrem vocat *Fontem, & Originem diuinitatis*. A Patre igitur tanquam à principio Filius intelligendo procedit: tanquam Verbum, & Imago ipsius: quem *ex Principio* esse, idest ex Patre dicit Cyrill. Alexandr. lib. 1. thesauri c. 2. Spiritus autem sanctus à Patre, & Filio sicut ab vno principio amando procedit. Est quippe Amor, non Verbum, nec Imago. Nunc ad probandum Spiritum san-

D.Thom
D.Thom
Scot.
Alex.
Bonau.
Gabr.
Marsil.
Caiet.
D.Thom
Couar.
Vasq.
Suar.
Montoya
Athanas.
Con. Nic
D.Thom
Damasc.
Cyrill.
August.
Hilar.
Nazianz.
D.Thom
Dionys.
August.
Athanas.
Concil.
Tolet.
Cyrillus
Alex.

sanctum esse Deum accedamus. Et quidem Filium, Deum esse facilius videtur ostendi, quia eius processio est generatio: quæ inducit similitudinem in natura: quæ cum sit singularis, & vna, eadem omnino est Diuinitas Patris. At verò Spiritus sanctus non gignitur, nec illius processio est generatio. Verum hoc non obstat, quominus Spiritus sanctus sit Deus, & idem cum Patre, & Filio Deus: quia Spiritus sanctus, vt ait D. Augustinus tract. 105. in Ioan. & Prosper in lib. sentent. sententia 381. *Est Patris, & Filij tanquam Charitas substantialis, & consubstantialis amborum*: idest mutuus Amor amborum. *Non Patris tantum, nec Filij*, ait Concilium Toletanum XI. in sua Confessione. *Sed simul Patris, & Filij dicitur: & simul ab vtrisque processisse monstratur, quia Charitas, siue Sanctitas amborum agnoscitur.* Hinc fit, vt spiritus sanctus sit idem cum Patre, ac Filio Deus. Nam illa dilectio reciproca Patris, & Filij est immanens, & intra Deum, & Amor per eam productus est actus Dei, ergo Deus: nihil enim est intra Deum, quod sit accidens, & creatura. Igitur ille Amor est substantia increata, atque adeo ipsemet Deus. Audiamus Augustinum lib. 6. de Trinit. c. 5. initio. *Siue sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue Charitas, siue ideo vnitas, quia Charitas, & ideo Charitas, quia sanctitas, manifestum est, quod non aliquis duorum est, quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligitur, generatoremque suum diligat, sintque non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alicuius, sed suo proprio, seruantes vnitatem spiritus in vinculo Patris.* Pergit Augustinus: *Spiritus sanctus commune aliquid est Patris, & Filij, quicquid illud est. At ipsa communio consubstantialis, & coæterna.* & infra. *Est Sapientia æqualis Patri. Aequalis est igitur est etiam Spiritus sanctus, etsi æqualis, in omnibus æqualis, propter summam simplicitatem, quæ in illa substantia est.* Vnde deducitur Patrem, & Filium amare se mutuò, & amando spirare spiritum S. ex fæcunditate. Ille Amor procedens est intra Deum, ergo idem Deus, cum Deus vnus, & simplex sit. Quomodo enim Pater, & Filius se amando producent aliquid, quod non sit Deus? *Quæ Charitas, si nihil est quomodo Deus dilectio est? Si non est substantia, quomodo Deus substantia est?* Et lib. de Trinit. 15. c. 17. *Sicut sapientia Pater dicitur, & Filius, & Spiritus sanctus, & simul omnes, non tres, sed vna sapientia: ita & Charitas, & Pater dicatur, & Filius, & spiritus sanctus, & simul omnes vna Charitas. Sic enim & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & simul omnes vnus Deus.*

Verum obijciet aliquis necessarium non esse ponere hunc amorem in Deo, atque adeò posse esse sine amore, ac proinde sine spiritu sancto. Respondetur hoc fieri non posse: quia cum Deus sit intellectualis substantia, necesse est vt intelligat, & amet. Quoad intellectum patet, quoad amorem probatur, quia voluntas necessariò est connexa cum intellectu. Vnde necesse est, vt qui intelligit velit; nam hoc ipsum intelligere, quod est summè perfectum, est amabile; ergo amari debet, non per intellectum, igitur per voluntatem. Ita Pater intelligens, & intelligendo generans, & Filius Verbum Patris, & sapientia sunt amabiles ob summam intelligendi perfectionem, ergo debent amari actu voluntatis, & amando se Amorem spirare, qui sit spiritus sanctus. Hoc aptissimè docuit Augustinus lib. 9. c. 12. inquirens rationem cur productio Verbi sit generatio, non autem processio spiritus sancti. *Inquisitio est appetitus in-*

Margin notes: August. — Concil. Tolet. — August. — Idem — Idem — Idem

ueniendi. Porrò appetitus ille est, qui inquirendo procedit à quærente, neque requiescit fine, quo intenditur, nisi id quod quæritur inuentum quærenti copuletur. Partum ergo mentis antecedit appetitus quidam, quo id quod nosse volumus quærendo, & inueniendo nascitur proles ipsa natura, ac per hoc appetitus ille quo concipitur, pariturque notitia partus, & proles dici non potest, idemque appetitus quo inhiatur rei cognoscendæ fit amor cognitæ: dum tenet, atque amplectitur placitam prolem, idest notitiam, gignentique coniungit. Et est quædam imago Trinitatis ipsa mens, & notitia eius, quod est proles eius, ac de se ipsa verbum eius, & amor tertius, & hæc tria vnum, atque vna substantia. Nõ potuit ingeniosius, & aptius exponere Augustinus totum id, quod concurrit in productione Personarum, & rationem diuinitatis, & connexionem necessariam earum inter se exprimere. Itaque primò, mentẽ fæcundã, & appetentem habere notitiam, idest Verbum, assimilat Patri: cuius est fæta, & fæcunda mens ad pariendum, gignendumque Verbum, qui est partus, & proles mentis, ac proinde Filius, & Imago expressa Patris. Secundò Verbum ipsum sic per intellectionem expressum, & genitum manet in mente cognoscentis, eiusdem cum eo, idest Patre naturæ, atque substantiæ, illam per semetipsum representans, & ab eo cognitum. Tertiò ex ea cognitione complacentia quædam, & delectatio existit in voluntate, vnde procedit amor, qui tenet, atque complectitur partum illum, & vnit amando cum pariente, ac generante. Estque communio Charitasque amborum. Non quod iste Amor in Deo sit quiddam singulare, & notionale, nam quod commune est omnibus Personis essentiale est, & absolutum, sed quod Amor ille essentialis, & absolutus in Patre, & in Filio fæcundatur, & aptatur per spirationem actiuam ad producendam personam Spiritum Sanctum, qui est Amor nationalis, eiusdem omnino cum Patre, Filioque substantiæ, ac naturæ.

Verum quidem est, spirationem hanc Amoris non esse generationem, imò nec esse posse; quia Amor non est, nec potest esse imago expressa mentis, cum sit actus voluntatis, qui non est repræsentatiuus. Hoc tamen non tollit, quod sit Deus; cum sit eiusdem naturæ, atque essentiæ, licet diuerso modo acceptæ, qui modus variat quidem acceptiones, & productiones, vt vna sit intellectio, & generatio, alia spiratio, & processio: non tollit tamen rationem naturæ communicatæ, quæ est in Patre sine vlla productione passiua; quemadmodum ergo Pater habet Diuinitatem citra vllam generationem, vel spirationem passiuam, & est Deus, ita & Filius, & Spiritus sanctus habent eandem Diuinitatem, licet differant in ratione accipiendi. Hoc enim pertinet ad nationales proprietates, non ad rationem essentialem.

Præterea est aliud argumentum diuinitatis in Spiritu sancto. Hæc est ratio communicabilis orta ex ratione amoris, qui est communio, & copulat vnione res amatas inter se, seque obiectis, in quæ fertur, amando impendit. Vnde rectè docuit S. Thomas qu. 36. a. 1. *Spiritum Sanctum dici ex communitate, quæ iuxta Augustinum est communis amborum, idest Patris, & Filij. Et quia nomen Spiritus importat impulsionem quandam, & motionem. Est autem proprium amoris, quod moueat, & impellat voluntatem amantis in amatum.* Cum igitur Deus sit summum Bonum, & maximè diffusiuum sui, & communicabile, & Spiritui sancto, qui est propriè amor id peculiarius S.Thom.

con-

conueniat, certum omnino est argumentum eum esse Deum. Id autem obseruandum, quod licet Spiritus sanctus nullam personam producat, atque adeo hac ratione non se communicet alteri personæ, tamen vnit, & ligat communione Amoris Personas producentes, quarum est communitas, & communio quemadmodum proximè ex Augustino docuit S. Thomas, & ante illum Magister m. 1. d. 10. & Alex. 1. p. q. 67. m. 3. & Albert. 1. p. q. 50. m. 1. Vnde Concil. Tolet. 11. *Spiritum Sanctum Charitatem, siue sanctitatem amborum*, idest Patris, et Filij. Et Ambrosius, *vnam, & eandem vtriusque dilectionem* cap. 1. symboli Apostolici, cum quo sentit Fulgentius ad Ferrandum q. 4. et Isidor. lib. 7. Etymolog. c. 3. et Ansel. in monologio c. 48. et 49. et Bernard. serm. 8. in Cantica appellarunt. Hinc est vt Theologi communiter admittant hanc propositionem. *Pater, & Filius diligunt se spiritu sancto*. Vt videre est in D. Thoma, qui illam admittit 1. sent. d. 32. qu. 1. et de potentia q. 9. ar. 13. et 1. p. q. 37. ar. 2. quanuis ibi cum Augustino neget Patrem esse sapientem sapientia genita. Eandem probat Scotus in 1. d. 32. q. 2. §. ad aliam quæstionem. Bonau. ib. et Richar. ar. 1. Henric. 2. p. art. 61. q. 7. Marsil. lib. 1. q. 14. art. 4. concl. 2. Gabr. in 1. q. 2. art. 2. concl. 1. Aureol. art. 1. Mai. q. vnica Carthus. qu. 1. Vasq. 1. p. d. 151. c. 2. 3. et 4. Suar. de Trinit. lib. 10. c. 3. Valentia q. 11. p. 2. Bannez 1. p. q. 37. art. 2. et omnes Thomistæ cum Caiet. ibi. cum tamen hæc altera excludatur. *Pater est sapiens sapientia genita*; vt iidem authores docent cum Diuo Augustino, qui cum hanc primum à se affirmatam retractasset, istam secundam semper retinuit, et asseruit: vti obseruat S. Thomas citatus, et cæteri penè omnes, qui in vtroque Augustinum sequuntur: cum quo etiam sentiunt ex Patribus Bernard. serm. 3. Pentecost. et serm. 8. in Cant. et lib. de amore Dei c. 7. et 8. et Guitmund. in Confess. de sancta Trinitate tom. 6. Bibliothecæ, quod verum esse in sensu actus nationalis ostendit S. Thom. illo art. 2. ita vt diligant se Pater, et Filius Spiritu sancto, tanquam termino producto: quemadmodum dicitur arbor florere floribus quos produxit. Imo negat ibi Sanctus Thomas hanc propositionem esse veram, *secundum quod amor essentialiter sumitur, nec enim Pater, & Filius diligunt essentialiter spiritu sancto, sed essentia sua*. Et citat locum Augustini lib. 15. de Trinit. c. 7. Vnde apparet quanta sit vis vnitiua, et communicatiua spiritus sancti, vt quod de sapientia dici nequit, de amore dicatur.

S.Thom. Magister. Alex. Albert. Concil. Tolet. Ambros. Fulgent. Isidor. Anselm. Bernard. D.Thom August. Scotus Bonau. Richard. Henric. Marsil. Gabr. Aureol. Carthus. Vasq. Suar. Bannez Valentia Caiet. August. Bernard. Guitmun S.Thom.

Hæc est prima ratio communicationis, solum ad intra. Secunda est etiam in ordine ad creaturas ad extra: qua spiritus sanctus est *Donum*. Et quidem ille ratione suæ personalis processionis est Donum. Ita D. Thom. expresè in 1. dist. 28 art. 1. & 2. & 1. p. q. 38. art. 2. & Alexand. 1. p. q. 64. m. 1. Albert. 1. p. q. 36 m. 2. & q. 52. m. 3. Bonauent. art. vn. q. 4. Richard. ib. q. 1. & 2. Aureol. ar. 2. propos. 2. & 3. Capreol. d. 18. q. vn. Caiet. & Bannez, & Vasquez, & Valentia ad q. 38. D. Thomæ, & Montoya d. 75. per 4. sectiones. Ante omnes hos Magister in 1. d. 28. qui hoc didicit ex Patribus præcipuè Augustino, qui eius rei magnus, & frequens est author, lib. 4. de Trinitate c. 20. & lib. 5. c. 14. & 11. & lib. 7. de Trinit. c. 4. & c. 6. & lib. 15. c. 17. 18. & 19. & lib. 1. de Fide & symb. quem citat, & sequitur S. Thom. illa q. 38. productis multis illius locis. Eandem tradunt doctrinam. Athanas. orat. 1. contr. Arianos, & orat. 2. & 3. & Nazianzen. orat. 37. quæ est 5. de Theo-

D.Thom Alexand Albert. Bonau. Richard. Aureol. Capreol. Caiet. Bannez Vasquez Valentia. Montoya Magist. August. Athan. Naziant.

Basilius Chrysost. Theolog. & Basil. lib.5. contr. Eunom.c.7.Chrysostom.tom.3.serm.2 in Pentecost. & hom.77. in Ioan. et homilia 2. in Epist. 1. ad Ephes. et Ambros. Hilar. Ambros. lib. 1. in symbol. Apostol. c. 1. & Hilar. lib.2. de Trinit. vbi S.Thom. sæpe spiritum sanctum Donum, et Munus vocat. Statuit ergo S.Thomas ex Augustino lib. 4. de Trinit. et super Ioannem spiritum sanctum esse, ac dici donum per originem. August. *Sicut enim*, ait Augustinus, *natum esse est Filio à Patre esse, ita Spiritum Sanctum Donum Dei esse est à Patre,* S.Thom. *& Filio procedere*. Itaque D. Thomas. *Sed Spiritus Sanctus sortitur proprium nomen in quantum procedit à Patre, & Filio. Ergo & Donum est proprium nomen Spiritus Sancti*. Rationem affert idem. Quia importat rationem gratuiti Doni, cuius causa est amor. *Vnde cum Spiritus Sanctus procedat vt Amor procedit in ratione primi Doni.* Vnde Aug. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 19. *Dicit quod per Donum, quod est Spiritus Sanctus multa propria dona diuiduntur membris Christi*. Quare spiritus sanctus per propriam notionem est Donum: cum procedat vti Amor. Imo tam propria est ratio Doni Personæ spiritus sancti, vt comparando inter se rationem spiritus, et rationem Doni æque relatiuè vtraque dicatur: quod perspicuè tradit Augustinus 5. de Trinit. August. c.11. Quin ex hoc loco Augustini Vasquez colligit Vasquez d.154.c.2. num.5. *Non solum relationem spiritus ad Patrem, & Filium esse ipsam rationem Doni, verum etiam magis exprimi ex nomine Doni, quam ex no-* D.Thom *mine spiritus*. Certè S. Thomas sic ait in 1. sentent.d.18.q.1. art. 4. *Si processio sumatur pro relatiua proprietate, spiritus processione habet esse Donum, sed non esse Deum, quia proprietate relatiua non est Deus, sed essentia est Deus: si verò accipiatur pro origine, per eam habet vtrunque, scilicet & esse donum, quia per eam vitale producitur, & esse Deum, quia per eam habet communicatam essentiam qua est Deus*. Quod animaduertit, et probat Vasquez d. 154. Vasq. cap.2. nu.5. et Montoya d.75. s.4. Montoy. Vnde Augustini illa fuit sententia. Aug. *Sicut natum esse est Filio à Patre esse, ita mitti Filio est cognosci, quod ab illo sit. Et sicut spiritui sancto est donum Dei esse, est à Patre procedere, ita mitti est cognosci quod ab illo procedat*.

Quomodo autem sit donum, id exponendum. Exponit autem egregiè in rem nostram D. Thomas qu. D.Thom 38. ar. 1. *Donum non dicitur ex eo, quod actu datur, sed in quantum habet aptitudinem vt possit dari. Vnde ab æterno diuina persona dicitur donum, licet ex tempore detur. Nec tamen per hoc quod importatur respectus ad creaturam, oportet, quod sit essentiale, sed quod aliquod essentiale in suo intellectu includatur sicut essentia includitur in intellectu personæ*. Desumpsit hoc D. Thomas ex Augustino lib.15. de Trinit.cap.15. Aug. vbi sic. *Aliter enim intelligitur cum dicitur donatum, nam donum potest esse antequam detur, donatum vero, nisi donatum fuerit nullo modo dici potest*. Et ibidem. *In tantum ergo Dei donum est, in quantum datur eis quibus datur*: hic accipit pro *donato.* Sed aptè subiungit. *Apud se autem Deus est, etiam si nemini detur, quia Deus erat Patri, & Filio coæternus, antequam cuiquam donaretur; nec quia illi dant, ipse datur, ideo minor est illis. Ita enim sicut donum Dei datur, etiam seipsum dat Deus.* Quare S. Thomas hic in 1.p.ar.2. & Bo- S.Thom. nauent. in 1. d.18.à q.4. intelligunt Bonau. spiritum sanctum esse donum respectu creaturarum, quibus donari aptum est ex vi suæ processionis. Est enim attendenda proprietas spiritus sancti, quæ cum sit donum, et amor ex vi suæ processionis, ita

pro-

procedit vt sit aptum ad donandum; si sint, et existant, quibus donetur. Quanquam vero donetur, et Filius, iuxta illud Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum vt Filium suum Vnigenitum daret*. Non inde sequitur Filium esse propriè donum. Vt enim ait D. Thom. qu.38.art.2. ad 1. *Sicut Filius quia procedit per modum Verbi, quod de ratione sua habet, quod sit similitudo Principij dicitur proprie imago, licet etiam spiritus sanctus sit similis Patri: ita etiam spiritus sanctus quia à Patre procedit vt Amor, dicitur propriè donum, licet etiam Filius detur. Hoc enim ipsum quod Filius datur, est ex Patris amore secundum illud Ioannis 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret*. Itaque secundum S. Thomam non solum spiritus sanctus est donum, sed etiam dici potest, quicquid est in Deo donum ad extra communicatum, id omne à spiritu sancto procedere magis propriè, quod solus ille est Amor. Itaque quæcunque dona à Deo accipimus, ea omnia per spiritum sanctum accipimus. Quare ipsum met Christum Verbum Incarnatum spiritus sancti beneficium proprium est habendum, eique vti superius diximus attribuitur, qua ratione dicitur Luc. 2. *Spiritus Sanctus superueniet in te*. Et Matth. 1. *Quod in ea natum est de Spiritu Sancto est*: Et in symbolo Fidei. *Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus est*. Cætera igitur quæ nobis per Christum donata sunt omnia spiritui sancto assignanda, vt eleganter dixit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap.19. *Per donum quod est spiritus sanctus in commune omnibus membris Christi multa dona, quæ sunt quibusque propria, diuiduntur. Non enim singuli quique habent omnia, sed hi illa, & alij alia, quamuis ipsum donum à quo cuique propria diuiduntur, omnes habeant, idest spiritum sanctum: Nam & alibi, cum multa dona commemorasset. Omnia, inquit, hæc operatur vnus atque idem spiritus diuidens vnicuique prout vult*. Et in hunc sensum trahit id quod de Ascendente in Cælum Domino dicit Dauid Psalm. 67. *Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*: quod de spiritu sancto Paulus intellexit, et exposuit Ephes. 4. *Paulus quoque Apostolus*, ait Augustinus. *Vnicuique*, inquit, *data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Atque vt donationem Christi Spiritum Sanctum ostenderet, secutus adiunxit. Propter quod dixit. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Dedit dona hominibus. Notissimum autem est, Dominum IESVM cum post Resurrectionem ascendisset in Cælum dedisse Spiritum Sanctum. Dona itaque dixit Apostolus quemadmodum Propheta, non donum. Porrò autem dona ob hoc ambo dixerunt, & Propheta, & Apostolus, quia per donum, quod est Spiritus Sanctus in commune omnibus membris Christi multa quæ sunt quibusque propria, diuiduntur*. Propterea non ineptè possumus quemadmodum de Verbo Dei dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*. ita de Spiritu Sancto dicere. *Omnia per ipsum data sunt*. Quod S.Thomas docuit quæst.38. art. 2. *Vnde* inquit *manifestum est, quod Amor habet rationem primi doni, per quod omnia gratuita donantur. Vnde cùm Spiritus Sanctus procedat vt Amor, vt dictum est, procedit in ratione doni primi. Omnia dona* dixit S. Thomas per spiritum donari. Igitur *Omnia per ipsum data sunt, sicut per Verbum Omnia facta sunt*. Hæc fuerat ante doctrina eiusdem in 1.d.18. q.1.a.3. latius explicata: eamque eo loco tradiderat Magister, & ibi cum illo Bonauent.in 1. tota q.1. & Richard. q.5. & Henricus a. 16. & Carthus.

quæst.

Margin notes (left): Ioan.3. — D.Thom — Luc.2. — Matth.1. — Sym. Fid — August.

Margin notes (right): Psal.67. — August. — S.Thom. — Magister. Bonau. Richard. Henricus Carthus.

quæſt. 1. alijque complures.

Hoc argumento doni oſtenditur spiritum sanctum eſſe maximè cõmunicabilem ad extra; ac ex eo deducitur ſummum eſſe bonum, & communicabile, quod eſt propriũ, & euidens ſignum diuinitatis. Quare, & aptè refutantur ea quæ adduci ſolent contra rationem doni argumenta. Et ſatis opinor eſt spiritus sancti diuinitas probata.

CAPVT IV.

Argumenta contra Diuinitatem Spiritus Sancti proponuntur, & ſoluuntur.

ERant quædam argumenta Pneumatomachis cum Arianis communia, quibus ſolum Patrem Deum eſſe vtrique ſuadebant. Sed de his aliàs agemus, & ſupra, cum de Filij diuinitate tractauimus, ſatis opinor egimus. Quare illa ſolum adducenda ſunt, quæ aduerſus spiritum sanctum propriè Macedonius, et aſſeclæ proponebant, et potuerunt deinceps inueſtigare Nouatores.

Primum. Nuſquam in ſcripturis spiritus sanctus Deus dicitur: Ergo Deus non eſt dicendus. Hoc Nazianzeno teſte in ore habere ſoliti, illudque in circulis, palamque iactare. orat. 5. de Theologia, ſiue in ordine 37. id etiam animaduertit Athanaſius in dial. de Trinit. contr. Anomæos: iam enim ſuo tempore Ariani impugnabant diuinitatem spiritus sancti proprijs argumentis, vt apparet ex duabus Epiſtolis ad Serapionem. Reſpondetur, falſum illud eſſe aſſumptum, quemadmodum multis locis productis ex ſacra ſcriptura ſuperiore cap. §. 1. oſtendimus. Deinde admiſſo Aſſumpto non ſequitur conſequens, quod volunt; nam qui omnia Dei attributa, et proprietatis habet cum Deum dici, et haberi neceſſe eſt. Quare cum de re conſtet, de nomine minimè laborandum. Ita huic argumento reſpondit idem Nazianzenus. *Iudaicum* inquit *eſt relictis rebus ſyllabas conſectari.* Alioqui Incarnationem negabimus, quod nomen hoc in ſcripturis non ſit. Imò neTrinitatem quidem admittemus, cuius nomen in ſacris litteris non reperitur.

[Margin: Nazianz. · Athanaſ. · Nazianz.]

Secundum. Amos 4. dicitur: *Ego Dominus formans tonitrum, & creans Spiritum.* Nam quod creatur Creatura eſt, non Deus. Soluitur negando Prophetam loqui de spiritu sancto, quòd de vento loquatur. Id ex præmiſſo tonitru patet, quod ventum infert. Ita reſpondet Athanaſius in epiſt. ad Serapionem, et Baſilius lib. 3. contra Eunomium, et Epiphan. in Ancor. Hieronym. et Theodoret. et Rupert. ad eum locum Vulgata noſtra omnem dubitationem aufert cum legat *Creans ventum.* Ita difflatur argumentum et in ventos abire compellitur. Tertium. Ioannis 1. ſic habetur. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Eſt ergo ſpiritus inter illa *Omnia per Verbum facta,* ac proinde Creatura: non Deus. Hoc diluitur duobus modis. Primò dicendo. Non eſſe legendum cum puncto poſt *nihil*, ſed poſt *factum eſt.* Vt ita continuetur periodus. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Quę facit idoneum ſenſum, ideſt nihil, eorum quæ facta ſunt ſine illo factum eſt. Sic autem legunt omnes fermè Patres Græci. Chryſoſt. in Ioan. Theophyl. Leontius, Euthym. Nonnus Poeta, Theodor. Mopſueſt. quos citant Maldonat. in commentar. ad eum locum, et ex eo fortaſſe Montoya. Adde Eliam Cretenſem in orat. Nazianz. de ſpiritu ſancto. Et ex Latinis Ambroſ. lib. 8. de Fide c. 3. Hieronym. in Iſai. c. 11. et 44. eam-

[Margin: Amos 4. · Athanaſ. Baſilius · Epiph. Hieron. Rupert. Theodor · Ioan. 1. · Chryſoſt. Theoph. Leontius Euthym. Theodor Mopſueſt · Elias Cr. · Nazianz. Ambroſ. Hieron.]

quam lectionem Aegyptiorum, et Alexandrinorum dicit Ambrosius, eamque probat interpres idoneus
Maldon. Maldonatus: ac reliquis haud dubiè præfert. Secundò retinendo lectionem puncto infixo post *nihil*, vt ibi sensus terminetur cum periodo; sicuti legunt plerique ex Latinis. Ter-
Tertull. tullian. lib. contra Hermogen. Cy-
Cyprian. prian. lib. contr. Iudæos. Gaudent.
Gauden. Victorin tract. 8. in Exod. Marius Victorin.
August. lib. 1. & 3. aduers. Arium. Augustin.
Origen. Cyril. Beda. Ex Græcis Origen. & Cyril.
Clemens Alexand in comment. Clem. Alexandr. in Pædag. c. 6. & 9. Et lib. 6. stromat.
Interpr. Irenæi & Interpres Irenæi antiquissimus, lib. 3. c. 8. quæ communiter recipitur, & multò est alia clarior, & facilior. Nam licet videatur fauere in speciem Pneumatomachis, nihil est ab ea timendum: cum præsertim illa phrasis. *Nihil quod factum est*, sit duriuscula: & necessariò accommodanda sensui hoc additamento inserto. *Nihil eorum quæ facta sunt*, vel *Nihil ex eo quod factum est*. Quod item Græcè supplendum. Præterea frigida est sequens sententia. *In ipso vita erat*. Nam sublato eo: *Quod factum est*, aufertur id quod illam certè extollebat ad sensum altissimum idealis causæ, & existentiam creaturarum in Deo: quæ tanti est, vt non debeat vlla ratione perturbari. Ac ob id Augustinus, qui semper alta, & profunda cogitat, eam lectionem retinuit. Ea igitur summo iure retenta. Respondetur ergo illud *Omnia* sumi congruo, & naturali sensu pro *Omnia factibilia*. Nam si absolutè, & omnino vniuersaliter sumatur etiam *Patrem* debet includere. Quod si fieri nequit; quòd Pater sit Deus, eadem ratione Spiritus sanctus nequit includi. Sanè illud *Omnia*, Creaturas respicere certum est: & phrasis Scripturæ ita sonat. *Omnia subiecisti sub pedibus eius. Donec ei subijciat omnia. Omnia traham ad me ipsum*. Ac ita respondet Nazianzenus orat. 5. & Basil. hom. 17. in sanctum baptisma, & lib. 3. contra Eunom. & Hilar. lib. 12. de Trinit. colum. vltima. Nazianz. Basilius Hilar.

Quartum. Ad Roman. 8. ait Paulus. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Qui autem postulat, inferior est eo, à quo postulat. Igitur à quo & gemens postulat Spiritus sanctus, is illo superior est, atque adeò spiritus gemendo, & postulando creaturam se Dei, quem orat, profitetur. Huic argumento duplici via occurritur. Prima quæ est regia, & quam monstrat munitque Augustinus l. 1. cont. Maximin. non longe à Principio, et lib. 2. c. 9. et lib. 3. c. 19. et epist. 105. et 121. vbi accipit, et exponit locum eo sensu vt perinde sit. *Postulat pro nobis*, ac *facit nos postulare*. Idque multis Scripturæ sacræ testimonijs probat. Præstat audire Augustinū l. 1. contr. Maximin. vbi propriè, et latè huic hæretico hunc locum sibi aduersus Spiritus sancti diuinitatem opponenti ita respondet. *Sic dictum est gemitibus interpellat, vt intelligeremus: gemitibus interpellare nos facit. Adest enim nobis, & infundendo charitatem nobis, facit nos interpellare gemitibus. Denique alio loco dicit Apostolus clamantem Abba Pater, alio loco dicit. In quo clamamus Abba Pater: exposuit quid sit Clamantem Abba Pater, dicendo: In quo clamamus. Ac per hoc quidem Clamantem, idest Clamare facientem. Do exemplum locutionis huius. Nonne Deus est præscius futurorum? Quis hoc negabit insanus? Tunc ait Apostolus. Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti à Deo. Si nunc eos cognouit Deus, non eos nouerat, non elegerat, non prædestinauerat ante mundi constitutionem, sed sic dixit. Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti à Deo, vt intelligerent Deum fecisse in eis cognitionem suam: cognoscentes*

Rom 8.

August.

Deum. Quid est cognoscentes Deum? Nolite vobis arrogare, nolite superbire. Cogniti estis à Deo. Cognitores suos Deus nos fecit. Deus vobis dedit, vt cognoscatis. Quomodo & illud Domini. Nunc cognoui, dicit Abrahæ Dominus, quoniam timeas Deum: quando attulit filium suum ad holocaustum dixit ei Deus: nunc cognoui, idest nunc cognoscere feci. Si ergo has locutiones, sicut libris diuinis eruditus, agnosceres, de gemitibus illis quibus dictum est gemitibus interpellare Spiritum Sanctum, non eum faceres miserum: et concludit. *Facit nos clamare propter quod dictus est clamans.*

Bellarm. Hac via incedit Bellarminus lib. 1. de Christo c.20. additque Augustino Chrysostomum hom.14.in Epist. ad Roman. et Valent. lib.1. q.1. de Processi.diuinar.Person. p.1. §.25. et Suarez l.2. de Trinit. c.6. qui eam etiam tribuit Nazianzeno orat. 36. et sequentibus, et Montoya d.66. s.7.n.8. qui tanquam diuersam adhibet illam Chrysostomi, et hanc Nazianzeni. Hi duo Patres idem re dicunt licet verbis videantur discrepare. Aiunt quippe ideo dici clamare Spiritum sanctum, quia donum orationis nobis infundit quo nos clamemus: quod perinde est, ac dicere. *Clamat per suos effectus*, ac eò redit vt clamare nos faciat. Idcirco Bellarminus, et Valentia in eundem eos sensum citarunt.

Chrysost. Valentia Suar. Nazianz. Montoya

Vasquez. Aliã viam Vasquez cum ijs quos innuit tacito nomine Recentioribus excogitauit qui 1. p. d.110. cap. 3. adducta expositione Augustini, et Nazianzeni orat. 36. quam eandem putat: etsi eam non improbet, ait. *Facilius meo indicio intelligunt recentiores de spiritu creato gratiæ, quem Deus in animam infundit: ille enim dicitur pro nobis postulare, quia quod ex nobis nescimus instructi spiritu gratiæ rectè postulamus.* Verum si Vasquez vult, vt hæc interpretatio sit diuersa ab illa Augustini, debet dicere nomen *Spiritus* hic non significare Personam Spiritus sancti, sed creatum aliquid, et caducum. Hoc autem minimè dici potest inspecto textu. In quo dicitur. *Spiritus Dei habitat in vobis. Inhabitantem spiritum eius in vobis. Spiritu Dei aguntur. In quo clamamus Abba Pater*, non quo clamamus. *Ipse enim spiritus testimonium reddit: spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Sequitur autem. *Ipse spiritus interpellat pro nobis.* Isque notatur *To pneuma*, qui articulus emphasim habet, et innuit quiddam diuinum, vti obseruat in voce *Logos* initio Euangelij Ioannis cum de Verbo agitur Maldonatus. Et quidem pro Persona Spiritus sancti hoc in loco poni probat Guilielmus Estius ex Origene, et Augustino: aitque. *Certe non alius quam Spiritus sanctus intelligi poterit.* Adijcio momentum ex ratione. Quòd si spiritus nomine Gratia vel virtus, vel donum aliquod veniat, impropria est locutio. *Interpellat pro nobis*, aliena quippe est à re inanimata, quæ non propriè interpellat, quòd id proprium personæ intellectualis sit. Præterea si de aliquo ex donis intelligeretur multo aptius esset dicere. *Postulat in nobis*, quam *pro nobis*, vti patet. Quare Vasquez hic cum suis quos citat recentioribus scriptoribus ad antiquos Patres remittimus, cumque ijs sentire, quam cum nouitijs malumus. Quanquam miror Vasquez eruditum, et diligentem authorem nullum ex priscis pro sua interpretatione patronum, cum aliquos posset, attulisse. Consulat qui volet Estium; inueniet, qui Vasquio patrocinentur.

Maldon. Estius Vasquez.

Quintum. Ioannes 16. est illa sententia de Spiritu sancto. *Non enim loquetur à semetipso: sed quæcunque audiet loquetur.* Hinc deduci videbatur Pneumatomachis, qui à semetipso non loquebatur, cum nec Ioan. 16.

suæ

suæ authoritatis, nec iuris esse, sed alieno subijci nutui, & arbitrio temperari. Facilis tamen est responsio ex doctrina missionum Theologica Personarum, quam hic tract. 96. tradidit Augustinus, quem sequitur, quod solet Beda, Spiritum sanctum non loqui à semetipso nihil esse aliud, quam non esse à semetipso; quemadmodum enim non est à semetipso, sed à Patre, Filioque procedit, ita nec loquitur nisi quæ à Patre, Filioque accipit ab illis procedēdo, quemadmodum paulo post dicit. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Miror Maldonato homini acuto minus ad eum locum Ioannis eam interpretationem placere, quod sit subtilis, & aliam inijcere certè non aptam, quam probat. Video, & sum eum legendo expertus, minus ei, quæ Augustini sunt expositiones placere, nec me latent causæ, quas aliquando aperiam. Solet ille nihilominus subtilibus, si quæ excogitet delectari. Monstremus igitur ei hāc veram, & genuinam eius loci expositionem esse: idque magna, & idonea cui refragari nequeat authoritate, nimirum hominum doctissimorum sui instituti, quibus hęc Augustini expositio probatur. Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Christo c. 19. Valent. de Processi. Diuinar. Personar. q. 1. p. 1. §. 25. Ruiz de Montoya de Trinit. d. 66. s. 7. n. 10. & 115. omnibus, qui de missione Personarum in Diuinis agunt cum D. Thoma 1. p. q. 4. per articulos 8. & ibi Molina, & Vasquez, & Suarez lib. 12. de Trinit. Imò ipsius Maldonati, qui eximius certè Theologus est, testimonio vti volo. Is comment. in cap. 15. Ioan. ad illa verba. *Quem ego mittam vobis à Patre.* sic. *Quod dicit, quem mittam vobis à Patre, Spiritum sanctum etiam à Filio procedere certum est argumentum. Nam etsi apertè non dicit à se procedere, tamen quia scimus nullam Trinitatis personam mitti dici, nisi ab ea à qua procedit colligimus Spiritum sanctum etiam à Filio procedere quando quidem ab illo missus est.* Et in cap. Ioan. 16. n. 14. exponens illa verba. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Quanuis initio cum ijs expostulet, qui ea ad missiones, & processiones Personarū trahant, & eas subtilitates nō solidas vocet, paulo post tamen ipse in eas incidit: seque subtilem præter opinionem reddit. *Neque verò nego colligi ex hoc loco Spiritum sanctum à Filio procedere, quin, etiam, atque etiā asseuero. Nam vt supra docuimus c. 15. n. 16. nulla persona mitti dicitur, aut ab alia quicquam accipere, nisi ab ea procedat: quamuis ipsum mitti, atque accipere aliud sit, quam procedere: illud enim temporale, hoc æternum est. Cum ergo Spiritus sanctus hoc loco à Filio dicatur accipere, à Filio vtique procedit.* Maldonati subtilitas hæc est: fruatur ipsa, & sinat nos alia simili Augustini frui: nam si Maldonatus ex eo quod vna persona accipit ab alia, deducit ab ea procedere: rectè deduxit Augustinus, quod Spiritus sanctus audit ex Filio, & audiendo accipit quæ loquitur, ex eo sequi à Filio procedere.

Sextum, sumitur ex loco illo Ioann. 17. *Vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Quo loco nulla facta mentione Spiritus sancti is à Diuinitate videtur excludi. Huic argumento iam ex parte respondimus, cum de Filio Dei egimus: qui etiam videtur excludi: sed quoniam eo vtcūque nominato maior existit de Spiritu sancto, cuius nulla fit mentio, dubitandi ratio, necesse est propriè ad argumentum respondere. Cum præsertim noua ei difficultas accedat ex illo alio loco D. Pauli 1. Timoth. 5. *Testor coram Deo, & Christo IESV, & electis Angelis, vt hæc custodias.* Vbi Spiritus sanctus à

[Margin notes: August. Beda — Maldon. — Bellarm. Valencia — Didacus Ruiz — D. Thom — Molina. Vasquez. Suar. Maldon. — Ioan. 17. — 1. Tim. 5.]

Deo ſeparatur ſilentio, & ad Creaturas, ideſt Angelos amandatur. Vnde anſam ij hęretici arripuerunt, qui eum Angelis adnumerarunt, de quibus nos anteà meminimus, & commemorat Athanaſius epiſt. ad Serapion. longiori. Athanaſ.

Hoc argumentum ſoluitur ex doctrina Patrum, & Theologorum dicendo, non opus eſſe omnes Perſonas vbique nominari, nam ſi eo eſſet opus, nec Filius Dei Deus, imò ne Pater quidem exiſteret, cum interdum ſolus Pater è Perſonis, & ſolus Filius Deus, ſine vllius mentione Perſonæ nominetur: ſatis eſt ergo nominari aliquando, & nuſquã negari. Conſtat autem ex cap. 3. Spiritum ſanctum ſæpè dictum Deum, & cum Patre, & Filio numeratum. Taceri verò illius nomen non eſt negare illi diuinitatem. Et ita fermè ſoluit Athanaſius citatus ad Serapionem. Quod autem vna, vel duæ Perſonæ ſolum nominentur non inferunt excluſionem alterius, vel duarum, immo potius inferunt communionem, & connexionem earum: quia cum omnes ſint vnum, & vnus, ac idem Deus, nequeunt ſeparari ſenſu, & re, licet ſono, & vocabulo ſeparentur. Cum præſertim ſint relatiuè, & ſimul ſint, & mutuò ſe inferant. Poſito enim Patre, eo ipſo Filius intelligitur, & ponitur. Et admiſſo Patre, & Filio aduenit Spiritus ſanctus. Ita Patres. Hieroth. apud Dionyſium de diuin. nomin. c. 2. ad illud 2. Cor. 8. *Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipſum, & vnus Dominus, &c.* & Athanaſ. orat. 4. cont. Arian. et dial. 1. de vn. Deit. cont. Macedon. et dial. 3. cont. eund. Nazianz. orat. 36. quæſt. 4. de Theolog. Chryſoſtom. hom. 5. de incomprehenſibili Dei natura, et tom. 5. orat. de Trinit. et de Serpente poſt med. Epiphan. in Ancorato, et hæreſi 69. Cyrill. Alexand. lib. 4. Theſauri c. 2. in medio. Cuius hæc ſunt verba. *Si ſolum Patrem aliquid habere dixerit naturaliter, nõ priuabitur tamen Filius eadem re naturaliter: ſolus enim Pater ea habere dicitur in quantum à nullo habet, ſed omnia quæ ſibi naturaliter inſunt Filius ſuus ex eo productus cõſequitur naturaliter.* Idem ſentiunt Patres Latini. Hilarius lib. 4. de Trinit. & lib. 9. Hieron. cap. 4. Matthæi, Auguſtinus lib. 3. cont. Maximin. c. 13. Leo Magn. ſerm. 2. de Pentec. c. 2. Huius eſt perſpicuum teſtimonium. *Quædam ſiue ſub Patris, ſiue ſub Filij, ſiue ſub Spiritus Sancti appellatione promuntur, vt confeſſio credentium in Trinitate non erret. Quæ cum ſit inſeparabilis, nunquam intelligeretur eſſe Trinitas, ſi ſemper inſeparabiliter diceretur.* Et Ambroſius lib. 3. de Fide ad Gratian. c. 2. præclarè. *Non ergo ſeparent Filium, cum legunt ſolum Deũ: nec Patrem ſeparent, cum legunt Filium ſolum. In terris Filius ſine Patre non eſt, & putas quod Pater ſine Filio ſit in Cælo!* Hic expreſſit rationem relationis; quam item expreſſit Hieronymus proximè adductus, ad illud. *De die illa nemo ſcit, niſi ſolus Pater. In Patre*, inquit *comprehendit Filium, omnis enim Pater Filij nomen eſt.* Ideſt, audito Patre, intelligitur Filius. Conſentit Anſelm. epiſt. de proceſſione Spiritus ſancti tractans illud Matth. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater.* Et Beda illo antiquior in hoc cap. Ioan. 17. & vtroque maior Fulgent. ad decimam obiect. Arian. Hanc regulam tradidit Sixtus Papa I. epiſt. 1. eamque varijs, ex ſacra ſcriptura locis inter ſe collatis probat, aduerſus eos, qui ſolum Patrem dicebant Deum.

Idem; Hieroth.; 2. Cor 8.; Athanaſ.; Nazianz.; Chryſoſt.; Epiphan.; Cyrillus Alexand.; Hilar.; Hieron.; Auguſt.; Leo M.; Ambroſ.; Hierõn.; Anſelm.; Beda; Fulgent.; Sixt. I.

Hanc doctrinam hauſtam ex Patrum fontibus in ſchola Theologi deduxere, adeò vt etiam admittant in aliquo bono ſenſu hanc propoſitionem. *Solus Pater eſt Deus*: nimirum ſyncategorematicè, ideſt *ſolus*

Pa-

Pater est Deus, quia nihil aliud à Patre est Deus. Quo eam sensu recipit D. Thomas 1. p. q.31. art.4. in corpore, & ad 1. & 2. *Filius quippe, & Spiritus Sanctus non sunt aliud à Patre*, sed alij: eandemque ibi cum ipso admittunt Interpretes, Bannez, Valent. Vasquez, Montoya, qui eam eruditissimè vti solet tractat, disp.40. & monstrat tutò dici posse secundum scripturas, & Patres. Meum non est diutius in ea immorari.

S.Thom. Bannez. Valentia. Vasquez. Montoya

Illud tanquam proprium vendico. Cur Spiritus sanctus eo in testimonio Ioan. 17. omittitur? cum admittatur *Pater, & Filius*, qui ambo nominantur? *Et quem misisti IESVM Christum*. Respondeo cum Cæsario (quem locum debeo Maldonato) idcircò fieri quia ibi agebatur de manifestatione Filij, eiusque Clarificatione, quod propriè ad Patrem spectabat. Vnde sustinuit Christus id, quod initio capitis proposuerat. *Pater Clarifica Filium tuum*. Quæ sanè idonea coniectura est. Id etiam occupo. Cur in sacris litteris huiusmodi testimonia sæpius omittunt Personam Spiritus sancti, quàm Filij? Ita enim legendo experimur. Respondeo rationem esse, quia cum Spiritus sanctus sit Amor, & Communio amborum, satis intelligitur inesse, cùm duæ aliæ personæ nominantur. Sufficit ergo eas nominari, vt Spiritus sanctus vtriusque amor, & vinculum consequenter significetur. Id verò obseruat Augustinus lib. 1. contra Maximin. vbi vim huius copulationis (sic vocat) ostendit, & lib.6. de Trinit.cap.10. *Ille ineffabilis complexus, Patris, & Imaginis eius*. Et ser. 38. de tempore. *Spiritus Sanctus est communio Patris, & Filij*. Et lib.11. de Ciuit. c. 24. *Spiritus Sanctus propriè vocatur tanquam sanctitas substantialis, & consubstantialis amborum*. Illud mire huc facit quod dicit lib.5. de Trinit.cap.14. *Pater, & Filius relatiuè ad Spiritum sanctum vnum Principium*. Posito igitur Principio significatur terminus Relatiuus, ad quem dicitur relatiuè.

Ioan.17. Cæsar. Maldon. August.

Septimum petitur ex Zachar. c.4. vbi sic. *Respondit Angelus qui loquebatur in me: & dixit ad me*. Hic erat Spiritus sanctus qui loquitur in Prophetis. Respondetur cum Athanasio in citata epist. ad Serapionem concedendo eum qui tunc loquebatur in Zacharia fuisse Angelum: nec id mirum esse: nam sæpè Deus loquebatur per Angelos. Quòd autem ille Angelus in Zacharia, non ad Zachariam loquebatur, & intimus erat loquenti, nihil absurdi continet. Cur enim non posset Angelus bonus efficere, quod Angeli mali toties faciunt loquendo in personis quas obsident? Itaque Pythonibus, & Pythonissis id contigit, non potuit autem Prophetæ afflante, et velut insidente ei bono Angelo accidere? Quod si id veremur concedere, quod in scripturis non sit exemplum, nec deceat Angelos in hominum corporibus insidere, eo sensu dixit Propheta loqui in se Angelum, quia dicenda sibi occultè dictabat, vt ea ille palam loqueretur. Tandem possumus ita soluere dicendo illum Angelum missum à Spiritu sancto fuisse, atque adeo verum, esse Spiritum sanctum per Angelum locutum, qui Spiritus sancti interpres erat, & cuius hic vicaria quodammodo opera vtebatur. Hæc sunt ex Sacra Scriptura desumpta argumenta.

Zach.4. Athan.

Supersunt quædam ex authoritate, & ratione. Primùm Basilius hom. 17. in S. Baptisma, dum ait. *Neque alienus est à gloria Dei spiritus ex ineffabiliori ineffabiliter prolatus: nec ipse Deus, sed Dei spiritus, & apud Deum, qui & à Deo mittitur, & per Filium nobis suppeditatur*. Hunc locum ita interpretatur Montoya, vt

Basil. Montoya

vt Spiritus Sanctus Deus esse negetur notionaliter acceptus pro Persona Patris respectu cuius appellatur Spiritus Dei, sicut etiam secunda persona dicitur Filius Dei, aut Verbum Dei, videlicet Patris. Idque suadet ex eo, quod idem Basilius subiungit. *Quemadmodum ex persona Patris*, dicitur spiritus meus, qui supra te est. Vult ergo Montoya, cuius solutio est obscura, vt neget Basilius Spiritum sanctum notionaliter esse Patrem. Quod sanè non potest cum verbis Basilij consistere. Nam ille loquitur de spiritu ab aliò procedente, quem vocat ineffabiliorem eo spiritu, quem profert, Patrem significans, à quo procedit Spiritus sanctus: qui siue tertia persona sit, siue prima de eo dicitur, *quod nec ipse Deus*, sed *Dei Spiritus*, perinde ac ille spiritus, quicunque sit, Deus non sit, sed spiritus Dei; atque adeo diuersum quid non à Patre, sed à Deo: quod nullo modo verum esse potest. Deinde Basilius non dicit Spiritum Dei non esse Personam, sed non esse Deum. Qua ratione nequit dici Spiritum sanctum non esse eundem cum Patre Deum. Itaque responsio non videtur idonea, aut eam ego certè non capio. Itaque respondeo: Basilium hic agere de dono Spiritus sancti nobis communicato ad extra: prout est Gratia, & Charitas creata, & Animæ et voluntati humanæ inhærens: vnde ait, *qui à Deo mittitur, & per Filium nobis suppeditatur*, quod de missione visibili intelligendum: de qua dixit Christus. *Quem ego mittam vobis à Patre*. Et iterum. *Accipite Spiritum Sanctum* Et in hoc sensu non est Deus, sed donum Dei, et Creatura.

Nazianz. Alter sit Nazianzenus: qui orat. 5. de Theolog. sub initium de Spiritu sancto loquens sic ait. *At verò nostri sapientes partim vim, quandam, & facultatem ipsum existimarunt, partim Creaturam partim Deum, partim vtro potius nomine vocandus esset, minimè certum, atque exploratum habuerunt, ea ratione: vt aiunt, permoti, quod scriptura neutrum horum planè, aperteque demonstrasset*. Primum non hic quæstio de mente Gregorij: qui vindex est acerrimus *Diuinitatis Spiritus Sancti*. Sed de ijs, quibus hanc tribuunt sententiam. Sanè Ethnici non sunt: hos enim supra remouerat. Dubium est, quid intelligat nomine *nostrorum sapientum*. Nam Patres sanctos non potest significare, qui Spiritum sanctum Deum agnouerunt, & coluerunt; nec in eos tam acriter inueheretur, quemadmodum hoc loco inuehitur, tanquam in impios: cum tamen hic *Pios, & doctos* appellet, *qui Spiritum sanctum Deum esse credunt*. Igitur quos *nostros sapientes* dicat, diligentius inquirendum. Ac primum puto rectè obseruasse Valentiam de process. Spir. s. q. 1. p. 1. §. 25. hoc loco fortasse deceptum Erasmum Roterodamum falsò, ac impiè dixisse *Veteres non fuisse ausos Spiritum Sanctum Deum appellare*. Qua de re infra cum eo expostulabimus. Igitur expensa serie orationis, & modo loquendi Nazianzeni, & scopo, & fine ratiocinationis nostros sapientes dicit, quosdam qui sophistæ appellabantur, & ad Fidem Christianam recens venerant, & Neophiti erant, quod genus hominum initio Ecclesiæ suspectum fuit, & obnoxium fallacijs, & præstigijs Diaboli, vt apparet ex Paulo, qui eos vetabat Episcopos creari, quemadmodum ait 1. Timot. 3. *Non neophytum*. Erant quippe opinione scientiæ turgidi, & ex tumore audaces, & temerarij, & suo scripturas sensu metiri conabantur; quo nihil periculosius. Hi ergo cũ vix tincti diuinis litteris sacras scripturas euoluerent, & in eos locos incurrerent, qui de Spiritu Sancto men-

Valentia

1 Tim. 3.

mentionem faciunt, nomine, & significatione spiritus turbati, quòd multiplex erat illius significatio, & quę interdum ad Deum ascendebat, interdum ad creaturas descendebat, perplexi, ac suspensi remanebant,& in biuio constituti minimè se expediebant,& diuina profanis miscebāt; nec quid esset Spiritus s. Deus ne, an creatura? satis explicabant. Ac de his queritur, & meritò Nazianzenus. Nam multos fuisse Sanctos Patres antiquiores, & coætaneos Nazianzeno, qui de Spiritu sancto rectè sentirent, Deumque esse crederent, cùm ex ipso eadem illa oratione constat, tum ex Basilio eius æquali, et amico, qui hac de re insigne reddidit illorum Fidei testimonium. Nam lib. 2. cont. Eunom. sub finem eius blasphemiam confutans Spiritum sanctum Creaturam nominantis, sic scribit. *Ex quo prædicatio veritatis denunciatur, neminem in hodiernum vsque diem audinimus, qui Spiritum Sanctum Creaturam appellasset.* Ex quo fit, vt neque Nazianzenus, cui et studij, et vitæ rationibus Basilius coniunctissimus fuit, illud à quoquam audierit, præsertim in tam illustri quæstione. Quomodo ergo Nazianzenus dicat quosdam Spiritum sanctum partim Creaturam, partim Deum existimasse, et Basilio non contradicat, videndum. Respondeo si sermo sit de ijs, qui prorsus negarunt esse Deum, et ex integro Creaturā dixerunt rectè amborum sensum constare: cum Basilius neget quenquam Spiritum sanctum Creaturam, idest nullatenus Deum, dixisse: Nazianzenus verò affirmet nonnullos ex parte Deū, et ex parte Creaturam existimasse, nec enim hi Deum prorsus esse negabant, sed mixtum ex creatura faciebant. Videbant quippe aliqua de eo diuina prædicari, aliqua creata, quæ propter rationem doni ad intra manentis, et extra manantis Spiritui sancto conueniebant, et ex hoc ansa errandi erat, existimando eum ex vtraque ratione coalescere. Alia item erit ratio euadendi, si dicamus Basilium de ijs, qui veteres in Ecclesia erant, in eaque diu et versati, et instructi, et multò ante baptizati, quamuis hæretici essent, fuisse locutum. Nazianzenum de ijs, qui ex Ethnicismo recens conuersi, & Neophiti erant, commemorasse.

Basil.

Vtcunque sit acriter est reprehendendus Erasmus, quod temerè dixit, Veteres non fuisse ausos Spiritum sanctum Deum appellare. Ita scripsit in Præfat. ad libros Hilarij. *Audemus*, inquit, *Spiritum Sanctum nominare Deum, quod veteres ausi non sunt*. Insignem Grammatici audaciam! qui cum nullius Theologiæ esset, aliquam tamen eruditionem sacram habuit, cuius tamen hoc dicto existimationem amisit; idque nostra hæc disputatio palam facit, quæ tot Patres in medium adduxit, quos mirum est Erasmum non legisse. Certè constat nec eum Basilij vidisse locum; & Nazianzeni, quem videtur legisse, minimè intellexisse. *Non cuiusuis est adire Corinthum*. Vt Paræmiasten Paræmia confutemus. Plus vidisset in scripturis, & Patribus Erasmus, si Grammaticus, quam Theologus esse maluisset.

Erasmus.

Hæc ab authoritate. A ratione duo inuenio excogitasse Hæreticos. Primum Eunomius proponit apud Basilium lib. 3. contra eundem. *Spiritus* est tertius ordine personarum, & numero: igitur ignobilis, ac proinde creatus. Inepta obiectio, & eo errore nixa, quod ille putabat solū Patrem Deum esse, qui Filium conderet primam Creaturam, vnde inferebat, si is qui secundus erat, creatura erat, & Spiritum sanctum, qui erat tertius, Creaturam fore. Rectè igitur respondet Basilius in Deo non esse

Eunom.

Basil.

esse ordinem, aut temporum, aut graduum, sed originum, quæ cum æternitate, & dignitate, & consubstantialitate stare potest: quemadmodum demonstrat Augustinus libris contra Maximinum præcipuè 3. & libris de Trinit. præcipuè lib. 2. 5. 6. 7. 11. 15. & Theologi cum Magistro in 1. à dist. 2. vsque ad 35. & cum D. Thoma 1. p. à quæst. 27. ad 43. ac imprimis q. 42.

August.

Magist.

D. Thom

Secunda ratio est desumpta à Processione Spiritus Sancti: nam ea non est, nec esse potest Generatio: igitur nec per eam produci Deus. Quomodo enim natura Dei nisi per generationem communicabitur? Cum omnis communicatio naturæ inter viuentes, qui sibi similes fœtus producunt, per generationem fiat? Negata itaque hac ratione communicandi naturam diuinam Spiritui Sancto, consequenter ei natura diuina denegatur. Huic nos argumento superius satis cum Augustino, & Patribus fecimus: & nunc id breuiter addijcimus, non esse omnino ad communicandam naturam necessarium, quòd via, & modus communicandi fiat per certam quandam actionem. Etenim Adam conditus fuit à Deo non generatus ab hominibus, & Homo tamen fuit, ac eiusdem nobiscum, qui generamur naturæ: & si quis alius eodem illo modo conderetur à Deo, eiusdem etiam humanæ naturæ, atque adeo homo esset, licet Filius dici non posset quòd genitus non esset ex homine. Vnde ad rationem Filij omnino pertinet generatio; nullatenus autem ad communicationem, & rationem naturæ. Itaque vterque, & Filius, & spiritus sanctus est Deus, cum eadem ijs natura communicetur, & insit Diuina; non tamen ambo sunt Filij, quia ratio est communicandi diuersa, Verbo per generationem, Spiritui sancto per spirationem: idque necessarium prorsus erat ad distinctionem personarum, quæ ex diuersitate originum resultat.

Tertia Ratio petita ex natura Amoris, & doni sic formatur. Spiritus Sanctus procedit vti datus, teste Augustino, per voluntatem, & ex vi suæ Processionis est donum, quod pugnat cum dignitate, & imperio, & dominio Dei, qui est author doni, non donum. Prætereà. Ratio doni ita respicit Creaturas, vt ad illas omnino referatur, & ordinem dicat. Non potest autem Spiritus sanctus, si Deus sit constitui per Relationem ad Creaturas. Itaque ex eo colligitur non esse Deum. Hanc etiam superius rationem soluimus, cùm de ratione doni in Persona spiritus egimus: eamque item Theologi soluunt 1. p. qu. 38. vbi S. Thomas agit de Proprietate doni, & quæst. 43. in qua doctrina de missione Personarum continetur. Breuiter hic dicimus Spiritum sanctum esse amorem, et donum ad intra per intimam, veram et realem à Patre, et Filio processionem: quorum est dilectio, et donum: quæ ipsa processio missio est, et dicitur. Et per hanc spirationem passiuam constituitur Persona Spiritus sancti in ratione Personæ, et refertur realiter ad Patrem, et Filium, vti sunt vnum principium spirandi actiuum, et dicitur spirator; quòd autem respiciat Creaturas, id oritur ex natura doni iam constituta, quod est natura sua communicabile; verum ille respectus non est aliquid reale, et positiuum adueniens à parte rei spiritui sancto, nec illum constituens, si sumatur formaliter, sed denominatio quædam, et veluti terminatio ad Creaturas, quibus non repugnat communicari, quòd ex natura sua sit Amor, et donum, quemadmodum etiam Verbum diuinum, ex

D. Thom

eo

eo, quod sit Imago continet in se rationem idealem omnium Creaturarum, & est repræsentatio, & Imago illarum, easque non solum respicit, sed etiam repræsentat, nec id eius officit, aut deitati, aut dignitati. Nam non omnis respectus ad Creaturas repugnat Deo, imo decent quidam respectus Deum, cuiusmodi sunt ij, qui eum Dominum Authorem, & Creatorem significant. Quin etiam Omnipotentia, sine illo ad Creaturas possibiles respectu nequit intelligi, *cum Potentia dicatur ad possibilia*, inquit Diu.
D.Thom Thomas 1.p. q.25. art.3. & tamen est Attributum Diuinum. Aduertendum tamen hosce respectus non esse veras, & reales relationes in Deo, sed potius denominationes, ortas ex illa connexione transitiua ad Creaturas, ad quas terminatur illud attributum, quod non est omnino ex integro, & omnibus modis absolutum, & in essendo, vti aiunt, & in denominando. Hac ratione expeditur argumentum, & nulla superest circa Diuinitatem Spiritus sancti difficultas, quæ non sit cùm satis soluta, tum commodè explicata.

SCHOLA IV.

DE PROCESSIONE SPIRITVS SANCTI AB VTROQVE, ET PATRE ET FILIO.

CAPVT PRIMVM.

Status quæſtionis proponitur, & argumenta Græcorum negantia afferuntur.

CVM ex amore Patris, & Filij eſſentiali,& mutuo,quẽadmodum proximè ex doctrina Patrum diximus, procedere Spiritum sanctum conſtet: Supereſt ſcire quomodo ab ijs procedat? Nam vel poteſt ab vno, vel ab vtroque fieri proceſſio. Et quidem à Patre non poſſe, videtur ſuaderi,eo quòd Pater generat Filium, atque adeo impleuit munus producendi. Vnde Filio ne ſit ſterilis debet relinqui altera Spiritus sancti productio. Rurſum ſoli Patri videtur conuenire productio Spiritus sancti, nam cùm ipſe ſit Principium, & fons Diuinitatis, (vti eum appellare Patres conſtat) quẽadmodum ſolus genuit intelligendo verbum, ita & æquum eſt, vt ſolus eumdem amando ſpiret Spiritum sanctum: ne minus potens ad vnam quam ad alteram productionem eſſe videatur. Contra nihilominus dici poteſt; quia cum Filius ſit Perſona conſtituta in eſſe Dei, & Filius, & Imago Patris, & vnus,& idem cum Patre Deus aliquid cum eo item debet producere,ne vti proximè dixi ſterilis appareat. Cum preſertim amet Patrem,& ametur à Patre: vnde neceſſe eſt Amor exiſtat communis ambobus,& ab vtroque ſimul fiat proceſſio illius. Cur enim erit Filius, aut non amando otioſus, aut non ſpirando auarus, & infœcundus? Ex alia parte difficultas exiſtit, quomodo ambo poſſint concurrere ad eam productionem. Nam vel erunt duo, vel vnum principium. Duo ſuadet diuinitas perſonarum. Vnum ſuadet vni-

vnitas naturæ. Ita mens ambigua, & incerta manet in vtram partem inclinet, diſtrahente hinc inde alia atque alia ratione. Accedit, quod illa productio, ſiue actiua ſpiratio eſt origo actiua, quæ eſt notio relatiua, non eſſentia abſoluta, ſecundum quamminimè conuenire poſſunt, aut debent Pater, & Filius, nec enim conueniunt niſi in eo quod eſt commune abſolutum: At nunc in notionali, & relatiuo neceſſe eſt conueniant, ſi ambo Spiritum ſanctum ſpirando producant. Duo autem principia eſſe nequeunt integra, & diuiſa, quia non ſpirant præcisè, vti Pater, & vti Filius relatiuè, ſed vti amantes, quod eſt quiddã commune ambobus, & in quo ambo conueniunt, non differunt. Vnde Auguſtinus lib.5. de Trinit.cap.14. *Pater*, inquit, *& Filius non ſunt duo principia, ſed vnum principium*. Et ita reſoluit D.Tho. 1.p. q.36. art. 4. & ibi Interpretes, & cæteri Theologi communiter cõtra Durandum, et Gregorium: quemadmodum videre eſt in Valentia, & Bannez, & Vaſquez, ad illum articulum. Hinc apparet ſtatus quæſtionis. In qua Græci, quos ſupra retulimus, aiunt Spiritum ſanctum ab vno, & ſolo Pane excluſo Filio procedere. Argumentantur vero Scripturis, Concilijs, & Patribus, & rationibus.

Auguſt.

SECTIO I.

Argumenta Græcorum ex Sacra Scriptura.

PRimum occupant noſtram ſententiam illo dicto S. Dionyſij, quod affertur à D. Thoma hac de re differente q.36. art. 2. *Non eſt audendum dicere aliquid de ſubſtantiali diuinitate præter ea, quæ diuinitus nobis ex Sacris eloquijs ſunt expreſſa*. Sed in Scriptura Sacra non exprimitur proceſſio Spiritus ſancti à Filio; ergo non debet poni, nec affirmari. Non exprimi autem, imò contrarium exprimi in Scripturis, probant.

S.Thom.

Primò. Ioannis 15. nu.26. *Cum venerit Spiritus Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Quod teſtimonium, ita poſuit Marcus Epheſius ſeſs.23. Concilij Florentini. *In his cum Diuinæ Perſonæ tres ſint, tribus Verbis Saluator eſt vſus, quæ ſingulis perſonis congruenter reſpondent: & de Spiritu quidem ait. Cum venerit. De ſe vero vna cum Patre: quem ego mittam vobis à Patre: rurſus autem de ſolo Patre, qui à Patre procedit, & vide* (agebat quippe cum Ioanne Theologo Latino) *accuratam Theologiæ rationem: nam per illa verba: Cum venerit, libertatem, ac dominium Spiritus oſtendit: Per illa vero: quem ego mittam vobis, ſuum, & Patris beneplacitum ad mittendum, & manifeſtandum Spiritum: per illa vero, qui à Patre procedit, cauſam Spiritus, & vnde is habeat eſſe*. Cauſam vocat more Græcorum, qui *Principium Cauſam* dicunt.

Ioan. 15.

Marcus Epheſ.

Ioannes Theol.

Secundò. Ioannis 14. ait Chriſtus. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*, num. 16. & iterum ibi: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*, num.27. Solius Patris facit mentionem: perinde ac is ſolus Spiritum ſanctum ſpiret, ac producat. Imo vtitur verbo proprio. *Dabit*, quod reſpicit donum: quippe quòd Spiritus ſanctus procedit, vti *Datus*, teſte Auguſtino. Cum ergo de Patre ſolo dicitur *Dabit* de ſolo Patre dicetur *Spirabit*. Neutrum autem hic dicitur de Filio.

Ioan. 14.

Auguſt.

Tertiò. Cap. vltimo Lucæ habetur ex ore Chriſti. *Ecce ego mitto promiſſum Patris mei in vos*. id eſt Spiritum ſanctum, quemadmodum in-

Luc. vlt.

interpretantur Patres, & ex verbis textus apparet. *Dicit promissum Patris*, quasi ad eum pertineat, & promittere, & dare. Nam qui potest dare donum, ille potest promittere: & contra ille solus cum veritate promittit, qui potest dare. At Christus non promittit, ergo non dat: Sed solus Pater vtrumque præstat.

Quartò. Ac meo iudicio fortior est ille locus minus quidem obseruatus, sed dignior animaduersione Ioan. 16. nu. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Hic videtur fauere processioni ex Filio: et illud, quod subiungit. *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*: quibus verba vtuntur Latini ad probandam ex filio processionem. Sed inde existit obiectio. quia sequitur, *Propterea dixi, quia de meo accipiet*, id est, ideo *de meo accipiet, quia quæcumque habet Pater mea sunt*. In quo est vis maxima ad probandum Spiritum sanctum non procedere à Filio. Nam, ne quis putaret sequi ex eo, quod omnia quæ sunt Patris, sunt etiam Filij, inter quæ cum sit virtus spirandi, hanc etiam esse Filij: cumque spiratorem etiam esse, quasi vellet Christus, hoc argumentum euertere excepit se ideo dixisse: *De meo accipiet*, quia de diuinitate Patris, quam communicarat Filio accepisset: qua ratione non sequitur Spiritum sanctū accipere quicquam à Filio, sed accepisse à Patre, quod erat item Filij, et in Filio: id est diuinam naturam, quæ cum esset Patris, erat etiam Filij, qui vnus erat, et idem Deus cum Patre. Si enim alia mens esset Christi, et docere nos vellet se item cum Patre Spiritus sancti esse principium, non illam exceptionem faceret. *Propterea dixi*, reuocans sensum ad aliam sententiam. *Quæcumque habet Pater mea sunt*. Nam hæc limitatio sensus restringit mentem ad illam significationem, quam diximus. *Propterea dixi de meo accipiet*, non quòd à me accipiet, sed *de meo*, id est de eo, quod ego accepi, et habeo à Patre, idest de diuinitate mea, quæ eadem est cum diuinitate Patris.

Ioan. 16.

Quintò. Argumentantur negatiuè. Non datur locus vnde probetur Filium esse principium Spiritus sancti, ergo non est asserendum hunc ab illo procedere. Patet: quia vnus ex his, quæ afferuntur, et quidem validior, et quem sæpè Latini ingerebant, erat is quem modo produximus, eoque in Concilio Florentino maximè vrgebant Latini Græcos, Authore magno, et idoneo Augustino, vt patet ex sess. 23. pag. 549. in collectione Binij: qui cum Basilio ibi à Ioanne Theologo citatur. Sed is minimè rem continere videtur, vti proximè argumentando diximus, eique respondit Marcus Ephesius, tum sess. 18. tum 23. vbi ex Patrum doctrina conatur ostendere eum locum. *De meo accipiet*, nihil ad processionem Spiritus sancti ex Filio conferre: sed tantum ad probandam diuinitatem Filij, et consubstantialitatem cum Patre. Itaque eo vsos fuisse Patres aduersus Arianos ad tuendam Filij cum Patre æqualitatem, et Omousion, et ad summum contra Macedonianos negantes Deum esse Spiritum sanctum: ad hanc etenim probandam locus etiam ille extendebatur, ad processionem vero minimè pertinebat. Hæc ibi multis Ephesius. Imò ex interpretibus, et Commentatoribus Euangeliorum vnus, et nobilis Maldonatus est in eadem cum Ephesio sententia. Ita enim ibi. *Recepta vulgo recentiorum sententia est, quia de meo accipiet, id est ex me procedit, qua de re multas, hic apud quosdam nescio quàm solidas, nescio quàm ad rem accommodatas subtilitates inuenio, quas ne recitare*

August.
Basil.
Maldon.

re quidem velim. Tantùm dico mihi perſuaſum eſſe omnino eum non eſſe ſenſum. Cur enim non dixit clarius, de me, aut à me accipiet? Cur non accipit potius, quam accipiet, cum proceſſio Spiritus ſancti à Patre, & Filio non futura, ſed præterita iam eſſet? Nam etſi ad hoc à quibuſdam reſponderi ſcio malim equidem nihil dicere, quam id dicere, quod dicunt. Præterea quomodo cum ea interpretatione hærere poteſt. Omnia quæ habet Pater mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet? Pergitque alijs rationibus hoc teſtimonium extenuare, ne proceſſioni à Filio accommodari poſſit, & in commentar. ad num. 15, eadem quæ ibi repetuntur verba, aliò trahit, quàm ad proceſſionem; & de eadem cum Patre Diuinitate, & Omouſio intelligit, & multos producit Patres, qui ex ea ſententia. *Omnia, quæ habet Pater mea ſunt*, contra Arianos argumentum, pro Filij cum Patre conſubſtantialitate formarunt. Inter quos ſunt Athanaſ. Nazianz. Epiphan. Cyrill. Idacius, Leontius, Theophylactus.

SECTIO II.

Argumenta ducta ex Concilijs.

HOc præcipuum Marci Epheſij viri non vulgaris eruditionis in Florentina Synodo acerrimi diſputatoris argumentum contra Latinos fuit. Concilij Niceni, Conſtantinopolitani, Epheſini, et Chalcedonenſis, & quæ illa ſunt deinceps vniuerſalia ſecuta, Conciliorum irrefragabilis authoritas: nec ea, aut priuatorum Patrum ſententijs expreſſa, aut in Canonibus, quãquam hæc eſſet idonea, ſed Symbolo, quod multò eſt ſacratius, contenta, & edita. In Niceno igitur Symbolo Fidei Catholicæ nobili oraculo intra Cortinam Spiritus ſãcti concepto, & inde Eccleſiæ Catholicæ reddito, nullum de illius proceſſione verbum ponitur. Sed tantum Diuinitas aſſeritur. Vnde aliud expectandum fuit. Hoc eo pertinet, vt nihil temerè ſit ſtatuendum in hac quæſtione, de qua tot, tamque graues, ac Sancti Patres decernere noluerunt: eoque poſteros docuerunt ab huiuſmodi controuerſijs abſtinendum. Conſtantinopolitani Concilij Patres, quod noui hæretici Pneumatomachi Arianis acceſſerant, retenta Symboli Niceni formula nonnulla latiùs expoſuerunt, & quæ ad Spiritus ſancti Diuinitatem, & proceſſionem ſpectabant adiecerunt. Cum enim in Symbolo Niceno tantum haberetur. *Et in Spiritum ſanctum*. Addidere. *Dominum, & viuificantem ex Patre procedentem: cum Patre, & Filio ſimul adorandum, & conglorificandum, qui locutus eſt per Sanctos Prophetas*, vbi diſtinctè propoſuit Concilium quid de Diuinitate, & proceſſione eſſet credendum: ac illud obſeruandum, quòd in Proceſſione ſolius Patris mentionem fecerit, in adoratione autem, & glorificatione eiuſdem Patris ſimul, & Filij nomina expreſſerit. Quod quid aliud fuit, quam docere Proceſſionem ſolius Patris propriam eſſe: Diuinitatem Patris, & Filij communem? itaut Spiritus ſanctus in ratione Perſonæ procedentis à ſolo Patre haberet originem: in ratione Deitatis cum Patre, & Filio eſſentiam haberet communem. Nam non potuit fieri, vt ſi Spiritus Sanctus procederet etiam à Filio, de eo ſileret Concilium, cùm non tacuerit de adoratione communi cum Patre, & Filio. Idcirco igitur hanc expreſſit, illam ſuppreſſit, quòd illa non erat Patri, Filioque communis: quemadmodum hæc erat communis vtrique.

InConcilio Epheſino Symbolum tantummodo Nicenum fuit recitatum:

[Margin notes: Con. Nic (beside "tenta, & edita. In Niceno igitur"); Concil. Conſtan. (beside "diſtinctè propoſuit Concilium quid"); Concil. Epheſ. (beside "InConcilio Epheſino Symbolum")]

tum: nulla de Constantinopolitano commemoratione. Itaque de Processione Spiritus sancti nihil significatum. Adeo vt neque in tertia quidem parte, vbi ponuntur varia Cyrilli opuscula, & inter ea commentarius in Sanctum Symbolum de Constantinopolitana formula vlla sit facta mentio. Quare in Ephesina solum obtinuit silentium: quod magis fauet sententiæ Græcorum, idque animaduertit Ephesius in Concil. Florent. sess. 5. verum illud maximè facit ad causam, quod Patres Concilij Act. 6. vt obuiarent nouis additamentis, & glossematis occasione Charisij Confessionis vetuerunt, ne quis auderet componere, aut proferre alteram Fidem, quem locum attulit in defensionem suæ sententiæ, Marcus ille Ephesius, in Concilio Florentino. Act. 6. Itaque non solo silentio Ephesini Patres Græcorum sententiæ suffragantur.

Marcus Ephes.

Concil. Chalced.

Concilium Chalcedonense. Act. 1. Symbolum reddidit Nicenum, prout Ephesi fuerat recitatum referendo acta Synodi Ephesinę. Actione 2. in principio vtrunque, & Nicenum, & Constantinopolitanum Symbolum legitur, & probatur à Patribus, qui vtrumque edunt, & fidem in eo contentam vno ore fatentur, & inter alia illa verba *ex Patre procedentem*. Illud rem maximè continet, quòd Actione 6. in Definitione Concilij Chalcedonensis, (sic enim inscribitur) vtraque Symboli formula, tum Niceni, tum Constantinopolitani disertè habetur, sed Nicena nonnullis additis, quod numquam antea factum obseruo, & Constantinopolitana fideliter, vti concepta primum fuerat retenta, & recitata: vbi est particula. *Ex Patre procedentem*, & ea professione emissa subiungunt Patres. *De Patre, & Filio, & Spiritu Sancto perfectionem docet; ac Domini nostri inhumanationem fideliter accipientibus repræsentat*: quo monemur nihil deesse ad perfectam notitiam, & Fidem de Trinitate Personarum habendam, cumque ibi sit Processio ex Patre, eam solam ad constitutionem Spiritus sancti, si origo spectetur, & principium, sufficere, eaque processionem compleri. Imò, quod magnum secum ad causam momentum affert, statuit Concilium, ne cui liceat alteram Fidem *proferre, aut conscribere, vel componere, aut sentire, aut alios docere*, & addit. *Eos autem, qui audent componere Fidem alteram, aut proferre, aut docere, aut tradere alterum Symbolum, volentes ad agnitionem veritatis conuerti, vel ex gentilitate, vel ex Iudaismo, vel ex hæresi quacunque, hos si Episcopi fuerint, aut Clerici alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à Clero: Si verò Monachi, aut laici fuerint, anathematizari eos.* Hoc caput lectum fuit in Concilio Florentino sess. 6. & à Marco Ephesio ad tuendam Processionem à solo Patre productam, & conclusit ex illius verbis constare nihil deesse, atque adeo non licere additamentum: quod erat omninò perfectum.

Concil. Florent.

Quinta Synod.

Idem argumentum sumitur ex Quinta Synodo, Actione, siue Collatione Sexta, vbi Ioannes Patriarcha Constantinopolitanus, facta mentione Symboli Niceni, & Constantinopolitani affirmat, eorum doctrinam fuisse ab Ephesino, & Chalcedonensi Concilio probatam, & confirmatam: eiusque verba recitantur, & statim adhibetur ipsummet Symbolum Constantinopolitanum cum eodem Decreto Synodi Calcedonensis, quod proximè adduximus, illam formulam inuiolatam fore iubentis: adiuncto alio Decreto Vigilij Papæ inserto in Epistol. ad Eutychium Patriarcham, quo ratam vult eamdem Fidei in tribus illis Synodis probatam,

Vig. Pap.

tam,

tam, & cōmendatam professionem: & anathema dictum ijs, qui innouare illam, ac mutare vellent, commemorat. Referuntur hæc in Concilio Florentino sess.6.pag.439. & 440.

Florent.

Sexta Synod.

Accedit Sexta, & Vniuersalis Synodus Actione 18. vbi eadem Confessio Symboli vtriusque cum approbatione tertiæ, quartæ, & quintæ Synodi affertur, & stabilitur, & Agathonis Papæ testimonio confirmatur. Hæc item sunt sess.6. Concilij Florentini, pag. 440. & 441. Marco semper Ephesio, hæc exempla ingerente, ac inculcante.

Septima Synod.

Septimæ Synodi, siue Niceni Concilij secundi eadem mens, & constitutio fuit: nam Actione 7. prolata definitione statuit, vt Fidei Catholicæ traditio à sex Vniuersalibus accepta Concilijs *immutilata seruetur*, & illa expromit verba, quæ rem continent. Sic enim ibi. *Igitur cum omni diligentia perscrutantes, & discutientes, & intentionem veritatis sectantes nihil adimimus, nihil addimus*. Hic perspicuè additamenta prohibentur: ne quis excuset hoc prætextu, quod additur non mutare, aut variare fidem, ipsam in adijciendo audaciam. Hic etiam locus proponitur ab eodem Marco Ephesio in Concil. Florentin. sess.6. omnia accuratè, ac eruditè cumulante: & sæpè eadem argumenta exempla nixa Conciliorum opportunè ingerente.

Octaua Synod.

Ex octaua Synodo nullum Ephesius attulit testimonium. Adducamus nonnulla. Actione 4. profertur Epistola Nicolai V. ad *Michaelem Imperatorem*, vbi sic. *Pristinum Sanctorum Patrum traditionem, quam à prædecessoribus nostris Pontificibus, qui post Beatum Petrum in eius Apostolica Sede resederunt nobis obseruandam suscepimus, & hactenus immutilatam hæc sancta Catholica, & Apostolica tenet, ac defendit Ecclesia*. Si traditio immutilata seruatur, maiori certè iure doctrina inuiolata seruabitur. Actione 8. exhibetur Canon XX. Martini Papæ Romani in rem natus. Ita enim. *Si quis secundum sceleratos hæreticos quomodocumque, aut verbo, aut tempore, aut loco terminos transmittens illicitè, quos posuerunt Ecclesiæ Patres, & Sanctæ, & vniuersales quinque Synodi nouitates temerè adinuenire, & Fidei alterius expositiones, aut typos, aut leges &c. tortuosè, & callidè agat, in sæcula sit condemnatus*. Hic propriè de Symbolis, & Fidei professionibus loquitur, & nouitates, si quæ mutentur, appellat.

Mart. I.

Non est alienum ab hoc loco aliud testimonium Canonis 1. Actione 10. Compendij eiusdem Concilij positum pag.769. quo sanctiones Ecclesiæ Catholicæ, & traditiones dicuntur exactè seruari, & custodiri. Inter has autem esse Symbola illa, & articulos eorum manifestum est. Igitur seruanda eorum formula, & custodienda.

Hæc satis de Synodis Oecumenicis. Veniamus ad eas quæ particularium nomine appellantur. Ea certè cum ijs consentiunt. Romanum sub Iulio Pontifice I. Concilium centum, & sedecim Episcoporum recitauit Symbolum Nicenum purum, & probauit. Eiusdem Symboli doctrinam recipit, & commendat Synodus Alexandrina, sub Liberio. Prima, & secunda Antiochena sub eodem in Epistola Synodali missa ad Iouianum Imperatorem Symbolum Nicenum inseruit. Eadem fidei professio in Synodo Illyrica ad Episcopos Orientales scripta habetur, & mirificè cōmendatur. Hanc in Romano Concilio II. Damasus cum Patribus statuit, vti tradita est, ita firmiter retinendam esse. Eam idem Pontifex in Romano Concilio III. latius expositam, sed nullatenus auctam, mu-

Conc. R. sub Iul. I

Synod. Alexan. Antioch.

Concil. Roman. sub Dam

mutatamuè proponit, & mittit tanquam formulam Fidei ad Paulinum Episcopum Antiochenum. Imò ibi perspicuè. *Si quis non dixerit Spiritum Sanctum de Patre esse verè, ac propriè, sicut & Filium de Diuina substantia, & Deum Dei Verbum anathema sit*. Ecce solum Patrem ad rationem procedendi nominauit: cum ad veritatem participandi naturam diuinam Filium in exemplum adduxerit. In Concilio Carthaginiensi 3. sub Siricio præmittitur Confessio Fidei Nicenæ, etiam post Constantinopolitanam Symbolo aucto editam. Vno Verbo per quatuor illa, & amplius secula vsque ad primum Concilium Toletanum congregatum anno 400. nulla Filij mentio in Processione Spiritus sancti inuenitur. Tunc ea primum à Prouinciali Concilio inducta, & recepta iterum in Concilio Toletano sub Pelagio Papa II. quod Tertium Toletanum dicitur, tomo 2. p. 2. pag. 272. col. 1. ad fin. in quo Canone III. non credenti Spiritum sanctum ex vtroque Patre, Filioque procedere anathema dicitur pag. 275. Idem habetur in 4. Honorio I. & Sisenando Rege celebrato. Verum non fuisse hanc Doctrinam communem Ecclesiarum Hispaniæ patet ex alijs aliarum Prouinciarum Concilijs, vbi ad annum fermè 600. altum ea de re silentium fuit. Certè primum, & secundum Concilium nullam prorsus de Processione Spiritus sancti à Patre, & Filio mentionem fecerunt, cum tamen secundum de Trinitate luculenter egerit, & Canones condiderit. In tertio quidem habito Anno Domini 675. Vvambano Rege, & Adeodato Papa in recitatione Symboli Fidei, quod *ibi Nicenum dicitur*, *cum potius dici Constantinopolitanum deberet*, *ponit*. *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum viuificantem ex Patre, & Filio adorandum, & glorificandum*. Vnde apparet in antiquis Concilijs eam particulam non inueniri, sed recentius esse exemplum. Id satis est: nec in editis Hispaniæ, si ea percurras, neque in Gallicanis, nec in Germanicis per 500. fermè annos celebratis Synodis illius ex vtroque processionis commemorationem factam reperiri. De Generalibus constat. Itaque Concilia non iuuant ad eam doctrinam, vel adstruendam, vel sustinendam.

Damas. | Concil. Carthag. sub Siric. | Concil. Tolet. 3. | Tol. IV. | Concil. Tol. III.

Quod si quis objiciat Concilium I. Bracharense nuper inuectum à Fr. Bernardo de Britto, qui eius exemplum inuenisse se dicit in Archiuio Conuentus Alcobatiæ, & antiquius omnibus Toletanis fuisse idem author reuocato ad antecedens tempus anno affirmat: vbi in professione Fidei illa particula *Filioque* inseritur, negandũ omnino est illud extitisse Concilium, atque adeo suppositum fœtum esse, quem Bernardus Britto elegans certè, & concinnus author sui Ordinis studiosissimus, ad eius gloriam inuexisse videtur. Idque nos olim in nostra de Sancti Iacobi in Hispaniam Aduentu Diatriba satis opinor ostendimus, & fusiùs in nostro, quod de Concilijs adornamus opere, ostendemus.

Concil. Brachar.

SECTIO III.

Argumenta ex Patrum authoritate.

AD Patres maximè Græcos prouocant Græci, quemadmodum apparet in acerrimis illis habitis in Florentino Concilio cum Latinis Græcorum, præcipuè Marci Ephesij, qui eorum Achilles habebatur, Disputationibus. Hic ergo initio Concilij sess. 3. ad fin. id primum iecit. *Non licere per Patres addere quicquam Symbolo Fidei*. Et sess. 15. Hortatur Latinos vt, *cum Patri-*

Concil. Florent. | Marc. Ep

Patribus coniuncti eſſe velint, & communes reuereantur Parentes. Ac in ſeſſ. 18. quæ eſt ſecunda Florentiæ adducit teſtimonia Epiphanij, Chryſoſtomi, & Cyrilli, Alexandrini, & paulo poſt Baſilium a ſe ſtare contendit, idque maximè vrget, vt tantum ſibi patronum adſciſcat, vti apparet ex ſeſſ. 19. & 20. & 21. vbi etiam ſibi vendicat Athanaſium, citatque Nazianzenum. Seſſ. 22. iterum de Baſilio in quo erat ſumma quædam authoritatis Ioannes, & Epheſius degladiantur. Iam vero ſeſſ. 23. Marcus Dionyſij Areopagitæ, & Gregorij Thaumaturgi, & Nyſſeni, & Nazianzeni præſidio ſuam ſententiam munit. Quid? quòd Græci, quorum præcipui erant Heraclenſis, & Epheſius, Monembaſcenſis; & Anchialenſis, & Magnus Bibliothecarius cùm ad eos mitterentur, qui ſuaderent ſententiæ Latinorum ſubſcribere, reſponderunt: *nos Sanctorum dicta ſcripſimus, & miſimus* ſeſſ. 25. pag. 285. quaſi Patres in partibus haberent. Hoc alij omnes Græci Schiſmatici dicere: hoc vnum Latinis obijcere, eo ſe à nota rebellionis defendere. Vti conſtabit legentibus, tum eorum libros, tum noſtros. Inſtar omnium ſint Georgius, ſiue Gennadius, Veccus, & Blemidas, & Beſſarion ex Orthodoxis: Palamas, Planudes, & Emmanuel Cretenſis ex Heterodoxis. Sed paucos hi tamen citare nominatim ſolent. Eo maximè nituntur, quòd communiter antiqui Græciæ Patres ſolius Patris cum de huiuſmodi proceſſione agitur meminerunt. Horum nos aliquos afferamus. Primus eſto Dionyſius Areopagita lib. de Diuin. nomin. cap. 2. in hæc verba. *Solus Fons ſuperſubſtantialis Deitatis eſt Pater*. Sanè ſi Filius Spiritum ſanctum produceret non ſolus Pater Deitatis Fons eſſet. (Dionyſ.)

(Atanaſ.) Athanaſius Dialogo 1. de S. Trinitate col. 3. ait. *Pater emittit Spiritum Sanctum*. De Filio tacet. Nazianzenus orat. 32. quæ eſt 2. De Theologia ſæpè dicit Spiritum ſanctum *eſſe ex Patre*, & orat. 39. in ſancta lumina circa med. nec non orat. 29. de dogmate, & conſtitutione Epiſc. & orat. 26. de moderat. in orat. ſeruanda, & Carm. Arcano 3. init. & ad med. eadem vtitur phraſi. (Nazianz.) Baſilium maiore vi obijciunt in Epiſt. 43. vbi ſic. *Nullam ſecundum propriam notionem communionem habet Filius cum Patre*. Quæ negatiua vera n[illegible]t ſi Filius Spiritum ſanctum produceret; foret enim vnus ſpirator cum Patre, & communem cum eo notionem haberet. (Baſil.) Cyrilli validum item eſt teſtimoniũ: nam Epiſt. ad Anaſtaſium Alexandrinum: explicans Symbolum Nicenum prope finem de Spiritu ſancto dicit: *Profunditur quidem, hoc eſt egreditur, ſicut à Fonte, Deo Patre: conceditur autem Creaturæ per Filium*. Videtur perſpicuè tradere Spiritus ſancti proceſſionem ad intra cum manet ex Fonte Deitatis à ſolo Patre, qui eiuſmodi Fons eſt, & dicitur produci: ad extra vero quando communicatur Creaturis à Filio ſimul cum Patre mitti, & donari. Nam quid opus erat ea diſtinctione, ſi Spiritus ſanctus, & ad intra, & ad extra cum mittitur, & donatur, ab vtroque procederet? (Cyrill.) Gregorium Nyſſenum ſuum eſſe dicunt, quod lib. de differ. eſſent. & hypoſt. ſic ſcribit de Filio. *Nullam quantum attinet ad propriam notam, & peculiare inſigne, communionem habet, vel cum Patre, vel cum Spiritu Sancto*. At ſi Filius ſpiraret Spiritum ſanctum, iam is cum Patre communem haberet ſpirationem. (Gregor. Niſſen.) Iuſtinum vendicant, quod in Expoſit. Fidei de Trinitate ad medium mentionem facit proceſſionis Spiritus ſancti à Patre, nulla facta commemoratione Filij. Eo nomine (Iuſtinus)

trahunt ad se Ephrœmum Syrum tomo 3. poster. opusc. de sui reprehens. vbi nominato Patre, silet de Filio. Eodem vindicant Anastasium Theopolitanum in compendiar. expositione Fidei, & Theodoretum. Roman. 8. ad illud. *Propter inhabitantem Spiritum Dei in vobis*, & 1. ad Corinth. 2. Iactant ex Latinis habere in partibus Ambrosium; nam in Symbolo Apostolico cap. 10. & 11. & lib. 1. de Spiritu sancto cap. 1. loquens de Processione illius eam Vni Patri assignat. Iam verò Damascenum non tam ij vendicant, quàm à Latinis donatum accipiunt. Et quidem vti superius diximus grauis eum author D. Thomas quæst. 10. de Potentia art. 4. in illa Græcorum asserit fuisse sententia. Et quidem locus videtur manifestus, sic enim ait lib. 1. Fidei cap. 11. propè fin. *Spiritum per Filium esse dicimus, sed ex Filio Spiritum Sanctum non dicimus*. Etsi vero quidam cum Bessarione ad finem Concilij Florentini orat. pro vnione cap. 6. & Gennadius, & Recentes Latini Theologi ad quæst. 36. 1. p. D. Thomæ, vti Valent. Vasquez, & Montoya exponere, & trahere ad suum sensum velint, nihil sanè proficiunt, & cum suo Doctore, quem commentantur, pugnant. Perspicuè loquitur Damascenus: Dum negat *ex Filio* procedere cum illud *ex* significet vim, & notionem Principij. Vnde Ecclesia, vt hoc indicaret, posuit in Symbolo *Ex Patre*: & cum addidit Filium eandem illi præpositionem applicauit. Adijciunt Damasceno alium, de quo item non ambigunt, Maximum in Epist. ad Marin. vbi idem, quod Damascenus docet, & ait Latinos non concedere Filium esse *Causam*, idest, *Principium* (perinde est enim apud Græcos) Spiritus sancti. Tandem illum, quem supra commemoraui-

Anastas. Theoph. | Theod. | Ambros. | Damasc. | D. Thom | Bessarion | Vasquez. | Max.

mus Theologorum Græcorum verticem Nazianzenum suæ authorem sententię faciunt: dum orat. 24. ad Episcopos, qui venerant ex Aegypto sic expressè dicit. *Si quicquid Pater habet idem excepta Causa Filij est, quicquid item Filius habet, idem quoque Spiritus Sancti est, si Causalitatem exceperis*. Cuius sensus est. Omnia quæ sunt in Patre inesse Filio præter id, quod est esse Principium. Cum ergo Pater sit Principium Spiritus sancti, hoc certè non est Filius, quemadmodum Spiritus habet omnia, quæ sunt in Filio excepto eo quod nascitur ex Patre: verum quidem est Latinos hoc testimonium detorquere conari ab hoc germano, aiunt, sensu, sed violenter, & cum gemitu textus: idque apparet ex eo, quod loco *Causalitatis* legunt Filietatem. Quemadmodum videre est apud Montoyam d. 67. s. 9. n. 10.

Coronidem imponunt Gręci huic authoritatis Patrũ argumento, Leonis Papæ Tertij optimi Pontificis miraabili decreto. Statuit is: vt Symbolum Fidei, quod in Missa solemniter recitatur, ita palam poneretur, vti à Patribus in Constantinopolitano Concilio primò editum fuerat, idest, sine particula. *Filioque*. Atque vt id manifestius fieret tabulas duas, siue scuta, vti vulgo scribi, dicique video, ex argento fieri iussit, ac in eas incidi Symbolum detracta particula: *Filioque*. Easque in Basilica S. Petri collocari, quemadmodum in Actis Smaragdi legitur apud Baronium ad annum 890. & tomo 11. Concilior. Galliæ apud Syrmondum: & narrat Anastasius in Leone III. refertque Seuerinus Binius in notis ad eandem vitam Leonis tom. 3. Concil. p. 2. & Leo Allatius in Ioanne Hottingero. Imò & huius rei meminit Magister lib. 1. sent. dist. 11. eamque memorabilem reddidit. Has tabu-

Nazianz. | Montoya | Leonis Pap. III. | Binius | Leo All. | Magister

las se vidisse cum Romæ esset, testatur Georgius Corcyrensis de Processione spiritus sancti. Verum quidem est Magistrum eo in loco scribere post altare D. Pauli illas tabulas positas esse, quem ob id erroris arguit Binius: *Affixit*, inquit, *has tabulas Leo in Basilica S. Petri: non autem, vt scribit Magister in Ecclesia S. Pauli*. At Magister non scribit, *in Ecclesia S. Pauli*, *sed post Altare S. Pauli*. Potuit autem in Basilica S. Petri esse Altare S. Pauli. Sed his omissis eo exemplo triũphant Græci, & aiunt illam particulam malè fuisse additam Symbolo, eamque Leonem prorsus damnasse: vti videre est in Leone Allatio proximè citato. Sanè Seuerinus Binius id significauit, sic scribens. *Cum Galli, & Hispani absque licentia ad Symbolum vocem Filioque que addidissent, eoque additamento Symbolum Nicenum ad Missarum solemnia publicè decantassent, visum fuit Leoni Papæ è re Ecclesiæ futurum si publicis hisce tabulis duabus argenteis publico loco conseruatis vtrumque Symbolum Græcè simul, & Latinè absque vllo additamento vocis Filioque inscriberet ne deinceps quippiam ad Sacrum Symbolum addi posset*. Nullo igitur iure postea Romani Pontifices, inducto Leonis Decreto, & amotis, & sublatis argenteis tabulis hoc additamentum intruserunt. Nec solus Leo author rei fuit, sed alij etiam Pontifices. Constat enim Ioannẽ Papam in VIII. Synodo, vbi lecta eius est epistola illam particulam deleri iussisse fassum numquam se talem blasphemiam Symbolo apposuisse, ac promittit minimè eam aut admissurum, aut admissam à quolibet impunè laturum. Quemadmodum Georgius Gemistus Plethon epist. ad Bessarionem: imò Maximus Marganius ait Synodum eadem de causa rogatu Ioannis à Photio Constantinopoli congregatam in qua damnati, qui processionem ponebant ex Filio, eaque vox è Symbolo eradi, sicubi irrepsit, sit iussa. Haud dissimilia memorat Gabriel Philadelphiensis lib. 1. aduers Latinos: & Iosephus Bryennius de Sanctissima Triade orat. 8. Quare prudenter, & sanctè egisse, inquiunt Græci, apparet magnos illos duos authores Euthymium, & Theophylactum, Processionem Spiritus sancti soli Patri excluso Filio tribuentes; quod Latini tradunt scriptores, inter quos est Didacus Ruiz de Montoya d. 67. s. vltima.

(Margin: Georgius Corcyr. — Binius. — Io. Pap. Oct. Syn. — Georgius Gemist. — Photius. — Gabriel. Philad. — Ioseph B.)

SECTIO IV.

Argumenta ex ratione.

PRimum esto. Solus Pater est Fons, & Principium Diuinitatis: igitur ad eum solum spectat, & generatio Filij, & productio spiritus sancti. Assumptum est Patrum doctrina. Dionys. de Diuinis nomin. cap. 2. & lib. de cælest. Hierarch. cap. 1. Athanas. cont. gregal. Sabellij, & orat. 5. contra Arian. & epist. ad Epictet. Nazianz. orat. 13. quæ est 2. de Pace, & orat. 29. de dogm. & constit. Episcop. Origen. de Principijs lib. 1. August. lib. 4. de Trinit. cap. 20. Ambros. in Symb. Apost. cap. 2. Cyril. Alexand. Dial. de Trinitat. lib. 3. & Hierosolymit. Catechef. 11. & habetur Conc. Tolet. VI. cap. 1. & Tolet. II. in Profess. Fid. & Concil. Vuormat. in Profess. Fid. & Concil. Florentin. sess. 23. & in litter. Vnion. Sequuntur Theologi cum Magistro in 1. dist. 29. & S. Thoma 1. p. qu. 33. art. 5. Hinc deducitur consequentia. Nam si Pater Fons est, ab eo fieri oportet vtramque processionem: quam vindicat ratione Personæ notionalis, quæ cõmunicari nequit Filio. Igitur debet eum à ratione Principij excludere.

(Margin: Dionys. — Athanas. — Nazianz. — Origen. — August. — Ambros. — Cyrillus Alex. — Cyrill. Hier. — Concil. Vuorm. — Concil. Florent. — Magister. — D. Thom.)

Secundum. Pater solus genuit Filium: ergo & solus producet spiritum sanctum. Antecedens est mera Fides. Consequentia tenere videtur. Non enim est minus fœcunda natura diuina ad amandum, quam ad intelligendum, ergo si intelligendo solus Pater produxit Filium, cur non producet Spiritum sanctum? Videtur enim fieri iniuria Patri inducto comprincipio Filij: perinde ac opus sit eo ad producendum Amorem: & spirandum donum. Quare si potuit verbum generare intelligendo, producat spiritum sanctum diligendo.

Tertium. Non potest concurrere Filius cum Patre ad producendum spiritum sanctum: neque ratione naturę, neque ratione personæ. Ratione naturæ, quia natura est eadem, atque adeo non concurrit, quod innuit distinctionem. Ratione Personæ, quia quæ omnino sibi & adæquatè opponũtur vniri, & coniungi nequeunt. Atqui Persona Patris, & Filij omnino sunt relatiuè oppositæ, quomodo ergo poterunt in vnum conuenire? Cum præsertim notiones sint, ac proinde diuersæ, quæ ratio prorsus euertitur si vniantur, & coalescant in vnum principium: quod cum sit quiddam commune euertit rationem notionis.

Quartum. Absurdum est ista ex duobus Patre, Filioque processio: quia inuoluit secum similitudinem generationis creatæ ex Patre, & matre. Quæ maximè fugienda est in Diuinis: quemadmodum Augustinus animaduertit lib. de Trinit. 15. cap. 27. *vbi absurdissimum dicit fore* Si spiritus sanctus ex vtroque Patre, & Filio nasceretur. Idem veto sequi videtur, si ex vtroque procedat. Igitur non decet Diuinam productionem illa processio: in qua quiddam simile sit generationi ex vtroque parente.

August.

Quintum. Filius non potest esse Principium spiritus sancti: nam vt sit tale debet esse proportionatum quale esse omnino non potest: cum sit Verbum mentis, & Imago Patris: inter quam, & amorem nulla est proportio: imò maxima dissimilitudo, & discrepantia, vt apparet ex natura vtriusque actus in creatis, vbi verbum mentis Amorem, qui est actus voluntatis non producit, nec potest producere: quomodo ergo in Diuinis verbum Diuinum producet Amorem, cui tam est oppositum, vt Processio spiritus sancti generatio esse non possit, quia est processio per voluntatem, cum generatio sit per intellectum.

Sextum. Non decet, vt Filius quicquam in Trinitate producat, quia solius Personæ improductę videtur esse proprium producere, non autem productæ: cum præsertim hac ratione maneant æquatæ Persona Filij, et Persona spiritus sancti, quæ nullam aliam producit: et ita melius est huic habere in hoc parem sibi Personam Filij, quæ si producat spiritum sanctum manebit spiritus sanctus impar, et solus non producens, quod videtur derogare illius dignitati. Aequũ ergo est, vt Filius non producat, et solus Pater producat, cum solus sit improductus.

SE-

SECTIO I.

Reſpondetur Argumentis Græcorum.

ETſi hæc argumenta in ſequentibus capitibus inter probandum Catholicam de Proceſſione ſpiritus ſancti à Filio doctrinam ſatis, et perſpicuè ſoluenda ſint, nec oporteat ſeparatim ſolutionem aliam adhibere, tamen vt clarius, et diſtinctius procedamus, operæ pretium duco breuiter hic, et ſeorſim diluere, ne quem interim lectorem morentur.

Ioan 15. Primo ex Ioannis 15. ad illa verba. *Quem ego mittam vobis à Patre. Qui à Patre procedit.* Reſpondetur eo loco mentionem Patres non excludere Filium: imo eum item adducere: quemadmodum cum Pater dicitur Deus non excludit Filium, ſed admittit præſertim cum illa verba verba mittam vobis à Patre ſatis indicent à Filio, quoque procedere.

Ioan. 14. Secundo ſatisfit ſimiliter: nam dum ait Ioannis 14. *Quem mittet Pater in nomine meo*, non negat mitti à Filio imò ſignificat, *mitti* dicendo *in nomine meo*. Vti ſuo poſtea loco ponderabimus, vbi oſtendemus hæc duo teſtimonia nihil Græcos iuuare.

Luc. vlt. Tertium eodem modo diluitur illud enim dictum Lucæ vltimo. *Mittam promiſſum Patris in vos.* Satis oſtendit ſpiritum ſanctum mitti, et ſpirari à Filio, *Mittam*. Quod autem promiſſus à Patre, nihil obſtat quominus ſit etiam promiſſus à Filio: præterea potuit ita promitti, vt etiam daretur à Filio.

Quartum, *De meo* accipiet, vim non habet. Nam illud *De meo*, cum dicatur à Filio, non poteſt commodè trahi ad rationem eiuſdem Diuinitatis, id eſt, *vt ſit Deus ſicut ego ſum*. Sed ad rationem Principij. *Accipiet de meo*, quod eſt notionale, Hoc ſenſu accipiet *ex me*, ac de virtute mea, Diuinitatem quam habeo à Patre communicatam mihi, quam de Patre accepi, ſpiritus ſanctus de meo accipiet.

Ad quintum eadem eſt applicanda ſolutio, et Maldonato reſpondendum eum ita expoſuiſſe illum locum. *De meo accipiet*, in ſenſu Græcorum, vt non negaret ſenſum Latinorum: quemadmodum alibi commentatur, et nos infra oſtendemus. Poteſt vnus locus ſcripturæ plures habere ſenſus accommodatos. Præterea etiam ſi illud teſtimonium non eſſet aptum ad rem probandam (quod negamus, eſt quippe aptiſſimus) multa ſunt alia quæ id probent, et confirment. Tandem quod Maldonatus ita intellexit, nihil officit veritati loci, quem omnes alij interpretes, et omnes fermè Patres de Proceſſione ex Filio interpretantur. A quibus non eſt diſſentiendum. Maldonatus vnus eſt interpres modernus, et in ea expoſitione ſingularis. Hæc quoad locos ſcripturæ. Maldon.

Quod attinet Concilia: vno verbo reſpondemus, quoniam ſingula poſtea expenſuri ſumus. Ea quę dicunt. *Spiritum Sanctum ex Patre procedere*. Filium nòn excludere: nec ex argumento à ſilentio quicquã probari: ſin, non credemus Beatam Virginem eſſe perpetuò Virginem, quia ſcriptura id non affirmat. Quæ communis eſt ad hoc argumẽtum Græcorum, noſtrorum Latinorum Patrum reſponſio: quemadmodum conſtat ex Concilio Florentino. Cæterum multa Concilia affirmant Proceſſionem Spiritus Sancti, quæ poſtea numerabimus.

Patrum teſtimonijs reſpondemus. Nullum ferme ex ijs, qui à Græcis opponuntur contra ſpiritus

tus

tus sancti processionem à Filio sentire: idque nos accuratissimè suo loco demonstrabimus. Dixi fermè, quia vnus, et alter inuenitur, sed non ex antiquis qui dissentiat, vt fortè est Theophylactus, et Euthymius. Verum non est opus hic morari, cum hac de re latè agendum sit.

Quoad Symbolum antiquum Nicenum, vbi Filius non nominatur in tabulas à Leone III. Papa incisum, et in D. Petri seruatum non negamus factum, sed illatum ex eo negamus, nimirum eo facto negari processionem à Filio. Si enim hæc ex vi Symboli non tollitur, minimè tollitur ex illa Symboli in tabulas relatione, & incisione. De re tamen ea infra exactè, & copiosè tractabimus.

Rationes facilè diluuntur. Prima, & Sexta: eodem redeunt quare ambarum vna est solutio. Concedimus Patrem, quod sit Innascibilis, & Ingenitus, & ex se, non esse, nec habere Diuinitatem ab alio. Sed negamus, Filium, qui est genitus ab eo, non posse esse cum eo Principium Spiritus Sancti: ita vt sit cum Patre Spiritus Sancti vnum, & idem Principium: cum hæc tamen distinctione, quod Pater est Principium à se: Filius autem non à se, sed à Patre: quo sensu Patres locuti: nec enim vllus negauit Filium esse Principium, sed id tantum dixerunt Patrem esse Principium à se, Filium à Patre. De quo nos suis locis disputabimus.

Secunda ita soluitur: concedendo Patrem genuisse Filium ex se solo: negando sequi ex eo producturum Spiritum Sanctum ex se solo: quia Pater solus est cum producit Filium: non vero est solus cum producit Spiritum sanctum: sed est simul cum Filio: quo cum necesse est vt spiret Spiritum Sanctum, qui ex vtriusque Amore procedit, estque nexus, & communio amborum. Accedit quòd amor in Filio est fæcundus, vti est in Patre, atque adeo necesse est, vt cum Patre amando spiret, & producat Spiritum sanctum, qui omnino vtranque Personam ex vi suæ processionis requirit: & impossibile est, quod à solo Patre procedat, quemadmodum postea ostendemus.

Tertiæ occurritur dicendo: Filium concurrere cum Patre: vti est cum eo vnum in ratione Principij spirantis per eandem virtutem spiratiuam, quæ vna est, & eadem in vtroque. Non vti est Filius præcisè relatus ad Patrem: qua ratione ad Spiritum sanctum neuter refertur, sed se mutuò respiciunt, ad seque referuntur. Itaque non sunt principium productiuum Spiritus sancti, prout Pater, & Filius; sed prout vniuntur in eadem virtute amandi spiratiua; quæ vna est in duabus Personis Patre, & Filio; quę rationes tamen diuersæ requiruntur ad productionem quia sunt supposita, ad quæ productio vt quod terminatur: quia actiones sunt suppositorum. Vnde illa virtus est principium *quo*: illę Personæ Principium *quod*. De qua re tota in tertia controuersiæ parte differemus.

Quarta ita diluitur: Spiritus sanctus non generatur, sed spiratur, ac proinde negatur suppositum. Nam spirari nequit, nisi à duobus, cum sit Amor mutuus, & reciprocus. Generari autem non posset à duobus: atque idcircò non potest esse Filius: qui in Diuinis non generatur nisi ab vno. Hic autem est verbum. Hac ratione Augustinus vtitur vt probet verbum generari, non generari autem Spiritum sanctum, quia si generaretur, supposito quod à duobus procedat, sequeretur, eum tanquam à Patre, & Matre generari. Quantum verò ista ratio Augustini valeat nos alibi disputamus. August.

Et

Et quidem optimam eſſe cenſemus ad diſtinguendam generationem à Proceſsione : ſed nihil eam valere iuxta eundem Auguſtinum ad probandum Spiritum Sanctum, quod ſit ex duobus, generari manifeſtum eſt : quare qui ea ad hoc vti velit ineptè aget ; ſequè ipſum refutabit, quod docuimus ex Auguſtino.

Quinta ſoluitur negando Verbum non eſſe proportionatum ad producendum ſpiritum ſanctum. Etenim Verbum non producit Spiritum Sanctum intelligendo, ſed amando : nec enim verbum eſt fœcundum, vti eſt verbum, quæ ratio Verbi iam completa eſt, nec poteſt vlterius aliquid in eo genere producere : ſed in ratione Amoris, qui terminum ſuum non habuit : in Verbo eſt fœcunditas, quæ exigit Perſonam tamquam iuſtum terminum Amoris. Hęc eſt autem Spiritus Sanctus, quæ amando producitur à Patre, & Filio Vnitis in eodem principio, amandi, & ſpirandi. Et hoc modo tollitur difficultas vno verbo dicendo : In Filio eſſe Diuinitatem, & Voluntatem Diuinam, quæ in eo, et Patre eſt fœcunda per Amorem : Itaque vtrumque amando ſpirare, & producere Spiritum Sanctum.

CAPVT II.

Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere oſtenditur.

ETſi in Romana, & Catholica Eccleſia hæc veritas definita iam ſit, & recepta tamquam Articulus de Fide, quia tamen Schiſmatici Græci eam adhuc noluntrecipere, et fateri, et in ſua hæreſi obſtinatè perſiſtunt, operæ pretium fuerit eam certiſſimis argumentis monſtrare, ne qua ſit ijs, hæc legentibus, quæ morari eos poſſit, aut ſpeculatiua, aut poſitiua difficultas.

SECTIO I.

Probatur teſtimonijs Sacræ Scripturæ.

PRimum eſto illud Ioannis 16. *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quem locum ideo primum propono, quia S.Thomas 1. p. qu. 36. art. 2. ex eo præcipuè hanc veritatem probari dicit in reſponſ. ad 1. Et quidem illum de Proceſſione à Filio interpretantur : Hilar. lib. 8. de Trinit. perinde quippe eſſe putat. *De meo accipiet*, atque. *A me procedit*, et Athanaſ. Dialogo 1. contra Macedon. et Didym lib. 2. de Spir.Sanct. Cyrill. Alexandr. lib. 11. in Ioann. cap. 1. et lib. 13. Theſaur. cap. 4. Chryſoſtom. homil. 77. Ambroſ. lib. 2. de Spirit. Sanct. cap. 12. Auguſt. tract. 99. in Ioan. quem ſequitur Beda comment. ad eum locum et Anſelm. lib. de Proceſſione Spirit. Sanct. cap. 7. et S. Thom. 1. p. qu. 36. art. 2. ad 1. et omnes eius interpretes, et Commentatores Bannez, Valentia, Vaſquez, Montoya. Duo autem hic ſunt argumenta : alterum. *Non enim loquitur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur.* Hoc enim indicat eſſe ab alio, et propriè à Filio à quo audit, quòd ille ſit Verbum, quod propriè auditur, et à quo eſt. Ita Ioannes ille Theologus in Concil. Florentin. ſeſſ. 21. argumentatur. Alterum. *De meo accipiet*, quod perinde eſt apud Patres, atque *Procedere ab alio.* At ita exponit Patrum antiquiſſimus Ignatius, quem huc reſeruaui in Epiſt. ad Epheſios circa med. et

Ioan. 16. D.Thom. Hilar. Athanaſ. Didym. Cyrill. Chryſoſt. Ambroſ. Auguſt. Beda Anſelm. D.Thom Ioannes Theol. Ignat.

Martial. Athan. ei suppar Martialis Epistol. ad Burdegalens. cap. 10. & Athanas.lib. 1. de Vnit. Dei, & Sex libris sequent. imprimis lib. 4. contr. Vrbicum Potentin. præter locos proximè à me citatos. Et Epiphan.perspicuè hæres. 57. pag. 2. & hæres. 69. & 74. & in Ancorato col. 6. & 7. & August. tract. 99. & 100. in Ioannem, & Cyrill. Hierosolymitanus Catechesi. 16. & Leo Magn. serm. 1. in Pentecosten. Nemo clariùs, & elegantiùs dixit Ambrosio lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 12. *Præscientiam habet omnium futurorum Dei Filius: quæ Filio cognita putas, ea de Filio Spiritus Sanctus accepit. Accepit autem per vnitatem substantiæ, sicut accepit à Patre Filius*. Notanda sunt particulæ. *Sicut, & accepit à Patre*, ac illa imprimis præpositio. *De Filio. Non cum Filio, aut per Filium.*

Epiphan. August. Cyrillus Hierosol. Leo. Ambros.

Didym. Demus ei parem Didymum, qui æque ac ille expresse loquitur lib. item 2. de Spirit. Sancto. *Filius à Patre accipere dicitur eadem quibus ipse subsistit. Neque enim quid aliud est Filius exceptis his quæ ei dantur à Patre, neque alia substantia est Spiritus Sancti præter id, quod datur ei à Filio*. Satis munitus est locus, ne possit expugnari. Eo autem vehementer impulit Græcos Ioannes Theologus in Florentino Concilio sess. 18. & 19. monstrando idem esse apud Patres. *Accipere*, atque *procedere*. Quod item in Ioannem tradit Toletus, & Gennad. Scholar. cap. 1. de Process. Spir. S.

Ioan. Th. Ioan. 16.

Secundum sit. *Omnia quæ habet Pater mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet*. Quod repetit sequ. cap. 17. *Omnia mea tua sunt*. Vti & Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. His enim verbis intelligunt Patres Christum voluisse dicere omne quicquid est in Patre vno excepto quo Pater est relatiuè, & communicari non potest sibi inesse: cum autem vnum ex his sit illa vis spirandi Spiritum Sanctum eam quoque illi à Patre communicatam fuisse. Eo igitur probant processionem huiusmodi ab vtroque Patre, & Filio Athanas. tom. 2. in poster. Epist. ad Serapion. quæ incipit. *Admirabere*, & Dialog. 1. contr. Macedon. & orat. 3. contr. Arianos. Didym lib. 2. de Spirit. Sancto à med. ad fin. Cyrill. Hierosolymit. Catech. 16. Ambros. lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 12. Hilar. lib. 8. de Trinit. Leo I. serm. 19. in Pentecost Nazianz. orat. 49. Anselmus in Prosolog. cap. 23. August. quem vltimum compositò adduxi, quia nemo hunc locum melius, ac sæpius tractauit, & ad Processionem ex Filio ingeniosius, & solidius accomodauit hic tract. 99. & lib. 3. contr. Maximin. cap. 14. & Epistol. 66. ad Maximin. & lib. 15. de Trinit. cap. 14. Affero locum tract. 99. in Ioan. propè finem. *A quo habet Filius vt sit Deus ab illo habet vtique, vt etiam de illo procedat Spiritus Sanctus, ac per hoc Spiritus Sanctus, vt etiam de Filio procedat, sicut procedit à Patre, ab ipso habet Patre*. Et lib. 3. contra Maximin. cap. 14. sub initio. *Qui talem Filium genuit, gignendo dedit, vt etiam de ipso procederet Spiritus Sanctus*. Hoc testimonio tamquam oraculo vsus est Eugenius Papa IV. in Concilio Florentino littera vnionis post medium. *Quoniam*, inquit, *omnia quæ Patris sunt ipse Pater Vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est*. Visus est Eugenius cum Augustino loqui lib. 15. de Trinit. cap. 14. *Filius est hoc omnino, quod Pater, non tamen Pater*. Et quidem Augustinum sequitur in intelligentia huius loci, & ad eumdem prorsus sensum D. Thomas 1. p. qu. 36. art. 2. ad 6. & 4. contr. Gent. cap. 24. §. 3.

Athanas. Didym. Cyrillus Hierosol. Ambros. Hilar. Anselm. August. Eug. P. S. Thom.

§. 3. & opuſc. 1. cap. 32. §. 19. Citat in eamdem ſententiam Cyrillum, Niſſenum, & Damaſcenum in ſuo libro Defenſ. Capitum Synodi Florentinæ cap. 1. de Proceſs. Spiritus ſancti Gennad. Scholaſius, vbi refert verba Damaſceni gemina Auguſtinianis. *Omnia quæcùmque habet Pater in generando tradidit Filio præterquam eſſe Patrem.* Hoc etiam teſtimonio Euangelico vtitur Eſaias Cyprius Epiſt. ad Nicolaum Sclengiam de Proceſs. Spiritus ſancti, vbi affirmat omnes Patres, illud ad eam ex Filio probandam aſſumere, & Georgius Trapezuntius ad Ioannem Cuboclesium. Imo, & Beſſarion in defenſione Vecci aduerſus Palamam ad argumentum nonum attribuit Cyrillo eam quã ex Auguſtino adduximus, & Damaſceno aſſignaratGennadius ſententiam. Sic enim apud Beſſarionem, ait Cyrillus. *Omnia eſt Filius quæcumque Pater eſt, præter id ſolum, quod eſt Pater.* Hoc Argumento vehementer torſit Epheſium illum Marcum Ioannes Theologus citato Auguſtino, & Baſilio ſeſs. 25. pag. 549. in Biniana Collectione. Eumdem textum accuratè expendit Card. Tolet. Comm. in Ioan. Maldonatum autem miror hominẽ acutum, & diligentem Interpretem ne verbo quidem eum attigiſſe.

Damaſc.

Georgius Trapez.

Beſſar.

Cyrill.

Io. Th.

Tolet.

Tertium eſto: ex cap. 5. Ioann. vbi ſic. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, & 16. Si enim non abiero Paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero mittam eum ad vos.* Nam illa phraſis *mitti* ſignificat procedere: quare Perſona quæ ab alia mittitur ab ea procedit. Hoc imprimis Theologicum axioma eſt. Quamquam enim præcisè non ſit proceſſio ipſa æterna, vti docet Diuus Thomas qu. 53. art. 2. Tamen ita cum ea connexa eſt, vt illam prorſus ſupponat, neque enim mitti ad extra Perſona poteſt, niſi quæ ad intra procedit, eodem Diuo Thoma authore art. 4. eiuſd. quæſt. vbi hoc affirmat, & negat mitti Patrem poſſe, quia à nullo procedit, & art. 5. & 7. docet ideo Filium, & Spiritum ſanctum mitti, quia procedunt, & obſeruanda ſunt illa verba art. 4. *Reſpondeo dicendum, quod miſſio in ſui ratione importat proceſſionem ab alio, & in Diuinis ſecundum originem. Vnde cum Pater non ſit ab alio nullo modo conuenit ſibi mitti, ſed ſolum Filio, & Spiritui Sancto, quibus conuenit eſſe ab alio.* Hæc Theologica doctrina, ſic perſpicuè, ac ſummatim tradita omnino Patrum eſt. Eam manifeſtè docet Hilar. lib. 5. de Trinit. in medio, & lib. 9. de Trinitat. exponens illud Ioann. 16. *Quoniam à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum*, & lib. 6. de Trinit. ad med. & Cyrill. Alexandr. lib. 12. Theſaur. cap. 15. in med. & Hygin. Epiſt. Decret. 1. ſub initio, et Nazianz. orat. 38. vel penultim. num. 22. et Nicet. ibidem, Athanaſ. Dialog. 3. de Sanctiſs. Trinit. contra Macedon. et Epiſt. long. ad Serapion. et Auguſt. lib. 2. de Trinitat. cap. 5. et 12. et lib. 4. cap. 20. et 21. et lib. vnico contr. ſerm. Arianor. cap. 4. Beda lib. 2. Homil. hom. 11. Dominica 1. poſt Aſcenſionem. Iſidor. lib. 7. Etymologiar. cap. 5. §. 4. Gregor. Magn. homil. 26. in Euangel. Anaſtaſ. Synaita lib. 1. de rectæ Fid. Dogmat. Damaſcen. lib. 4. Fidei cap. 19. Anſelm. Epiſtol. de Proceſſione Spiritus ſancti. Hinc eſt, vt Clem. Roman. lib. 3. Conſtitut. Apoſtol. cap. 17. Patrem. *Emiſſorem vocet*, quod ipſe ſit Principium Proceſſionum: non autem procedens ab alio. Hinc rurſum. *Exire à Patre*, ideſt naſci ex Patre, quemadmodum exponit Auguſtinus tract. 101. in Ioann. et Nazianzen. orat. 49. De Fide, et Ambroſ. lib: 1. De Fide ad Gratian. Imò quidam ex his Patribus volunt miſſio-

Ioan. 14.

D. Thom.

Hilar.

Higin.

Nazianz.

Nicetas

Athanaſ.

Auguſt.

Beda

Iſidor.

Greg. M.

Anaſtaſ. Sinai.

Damaſc.

Anſelm.

Clem. R.

Ambroſ.

nem propriè significare illam æternam Processionem. Ita perspicuè Hilar. lib. 9. de Trinitate col. 13. explicans illud Ioan. 16. *Exiui à Patre & veni in mundum*. A Patre enim in hunc mundum venerat, quia à Deo exierat. *Nam vt natiuitatem suam in exitione significasse intelligeret subiecit se à Patre venisse, & cum per id à Patre venerit, quia à Deo exierit, exitio eius à Deo absoluta natiuitas est. Quam paterni nominis est professio consecuta*, et lib. 5. ad med. Ad locum Agar Deum in Angelo videntis, sic ait. *Missi, & mittentis significatio non aliud hic quam Patrem, & Filium docet, cæterum veritatem non adimit naturæ, neque in Filio perimit naturæ Diuinitatis proprietatem, quia nemo ambigit naturam authoris in Filij natiuitate connasci*. Et Gregor. Magnus homil. 26. in Euangel. ad illud. *Sicut misit me viuens Pater. Quamuis*, inquit, *mitti etiam iuxta naturam Diuinitatis possit intelligi, eo enim ipso à Patre Filius mitti dicitur quo à Patre generatur, nam Spiritum quoque Sanctum, qui cum sit æqualis Patri, & Filio non tamen Incarnatus est, idem se Filius mittere perhibet dicens. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis. Si enim mitti solum Incarnari debet intelligi, Sanctus procul dubio Spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam Incarnatus est, sed eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit, & Filio*. Et Beda lib. 2. Homil. hom. 2. quæ est Dominica 1. post Ascensionem. *Cum gratia*, inquit, *Spiritus Sancti datur hominibus profecto mittitur Spiritus Sanctus à Patre, & Filio. A Filio procedit, & à Patre, quia eius missio est ipsa processio*. Vnde multi Scholastici Theologi existimant Missionem in recto dicere processionem æternam, ex obliquo autem manifestationem temporalem cuiusmodi sunt Alexander 1. p. qu. 71. nu. 2. et 4. et Albert. 1. p. qu. 32. nu. 2. art. 1. corp. D. Thom. in 1. dist. 15. qu. 1. art. 1. et 2. Vasquez 1. p. dist. 170. cap. 2. et Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 1. num. 6. Alij putant vtramque ex æquo significari vti S. Thom. 1. p. q. 43. art. 1. et 2. et 4. contra Gentes cap. 23. ad 3. rationem, et ibi Ferrariens. S. Bonauentura in 1. dist. 15. p. 1. art. 1. qu. 1. et 2. Carthusian. ibid. et Caietan. et Canariens. in commentar. ad 1. p. qu. 43. et Molina, et Valentia, et alij. Ego tamen prioribus assentior.

Hilar. Greg. M. Beda. Alex. Albert. Vasquez. Suar. S. Thom. Ferrar. S. Bonau. Carthus. Caiet. Couar. Molin. Valentia.

Hac doctrina supposita ex illo loco Ioannis optimè colligitur Spiritum sanctum à Filio procedere, cum ab eo mitti dicatur. *Quem ego mittam*, idest, *quem ego spiro*, nec enim de tempore laborandum cum æternitas omne tempus contineat, et vnum pro alio futurum pro præterito, et contrà ponantur in Sacris litteris, ac imprimis apud Ioannem his in quibus habetur hic Christi sermo capitibus: quemadmodum Augustinus obseruat lib. 2. de Trinit. cap. 5. et tract. 63. et 86. et 99. et 105. et 106. et 107. et animaduertit cum eodem Maldonatus in commentar. ad caput Ioann. 13. nu. 31. et in cap. 15. num. 8. et Toletus, et communiter Interpretes. Hoc testimonio vtuntur ad probandam huiusmodi processionem à Filio Nazianzen. orat. 37. vbi ait. *Mittam*, idest, *propriam authoritatem ostendam*, nempe, vt sit author more Græco dicendi, et principium Spiritus Sancti, quod notat Ruiz disp. 108. sess. 3. et disp. 67. sess. 3. et Aug. lib. 4. de Trin. c. 20. Quod ergo Dominus ait. *Quem ego mittam vobis à Patre ostendit Spiritum Patris, & Filij, quia cum etiam dixisset, quem mittet Pater addidit. In nomine meo; non tamen dixit, quem mittet Pater à me. Quemadmodũ dixit, quẽ ego mittam vobis à Patre videlicet ostendens, quod totius Diuinitatis, vel si melius dici-*

August. Maldon. Tolet. Nazianz. Montoya August.

dicitur Deitatis principium Pater est. Qui ergo à Patre procedit, & Filio, ad eum refertur à quo natus est Filius, quo loco Augustini vtitur Bessarion lib. de Processione Spiritus Sancti ad Alexand. Lascarim. in fine. Cum Augustino sentit Magnus Gregorius proximè adductus, hom. 26. in Euang. post initium. *Spiritus,* inquit, *Sancti missio est ipsa processio, quia de Patre procedit, & Filio.* Consentit Anastas. Synaita lib. 1. de rect. Fid. dogmat. inter med. & fin. *Spiritus oris eius liquet dici de Spiritu Sancto, & Deo qui est os Vnigeniti.* Rursum ipse Spiritus, *& ab ipso procedit, & mittitur non à Patre solo, sed & à Filio quemadmodum ait ipse Dominus: Paraclitus quem mittet vobis Pater, & rursum. Si abiero mittam eum ad vos.* Et Anselm. Epist. de Processf. Spiritus Sancti cap. *Consideremus*, quod est 7. in med. *Nimis difficile imo impossibile est ostendere, quomodo non procedat ab vtroque. Vnde enim Filio cum Patre dare simul vel mittere Spiritum Sanctum, & hunc esse vtriusque si simul non est de vtroque? Cur enim magis det Filius Spiritum sanctum, quam Spiritus sanctus Filium. Aut cur magis Spiritus sanctus est Filij, quam Filius Spiritus sancti? nisi quia Filius non est ita de Patre simul, & de Spiritu Sancto, sicut Spiritus Sanctus est de Patre simul, & de Filio?* Idem tradidit Beda, quem supra citaui lib. 2. Homil. hom. 2. vbi *A Patre*, inquit, *procedit, & Filio, quia eius missio est ipsa processio.* Hoc testimonio vsus in Florent. Concil. sess. 24. ante med. Ioannes ille Theologus hunc in modum. *Quem ego mittam vobis. Mittam quid aliud obsecro significat, quam id quod ex aliquo mittitur? Qui vero quippiam mittit is suum mittere videtur, & id quod mittitur ex ipso dicitur esse, vt si præfectus prouinciæ, quisquam fecerit, is non ex se, verum Imperatoris iussu id fecisse videtur. Ita etiam Filius, qui cum in generatione à consubstantiali Patre Spiritum Sanctum accepisset, eamdem & paternam facultatem, ac naturam habens eumdem Spiritum mittere creditur.* Adducit etiam hunc textum Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus in defens. 5. Capitum tract. de Processione Spiritus Sancti sess. 4. & 5. ad mentem Cyrilli, & Anastasij Sinaytæ, & Metraphastis, ac illud mirè accommodat testimonium ad processionem Spiritus sancti à Filio, & sic concludens. *Hic*, ait, *Doctor indifferenter in Patre vsurpat, & Filio, & Spiritum dicit procedentem, & missum non solum à Patre, sed etiam à Filio.* Hoc item adhibet argumentum Ioannes Veccus Patriarcha Constantinopolitanus orat. 1. de vnione Ecclesiarum vbi accuratè probat, emitti perinde esse, ac procedere, atque adeo, qui à Filio Spiritus mitti dicitur is ab illo procedere. Illud etiam eleganter tractat Georgius Trapezuntius ad Cretenses de vna sancta, & Catholica Ecclesia, adducto Cyrilli egregio illo testimonio. *Spiritus*, inquit, *profunditur à Christo quemadmodum à Deo & Patre*, cui addit Georgius. *Mittitur à Patre, & Filio, inde vero procedit, vnde & mittitur, ex Patre igitur, & Filio procedit.* Eo item vtitur Demetrius de processione Spiritus sancti ad finem. Verum, ante omnes alios Græcos tractat, & locupletat hoc ex missione argumentum Cardinalis Bessarion tract. 2. de processione Spir. sancti ad Alex. Lascar. Hoc item diligenter exponit Cardinalis Toletus, & ex Augustino, & Hilario, & Hieronymo ostendit ex eo, quòd mittatur Spiritus sanctus à Filio ab hoc illum omnino procedere, & affert optimum locum Cyrilli ad id probandum cap. 14. Ioan. pag. 134. quod item accuratè agit Maldonatus ad locum cap. 15. Ioannis

[Margin: August. — Greg. M. — Anastas. Sinai. — Anselm. — Beda. — Concil. Florent. — Gennad. Scholar. — Ioannes Veccus. — Georgius Trapez. — Demetr. — Bessar. — Tolet.]

annis, vbi Bezam, quod contra ſentiat acriter reprehendit.

Ioan. 20. Quartum teſtimonium eſt petitum ex eo loco Ioannis 20. *Inſufflauit, & dixit, accipite Spiritum Sanctum*; Hac enim ratione aptè, & perſpicuè ſignificauit Chriſtus ſpiritum ſanctum à ſe procedere. Nam imprimis spiritus flatus eſt, deinde ex intimo, & arcano ſinu pectoris emittebatur tamquam ex vitali quodam receptaculo: tandem illa inſufflandi actio, quæ eſt omnino naturalis, & naturali modo procedens indicabat ſubſtantialem illam spiritus ſancti à Filio proceſſionem. Cui accedit, eam eſſe ex pectore, & corde, ſede, & domicilio Amoris, qui in Diuinis eſt ipſemet spiritus ſanctus: ac proinde eo halitu ſignificatus. Itaque multi, et grauiſſimi Patres ex eo loco deducunt Proceſſionem spiritus ſancti à Filio. Cyril. Cuiuſmodi ſunt Cyrillus, in Ioan. lib. 9. cap. 44. et lib. 12. in eumdem cap. 56. et Anaſtaſ. Synaita Anaſt Sinayta. lib. 1. de rectis Fid. dogmat. ante fin. Ambroſ. Ambroſ. de ſpirit. ſanct. Marius Mar. Vict. Victor. lib. 1. aduerſ. Arium. Beda Beda in eum locum Ioan. Anſelm. Anſelm. Epiſt. de proceſſ. spiritus ſancti, Bernard. Bernard. ſerm. 8. in Cant. Idque duo egregij Maldon Euangeliorum Interpretes Maldonatus, et Toletus Tolet. ad eum locum Ioannis. Celebratur hic textus inter Grecos Recentiores. Ex eo quippe colligunt huiuſmodi proceſſionem à Filio Gregorius Protho-Syn Gregor. Prot. cellus Conſtantinopolitan. Patriarcha ad Imperatorem Trapezuntem. Laudato Cyrillo, et Auguſtino, et Veccus. Ioannes Veccus in dictis ſanctorum, quod opus ex Vaticana Bibliotheca edidit Arcudius. Sequitur Demetr. hos Demetrius tractatu de Spiritu ſancto, ille inquam Demetrius Cydon, qui cõtra Palamam ſcribit, quẽ item extudit, et tranſtulit Arcudius.

Auguſt. Nemo Patrum hoc teſtimonium ſæpius, ac luculentius, quam Auguſtinus tractauit. Tract. 99. et 121. in Ioan. et lib. 4. de Trinit. cap. 20. et lib. 15. de Trinit. cap. 26. et lib. 10. de Geneſ. ad litter. cap. 5. in med. et lib. 3. contr. Maximin. cap. 14. Bellarm. Cuius hoc vnum citat Bellarminus teſtimonium lib. 2. cap. 23. A quo etiam ex eo loco Ioannis spiritus ſancti à Filio proceſſio rectè confirmatur, adducto item ex Græcis Patribus Cyrillo. Auguſtinum Riccard. Victor. Magiſtrum ſequitur Richardus Victorinus lib. 6. de Trinit. cap. 9. poſt med.

Theoph. Vnus omnium ſcriptorum veterum ridet hoc ex loco argumentum Theophylactus. Sed riſu ſanè petulanti, et inepto, quem refutant ſeria, et grauia tot Patrum ſcriptorumque iudicia: quare cum eo acerbè Bellarm. Montoya expoſtulat Bellar. cit. et Montoya d. 67. ſeſ. 3. ad fin.

Cyrillus. Citemus vnum, et alterum Patrem: vt quanta ſit vis loci appareat. Cyrillus lib. 9. cap. 44. ſic. *Propterea corporaliter Chriſtus ſufflauit oſtendens hoc ſigno, quia quemadmodum ab ore humano halitus humanus corporaliter procedit, ſic ex diuina ſubſtantia Deitatis congruenter Spiritus, qui ab eo eſt profunditur.* Anaſtaſ. Synaita. Anaſtaſius Synaita lib. 1. de rect. Fid. dogmat. *Dominus*, inquit, *declarans Spiritum Sanctum à ſe emergere inſufflans in diſcipulos dicebat. Accipite Spiritum Sanctum.* Hi duo Græci. Bernard. Latini alij duo. Bernardus ſerm. 8. in Cant. *Spiritus propterea in illo Dominico flatu datus eſt, vt per hoc intelligeretur ab ipſo pariter tamquam à* Auguſt. *Patre procedere.* Auguſtinus in eum locum Ioan. cap. 20. tract. 121. *Inſufflando ſignificauit Spiritum Sanctũ non Patris ſolius eſſe Spiritum, ſed & ſuum.* Et luculentius tract. 99. *Cur non credamus, quod etiam de Filio procedat ſpiritus ſanctus? Cum Filij quoque ipſe ſit ſpiritus, Si enim non ab eo procederet non poſt Reſurrectionem ſe repræſentans diſcipulis inſufflans*

ſtans diceret. Accipite ſpiritum ſanctum. Quid enim aliud ſignificauit, illa inſufflatio niſi quod procedat ſpiritus ſanctus de ipſo? Quo nihil, aut aptius, aut manifeſtius dici potuit. Appendices huius loci eſſe poſſunt, alij ex Euangelio, quos ibidem citauit Auguſtinus. Vnum ex ijs adduco. *Ad hoc pertinet*, inquit, *etiam illud, quod de muliere, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, ait, Tetigit me aliquis: ego enim ſenſi de me virtutem exire. Nam virtutis nomine appellari etiam ſpiritum ſanctum, & eo loco clarum eſt vbi Angelus dicenti Mariæ: Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco? reſpondit ſpiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Itaque illa emiſſio virtutis ex corpore Chriſti procedens ſignificabat, ex eius Perſona ſpiritum ſanctum procedere: nam cuius donum in tempore à Chriſto exibat, is ab æterno ab eo proceſſerat. Et hæc de hoc argumento ſint ſatis.

Idem

Quintum, et vltimum ſit conflatum ex locis in quibus ſpiritus ſanctus dicitur; *Spiritus Filij, Spiritus Chriſti, ſpiritus veritatis.* Nam qui eius eſt, ex eo eſt, et ab eo procedit: cum ille caſus genitiuus inferat productionem. Vnde ſcriptura vtitur ea phraſi in Genealogijs, *qui fuit Heli, qui fuit Heli.* Quare ſpiritus, quòd Filij dicitur, ab eo procedat neceſſe eſt. Dicitur autem à Paulo Galat. 4. *Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem Abba Pater*, et Rom. 8. et 1. Petr. 1. *Qui ſpiritum Chriſti non habet hic nō eſt eius*, et Ioan. 15. *Spiritum veritatis.* Solidum eſt hoc argumentum, atque adeo illo vtitur, qui ſolidiſſimè argumentari ſolet D. Thomas 4. contr. Gentes cap. 24. et ex Theologis Montoya diſt. 67. ſeſs. 3. et Vaſquez diſt. 146. cap. 2. et Suarez. lib. 10. cap. 1. et Bellarm. lib. 2. de Chriſto cap. 22. et animaduertit

Gal. 4. 1. Pet. 1. Rom. 8. Ioan. 20. D. Thom. Montoya Vaſq. Suar. Bellarm.

Toletus ex Cyrillo, et Baſilio commentarijs in cap. 14 Ioan. Tolet.

Equidem Patres legens comperio multum eos in hoc modo loquendi momenti poſitum eſſe ſuis interpretationibus intellexiſſe: vt ex locis eorum, quos producam perſpicuè conſtabit. Baſilius lib. 2. Eunom. illud Ioannis de ſpiritu veritatis ad proceſſionem ex Filio refert. Quem Toletus citat quamuis minus hanc expoſitionem probat, quod in viro tanti iudicij mirere. Citat etiam Cyrillum lib. 9. cap. 44. et lib. 10. cap. 33. Idem habet Cyrill. lib. 13. Theſauri cap. 1. et 3. et lib. 6. Dialog. vbi ex eo, quod ſpiritus ſanctus veritatis ſpiritus dicatur colligit ex Filio procedere. Idem perſpicuè tradit in Epiſt. ad Neſtorium, quæ extat in Concil. tom. 1. cap. 14. eſtque 10. inter Cyrilli, de quo mox: vbi ſic. *Spiritus veritatis nominatur: Chriſtus autem veritas eſt, ſed & perinde ab illo atque à Deo Patre procedit*, et clarius lib. 13. cap. 3. ad medium. *Oſtendens Chriſtus Dominus ſpiritum ſanctum ex ſubſtantiâ Patris, & Filij eſſe: ſpiritus, inquit veritatis, qui à Patre procedit.* Ita expoſuit Athanaſ. tom. 2. Epiſt. ad Serapion. ſub initio, et Dialog. 1. contr. Macedon. et orat. 2. contr. Arianos, et Epiphan. in Ancorato, et hæreſ. 52. et 62. et 69. et Anſel. Epiſt. de Proceſs. ſpiritus ſancti, cap. *Quamuis*, quod eſt 14. Et quidem certa eſt illa Auguſtini regula, ſerm. 38. de temp. *Si ſpiritum ſanctum appellas, alicuius eſſe ſpiritum neceſſe eſt intelligas, ideſt Patris, & Filij.* Ergo ideo dicitur Filij, vt à Filio procedere illum intelligas. Ita intelligit ad locum 1. Petri 1. et ad locum Epiſt. ad Galatas 4. grauis et eruditus interpres Eſtius; vtrobique enim obſeruat eo modo loquēdi proceſſionem à Filio ſignificari. Sed audiamus illum magiſtrum optimum Auguſtinum tract. 99. in Ioannem

Baſil. Cyrillus. Athanaſ. Epiphan. Anſelm. Auguſt. Eſtius. Auguſt.

annem hoc argumentum tractantem. *Hic aliquis forsitan quærat vtrũ & à Filio procedat spiritus sanctus? Filius enim solius Patris est Filius. Spiritus autem sanctus non est vnius eorum spiritus, sed amborum. Habes ipsum Dominum dicentem. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Habes et Apostolum. *Misit Deus*, inquit, *spiritum Filij sui in corda vestra. Numquid duo sunt? alius Patris, alius Filij? Vnum enim corpus ait cum significaret Ecclesiam, moxque addidit, & vnus spiritus. Et vide quomodo illis impleat Trinitatem. Sicut vocati estis, inquit in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus. Hic vtique Christum intelligi voluit. Restat vt etiam Patrem nominet. Sequitur ergo vna Fides vnus Deus, & Pater omnium. Cum ergo sicut vnus Pater, & vnus Dominus idest Filius ita sic, & vnus spiritus profectò amborum est, sicut ipse Christus dixit spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, & dicit Apostolus. Misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra*. Ecce ex eo, quod spiritus Sanctus Patris dicitur deducit Augustinus esse ex Patre, et ex eo, quod dicitur spiritus Filij colligit esse ex Filio, idque animaduertit Bellarmin. lib. 2. de Christo cap. 22. ad fin. et P. Montoya disp. 67. sess. 3. aiunt quippe Augustinum hoc vno loco contentum, eo spiritus sancti processionem à Filio comprobasse. Probo, quod dicunt eo loco vsum, sed non id, quod aiunt vno, sed alijs, et quidem fortioribus, vt legenti eum tractatum patebit. Græcis placuit idem argumentum. Illud bis adhibet in Epist. generali Bessarion semel in principio adducto loco Ioannis 15. et Paul. ad Galat. 4. et iterum paulo ante finem ijsdem locis adductis. Gennadius autem Scholarius tract: de processione spiritus sancti, idem argumentum nomine Augustini producit, sed citat eumdem ad Orosium; in quem ego locum non incidi. Sanè quæ Gennadius affert verba sunt ea ex tract. 99. in Ioannem proximè allata, aliquantulum tamen deflexa. Hactenus de testimonijs scripturarum.

Bellarm. Bessar. Gennad. Scholar.

CAPVT III.

Ex Concilijs procedere spiritus sanctus à Filio accuratè ostenditur.

QVoniam negare solent Græci, quicquam de hac processione à Filio in antiquis Concilijs, præsertim Generalibus haberi, imo affirmare pergunt, ea contrarium docuisse, necesse erit paulo accuratius rem hanc inquirere, ac de ea omnino statuere. Egerunt ante nos inter cæteros diligenter id quatuor sane summi viri Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 23. et Vasquez dist. 146. cap. 3. et 4. Didacus Ruiz de Montoya dist. 67. sess. 4. et nuper Leo Allatius in Hottingero conuicto. Omnes quidem eruditissimè. Itaque penè deterruerunt à proposito scribere incipientem. Vidi tamen nõ decere hanc partem in meo hoc opere præterire, ne imperfectum esset, et operæ me pretium facturum putaui, si quæ ij afferunt alij ab alijs diuersa (non enim, aut singuli omnia afferũt, aut omnes de ijs, quę afferunt inter se conueniunt) ea ego omnia colligerem, et collecta, ita proponerem, vt de ijs nemo posset ambigere: cum præsertim non desperem nonnulla à me allatum iri quæ ab eorum nullo sint producta.

Bellarm. Vasq. Montoya Leo All.

Primum ergo Concilium (. Ago de vniuersalibus, et Oecumenicis) in quo de huiusmodi processio à Filio, fiat mẽtio. Primum: inquam, esto Ephesinum: quo in Concilio lecta est Epistola Cyrilli, et Patrum Synodi

nodi Alexandrinæ ſcripta Neſtorio in qua manifeſtè habetur proceſſio spiritus sanctus à Filio. Hæc autem Epiſtola legitur, et probatur Patribas Concilij Epheſini, ſicut et aliæ Cæleſtini Papæ proximè ante hanc Cyrilli recitatæ. Duo hic animaduerto. Alterũ illos tres viros doctiſſimos ita citare: habetur hæc Epiſtola tom. 1. cap. 14. At in collatione Binij eam tu non inuenies, niſi cap. 26. in 2. par. tom. 1. primi Conciliorum in qua continetur Concilium Epheſinum in 3. partes diſtributum. Pag. vbi ponitur initium Epiſtolæ eſt 151. vbi autem traditur doctrina de proceſſione à Filio eſt 155. lin. 17. et 18. et 29. ad 30. Lecta eſt autem, et probata in 2. p. Concilij, quæ exhibet acta Concilij Epheſini Actione 2. pag. 191. lin. 25. ne quem fallat, aut frangat difficultas quærendi, vti me ſane quærentem afflixit. Alterum duos viros non parum eruditos nempe Caſtro aduerſus hereſes verbo Deus Hæreſi 12. et Canarienſem in commentar. ad 1. p. D. Thoma qu. 36. art. 2. dixiſſe hanc Epiſtolam Cyrilli fuiſſe miſſam ab eo, et Concilio Epheſino, cum in hoc lecta quidem fuerit, ſed miſſa à Concilio Alexandrino. Fefellit eos illa lectio Epiſtolæ, et de illa mentio Actione 1. Concilij Epheſini. De hoc autem monitos Lectores volo, ne cum eos Authores idoneos aliqui legerint, decipiantur. Locum illum Epiſtolæ operæ pretium puto afferre. Sic habet. *Nam etſi ſpiritus in propria perſona ſubſiſtat, catenuſque in ſe ipſo conſideretur, quatenus ſpiritus eſt, & non Filius: non eſt tamen ab eo alienus, quando quidem ſpiritus veritatis nominatur. Chriſtus autem veritas eſt, ſed & perinde quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit*, et paulo poſt. *Propterea quoque Dominus aiebat. Quoniam de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Hoc ta*men non ita accipiendum eſt, quaſi ſpiritus ſanctus per quamdam participationem ſapiens, ac potens ſit: ſic enim eſt ille numeris omnibus perfectus nulliuſque penitus indigus: verum quia potentia Patris, & ſapientia hoc eſt Filij ſpiritus eſt, hinc & ipſe quoque re ipſa potentia, & ſapientia eſt.* Lecta eſt autem huiuſmodi Epiſtola in Concilio Epheſino. Actione 1. poſt poſt lectas Celeſtini Papæ litteras, ſic enim ibi: *Petrus presbyter Alexandrinus, & notariorum primicerius dixit. His quæ modo audiuiſtis ſanctitas quoque pijſſimi Epiſcopi noſtri Cyrilli conſona ſcripſit, quæ & præmanibus habemus, etſi pietas veſtra iuſſerit recitabimus.* Tum lectæ ſunt litteræ, et ſic ab omnibus approbatæ, vt in Acta Concilij relatæ fuerint. Hoc produco. *Flauianus Epiſcopus dixit: legantur hæc quoque, lectaque in Actorum commentarios referũtur.* Incipiebat autem Epiſtola. *Cum Saluator noſter.* Obſeruo inſuper illam Synodum Alexandrinam, in qua illa Epiſtola confecta, et à qua miſſa, fuiſſe totius Aegypti Synodum, atque adeo, quod ſolet Auguſtinus dicere, Plenarium eius Eccleſię, ac gentis fuiſſe Concilium, quemadmodum ex verbis adiunctis apparet. *Quæ ſanctiſſimus, & pijſſimus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus Cyrillus, & Vniuerſa Aegypti Synodus.* Itaque litteræ non ſolius Cyrilli, ſed etiam Patrum omnium Aegyptiorum Concilij Alexandrini, ac inſuper Oecumenici Epheſini, cuius ſunt Actis inſertæ, communes habentur, ac proinde tradita in ijs de proceſſione à Patre Filioque doctrina Epheſino eſt Concilio tribuenda. Hoc expreſsè dicit Simon Conſtantinopolitanus Epiſtola ad Ioannem Nomophylacem in lucem è Vaticano theſauro prolata ab Allatio, et exhibita Hottingero, ibi enim ſic. *Manifeſtè*, inquit, *vides hanc Vniuerſalem Synodum Epheſinam primam*

Côncil. Epheſ.

Caſtro. Canar.

Cyrillus.

Simon Conſt.

Leo All.

mam ex Spiritu Sancto pronuntiasse, quod cum hæc epistola, & duodecim capita lecta fuissent, quicunque in ea congregati erant Patres, non tantum, simili dogmati non contradixerunt, sed rogarunt Cyrillum, vt eadem expositione adhibita interpretaretur. Et postea. *Perspicuum est*, inquit, *omnes vnanimiter huiusce Ephesinæ primæ Sanctæ Synodi Patres in dicta ex vtroque Patre, ac Filio Spiritus processione concordasse*: & adiungit. *Hæc Epistola cum duodecim capitibus eiusdem Diuini Cyrilli interpretatione in Actis primæ Ephesinæ Synodi inserta sunt*. Interpretatio autem apud ipsum Simonem ponitur cum manifesta mentione Processionis à Filio.

Concil. Chalced. Chalcedonensis Synodus eandem de Spiritus Sancti processione à Filio doctrinam à Cyrillo traditam recepit, dum eandem illam Cyrilli epistolam approbauit. Nam Actione 5. pag. 253. Patres Concilij in sua Definitione recipiunt. *Epistolas Synodicas Cyrilli ad Nestorium, & Orientales*. Ac ne quis excipiat, eas tantum quoad articulum illum de vnica Persona Christi, & vera in Maria Virgine *Theotoco*, ideſt Matris Dei ratione approbasse, & proferat ea verba siue particulam Definitionis: *Propter illos autem qui dispensationis mysterium corrumpere conantur, & purum hominem esse genitum ex Sancta Maria Virgine impudenter delirant, epistolas Synodicas beatissimi Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ præsulis ad Nestorium, & ad Orientales, congruenter habentes amplexa est*. Quę circumscribit ea, quę probantur, & redigit ad illa duo Diuinitatem Christi, & maternitatem Dei in Virgine: audiat, quæ sequuntur. *Ad conuincendas Nestorij vesanias, & ad interpretationem eorum qui salutaris symboli pio zelo nosse desiderant intellectum*. Hęc sanè secunda particula perspicuè continet alia, quę ad interpretationem aliorum mysteriorum spectant, & in symbolo proponuntur, quorum vnum est Spiritus Diuinitas, & Processio. Hanc enim interpretatus est disertè Cyrillus quemadmodum proximè ex Simone probauimus. Constat itaque Calcedonense Concilium Epistolam illam Cyrilli ex integro, atque adeò quoad processionem Spiritus Sancti à Filio approbasse. Addo momentum ex eo, quod illa interpretatio eorum, quę habentur in symbolo, est illa ipsa epistola Cyrilli, de qua scribimus: cui adnexa sunt illa 12. capita, quę anathematismi Cyrilli in Quinta Synodo nuncupantur. Act. 6.

Quinta quoque Synodus amplectitur hanc eandem Epistolam, eamque integram adducit, & probat Act. 6. vbi ea Latinè loquitur, & proprijs verbis Processio Spiritus Sancti à Filio exprimitur, quemadmodum obseruat P. Vasquez disp. 146. c. 3. quanquam Bellarminus collatione vltima, ideſt octaua, scribat approbari. Verum quidem est in hac etiam probari doctrinam Cyrilli, sed absque expressa huiusce epistolæ mentione. Melius itaque Vasquez, & certius citauit. Quinta Synod. Vasquez. Bellarm.

In Sexta Synodo Act. 18. quę ab alijs dicitur 17. eadem Cyrilli Epistola refertur, & confirmatur, his verbis. *Ad hæc & Synodicis Epistolis, quæ scripta sunt à Beato Cyrillo aduersus impium Nestorium, & ad Orientales Episcopos*. Præmiserat Concilium litteras Agathonis, & Synodalem Romanam centum viginti quinque Episcoporum cum Agathone Papa: & Epistolam Leonis I. ad Flauianum: appellatam Titulum Fidei. Adiecit quinque Vniuersalia Concilia, vt inter hæc clarissima lumina authoritatis illa Synodica Cyrilli Epistola locaretur, VI. Syn.

tur, & quantum in ea eſſet authoritatis appareret. Habetur pag. 184.

VII. Syn. Bellarm. Vaſquez. Montoya De Septima Synodo video quid Bellarm. lib. 2. de Chriſtò c. 23. & Vaſquez in 1.p.d.146.cap.3.&Montoya d.167.ſ.4.n.4. dicant; nimirum in 7. eius actione eandem epiſtolam Cyrilli approbari, licet ea ibi non recitetur. Lecta tamen diligentiſſimè ea 7. ſiue 8. nam in 1. verſione 8. eſt vltima, nullam illius epiſtolæ mentionem potui inuenire. Tantum reperio commemorari Concilia vſque ad 6. Synodum, & traditiones Eccleſiæ, & doctrinam Patrum: de Synodicis epiſtolis ſilentium. Itaque aut ij habuerunt alia exemplaria auctiora, aut quod viderunt Concilia probari, ac in ijs contineri approbationem Epiſtolarum Cyrilli, perinde habuerunt vtrunque. Illud me mouet, quòd Simon ille Conſtantinopolitanus Simon Conſt. citatus cum affirmet in 4. 5. & 6. Synodo eam Cyrilli epiſt. approbari; nihil de 7. Synodo affirmat. Tantùm ait Tharaſium Patriarcham Conſtantinopolitanum qui in ea Synodo præfuit in epiſtola quam miſit ad Præſules, & Sacerdotes Antiochenos, & Alexandrinos, & Hieroſolymitanos dixiſſe. *Et in Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedentem*. Quod ſanè verùm eſſe comperi: & ita notarant (primum quippe eos legi) Vaſquez, Bellarminus, & Montoya; eſt verò illa epiſtola Act. 3. pag. 23. exemplaris 2. Extat præterea illa doctrina in quodam ſcripto auulſo, quod eſt velut auctarium Concilij, eoque illud tanquam coronide terminatur. Cuius titulus eſt. *Quomodo intelligendum Dei nomen eſſe incommunicabile, & omnis Prophetica locutio, quæ inuehitur in Idola*. Habetur autem pag. 720. in 1. exemplari 7. Synodi collocato in tom. 3. Concil. p.1. nam eſt aliud exemplar in 2. p. einſdem tom. initio. Vbi non inuenitur hic tractatus. Nemo autem me iure reprehendat, quod hasce minutias tam ſtudioſè ſector, eo enim facio vt lectores liberem à moleſtia, quam mihi exhibuit iſta locorum ambigua, & implexa citatio. Hoc ſaltem debebunt improbo labori meo, quod nolui eos iacturam temporis facere, vt maioribus curis hac moleſtia liberati illud poſſint impendere. An verò in hac Synodo addita fuerit illa vox *Filioque*, de qua in Florentino quondam Concilio, & poſtea cum Græcis magna, & grauis fuit contentio, tunc commodius egero, cum de illius additamenti initio accuratius quæſtionem excitaro. Animaduerto hic, & opinor, opportunè hanc vocem per Filium in Græco textu, in 1. exemplari quod extat in fine tomi 3. pag. 526. inueniri vbi eſt di' you hoc eſt *per Filium*. Ne quis obijciat Latinos in ſuum, qui Latinè ſolum habetur in 2. p. tomi tertij exemplum pro libito immiſiſſe, quod ſolent de illa alia *Filioque* dicere, quod ea careat Grecus textus. At de hoc infra.

Octauam Synodum prætereunt Oct. Syn. Scriptores noſtri, quod nihil in eo ſit quod ad cauſam faciat. Verum ſi ſatis eſt approbare doctrinam à Patribus traditam, nec ab omnibus aut plurimas, ſed à ſingulis acceptã ad hanc veritatẽ confirmandam ſententiã recipere: cum eam Cyrillus, & Cyrill. tot poſt eum Patres tradiderint, non deeſt in Octaua Synodo locus idoneus. Sic enim Act. 10. Can. 1. pag. 769. *Sanctiones Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ per traditionem, tum à Sanctis omnium laude celebrandis Apoſtolis, tum ab Orthodoxis, Oecumenicis, & Prouincialibus Concilijs, aut à quouis Deiloquo Patre, & Eccleſiæ Doctore acceptas ſeruandas cuſtodiendaſque profitemur*. Præterea cum verum ſit Photium in ſua Pſeudoſy- Photius

S no-

nodo, de qua in Auctario Græco Latino ad finem Octauę Synodi tomo 3. p.2. pag.789. posito omnes contra se celebratas Synodos condemnasse, ac recitato Symbolo vetuisse ne qua ei fieret additio, argumentum est, quod in germana, & legitima Synodo quam impugnabat aliquid de Spiritus Sancti à Filio processione additum fuerit: si eo tamen verbo vti licet. Cani autem ab Ignatio symbolum cum ea particula constat ex dictis ab Andrea Rhodio in Concil. Florentino sess.7 pag.418. Non desunt igitur in hac Synodo 8. probabilia argumenta. Hęc ex Concilijs Orientalibus.

S. Ignat. Andreas Rhodius

Concil. Lateran. Gen sub Inn. III.

ExOccidētalibus huiusmodi Processionem à Filio docuit Lateranense sub Innocentio III. anno 1225. celebratum, in quo Gręci quoque conuenerunt:scilicet Patriarchę duo Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, & legati Antiocheni, & Alexandrini, cum plerisque Patribus Gręcis, & apparet ex cap.4. In hoc igitur cap.1. sic. *Pater à nullo: Filius autem à solo Patre, Spiritus Sanctus ab vtroque pariter*. Et cap.2 in fine. *Eadem res est Pater, & Filius nec non & Spiritus Sanctus ab vtroque procedens*. His nemo Gręcorum refragatus. In Concilio Lugdunensi 2. Oecumenico Generali Gregorio X. Pontifice definitum SpiritumSanctum à Patre,&Filio procedere. Habetur Can.1.*Gregorius Decimus*. *Fatemur quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio non tanquam ex duobus Principijs, sed tanquam ex vno Principio non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit*. Quę formula missa fuit ante Concilium à Summo Pontifice ad Imperatorem Michaelem Palęologum,& ad Pręlatos Gręcię ad Concilium euocatos, vt eam reciperent, quemadmodum vnanimes receperunt, & postea in eodem Concilio facta cum Latinis vnione confirmarunt. Et quod amplius est post tertiam sessionem die Iunij 28. in Festo Apostolorum Petri,& Pauli Anni 1273. Papa Gregorius celebrauit Missam,& cantatum est symbolum primum Latine: deinde Græcè à Patriarcha Gręco, & Gręcis, & repetita ter illa particula *Filioque*. Et post quartam Sessionem rursum bis à Gręcorum Patriarcha, & alijs Gręcis eadem particula decantata. Bellarminus ait *ter* Gręce, ter Latinę repetitam. Ego comperio Latinè bis,Gręcè quinquies decantatam. Primum Cardinales Latini inceperunt. Secundum Papa inchoauit,& totum Concilium compleuit; idque ex Actis constat.

Concil. Lugdun. Greg. X. Gener.

An. 1273.

Florentini Concilij accuratior est habenda ratio, & instituenda narratio. Igitur Ferrariæ Actione 3. incipiente Marco Ephesio inchoata est de Additamento sic appellauit *Filioque* symboli disputatio. Respondente Andrea Rhodio. Sessione 4. nihil statutum, solum de modo Additamenti, aut tollendi, aut defendendi agitatum. Actione 5. latè dictum ab Ephesio de auferendo additamento adductis omnibus symbolis synodorum: à 1. Oecumenica Nicena vsque ad 2. Nicenam idest 7. synodum: & ijs recitatis, monstrauit nunquam illam particulam Filioque vel additam, vel permissam: ac proinde nec admittendam. Ad finem tamen sessionis prolatus est à Latinis antiquus codex vbi illa particula Filioque legebatur. Sess.6. probat optimè Rhodius non esse additamentum, sed declarationem, quod Persona Filij cum omnia præter Relationem cum Patre habeat communia, communem etiam habeat virtutem spirandi necesse est. Sess. 7. quæ preclara est continet ea testimonia, quibus manifestè probatur illam particulam licuisse, imò & necessariam fuisse. Recensentur declarationes per nouas

Concil. Florent.

Rhod.

uas particulas additas Symbolo Niceno, quæ in Constantinopolitano Symbolo extant. Deinde referuntur Patres Latini, & Græci qui à *Filio* dixerunt. Sunt autem Greci Basilius, Nissenus, Athanasius, Chrysostomus, Dionysius, Anastasius Synaita, Cyrillus, Epiphanius, Maximus, Tharasius, Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus in Octaua Synodo.

Sess.8. & 9. Impugnatur à Niceno Episcopo responsio Rhodij: & non licuisse apponi illam particulam à Filio multis ab eo ostenditur. Sess.10. delet Ioannes Foroliuiensis obiecta Niceni, & sess.11. Iulianus Iul.Card. Cardinalis Ioannis dicta confirmat. Sess.12. Ex symbolo imprimis Charisij lecto in Concil. Ephesino declarationes fieri symbolo probat contra Ephesium Iulianus. Sequentibus vsque ad 17. quæ 1. Florentiæ habita est, sessionibus nulla expressa disputatio habetur. Cœpit disputari ex instituto de Processione à Filio sess. 18. à Ioanne Theologo Latino, contradicente Ephesio; precipua erat quæstio de mente Basilij de qua sess.19. In hac & alijs ad 24. Io.Theol. Marcus disputatum est acerrime à Ioanne, & Marco de sensu loci Basilij circa Processionem Spiritus Sancti à Filio: & sess.24. persuasum est id à Ioanne multorum Patrum authoritate. Sess. 25. postrema Imprimis Bessar. habetur oratio præclara Bessarionis Niceni ad Græcos suos, qua ijs demonstrat veritatem istam Processionis Spiritus Sancti à Filio, & hortatur ad vnioné cum Latinis. Deinde admittunt primo Græci Spiritum Sanctum emitti, & effundi ex Filio, & à Filio, pag. 585. Postea conclusum bis à Patriarcha, & Grecis penè omnibus Spiritum Sanctum procedere ex Patre, & Filio tanquam ex vno principio, pag.591 & 594. & vnio circa hoc facta ibid. Tandem in definitione ea veritas statuitur ab Eugenio Papa IV. his Eug. IV. verbis. *Definimus vt hæc Fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio, & ex vtroque æternaliter tanquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit*. Ab eodem autem Eugenio symbolum cum hac particula *Filioque* Armenis traditum, vti est in Decreto ad finem Concilij, pag.612.

In Concilio Lateranensi sub Leone X. Patriarchæ Maronitarum Mandatum exhibetur sess.11. in quo ille fatetur. *Processionem Spiritus Sancti à Filio. Sicut ab vnico Principio, & vnica spiratione*. Habetur tom. 4. Concil. Collection. Binij pag.111. Cón.Lat. Gen. sub Leone X.

Tridentinum denique sess.3. symbolum Fidei vti ab ijs recitatum est Patribus, producit. In quo habetur illa particula. *Qui ex Patre Filioque procedit*. Con.Tri

Hæc sunt vniuersalia Concilia, in quibus fit mentio huiusce ex Patre Filioque Processionis.

Prouincialia numeremus:

PRimum esto Toletanum I. Anastasio Pontifice. Anno 400. Concil. Tolet.I. Era 438. celebratum, quod quidam cum alio, Innocentio Papa, Anno 406. confundunt; imo & minimè ab eo, quod Leone I. Pontifice congregatum fuit distinguunt, ego verò diuersum puto, cum Baronio, & Binio nam Can.21. quem citat Bellarm. Baron. Bin. Bellarm. siue post Canones pro coronide in Regula Fidei sic habet. *Spiritum quoque Paracletum esse, qui nec Pater sit ipse, neque Filius. Sed à Patre Filioque procedens*. Sequor autem in hoc asserendo Concilio P. Ioannem de Mariana grauem, & seuerum Mariana

authorem, qui lib. 4. suæ historiæ cap. vltimo, Anastasio Pontifice, anno 400. illud celebratum fuisse scribit. In alio item sub Innocentio anno 406. congregato non dubito, quin eadem Fidei regula sit recitata, ac proinde duo sint primũ, & secundum Toletana Concilia, in quibus ea confessio facta sit, sed quod non extent illius Acta minus id audeo affirmare. Illud constat authore Vasquez, & Montoya in eo Concilio, quod Leone Papa Anno 447. quod ipsi dicunt primũ nos vero tertium appellamus, & Hispanicum verius nuncupatur, eandem regulam Fidei exhiberi. Imò nihil præter hanc eius Concilij extat, vti videre est apud Seuerinum Binium 2. par. 1. tomi pag. 507. *Dixi verius Hispanicum*, quoniam illud nationale fuit iussum à Leone I. per litteras missas Turibio Asturicensi Episcopo ex Tarraconensi, Carthaginiensi, Lusitano, & Calleecano Conuentibus congregari, & ab ijs Celenis, Calleciæ oppido non Toleti congregatum, quod videtur constare ex Concilio Bracharensi I. vbi Lucretius id refert, & Mariana narrat lib. 5. Hist. cap. 4. Quamuis contra sentiant duo illi magni nominis Theologi Vasquez, & Montoya: qui primum illud, & Toletanum vocant. Nisi si dicamus duo in Hispania iussu Leonis, aut voluntate aliorum Pontificum celebrata fuisse Concilia: vnum Toleti alterum Celenis, ac pro vno habita, & cum primo Toletano mixta errore aliquo fuisse. Idque iudicat Seuerinus Binius in notis ad hoc Concilium Hispanicum sub Leone I. quod sane Vasquez, & Montoya existimarunt. Sed hæc aliàs accuratius. In Concilio Alexandrino, in quo adfuit, & præfuit Cyrillus, de quo nos in Oecumenico Ephesino satis, & in alijs sæpè diximus, inserta est illa Epistola Cyrilli, quæ illam processionem Spiritus sancti à Patre Filioque affirmat. Quo nos argumento vsi sumus ad probandum a Concilio traditam eam fuisse doctrinam.

Binius.

Mariana

Concil. Brachar.

Concil. Alex.

In eo, quod secundum appellatur, tempore Bonifacij II. nihil de Symbolo habetur. Inter hoc & tertium Toletanum interuenit Bracharense primum Ioanne Papa III. Anno 563. in quo Regula illa Fidei, cum Symbolo recitata fuit, quæ in secundo Toletano Concilio, vel illo alio sub Leone fuerat recitata. Sic enim habetur in Actis eius Concilij initio. *Lectum est*, inquit, *exemplar Fidei, cum capitulis suis, quæ ne prolixitatẽ facerent, his gestis minimè sunt inserta*, tom. 2. Concil. parte 2. pag. 209.

Concil. Tolet.

Concil. Brach. 1.

In tertio Pelagio II. Pontifice, præsentibus Leandro Hispalensi Episcopo, & Eufemio Toletano, & septuaginta octo Patribus Reccardus Rex in suę Fideiconfessione, c. 2. p. 272. dixit. *Spiritus sanctus confitendus est à nobis, & prædicandus à Patre Filioque procedere, & cum Patre, & Filio vnius esse substantiæ*, quam omnino Patres approbarunt. Et in alia Fidei Confessione communi facta ab Episcopis, & Presbyteris, & Primoribus Gotthicæ gentis, vbi ponuntur Anathemata pag. 275. in tertio, sic habetur. *Quicumque spiritum sanctum non credit, aut non crediderit à Patre Filioque procedere, eũque non dixerit coæternum esse Patri, & Filio, & coessentialem anathema sit*. Moneo Lectorem magnum irrepsisse mendum in scripta insignis Theologi P. Didaci Ruiz de Montoya, qui dum enumerat summa eruditione huiusmodi Concilia de isto tertio Toletano sic scribit. *Tertium sub Gelasio II. centum quinquaginta Patres dixerunt*. Typis errorem assigna, & ita corrige. *Sub Pelagio II. septuaginta octo Patres dixerunt*, vel in *Symbolo centum quinqua-*

Concil. Tolet.

Montoya

Concil. Tolet. 3.

quа-

quaginta Patrum dixerunt. Non enim credo erraſſe virum illum doctiſſimum, miror magis recognitores illum non vidiſſe cum oculati eſſe ſoleant.

Concil. Tolet. 4. Concilium Toletanum, quod IV. appellant Honorio I. Pontifice Aera 671. Anno Chriſti 633. illuſtrem confeſſionem exhibet cap. 1. *Spiritum Sanctum, nec creatum, nec genitum, ſed procedentem ex Patre, & Filio profitemur.*

Concil. Tolet. 6. Eiuſdem modi eſt in Concilio, Toletano VI. ſub eodem Honorio Aera 676. anno Chriſti 638. celebrato teſtimonium capite 1. *Spiritum vero Sanctum, neque genitum, neque creatum, ſed de Patre, Filioque procedentem vtriuſque eſſe ſpiritum, ac per hoc ſubſtantialiter vnum ſunt, qui & vnus ab vtraque procedit.*

Concil. Tolet. 8. Concilij VIII. Toletani ea eſt in Symbolo forma Confeſſionis huius articuli. *Credimus, & in ſpiritum ſanctum viuificatorem ex Patre, & Filio procedentem.* Habitum fuit Aera 691. Anno Chriſti 653. Martino I. Pontifice: quinquaginta duo Epiſcopi interfuerunt.

Concil. Emerit. Interuenit Concilium Emeritenſe Aera 704. in Luſitania collectum Papa Vitaliano in quo ita redditur ea particula Symboli. *Et in ſpiritum ſanctum Dominum, & viuificatorem ex Patre, & Filio procedentem.* Huic Concilio illuſtre teſtimonium reddit Innocentius III. in Epiſt. ad Petrum Compoſtellanum Archiepiſcopum. Quam exhibet Seuerinus Binius ad notas Concilij ex Garcia Loayſa tomo 2. Conciliorum par. 2. pag. 537. Inn. 3.

Concil. Tol. 11. In Concilio XI. Toletano longior & explicatior eſt profeſſio. Celebratum hoc eſt anno Salutis 673. Pontifice Adeodato, Hiſpaniæ Rege Vvamba. Profeſſio eiuſmodi eſt. *Spiritum quoque ſanctum, quæ eſt tertia in Trinitate Perſona, vnum atque æqualem cum Deo Patre, & Filio credimus eſſe Deũ, vnius ſubſtantiæ vnius quoque naturæ non tamen genitum, vel creatum, ſed ab vtriſque procedentem amborum eſſe ſpiritum.* Et iterum. *Qui tamen, nec Patris tantum, nec Filij tantum, ſed ſimul Patris, & Filij Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, nec de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam, ſed ſimul ab vtriſque proceſſiſſe monſtratur, quia Charitas, ſiue ſanctitas amborum eſſe agnoſcitur.* Et rurſum. *Spiritus ſanctus non ad ſe, ſed ad Patrem, & Filium relatiuè refertur in eo, quod ſpiritus Patris, & Filij prædicatur.*

Concilium Hetfeldenſe in Anglia authore Beda Ann. Chriſti 650. congregatum profitetur Spiritum Sanctum, *à Patre Filioque procedere.* Concil. Etfeld.

In Concilio Bracharenſi III. eodem Pontifice Adeodato, & anno, eadem veritas expreſſa in Symbolo. *Credimus, & in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificatorem ex Patre, & Filio procedentem.* Concil. Tol. 12.

Secutum hoc eſt Concilium XII. Toletanum. Cuius hæc eſt in Symbolo pars Confeſſionis. *Credimus in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem ex Patre, & Filio procedentem.* Coactum fuit Aera 719. Chriſti 681. Papa Agathone. Concil. Tol. 12.

In XIII. Aera 721. Anno Chriſti 673. Leone II. Pontifice eadem iiſdem met concepta verbis profeſſio reperitur. Hæc iterum reperitur in Concilio XV. celebrato Anno Domini 688. Aera 726. Sergio Papa. Concil. Tol. 13.

In Concilio Toletano XVI. Anno 693. Tempore Sergij celebrato octies ea veritas reperitur. Et primum habetur. *Spiritum vero Sanctum ex Patre Filioque abſque aliquo initio procedentem.* Concil. Tol. 13.

In XVII. breuior, ſed ſolemnis inuenitur Proceſſionis ex Patre Filioque confeſſio. Annus Concilij fuit Concil. Tol. 16.

fuit 694. & in Pontificatum Sergij incidit.

Concil. Tol. 18. Concilij XVIII. Acta non extant; non ambigo, quin si extarent eadem ab eo edita professio esset, & appareret. Redeo ad nonnulla, quæ omisi numerando Toletana, de eadem re Concilia. Constantinopolitanum sub Ioanne II. Papa Anno 532. siue Collatio Epistolam illam Cyrilli de qua supra toties diximus, sæpè approbauit: ac proinde doctrinam de huiusmodi ab eo tradita Processione.

Concil. Constan. sub Io. 2. Pap. Col.

Concil. Gentil. Concilium Gentiliacense in Gallia de Cultu Imaginum, & de Sanctissima Trinitate celebratum scribit Ado Viennensis in Chronico; ac in eo tractata illa quæstio. An spiritus sanctus à Patre, & Filio procederet? Et affirmatiuè definitum. Occasio autem ea fuit, quod cum Latini Iconomachiam obijcerent Constantino Copronymo, is rursus nostris obiecit, addittionem illam à Filio Symbolo Fidei factam: vt obiter appareat, quam sordidum authorem ea Græcorum calumnia habuit. Annus 766. eius Concilij fuit.

Concil. Forol. Illustre maximè in hac causa Foroliuiense à Paulino Aquileiensi congregatum Concilium est. Adriano I. Pontifice, & Carolo Magno Imperatore Anno Dom. 791. In eo enim processio à Patre, & Filio Spiritus sancti adducitur, & probatur locis idoneis scripturæ, & traditur appositio illius particulæ Filioque, & commendatur. Præterea adducitur Symbolum cum ea formula ibi inserta. *Qui ex Patre Filioque procedit.* Tota prima huius Concilij pars iusta eius veritatis cōfirmatio est. Nihil vidi accuratius, & eruditius.

Concil. Francfor. Concilium Francfordiense Anno 794. Eodem Papa, & Imperatore celebratum, multis in locis docuit Spiritum ab vtroque Patre, & Filio Sanctum procedere: ac imprimis in formula professionis Fidei: Inter alia. *Credimus*, inquit, *in Spiritum sanctum Deum verum, viuificatorem omnium, à Patre, & Filio procedentem*, & infra. *Aeternus Spiritus Sanctus ex Patre Filioque procedens*. Ac istud Concilium hoc nomine celebratur.

Concil. Aquisgr. Aquisgranensis Anno 809. Eodem Carolo Imperatore, & Leone III. Aquisgrani habiti processio spiritus sancti à Filio proprium argumentum fuit. Decretum, ita esse: & illud missum ad Leonem III. cuius ea fuit sententia rem veram esse; sed non ideo tamen à tota Ecclesia Catholica illam particulam palam canendam, ne videremur aliquid ad vetera illa Symbola addidisse. Idque quasi gloriando modulari. Non quod non liceret, sed quod modestè agere expediret, ne quis ex populo existimaret quicquā de veterum Synodorum authoritate detrahi illo quasi cantu glorioso, & ad victoriam comparato.

Concil. Arelat. Concilium Arelatense anno 813. sub Leone item III. & Carolo Magno Imperatore coactum eandem professionem emisit, & ait secundum scripturas, & doctrinam Patrum eam esse.

Concil. Vvorm. Concilij Vvormatiensis Prouincialis Anno Domini 868. tempore Adriani II. & Ludouici Imperatoris item II. congregati, illustris est de processione spiritus sancti à Filio confessio, quæ eadem prorsus est, ac illa Concilij XI. Toletani: ibi inter cætera: *Confitemur spiritum sanctum, nec Vnigenitum esse, nec creatum, sed à Patre Filioque procedentem.*

Concil. Barense. In Barensi Concilio Grecis simul & Latinis concurrentibus, ac illam quæstionem de processione spiritus sancti à Filio agitantibus, Anselmus iussus ab Vrbano II. Papa præsente causam suscipere, Græcos confutauit illius-

illiusque Acta Concilij scripsit, quæ omnino perierunt, ac nulla essent, nisi ille Dei afflatu ea memoriæ mandaret, & posteritati commendaret. Quibus maiorem attulit lucem commentarijs de Processione Spiritus sancti compositis, qui hodie omnium manibus teruntur. In annum 1097. Illud Concilium incidit.

Concil. Mediol. Concilium Mediolanense IV. Carolo Borromæo Authore. Anno 1573. Gregorio XIII. Pontifice celebratum initio exhibet Symbolum Fidei cum ea solemni particula. *Qui ex Patre Filioque procedit.*

Hæc sunt Concilia particularia, quæ huius spiritus sancti à Filio processionis mentionem fecerunt: quemadmodum nos ea in Seuerini Binij collectione accuratissimè vidimus: nec oportet Lectorem iacturam temporis facere in his, aut recognoscendis, aut alijs de nouo inquirendis. Habet quæcumque sunt summa fide citata: plura non inueniet in Binio.

Concil. Brach. 1. Vnum tamen animaduerto. Annis superioribus editum in lucem fuisse à Fratre Bernardo de Britto monacho Cisterciensi S. Bernardi Lusitano, Ordinis sui, & Regis insigni Chronologo Bracharense antiquissimum, quod ipse appellat primum Concilium anno incerto fermè 400. atque adeo Toletano primo Synchronon, & Bracharensi primo, quod habetur in Seuerini Binij collectione, fermè Sesquiseculo antiquius. Quod inuentum à se esse dicit in Archiuio Conuentus, sanè Regij, Alcobatiensis, indeque extractum, & publici iuris factum. In quo est Symbolum cum ea particula *Filioque*, vti ego aliàs in meo de Aduentu S. Iacobi in Hispaniam, libro recens excuso obseruaui. Quod si verum est, illud erit ante Alexandrinum, & Toletanum primum ponendum; Multòque est, quàm communiter existimatur, illud Symbolum ea particula auctum vetustius, & illius Brachara illa Augusta Lusitana eo in Concilio fuit author. Verum etsi hoc de nouo inuentum Concilium vti monui eo in commentario, receptum fuerit à nonnullis grauibus scriptoribus, quos ibi cito, ego tamen suspectum existimo, nec audeo probare, tum propter illas coniecturas, tum ob alias, quas modo non possum afferre. Quod in aliud tempus, idest cum de Concilijs acturus sum, reseruo.

Bernard. Britto.

SECTIO III.

An in Concilijs Niceno I. & II. Oecumenicis, & Romano Particulari sub Damaso huiusce Processionis à Filio fiat mentio?

Ingentes hæ sunt, & hisce temporibus vehementius agitatæ controuersiæ: duæ imprimis vltimæ: nam prima de Niceno Concilio facilius expeditur.

P. Didacus Ruiz de Montoya doctissimus, & qui facem luxit Petauio ad Theologiam Patrum tradendam dist. 57. sess. 3. num. 13. & sess. 4. num. 2. affirmat in Concilio Niceno I. lib. 2. versus fin. §. *Cum sit copiosa*, non longe à principio satis significari processionem Spiritus sancti à Filio. Inspecto loco non temerè id ab eo dictum comperi. Animaduerto autem hanc non esse vulgatam Synodi Nicenę versionem, nec primi illius authographi exemplum: sed eius, quod exscriptum, & editum in lucem fuit à Gelasio Cyziceno ex scriptis Dalmacij Cyziceni, de quibus Photius in Bibliotheca. Hoc opus Græcum, & Latinitate donatum à Roberto Belforeo Scoto viro Catholico in syntagma

Montoya

Concil. Nicen.

Gelas. Cyzicen.

tagma

Photius in Bibl. Robert. Belfor, Scot. Alphonf. Pisan. Seuerin. Binius Conc. Nicen. tagma redigit Parisijs Fridericus Morellus, erat autem scriptum Græcè in Vaticano, idque Latinè reddidit Alphonsus Pisanus, & à Seuerino Binio 1. tomo Conciliorum insertum est in tres libros diuisum, & Niceno Concilio vulgato subiectum. In eo igitur, illo lib. 2. & §. citato: Sic habetur in responsione Patrum ad Philosophum per Leontium. *Admitte vnam Diuinitatem Patris Filium ineffabiliter generantis, & Filij ex eo geniti, Spiritus Sancti ex eodem Patre procedentis, qui & proprius est Filij*, vt ait Diuinus Apostolus Paulus. *Qui Spiritum Christi, non habet hic non est eius.* D.Paulus Quæ sanè verba cum loco Pauli coniuncta significant spiritum sanctum à Filio item procedere, quemadmodum superiori capite ostendimus: & grauium Patrum testimonijs confirmauimus. D.Paulus Deinde illa verba paulo inferius posita quiddam habent rem continens *Si ergo Spiritus Deus est omnino, & Deus erit Spiritus, non autem alius atque alius, sed vna Diuinitas vtriusque Personæ iuxta hypostasium considerationem.* Expendo modum *vtriusque Personæ*, quod amborum sit spiritus, & ab ijs procedat, nam si de sola Diuinitate sermo esset, diceret plane. *Vna Diuinitas cum vtraque Persona.* Dum vero ait vtriusque Personæ indicat ab vtraque Diuinitatem accepisse, idque confirmatur ex eo, quod adijcit, *iuxta hypostasium considerationem*, quo indicauit, & originis ab vtroque rationem habere voluisse: ac spiritum sanctum, ita esse Deum cum Patre, & Filio, vt esset etiam Patris, & Filij, idest ab vtroque procedens. Iuuat id quoque. *Inseparabilis est à Patre, ac Filio, quemadmodum & Filius à Patre, & Pater à Filio.* Nota discrimen loquendi cum Patrem refert ad Filium, & contra vnum ad alterum refert, quod Filius solum Patrem habet ad quem tamquam ad vnum Principium referatur, at vero quando loquitur de Spiritu sancto eũ ad vtrumque refert, quod ab vtroque tamquam à communi principio procedat: nec possit nisi ad vtrumque respicere. Tandem meo iudicio manifestius adhibita comparatione verbi, & mentis. *Verbum*, inquit, *tuum, vt & cuiusuis hominis prolatitium est, gignitur autem insecabile, & ex mente quemadmodum & spiritus tuus procedit ex te.* Quasi dicat: spiritus sanctus, ita est ex Patre, & Filio, sicut Spiritus, qui procedit ex homine loquente. In hoc autem mens est, idest Pater, à qua exit verbum, idest Filius, & ab his halitus, seu Spiritus, qui proferendo verbum, simul cum eo exit, idest spiritus sanctus, qui ex vtroque procedit: sic accommodatur ad institutum comparatio. Rursum ad finem redit ad illud. *Spiritum sanctum esse verbi spiritum, non prolatitij, sed æterni.* Quo haud dubiè significat Spiritum sanctum à Filio, quoque procedere. Equidem expenso loco, idoneum esse iudicio ad persuadendum, in Niceno Concilio eam veritatem satis cognitam, Conc. N. & exploratam Patres habuisse, & haud obscurè in ea responsione indicasse. Fortassis hac ratione motus in 1. dist. 11. qu. 1. dixit Scotus: Eam nos veritatem in Niceno Symbolo recitare cum dicimus. *Ex Patre Filioque procedit.*

Quod attinet ad Damasum. Multi grauesque Authores referunt illum Authorem fuisse huius additamenti, siue expositionis *Filioque*, Conc. R. Constan. tum in Concilio Romano ab eo post illud Constantinopolitanum Oecumenicum celebrato, in quo Decretum, vt omnis Orientis Episcopi Romam venirent, tum in Symbolo Damaf. edito à Damaso, quod inuenitur tomo 9. operum Hieronymi, & in responsione Episcoporum ad Damasum

maſum, quæ habetur initio Concilij Conſtantinopolitani, vbi aiunt reperiri eam particulam additam Symbolo Niceno. Ita Nicolaus Socolouius in annotat. in c. 1. Cenſuræ Orientalis Eccleſiæ, quem citat Vaſquez 1. par. diſt. 146. cap. 4. num. 18. & Montoya diſt. 67. ſeſſ. 5. num. 1. Eiuſdem ſententiæ cum Socolouio Author eſt Andreas Ariſtenus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus, & Chartophylax, ita referente Ioſepho Methonenſi reſponſione ad Marcum Epheſium, & Simon Conſtantinopolitanus Epiſtola ad Ioannem Nomophylacem, qui ait in Symbolo Italorum ab eodem Damaſo accepto recitari ſolere, & adducunt Alexij Anisteni teſtimonium: additque in litteris ad Paulinum id ipſum à Damaſo affirmari adducto rurſum Alexio Ariſteno: cuius verba profert. Eamdem ſententiam tradit Durantus de Ritibus Eccleſiæ Catholicæ lib. 2. cap. 24. num. 11. vbi aſſerit eam particulam additam fuiſſe in Concilio Romano, & redditam à Patribus Conſtantinopolitanis, in Epiſtola ad Damaſum miſſa per Euſebium, & Priſcianum Epiſcopos. Confirmat Hugo Aetherianus de Proceſſione Spiritus sancti cap. 16. quos omnes citat Leo Allatius contra Hottingerum, pag. 551. & 552. ad 559. Aetherianum etiam citat Vaſquez, & Montoya. Teſtimonia integra Græcorum producit, ac expendit accuratè Leo ibidem. Omnes vero adijciunt dici vulgo ſolere, id narrare cap. 16. lib. 9. Hiſtor. Tripart. At omnium ſententia conſtat illam particulam hodie non inueniri, nec in actis vtriuſque Concilij, nec in Epiſtola ante Conſtantinopolitanum Concilium, nec in Hiſtoria Tripartita. Quod autem aiunt haberi in Epiſtol. data ad Paulinum, quæ Symbolum Fidei appellatur, id ſanè in ea non extare

Nicolaus Socolou. Vaſquez. Montoya. Andreas. Ioſeph Methon. Simon Conſt. Alexij Ariſten. Durant. Hugo Aetherianus. Leo Allatius. Vaſquez. Montoya. Hiſtor. Tripart.

eo lecto conſtabit Lectoribus. Vnus igitur locus ſupereſt, in quo reperitur apud Hieronymum tomo 9. nam ibi legitur Symbolum Damaſi. Verum huius authoritatem infirmat Montoya, quòd à multis creditur eſſe ſuppoſititium, & incerti Authoris. Id etiam dicit Vaſquez, & colligitur ex Bellarmino lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Dum tradit nihil Damaſi ſupereſſe præter Epiſtolas paucas. Et quidem ea, quæ Marius Victorius in eum tomum coniecit maiorem partem non ſunt Hieronymi, ſed Authoris incerti, & ambiguę fidei. Quemadmodum præter Montoyam obſeruat Vaſquez diſt. 146. cap. 4. & Suarez lib. 10. cap. 1. de Trinitate, & ego accuratè legens, & recognoſcens omnia deprehendi. Itaque nil ſolidum in hac opinione inuenitur. Vnum eſt, quod Religionem incutit tanta Græcorum authoritas, qui ſanè cum minimè eſſent ad hanc veritatem propenſi libenter admittunt eam de Symbolo Damaſi Hiſtoriam. Vnde enim quæſo id hauſerunt? Cur tanto conſenſu affirmant? & ſuis Græcis obijciunt? A quibus non modo eſſent, ſi figmentum afferent confutandi, ſed etiam irridendi? Cum præſertim Alexius nobilis Author ſit, de quo dubitare nos haud ſinit idoneus ſcriptor Genebrardus de Trinitate, qui ſcribit apud ſe fragmentum operis Ariſteni fuiſſe, in quo illud de Concilij Romani Decreto, & Symbolo Damaſi legebatur. Idque doctiſſimus obſeruat Allatius. Nec video cur de iſto ſaltem Symbolo dubitemus, qui de Athanaſij Symbolo non dubitamus, quo argumento vtitur Suarez lib. 10. de Trinitate cap. 1. Certè Ioannes Gerardi tomo 1. Locorum communium in controuerſ. de Spiritu sancto ſcribit. *In Synodo Conſtantinopolitana bonam operam veritati nauaſſe Gregorium*

Hieron. Montoya. Vaſquez. Bellarm. Alexius. Genebr. Allatius. Ioannes Gerardi.

Nyssenum, & de consensu Synodi hanc particulam Filioque Niceno Symbolo addidisse. Verum huic ego tantum Authori credere nolo, minora crederem. Illud facilius creditu est à Damaso extra Nicenum Symbolum illam particulam esse vsurpatam. Et quidem non video cur tam obstinatè negemus à Damaso eam, & receptam, & celebratam, cum multi ante eum Patres eandem particulam admisissent. Quod in Romano Concilio fecerit, affirmem potius quam negem, cum non multis post annis, idest Anastasio, qui Damaso post Siricium successit Pōtifice, Concilium Toletanū I. quod proximè diximus, illam particulam Symbolo addiderit. Imo non leuis ea coniectura est à Damaso Hispano Pontifice Hispana illam Concilia accepisse, quæ fermè omnia illam veritatem celebrarunt. Potuit illa sententia eradi ex Actis Concilij, & ex Epistola ad Paulinum: nec est opus in omnibus exemplaribus haberi, nam, quòd ea desideretur, argumentum est negatiuum quòd rem non conficit. Illud certè fidem facit, quod in aliquibus exemplaribus sit inuenta, & illis authoribus innotuerit. Multa hæretici, & Schismatici Actis Ecclesiasticis detraxerunt, & detorserunt. Cuius rei exempla aliàs adduximus, cum de Photio, & Octaua Synodo ageremus. Quare non reijcio testimonium illud Damasi, cum Græci illud afferant, & tueantur. Imò quod me vehementer mouet, Iosephus Methonensis Episcopus, in Disputatione habita cum Ephesio, & ponitur in fine Florentini Concilij pag. 667. affirmat non semel, aut bis, sed sæpè sæpius à Secunda Synodo tempore Damasi eam particulam Symbolo fuisse appositam, idque Aristeni authoritate confirmat. Vnum ex ea locum produco p. 670. *Non solum ante Schisma Ecclesiarum appositum erat Symbolo, sed ante ipsas Synodos Septimam dico, & Sextam, vt testatur Maximus in Epist. ad Marinum presbyterum Cyprium, nec ante illas tantum, vt dictum est, sed mox à Secunda Synodo tempore Damasi* Papæ*, vt asserit Georgius Aristenus Historicus. Quare hinc argueris commentitia dicere. Neque enim additamentum causam dedit seiunctionis Ecclesiarum*. Addiderim: rationem cur Symbolum tomo 11. Hieronymi contentum non sit tribuendum Damaso, nihil conficere: nec enim sequitur ex eo, quod opera illa non sint Hieronymi, Symbolum illud non esse Damasi: probat quidem non esse Hieronymi, at non probat non esse Damasi, cuius opus potuit inter ea opera, quæ non sunt Hieronymi reperiri: nos autem dicimus esse Damasi, non Hieronymi.

Damasus

Concil. Roman

Concil. Tolet.

Damasus

Nec vero id, quod ait Bellarminus Damasi nihil extare præter paucas Epistolas, iudicium meum infirmat, cum constet, non pauca Damasi Carmina, vltra illas Epistolas extare: ac præterea, non sequatur ex eo, quod pauca extent, aut nulla extent, nulla extitisse. Itaque hinc, & inde coniecturis agitur, cum ergo vtrumque sit probabile, æquius erit affirmantibus, quam negantibus, qui minus sententiæ iam Catholicæ fauent, assentiri: Sanè Leo Allatius iudicium suum sustinuit propter illorum Græcorum authoritatem, quod est prudentiæ tribuendum. Ego eo non contentus, quamuis à Vasquez, & Montoya summis certè Scriptoribus dissentiam, accipio Græcorum sententiam, & in vsum doctrinæ meæ conuerto: quæ ne sit singularis volo eam doctissimi hominis suffragio confirmare, quamquam singularis esse non possit, quam ex tot, tamque idoneis authoribus haustam, & testimonijs roboratam confirmaui,

Bellarm.

Damas.

Leo Allatius.

Vasq. Montoya

ui, ac obiter illius, quod non inuenio factum ab alijs ante me ſcriptoribus, referre ſententiam. Igitur Garcias Loayſa notis ad Concil. 3. Toletan. quod extat apud Binium 2. parte tomi 2. pag. 271. ſic ſenſit, non ſolum verum eſſe, quod ſupra de Symbolo Damaſi Synodoque Romana retulimus, ad idque citat D. Hieronymi locum, & Hiſtoriam Tripatitam, ſed etiam affirmat illam particulam *Filioque* additam fuiſſe à Patribus Conſtantinopolitani Cōcilij Oecumenici, ac inde initium quo non potuit eſſe nobilius, accepiſſe. Ait autem ſic ad illa verba. *Fides ſancta*, pag. 287. *Hoc eſt ſymbolum Concilij Conſtantinopolitani à centum, & quinquaginta* Patribus *celebrati aduerſus Eunomium*, P*hotinū*, *& Macedonium in quo aliqua explicata ſunt & poſita in ſymbolo, quæ in Niceno non erant, vt eſt illud, quod ad* Per*ſonam ſpiritus ſancti ſpectat. Credimus in ſpiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex* Patre F*ilioque procedit &c.. Neque exiſtimo, vt alij, poſtea hæc verba*: Ex Pa*tre* F*ilioque addita in ſynodo Romana, ſed in ipſa prima ſymboli formatione fuiſſe poſita, vt conſtat ex D. Hieronymo in ſymbolo, & ex lib. 9. Hiſtor. Tripart. & ex Concilio Florentino*.

Loayſa. Binius. D.Hier. Hiſt. Tr.

Loayſa. Hucuſque Loayſa eo loco. Eius ſententiam vera ne ſit, an falſa, non diſcutio, quod meum de illa iudiciū in aliam occaſionem cum inquiram de tempore, ac loco in quo ea fuerit adiecta particula, reſeruem. Tantum id vendico: ab eo licet obiter admitti, eam in Romana Synodo additam à Damaſo, quod Hiſpani Theologi negant. Adijcio ſi id verum eſt, eam inſertam in Epiſtola ad Paulinum miſſa fuiſſe. Cætera poſtea examinabimus.

Roman. Synod. Damaſo.

Reliquum eſt, vt de Septima Synodo, ſiue Nicena Secunda accuratè tractemus. Rem narro. Inita in Florentino adhuc Ferrariæ ſeſſ. 5. Concilio Diſputatione de illo, vti Græci *Additamento*, vti Latini *Expreſſione* inſerta Symbolo Fidei, F*ilioque*, ac de illius nouitate, ac inſolentia Græcis querentibus, prolatus in medium à Latinis, *vetuſtiſſimus codex fuit, in quo eadem ipſa Definitio, Sanctumque ſpiritum ex Patre Filioque procedere ſcriptum erat*. Quemadmodum vertit Allatius aduerſus Hottingerum. Ex quo magna inter eos Patres, & pertinax orta contentio. *Nam Latini librum ipſum vetuſtiſſimum oſtendebant, ac vehementer elati eum cum Græcorum libro conferebant: Et cum in omnibus ipſa tantum acceſſione excepta, conuenire vidiſſent, viſi ſunt mirum in modum admirari*. Subiecit Iulianus Cardinalis: *Hiſtoricum quemdam antiquum, & doctum teſtari ipſummet cum additione illa Symbolum in Septima Synodo fuiſſe recitatum*. Hoc autem Cardinalis Iuliani teſtimonium habetur in fine ſeſſionis 5. quod moneo, quia eius non meminiſſe video Vaſquium, & Montoyam, qui ſolummodo referunt Andream Rhodienſem ſeſſ. 7. In ea bis Rhodienſis hic à Iuliano Cardinali dicta de Codice illo confirmat, eumque vti acceptum, & germanum citat aliter tamen in noſtra verſione, quàm citat Allatius; qui ita vertit, vt inducat referentem eum *Chronographorum alios libros*, quod noſtra verſio non habet.

Allatius. Iulian. Card. Vaſquez. Montoya Andreas Rhod. Allatius.

Conſtat tamen Martinum Polonum in Chronico illud ipſum tradere, quod Codex ille continebat. Sic enim Martinus in vita Conſtantini, & Irenes. *Horum Imperio anno octauo facta eſt ſecunda Synodus in Nicæa, vbi adfuerunt trecenti, & & quinquaginta Patres, in qua affirmatum eſt Spiritum ſanctum à Patre, & Filio procedere*. Cæterum de illa differentia ſic vocat Septimę Synodi ab alijs in Codice Latino inuenta obiter agit ſeſſ. 8. Nicenus

Martin. Polon. Nicen.

eamque in aliud tempus remittit: sed numquam de illa facta est deinceps mentio. Magna huius vis esset ex Septima Synodo testimonij, si Codex ille vera referret. Sed negarunt, saltem dubitarunt tunc Greci, & recentiores prorsus inficiantur: imo & propter id nos Corruptores appellant Septimæ Synodi, inter quos est Amyrutius apud Leonem Allatium. Græcos imitatur Vossius de tribus Synodis, vbi sic. *Neque enim id*, inquit, *ignorassent Graci, & aliqui saltem Codices præter eum, quem Romani Græcis ostendebant, ita habuissent. Adde quod nec Anastasius Bibliothecarius id legerit, qui annis solum 70. post Synodum eam claruit*. Quare non dubitat, quin illud de *Filio, vel fraude fuerit* insertum, vel Librarij irrepserit *errore*. Quæ vltima periodus ponitur, vti Vossij, cum videatur esse Leonis Allatij, in quam etiam mendum irrepsit, quod ego citando correxi. Grauiter item hâc Latinorum in eo Codice exhibendo audaciam taxat Petrus Pithæus de Processione Spiritus sancti his verbis. *Quod in Ferrariensi quadam sessione nonnulli ex Latinis asserere ausi sunt Synodi Septimæ definitione Spiritus ex Filio processionē nominatim expressam prolato etiam in eam rem vetustissimo quodam exemplari Græco, quamquam Martini Poloni testimonio non nihil conueniat, pace tamen nostrorum dixerim, parum apud me ponderis habet: præsertim cum vel ipse Anastasij Bibliothecarij, qui eodem fere tempore vixit, ac paulo post sub Ioanne Octauo eandem Synodum intepretatus est, Codex apud nos antiquissimus, nihil tale contineat*. Hi ex Heterodoxis cum nonnullis alijs contradicunt. Ex nostris ambigunt duo graues Scriptores Montoya, & Leo Allatius, & ita rem componunt, vt distinguant inter Symbolum Concilij Septimi, & Epistolam Tharasij, negantque in Symbolo fuisse, & affirmant fuisse in Epistola Tharasij ad summos Sacerdotes, & Episcopos quæ habetur Actione 3. in qua est. *Spiritum sanctum ex Patre per Filium procedere*. Quod satis aiunt esse ad sustinendam doctrinam traditam in Florentino. Primum quippe putant difficile non solum ob proximè à nobis adducta Heterodoxorum argumenta, sed ob alia solidiora, quę afferunt.

Amyrut. Leo Allatius. Allat. Pithæus. Montoya Leo Allatius. Florent.

Primum esto. Photius huius veritatis hostis in sua, quam octauam dixit, Synodo Photiana author fuit, vt Secunda Synodus Nicena, siue Septima confirmaretur, & Oecumenica censeretur: ac illius dogmata reciperentur. Locum adducit Leo Allatius aduersus Hottingerum pag. 516. quod certè stare non potest cum illa Concilij confessione, quam Photius execrabatur. Qui enim posset homo sui compos doctrinam, quam existimabat hæresim approbare? Secundum: Carolus Magnus, qui in id tempus incidit in eo, quod de illa Synodo instituit examine, intra suum illud capitulare lib. 3. cap. 3. incluso, & ad Pontificem Adrianum misso Tharasij dictum reprehendit: *Ex Patre per Filium procedere*, quod mallet: *Ex Patre, & Filio*. Cui cum Adrianus responderet, Tharasium ita defendit, vt dicat perinde esse *Per Filium, ac ex Filio*. Ex quo fit, vt in Symbolo Concilij non fuerit illa particula: Ex Filio, nam si esset, acrius, & aptius Carolus Tharasium impugnaret, obijciens à Concilio discrepasse, quod cum Ex Filio dixisset, ipse tamen *Per Filium* diceret: & acrius eumdem Tharasium Adrianus defenderet, reponens Cōcilium cum posuit *Ex Filio* perinde id ac *Ex Filio*; habuisse, nihilque inter vtrunque discriminis esse putasse. Tacuisse igitur ambos idoneū argumentum esse ad probandum illam

Photius. Nicen. Synod. Leo Allatius. Carolus Magnus. Tharas. Carolus Magnus.

Leo. Montoya Bellar Vasq. Damasc. lam particulam in Symbolo non fuisse. Hæc duo Leo. Montoya aliud adhibet, quod ex Bellarmino, & Vasquez, potuit mutuari. Sitque Tertium: Damascenum eiusdem æui scriptorê lib. 1. de Fide. sic habere cap. 11. *Ex Filio spiritum sanctum non dicimus.* Quod ille sanè dicere non auderet, si Septima Synodus contra sensisset, ac decreuisset. Hæc argumenta mouerunt viros doctissimos, ad deferendã partim Patrũ Latinorum Concilij Florentini sententiam si de Symbolo vellent loqui, partim sequendam, si vellent de Epistola illa Tharasij intelligi. Nã cum idem omnino sit vtriusque particulæ sensus *Ex* & *Per* perinde erat dicere *Per* & *Ex*. Ita respondent ambo. Addit Montoya, *multa probabilius videri in Græcis exemplaribus dicti Concilij Generalis VII. semper fuisse particulam procedit ex Patre per Filium, qua frequentius vtebantur Græci Patres.* Ita difficultatem sibi videntur vel vitare, vel tollere.

Concil. Floren. Longe mihi alia mens est, quem mouet authoritas illorum Patrum Latinorum Concilij Florentini, qui certè in re tam graui aliquid, vel ambiguum, vel non solidum minimè attulissent. Itaque sustinendum puto Codicem, & quod sequens, et nexum est illam particulam Ex Filio in ea solemni Patrum totius Synodi Confessione positam fuisse. In quo reperio mecum conuenire summos illos Theologos Bellarminum, lib. 2. de Christo cap. 83. & Vasquez dist. 146. cap. 3. num. 13. & 14. et Suarez lib. 10. cap. 1. num. 9. His quos assiduè verso subscribo. Ac primum illam distinctionem Montoyæ, et Allatij, ac ex ea deductam rationem, ad euitandam difficultatem reijcio, quod non possit cum veritate narrationis doctrine Concilij Florentini consistere. Nam Patres Concilij non agebant de priuata confessione Tharasij, sed de communi Patrum Concilij, quæ symbolum commune reddebat, et indubitatæ authoritatis. Id autem ita demonstro. Tres in eo Concilio confessiones Fidei præter illam solemnem Patrum, quæ totius est Synodi reperiuntur: prima Basilij Ancyrani missa Papæ Adriano, et Tharasio Patriarchæ Constantinopolitano, et Alexandrino, et Antiocheno Patriarchis. Quæ nullam mentionem de processione spiritus sancti facit, habetur pag. 5. tom. 3. Concil. parte 2. Altera Tharasij. Actione 3. pag. 23. de qua sermo est. Tertia eadem Act. pag. 25. Theodori Patriarchæ Hierosolymitani: in qua processionis a Patre fit mentio, à Filio nulla. Sic enim. *In vnum sanctum spiritum, sine fine ex Patre procedentem.* Si ergo ageretur in Florentino Concilio de priuatis Patrum confessionibus, non erat horum constans doctrina, et quantum iuuabat illa Tharasij tantum nocebat illa Theodori: imo eo maiorem vim habebat, quod hæc est edita, nomine omnium Patriarcharum, & Pontificum, et Sacerdotum Orientalium, simul cum aliarum sex Synodorum confessionibus: Aiunt enim qui illam edunt Orientales Episcopi ibidem. *Tutauimus consultum sex Synodorum ante habitarum Fidem recensere: principio autem Theodori beatæ memoriæ Patriarchæ Hierosolymitani, deinde aliarum Synodorum, quæ ita habet.* Quare cum ista confessio, Patris tantum mentionem faceret; ea satis illa Tharasij refutaretur. Adde quod Patres Florentini loquebantur de professione Synodali, cuiusmodi non fuit illa Tharasij, nec illa Theodori, nec alia Basilij, idque ex eo patet, quod Theodori confessio ponitur, tamquam distincta à synodalibus, *deinde aliarum Synodorum,* quæ cum essent sex, nón erat illa synodica,

Margin notes (right column): Basil. — Tharasij. — Theodor. — Concil. Florent. — Concil. Florent. Tharasij. Theodor. Basil.

Margin notes (left column): Concil. Florent. — Therasij. — Montoya. — Bellar. Vasquez. — Suarez.

alio-

alioquin essent septem synodi, vel ista pro Septimę synodi, quæ cum inchoabatur confessione haberetur. Itaque non erat sermo nisi de professione communi, & synodica, cuiusmodi est illa, quę habetur Septima sessione, cui omnes Patres subscribunt.

PP. Conc Florent. Est item aliud argumentum, quod non potuerint Patres Florentini de Confessione Tharasij agere. Nimirum, quod non erat satis illa Confessio ad conuincendos Gręcos, nam propositio *Per* qua vsus est Tharasius non omnino persuadebat processionem *Ex Filio*, seu *à Filio*, cum adhuc ea res ambigua esset, & Græci admitterent nonnullos Patres ita loquentes, nec tamen concederent eos processionis *ex Filio*, & *à Filio* Authores esse. De sensu autem eius propositionis diu multumque eo in Concilio disputatum; contendebant enim Græci, *Pro* & Ex diuersa significare. Ac omnino necesse fuit in sess. 25. prolixa oratione Bessarionis persuaderet, tantundem valere *Per* ac *Ex*; atque adeò concedendum esse Latinis Spiritum sanctum non solum *Per Filium*, sed *Ex Filio* procedere. At ne tum quidem persuasum: nam post eam habitam à Bessarione orationem pag. 584. sess. 25. *Postridie rursus conuenere, & S. Tharasij Patriarchæ Constantinopolitani confessionem attulere, dicentem spiritum sanctum procedere ex Patre per Filium contendentes, vt consentirent dicerentq; vt Tharasius. At Latini bene exposuerunt illud* Per *sicuti volebant dicentes vox ista* Per, *est ne diuersa ab* Ex; *an non? Respondent Græci diuersa est. Dicunt Latini: si ergo alia est actio præpositionis* Ex, *& alia est actio præpositionis* Per *erunt iuxta responsionem duæ actiones altera Patris, altera Filij. At hoc inconueniens est. Verum præpositionem* Per *nulla ratione admittimus timentes dogma illud* Per *Canalem, siue Instrumentum, sed dicimus spiritum sanctum procedere ex* Patre, *&* Filio, *vt ab vnico* Principio, *vnica actione*. Perspicua sunt hæc. Quomodo enim Latini inducerent Codicē Confessionis Tharasij, quam semper constantissimè reiecerunt propter illud P*er*. Aliud in eo Codice maius erat, idest Professio Symboli in qua esset Præpositio Ex, vt diceretur Ex Patre Filioque procedere. Ac eo nomine fuit à Græcis Codex refutatus. Quod est secundum argumentum.

Bessarion

Tharasij Patriarcha Constantin.

Codicem illum noluerunt Græci admittere, & dixerunt esse falsatum: vti constat ex sess. 5. & 7. non ergo propter confessionem Tharasij. Patet quia confessionem Tharasij admittunt, imo & eam offerunt nostris & persuadere volunt, vt ea sint contenti. Tharas.

Igitur aliud maius in eo Codice continebatur, & quod in Græcorum Codicibus non erat: cum tamen in omnibus esset Epistola illa Tharasij, ac hodieque sit. Erat autem in eo codice Symbolum Concilij Niceni Secundi seu Septimæ Synodi. Tharas. Concil. Nicen.

Tertium argumentum sumitur ex dictis ipsiusmet Concilij Florentini, quæ manifestè declarant illam particulam Codicis, esse Præpositionem *Ex* positam in Symbolo, non aliam *Per* qua vtitur Tharasius. Lectore tantum ad hoc deprehendendum est opus. Sess. 5. pag. 442. lecta Definitione Septimæ Synodi in qua erat Confessio Fidei Synodica. *Credimus in vnum Deum Patrem Omnipotentem*. Et infra. *Lecta igitur est in eundem modum definitio Sanctæ, & Oecumenicæ Septimæ Synodi hoc est à principio vsque ad expositionem Symbolorum* Tum. *Ea vero Definitio cum à nobis recitaretur, prolatus est alter codex à Latinis manuscriptus in quo eadem huius definitio continebatur: inuentumque est* Concil. Florent. Tharas.

vbi

vbi de Spiritus Sancti Diuinitate agitur ijs verbis. Ex Patre procedentem additum, & ex Filio ſicut ipſi dicunt. Quid manifeſtius? non dixit in Epiſtola Tharaſij, vbi erat *Per*, ſed in Definitione vbi non erat nec *Ex*, nec *Per* ſed ſolum *Ex Patre procedentem*, nulla Filij commemoratione. Præterea in Codice erat, id, quòd volebant Latini, ideſt *ex Filio*, non *per Filium*. Alter locus eſt ſeſſ. 7. pag. 457. Andreas Rhodienſis ita. *Tharaſius Conſtantinopolitanus Patriarcha in Epiſt. ad Synodum Actione 3, Spiritum*, inquit, *Sanctum procedere ex Patre per Filium, quod ſi concedatur facilè demonſtrat Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere. Si licuit ergo Tharaſio hoc agere, cur Pontifici Romano cum tanto Patrum numero hoc ipſum agere non licuerit?* Hæc ad Græcos ante mentionem Codicis dicta ſunt. Quod in omnibus codicibus erant verba illa Tharaſij. Subdit. *Ad hæc habemus Codicem vetuſtiſſimum in quo Septima Synodus fatetur, ac dicit Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere.* Perſpicuè monſtrat Codicem hanc particulam extra ſcriptum Tharaſij habere, idque in Confeſſione, ſiue Definitione Synodica. Ex quo fit non poſſe illa ratione ſolui difficultatem. Quæ tota verſatur intra Symbolum commune, inquirendo quomodo ea particula in eum illum Codicem inſerta fuerit. Nam inſertam nemo poteſt ambigere. Nos autem eam admittimus, ac tuemur, cum ijs quos proximè citauimus Theologis, & ſcriptoribus quos indicat Florentinum Concilium, & multo magis ipſa authoritate Concilij: quę ſumma quidem eſſe apud nos debet quanquam ſolis Patribus Latinis ille codex probatus fuerit. Facilius autem eſt creditu, quod ea particula à Gręcis fuerit eraſa ex Codicibus, quos habebant, aut in eos non immiſſa, quàm quod à Latinis per dolum in eum Codicem inducta. Et quidem maior vis eſt ad faciendam fidem vnius codicis ſcripta ſententia, quam aliorum qui ea carent. Sicut plus habet momenti ad perſuadendum vnius hominis vox rem affirmantis, quàm multorum de illa tacentium altum profundumque ſilentium. Itaque cum noſtris illis idoneis Theologis, & Garcia Loayſa, & Martino Polono, & Seuerino Binio in notis ad 7. Synod. & in notis ad Concilium Florentinum Actione 5. & 7. ſentiendum.

Andreas. Rhod. Tharaſ. — Concil. Florent. — Loayſa Martinus Polonus Binius. Concil. Florent.

Vna ſupereſt obiectio facta ab ijſdem noſtris Theologis. Quomodo Damaſcenus, qui eius Synodi Synchronos fuit, eam veritatem aut negauit, aut non eſt confeſſus: vti nos anteà ſignificauimus. Omiſſo nunc quid ille ſenſerit, de quo inter Patres agemus. Interim dicimus, vtcunque ſit, libros illos de Fide ſcripſiſſe ante 7. Synodum, vt apertè colligitur ex Actis eiuſdem 7. Synodi Actione 6. quod affert Bellarminus lib. 2. de Chriſto cap. 23. nec citare in ſuis ſcriptis niſi ad Synodum VI. Præterea probabile eſt illum obijſſe ante Synodum 7. Claruit quippe tempore Leonis III. vt apparet ex oratione 2. de cultu Imagin. Synodus autem 7. celebrata eſt poſt mortẽ Leonis annis 48. quemadmodum animaduertit Bellarminus, & Montoya.

Bellarm. — Leo III. — Bellarm. Montoya

CA-

CAPVT III.

Eadem veritas Processionis ex Filio ex Patribus confirmatur.

INopem hic me copia faciet: quod innumera pene multitudo ad calculos reuocari nequit, & iniri numerando ratio non potest: vbi numerus vincit artem, & superat industriam. Ponam igitur velut in tabella imagines eorum depictas qui eos collegerunt, quorum etiam ingens est numerus, etsi qui eorum illustriora tulerint testimonia, eorum rationem habebo. Græcorum præsertim, ac imprimis recentiorum, & qui post Florentinum scripsere Concilium, authorum, quos Patribus accensere operæ pretium erit. In tres omnes hac de re authores distribuit classes Suarius lib. 10. de Trinit. cap. 1. de Græcis agens; & quadrat optimè in Latinos. Prima eorum qui ante Ephesinum Concilium. Secunda eorum qui adfuerunt eidem Concilio. Tertia eorum qui ad Florentinum vsque Concilium floruerunt. Ex prima numerat Athanasium, Didymum, Cyrillum Hierosolymitanum, Basilium, Nazianzenum, Chrysostomũ, Philonem, Epiphanium. Addit Gregorium Thaumaturgum, & Nyssenum. In secunda collocat Cyrillum Alexandrinum qui plurium instar est. In tertia paucos esse dicit: ex ijs Damascenum haud satis fidenter citat propter authoritatem Diui Thomæ, qui negat eum huius sententiæ fuisse. Recenset autem Anastasium Sinaytam, Tharasium, Sophronium. Vasquez aliam inijt viam, d. 146. c. 5. hic in duos ordines conijcit. Alterum eorum qui dicunt Spiritum procedere *Ex Filio*. Alterum eorum qui dicunt procedere *Per Filium*. In illis recenset Athanasium, Basiliũ, Epiphanium, Chrysostomum, Didymum, Simeonem Metaphrasten. In his ponit eundem Basilium, Nyssenum, Cyrillum Alexandrinum, Tharasium. In Latinis haud seruat ordinem, sed multos accumulat, qui illam Processionem ex Filio perspicuè affirmarunt quorum vltimum nominat Bedam. De quibus ambigitur, eos in caput 7. reijcit, & eorum examinat sententias. Bellarmino alia placuit ratio numerandi. Incipit enim à Latinis, eosque recenset qui ante Schisma, & litem Græcorum extiterunt, sed eius initium non expressit. Id autem dubium variæ authorum sententiæ fecerunt. Quidam tempore Martini I. alij circa Septimam Synodum, nonnulli Christophori Papæ ætate ponunt. Plures ad tempus Octauæ Synodi, & Photij, quem Schismatis authorem volunt, reijciunt. Hoc probo. Igitur à Bellarmino ijdem fermè qui à Suario, & Vasquio Patres producuntur. Tertullianus, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Ruffinus, Augustinus, Prosper, Leo Fulgentius, Idacius Clarus, Boetius, Hormisdas, Gregorius Magnus, Beda. Græcos item profert eodem propè numero, & ordine, quo Vasquez, & Suarez, nisi quod addit Maximum, & Damascenum; quem vltimum contendit eius Processionis à Filio esse authorem. Hoc ille excellit, quòd omnium verba, ad faciendam lectoribus fidem adducit. Post hos Didacus Ruiz de Montoya militari more, ceu collatis cum Græco hoste signis vellet dimicare exercitum Patrum instruit. Et primùm duas Græcorum acies producit. Latinorum vnam, tertiam, sed numerosissimam. Hastatos tu, & Principes, & Triarios apud eos in tres ordines videas distributos. Ponit in 1. S. Marcum Euangelistam in Liturgia post med. in orat. *Hoc fi-*

Marginalia (left): Suarius. Concil. Ephes. Concil. Florent. Athanas. Didym. Cyrillus Hierosol. Basilius Nazianz. Chrysost. Philo Epiphan. Gregor. Thaum. Nissen. Cirillus Alexand. Damasc. D. Thom. Anastas. Synait. Tharas. Sophron. Vasq.

Marginalia (right): Athanas. Basil. Epiphan. Chrysost. Didym. Simeon Metaph. Basil. Nissen. Cyrill. Alexand. Tharas. Beda. Bellarm. Martin. I. VII. Syn. Bellarm. Suar. Vasq. Tertull. Cyprian. Hilarius. Ambros. Hieron. Ruffinus. August. Prosper. Leo Fulg. Idacius Clarus. Boetius. Hormisd. Gregor. Magnus. Beda. Vasq. Suar. Maxim. Damasc. Montoya. S. Marc. Euang.

Bibliot. *facite* tom. 6. Biblioth. vbi Patrem alloquens, quẽ orat, *Ex te*, inquit de Spiritu Sancto, *Filioque procedens*. Clem. R. Clementem Romanum lib. 6. Conſtit. Apoſtol. c. 11. Ignat. Ignatium Epiſt. ad Epheſ. Gregor. Thaum. Gregorium Thaumaturgum in regula Fidei apud Nyſſenum. Baſil. Baſilium lib. 2. 3. & 5. contr. Eunomium tit. 11. & 12. & lib. de Spiritu Sancto cap. 17. Nyſſen. Nyſſenum lib. 1. contr. Eunom. & lib. ad Ablab. *quod non tres Dij*, & orat. catechet. & lib. de different. eſſent. & hypoſt. Nazianz. Nazianzenum orat. 32. & 37. ſeu 5. de Theolog. & orat. 49. Cyrill. Cyrillum in Epiſt. ad Valerianum, Athan. Athanaſium in Symbolo: & orat. 4. contra Arianos, & orat. de Concil. Niceno, & in tract. refutationis Meletij & epiſt. ad Serapionem, & ſerm. de Incarnat. Verbi. Chryſoſt. Chryſoſtomum hom. 1. in Symb. Apoſtolor. & hom. 2. & ſerm. de Trinit. Hi in prima conſtituti. Epiph. In ſecunda Epiphanius in Ancorato, & hæreſi 62. & 69. & 73. & 76. Cyrill. Alexand. Cyrill. Alexandr. in Anathematiſmis, & lib. de recta Fide ad Reginas, & lib. 1. de Fide ad Theodoſ. & lib. 5. in Iſai. & in Commentar. ad Prophetas minores, & lib. 11 in Ioan. cap. 25. & lib. 12. cap. 56. Philo Carpath. Philo Carpath. in Cant. col. 4. Anaſtaſ. Sinai. Anaſtaſ. Synaita, Cyrill. Hierof. Cyrill. Hieroſolymit. Cath. 17. Tharaſ. Tharaſius epiſt. ad ſummos Sacerdotes, & Epiſcopos S. Max. S. Maxim. ad caput 4. Zachariæ, Sim. Metaphor. Simeon Metaphraſt. in vita S. Dionyſij Areopagitæ. Hi ſecundæ Aciei Patres ſunt. Sequuntur Latini, quos extra aciem locat, cum potuiſſet ex ijs nouum exercitum ſtruere, ac fortaſſe ideo fecit, quòd tertiæ aciei iuſtum numerum excederent: nec Triarij eſſe poterant; quòd ij ſunt, authoritate præcipui, qui in prima acie verſantur, & antiquitate valent. Id affirmo neminem me vidiſſe authorem, qui accuratius, Patres & Montoya collegerit, & ordinauit, quàm Montoyam. Ita vt ei addi vix quicquam poſſit. Id nos prope à citando deterruit: verum aliquid ex meo penu afferre volui, & excogitaui rationem qua noui aliquid dicerem in re à tantis ante me Scriptoribus tractata. Concil. Florent. Decreui ergo hos Authores ità producere vti ſunt in Concilio Florentino citati, quò maior ſit citanti fides. Deinde addere Recentiores Græcos, quos non attigere 4. proxime adducti Theologi. Tandem eos omnes in ſuas, qua quiſque floruit, ætates conijcere, ac per ſęcula dirigere, vt appareat quanta eorum fuerit, in iudicando conſenſio.

SECTIO I.

Proponuntur Patres in Concilio Florentino adducti.

Cyrillus Alexand. PRimus qui citantur Patrum eſt Cyrillus Alexandrinus hom. in illud Ioann. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*. Legit *mittam*. Rhodius. Citatur autem ab Rhodio Archiepiſcopo ſeſſ. 6. pag. 445. Baſil. Secundus eſt Baſilius ibid. epiſt. ad Gregor. Fratrem, & ſerm. de Fide, August. pag. 446. Tertius Auguſtinus ab eodem Rhodio ſeſſ. 7. vbi ait multis in locis eum Proceſſionem à Filio aſſeruiſſe: præſertim libris de Trinitate, & de Fide ad Petrum. Qui cùm ſit Fulgent. Fulgentij accedat hic Auguſtino, Ambroſ. poſt quem citantur ib. Ambroſius, Greg. M. Gregorius Magnus, quem vocat antiquo more Dialogum, & Hilar. Hilarius. Baſil. Proferuntur deinde teſtimonia Baſilij, Geogius Niſſen. Gregorij Niſſeni, Athanaſ. Athanaſij, Chryſoſt. Chryſoſtomi. Sim. Metaphr. Simeonis Metaphraſt. Anaſtaſ. Synaita Adiungitur Anaſtaſius Synaita, Cyrill. Alexan. Cyrillus Alexandr. & Epiph. Epiphanius, & Maxim. Maximus, pag. 455. eadem ſeſſ. Rhodius Poſtea idem Rhodius affert Tharaſ. Tharaſium, & Hormiſ. Hormiſdam. Cuius Epiſtolam citat, quam, inquit, ſuſcepit Io. Con. Ioannes Conſtantinopolitanus, & omnes illius temporis Patres Orientales *in qua poſitum perſpicuè Spiri-*

tum S. à Filio procedere, pag. 457. & 458. sess. 18. pag. 591. Profertur à Ioanne Theologo, Hieromonachus is ibi dicitur (Erat autem Fr. Ioannes à Montenigro Prouincialis Dominicanus Lombardię Prouincię) iterum Epiphanius, & rursum idem, ac Basilius citantur ab Rhodio pag. 503. & ibi de Basilij mente incipit disputatio, quę acris, & prolixa fuit. Ad eam sustinendam in sensu processionis à Filio affertur testimoniũ Athanasij à Ioanne, & Epiphanij à Rhodio. Sessione 19. continuatur disputatio de mente Basilij. Eã ad 20. & 21. 12. & 13. extenditur Cyrillus, Athanasius, Nazianzenus obiter citantur ad confirmandum Basilij sensum, ac imprimis stabilitur testimonio Augustini pag. 549. quod ibi sess. 23. adducit Ioannes. Hic sess. 24. attulit, verba sunt Concilij pag. 553. testimonia Sãcti Leonis Papæ, Gregorij Dialogi, Sancti Ambrosij, Sancti Hieronymi, Sancti Augustini, & multorum aliorum Occidentalium. Sess. 25. & vltima initio, idem Ioannes citat Basilium Epiphanium, Cyrillum, Didymum, & Athanasium. Et quidem Græci omnes referuntur in eadem sessione à Bessarione in orationibus habitis ad Græcos, quibus elegantissimè, ac eruditissimè dixit, ad persuadendum ijs vnionem in ea sententia de processione à Filio cum Latinis, disertè probans, perinde fuisse apud Patres *per Filium*, ac *ex Filio*. Præterea contendit Maximum, & Damascenum asserere, & in Catholicam sententiam trahere; quod sanè feliciter exequitur. cap. 6. orationis pag. 569. Nec ille prætermisit Latinos, quos indicauit cap. 8. multos nominatim appellans, sed minus in ijs citandis immoratus est, quòd minus eorum sententijs Græci mouebantur. Cap. tamen 8. & 9. eorum cum Græcis consensionem demonstrauit. Hæc intra Concilium. Post Concilium est appendix Georgij Scholarij, ex qua nihil certè possis colligere: sed in altera parte, quę continet Responsionem Iosephi Methonensis Episcopi ad libellum Marci Ephesij, Patrum rursum afferuntur sententiæ. Fit itaque mentio Damasi, & Maximi, & Aristeni, Athanasij, Epiphanij, & Cirylli, Nisseni, Simeonis Metaphrastæ, Epiphanij, & Tharasij, Hilarij, & Anastasij Sinaitæ. Imò addit Damascenum, quem affirmat à se alibi vindicatum à calumnia, & Spiritus Sancti Processionis ex Filio defensoribus redditum, idque habetur pag. 679. Tunc venit ad Patres Latinos. Incipit à Gregorio Dialogo: numerat Augustinum, Basilium; Hieronymum, Ambrosium, hoc ordine, misto inter Latinis Basilio. Omnium locos producit! Et inter eos quos tribuit Augustino, citat librum de Fide ad Petrum: qui cum sit Fulgentij, adijciendus hic est aliorum choro. Atque hic Bessarionis illa oratio inseritur, in qua & Patrum Catalogus texitur, & præpositionum *Per & Ex* diuersitas tollitur, & perinde eas esse monstratur: & consensus de illa particula *à Filio* omnium inter se Patrum stabilitur. Idem est argumentum Responsionis, quæ sequitur Gregorij Protosyncelli, & Patriarchę ad Epistolam Marci Ephesij, quæ responsio tota conflata est ex sententijs Sanctorum huiusmodi à Filio Spiritus Sancti processionem adstruentium. Inter quas est expressa Damasceni pro veritate illius sententia pag. 702. quem iterum quod ab Ephesio ad suam hæresim retrahebatur, acriter vindicat, & liberat pag. 704. latè exponens, quo sensu dixerit illud supra commemoratum. *Ex Filio non dicimus Spiritum.* Ac demum pag. 712. aptissimè exponit: nec patitur ab Ephesio retineri. Summa certè huius hominis in citando eruditio, & fides est, vt nihil

Marginalia (left): Io. Theo. — Epiph. Basil. Rhodio — Basil. — Cyrill. Athan. Nazianz. — August. — S. Leo P. Gregor. Ambros. Hieron. August. — Ioannes Basil. Epiph. Cyrill. Didymus Athanas. Bessar. — Maximus Damasc.

Marginalia (right): Georgius Scholaris — Damas. Maxim. Aristen. Athan. Epiph. Cyrill. Nissen. Simeon Metaphr. Tharas. Hilar. Anastas. Sinaita Damasc. — Gregor. August. Basil. Hieron. Ambros. Basil. August. — Fulgent. — Bessar. — Gregor. Protosyn. — Damasc. — Ephes.

nihil hîc lector deſiderare ad vtranque poſſit. Teſtimonijs, quoniam in Concilio, & hiſce opuſculis adiunctis citantur, placuit abſtinere, cum maiorem ibi legentibus faciant fidem, & in ſacram qoodammodo authoritatem tranſierint. Leg[a]t qui volet tanquam in fontibus. Actum non agam, nec eos inducto meo lutulento calamo turbabo. Digito eos monſtro, & abeo.

SECTIO II.

Recentiores in Concilio, & poſt Conciliũ Florentinum Græci authores Proceſſionis Spiritus Sancti à Filio adducuntur.

Leo Allatius. MVltum ſanè ætas hæc noſtra Viro doctiſſimo Leoni Allatio debet, qui ſtudio incredibili, & labore pertinaci, cum plurimos eoſque eruditiſſimos cõmentarios edit, tum non paucos ex aliorum penu, ſumma cura inueſtigatos, è tenebris eruit, & Latio donat, & luce, vt qui nullius latentes vtilitatis erant amiſſo nomine, & fama, & publici iuris fiant, & litterariæ Reipubl. inſigne commodum afferant. Equidem fateor me in hac deuexa in qua ſum ætate multum ex huius viri lectione proficere, nec id erubeſco fateri, quod ingenuum eſt, & beneficium à doctis accipere, & acceptum recognoſcere. Quam igitur partem Authorum hic recenſeo, eam illi debeo, quod in eius libris quaſi theſauris reperi, & inde in hos meos commentarios trãſtuli. Igitur de Spiritus Proceſſione à Filio ſcripſere multi, & graues authores Græci, quos Leo in ſuos de Græcia orthodoxa libros, & aduerſus Hottingerum opuſculum coniecit. Eo quo affert ordine produco; ac primum eos qui integros ea de proceſſione à Filio tractatus ediderunt, deinde alios, qui in ea fuerunt ſententia nominabo.

Niceph. Blemm. Nicephorus Blemmida Orationem vnam de proceſſione Spiritus ſancti ex Filio Patrum teſtimonijs refertã ſcripſit ad Iacobum Bulgariæ Epiſcopum. Aliam eiuſdem fermè rationis, quanquam de Dogmaticis quæſtionibus inſcribitur, ad Ducam Laſcarim Imperatorem Conſtantinopolitanum miſſam edidit, quæ maximam partem in eo argumento verſatur.

Ioannes Veccus. Ioanne Vecco Patriarcha Conſtantinopolitano, qui primum contra ſenſerat, & poſtea mutata ſententia à Latinis aduerſus Græcos ſtetit, nemo plura pro huiuſmodi proceſſione, & ſolidiora ſcripſit; Oratione de vnione Eccleſiarum veteris, & nouæ Romæ: & in opuſculo, duodecim capita, appellato. Et in Epiſtola ad Agallianum, Dominum Alexium magnæ Eccleſiæ Diaconum: & in ſententia ſynodali, & Teſtamento: quæ opera in 1. tomo habentur. In ſecundo pauciora ſunt, ſed maiora, ac neſcio, an adijciam, meliora. Animaduerſionem de libris ſuis ea doctrina reſperſit. Oratio de iniuſta ſui depoſitione, duplex, eſt eius argumenti plena. In eadem verſatur Apologia. Tres ad Theodorum Sugdææ Epiſcopum libri proceſſionem hanc adſtruunt. Hanc vindicant quatuor ad Conſtantinum: & in tomũ Cyprij orationes duæ. Iam vero Andronici Camateri cõfutationes iuſtæ de Spiritus ſancti à Filio proceſſione diſputationes ſunt; & quidem longiſſimæ. In quem ſenſum Epigraphæ decem complurium Patrum teſtimonia improbo collecta labore ſuppeditant. Opus accuratiſsimum, & quod ab omnibus legatur digniſsimum. Quantum ego legendo, & iudicando aſſequi potui, omnia Vecci opera neruis valent, & pondere, nec deſtituuntur ſanguine; quibus illæ quas proximè citaui Epigraphæ,

Orat. de vnione Eccleſ. — Epiſt. ad Agallian — Andron. Camat. — Leo Allatius.

 quod

tum S. à Filio procedere, pag. 457. & 458. seß. 18. pag. 591. Profertur à Ioanne Theologo, Hieromonachus is ibi dicitur (Erat autem Fr. Ioannes à Montenigro Prouincialis Dominicanus Lombardię Prouincię) iterum Epiphanius, & rursum idem, ac Basilius citantur ab Rhodio pag. 503. & ibi de Basilij mente incipit disputatio, quę acris, & prolixa fuit. Ad eam sustinendam in sensu processionis à Filio affertur testimoniũ Athanasij à Ioanne, & Epiphanij à Rhodio. Seßione 19. continuatur disputatio de mente Basilij. Ea ad 20. & 21. 12. & 13. extenditur Cyrillus, Athanasius, Nazianzenus obiter citantur ad confirmandum Basilij sensum, ac imprimis stabilitur testimonio Augustini pag. 549. quod ibi seß. 23. adducit Ioannes. Hic seß. 24. attulit, verba sunt Concilij pag. 553. testimonia Sãcti Leonis Papæ, Gregorij Dialogi, Sancti Ambrosij, Sancti Hieronymi, Sancti Augustini, & multorum aliorum Occidentalium. Seß. 25. & vltima initio, idem Ioannes citat Basilium Epiphanium, Cyrillum, Didymum, & Athanasium. Et quidem Græci omnes referuntur in eadem sessione à Bessarione in orationibus habitis ad Græcos, quibus elegantissimè, ac eruditissimè dixit, ad persuadendum ijs vnionem in ea sententia de processione à Filio cum Latinis, disertè probans, perinde fuisse apud Patres *per Filium*, ac *ex Filio*. Præterea contendit Maximum, & Damascenum asserere, & in Catholicam sententiam trahere; quod sanè feliciter exequitur. cap. 6. orationis pag. 569. Nec ille prætermisit Latinos, quos indicauit cap. 8. multos nominatim appellans, sed minus in ijs citandis immoratus est, quòd minus eorum sententijs Græci mouebantur. Cap. tamen 8. & 9. eorum cum Græcis consensionem demonstrauit. Hæc intra Concilium. Post Concilium est appendix Georgij Scholarij, ex qua nihil certè possis colligere: sed in altera parte, quę continet Responsionem Iosephi Methonensis Episcopi ad libellum Marci Ephesij, Patrum rursum afferuntur sententiæ. Fit itaque mentio Damasi, & Maximi, & Aristeni, Athanasij, Epiphanij, & Cirylli, Nisseni, Simeonis Metaphrastæ, Epiphanij, & Tharasij, Hilarij, & Anastasij Sinaitæ. Imò addit Damascenum, quem affirmat à se alibi vindicatum à calumnia, & Spiritus Sancti Processionis ex Filio defensoribus redditum, idque habetur pag. 679. Tunc venit ad Patres Latinos. Incipit à Gregorio Dialogo: numerat Augustinum, Basilium; Hieronymum, Ambrosium, hoc ordine, misto inter Latinis Basilio. Omnium locos producit! Et inter eos quos tribuit Augustino citat librum de Fide ad Petrum: qui cum sit Fulgentij, adijciendus hic est aliorum choro. Atque hic Bessarionis illa oratio inseritur, in qua & Patrum Catalogus texitur, & præpositionum *Per & Ex* diuersitas tollitur, & perinde eas esse monstratur: & consensus de illa particula *à Filio* omnium inter se Patrum stabilitur. Idem est argumentum Responsionis, quæ sequitur Gregorij Protosyncelli, & Patriarchę ad Epistolam Marci Ephesij, quæ responsio tota conflata est ex sententijs Sanctorum huiusmodi à Filio Spiritus Sancti processionem adstruentium. Inter quas est expressa Damasceni pro veritate illius sententia pag. 702. quem iterum quod ab Ephesio ad suam hæresim retrahebatur, acriter vindicat, & liberat pag. 704. latè exponens, quo sensu dixerit illud supra commemoratum. *Ex Filio non dicimus Spiritum.* Ac demum pag. 712. aptissimè exponit: nec patitur ab Ephesio retineri. Summa certè huius hominis in citando eruditio, & fides est, vt nihil

Io. Theo. | Epiph. Basil. Rhodio | Basil. | Cyrill. Athan. Nazianz. | August. | S. Leo P. Gregor. Ambros. Hieron. August. | Ioannes Basil. Epiph. Cyrill. Didymus Athanas. Bessar. | Maximus Damasc. | Georgius Scholaris | Damas. Maxim. Aristen. Athan. Epiph. Cyrill. Nissen. Simeon Metaphr. Tharas. Hilar. Anastas. Sinaita Damasc. | Gregor. August. Basil Hieron. Ambros. Basil. August. | Fulgent. | Bessar. | Gregor. Protosyn. | Damasc. | Ephes.

nihil hic lector desiderare ad vtranque possit. Testimonijs, quoniam in Concilio, & hisce opusculis adiunctis citantur, placuit abstinere, cum maiorem ibi legentibus faciant fidem, & in sacram qoodammodo authoritatem transierint. Leget qui volet tanquam in fontibus. Actum non agam, nec eos inducto meo lutulento calamo turbabo. Digito eos monstro, & abeo.

SECTIO II.

Recentiores in Concilio, & post Conciliū Florentinum Græci authores Processionis Spiritus Sancti à Filio adducuntur.

Leo Allatius. MVltum sanè ætas hæc nostra Viro doctissimo Leoni Allatio debet, qui studio incredibili, & labore pertinaci, cum plurimos cosque eruditissimos cōmentarios edit, tum non paucos ex aliorum penu, summa cura inuestigatos, è tenebris eruit, & Latio donat, & luce, vt qui nullius latentes vtilitatis erant amisso nomine, & fama, & publici iuris fiant, & litterariæ Reipubl. insigne commodum afferant. Equidem fateor me in hac deuexa in qua sum ætate multum ex huius viri lectione proficere, nec id erubesco fateri, quod ingenuum est, & beneficium à doctis accipere, & acceptum recognoscere. Quam igitur partem Authorum hic recenseo, eam illi debeo, quod in eius libris quasi thesauris reperi, & inde in hos meos commentarios trāstuli. Igitur de Spiritus Processione à Filio scripsere multi, & graues authores Græci, quos Leo in suos de Græcia orthodoxa libros, & aduersus Hottingerum opusculum coniecit. Leo Allatius. Eo quo affert ordine produco; ac primum eos qui integros ea de processione à Filio tractatus ediderunt, deinde alios, qui in ea fuerunt sententia nominabo.

Nicephorus Blemmida Orationem vnam de processione Spiritus sancti ex Filio Patrum testimonijs refertā scripsit ad Iacobum Bulgariæ Episcopum. Niceph. Blemm. Aliam eiusdem fermè rationis, quanquam de Dogmaticis quæstionibus inscribitur, ad Ducam Lascarim Imperatorem Constantinopolitanum missam edidit, quæ maximam partem in eo argumento versatur.

Ioanne Vecco Patriarcha Constantinopolitano, qui primum contra senserat, & postea mutata sententia à Latinis aduersus Græcos stetit, nemo plura pro huiusmodi processione, & solidiora scripsit; Oratione de vnione Ecclesiarum veteris, & nouæ Romæ: & in opusculo, duodecim capita, appellato. Ioannes Veccus. Orat. de vnione Eccles. Et in Epistola ad Agallianum, Dominum Alexium magnæ Ecclesiæ Diaconum: & in sententia synodali, & Testamento: Epist. ad Agallian. quæ opera in 1. tomo habentur. In secundo pauciora sunt, sed maiora, ac nescio, an adijciam, meliora. Animaduersionem de libris suis ea doctrina respersit. Oratio de iniusta sui depositione, duplex, est eius argumenti plena. In eadem versatur Apologia. Tres ad Theodorum Sugdææ Episcopum libri processionem hanc adstruunt. Hanc vindicant quatuor ad Constantinum: & in tomū Cyprij orationes duæ. Iam vero Andronici Camateri cōfutationes iustæ de Spiritus sancti à Filio processione disputationes sunt; Andron. Camat. & quidem longissimæ. In quem sensum Epigraphæ decem complurium Patrum testimonia improbo collecta labore suppeditant. Opus accuratissimum, & quod ab omnibus legatur dignissimum. Quantum ego legendo, & iudicando assequi potui, omnia Vecci opera neruis valent, & pondere, nec destituuntur sanguine; quibus illę quas proximè citaui Epigraphę,

quod illustres essent, à Petro primũ Arcudio, altero Græcæ Ecclesiæ lumine, editæ in lucem fuerant: eoq; sunt volumine comprehensæ, quæ opuscula aurea Theologica inscribuntur, [Petr. Arcudius.] Petro Arcudio Corcyræo Collectore, & Interprete. Illud est inter hæc opera discrimen; quod [Leo.] apud Leonẽ sunt Epigraphę Vecci numeris suis distinctæ, nullo assumento inducto, omnino integræ, & vti erant in Vaticano, virgines, & puræ. At verò apud Arcudium extant argumenta singularum, nexa cum impugnationibus Palamæ, & defensionibus Bessarionis: & postea ponuntur sententiæ collectæ ex Patribus à Vecco, vno ductu continuatæ nullo discrimine numerorum, sectioneque capitum, ordine diuerso ad libitum potius Arcudij Collectoris, quam Vecci authoris. [Leo Allatius. Petrus Arcud.] Itaque malui Epigraphis Leonis Allatij, quam Petri Arcudij adhærere.

[Petr. Mediol. Ep.] Sequitur apud Allatium Petrus Episcopus Mediolanensis ad Alexiũ Comnenum Imperatorem: cuius est oratio de Spiritu sancto, breuis, sed præclara. De hoc autem Petro [Allatius, Georg. Pachym.] Allatius lib. 2. de consens. cap. 10. num. 2. Proximus huic est Georgius Pachymeris cuius est paruula in eos, qui negant spiritum sanctum verè, ac propriè ex Filio procedere inuectiua. Hanc excipit minor mole, sed eiusdem argumenti [Esaiæ Cyprius.] Esaiæ Cyprij, ad Nicolaum Sclengium Epistola. Huic adiungitur breue, sic vocat, scriptum Ioannis [Io: Argycopul.] Argyropili ad Magnum Ducem de processione spiritus sancti. Attexitur tractatus iustus, [Gregor. Protos.] Gregorij Protosyncelli ad Imperatorem Trapezuntium. Insignis opus authoris, cuius sunt illæ contra Ephesium di- [Concil. Ephes. Concil. Florent.] sputationes post Concilium Florentinum collocatæ: de quibus supra commemorauimus. Adhæret ei alter [Georgius Trapez.] Georgij Trapezuntij ad Ioannem Cuboclesium: cui adnexa est [Epist. ad Cretens.] Epistola ad Cretenses Hieromonachos, & Sacerdotes. Sed allicit mirè Lectoris oculos disceptatio illustris [Ioannes Arch.] Ioannis Archipresbyteri Plusiadeni. De differentijs inter Græcos, & Latinos, & de sacrosancta [Concil. Florent.] Synodo Florentina: satis longa, & erudita. Hi omnes primo tomo cõtinentur. Præter Veccum, [Veccius.] qui bonam secundi partem occupat. In secundo duæ sunt orationes elegantes, & doctæ [Constant. Melit.] Constantini Meliteniotæ. Supersunt Apologetici quidam quasi libelli [Georgius Metoch.] Georgij Metochitæ, alter contra Maximum Planudem: alter contra Manuelem Cretensem. Omnium appendix esto [Maxim. Cryob.] oratio Maximi Chrysobergæ: quæ volumen illud claudit. Hæc apud [Leo Allatius. Arcud.] Leonem Allatium. Apud Arcudium, in eo, quem proximè citaui libro, habentur primum illæ breues [Veccius. Bessar.] defensiones Vecci à Bessarione Cardinali Palamæ eum impugnanti oblatæ: quæ sunt plenæ succo, & neruis doctrinæ. Huius Authoris magnæ inter suæ ętatis homines famæ extant eximia opera. Ac vt omittam de quibus satis iam diximus [Concil. Florent.] orationes habitas in Cõcilio Florentino, insigne illud est opusculum de processione spiritus sancti ad [Alexium Lascarim] Alexium Lascarim Philantropinum, cuius fuit Arcudius Interpres. Affertur item ab eo Epistola Pareneticaad Græcos, quæ Generalis inscribitur, quam notis eruditissimis [Arcud. Bessarius] Arcudius illustrauit. Post Bessarionem ponitur [Demetr. Cydon.] Demetrius Cydon, cuius est egregia exercitatio aduersus Palamam, & tractatio de processione spiritus sancti tredecim capita complectens, ingens, & vtile opus. His duobus authoribus inter Græcos eximijs debemus Latini, quod non modo nostros citant, [August.] Authores, sed etiam, quod Augustini de processione spiritus sancti à Filio ex multis eius libris collegerunt sententias, & in vnum volumen con-

Arcud. conieccerunt, quod ab Arcudio in fine tomi collocatur. Cur autem id fecerint, tradit idem Arcudius, nimirum, vt Marco Epheſio acerrimo *Marcus Epheſius.* huiuſce Catholicæ doctrinæ hoſti, obtrectanti Latinis Patribus, ac eorum locos admittere nolenti, quòd diceret eſſe corruptos, addu- *Auguſt.* ctis Auguſtini teſtimonijs os obturaret. Traduxerunt ergo plurimos hinc inde ex eo collectos locos è Latino in Græcum; & in lucem protulerunt. Verum non ex omnibus Auguſtini libris deſumpſere ſententias: nam libris de Trinitate abſtinuerunt: nullo inde teſtimonio pe- *Arcud.* tito. Nec id vt obſeruat Arcudius incogitantia, aut negligentia egerunt, ſed quòd eos libros Maximus *Maximus Planudes.* Planudes Monachus antè tranſtulerat, & Græci iuris fecerat. Itaque actum agere noluerunt. Nihilominus tamen Arcudius, ne imperfe- *Arcud.* ctum opus illud ſententiarum maneret, collegit ipſe ex eo opere ſententias, & Græcis theſaurum obtulit, coniunxitque locos de Trinitatis quindecim libris collectos, cum *Beſſarion Demetr.* alijs, quos Beſſarion, Demetriuſque collegerant, & iuſtum volumen effecit. Succedat his Gennadius ſcho- *Gennad.* larius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui interfuit, & orauit in *Concil. Florent.* Florentino Concilio: qui in defenſione quinque Capitum, quæ in Sancta Florentina Synodo continentur, à ſe compoſita, & in volumen redacta, Primum Caput ponit: *de Proceſſione ſpiritus ſancti à Filio*, illudque vindicat, probat, & illuſtrat. Adijcitur his alius hactenus incognitus ſcriptor, quem in ſuo Hottingero confutato publica- *Leo Allatius. Simon Conſt.* uit Leo Allatius, Simon Conſtantinopolitanus, cuius affert ad Ioannem Nomophylacem ac de re egregiè ſcriptam epiſtolam.

SECTIO III.

Authores de Proceſſione Spiritus Sancti ex Filio per ſuum quiſque ſæculum diſtribuuntur.

Primi ſæculi Princeps eſto Marcus Euangeliſta, qui in Litur- *S. Marcus Euang.* gia, oratione. *Hoc facite*, tomo 6. Biblioth. ſic Patrem de Spiritu ſancto alloquitur. *Ex te Filioque procedens.* Citatur etiam S. Ignatius, & Cle- *S. Ignat. S. Clem. Romanus* mens Romanus, ſed minus clarè loquuntur.

Primo ſæculo S. Martialis Lemo- *A Chriſto nato ad 100. S. Mart.* uicenſis Epiſcopus floruit. Huius duæ extant Epiſtolę. Vna ad Burdegalenſes, altera ad Toloſanos. De quibus, etſi nonnulli cum Bel- *Bellarm.* larmino dubitent, plures tamen affirmant illius eſſe, atque adeo in primo tomo Bibliothecæ SS. Patrum collocantur, eumque citat Pater Didacus Ruiz de Montoya, *Montoya* quem ſequi malo. Hic ergo in Epiſt. 1. ad Burdegalenſes cap. 10. ſic ait. *Spiritus ſanctus in Diuina æqualitate glorioſus proceſſit ineffabiliter ab eo, qui genuit, & ab eo quoque qui genitus eſt. Ita ſpiritus Domini procedens eſt à Patre, & Filio.*

In fine ſecundi ſæculi, & initio *Ann 100. ad 200. Tertull.* tertij Tertullianus cœpit ſcribere: quare ad ſecundum reuoco. Hic contra Praxeam in principio. *Hoc*, inquit, *mihi & in tertium gradum dictum ſit, quia Spiritum non aliunde puto, quam à Patre per Filium*, & cap. 8. propè finem. *Tertius eſt ſpiritus à Deo, & Filio, ſicut tertius à radice frutex ex frutice, & tertius ex fonte riuus, & tertius à Sole apex ex radio.*

Tertij ſæculi eſt Gregorius Thau- *Ann 200. ad 300. Gregor. Thaum.* maturgus, quem pro hac ſententia retulit Beſſarion. orat. pro vnione, *Beſſarius.* poſt Concilium Florentinum habita cap. 6. & Ruiz diſp. 67. ſect. 6. *Conc. Fl.* nu. 2.

num. 2. Citatur autem eius testimonium sumptum ex Regula Fidei, quæ extat in vita ipsius apud Gregorium Nyssenum.

Gregor. Nyssen. Cyprian. Cyprianus eodem sæculo eamdem perspicuè tradidit Processionem lib. de Cardinal. operib. Christi non procul à medio.

Ann. 300. ad 400. Athanas. Quartum sæculum plures tulit. Athanasium sæpissimè antea productum. Idcirco locis abstineo.

Didymus Alexan. Didymum Alexandrinum lib. de spir. sanct. 2. bis admodum perspicuè.

Hilarius. Hilarium lib. 2. de Trinit. & lib. 8. adhuc latiùs, & manifestiùs.

Cyrillus Hierosol. CyrillumHierosolymitanum Catechesi 17.

Basilius. Basilium, cuius præcipuè authoritate decisa in Florentino Concilio ea controuersia: testimonia alijs remittimus, non pauca nos scribendo attulimus.

Greg. N. Gregorium Nazianzenum cuius locos sæpius protulimus.

Gregor. Nyssen. Gregorium Nyssenum Basilij Fratrem, de quo non pauca diximus.

Damasus. Damasum Papam ad quem magna laudis pars redit de processionis ex Filio sententia celebrata.

Conc. Fl. Citatur Concilium Florentinum sess. 25.

Ambros. Ambrosium in Symbolo Apostolorum cap. 1. & lib. 1. de spiritu sancto cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & lib. de dignit. hum. condit. c. 2.

Ruffin. Bellar. & Montoya. Ruffinum, quem citat Bellarminus, & Montoya.

Phyl. Ch. Philonem Carpathium in Cant. col. 4.

Epiphan. Epiphanium multis in locis, cuius item magna fuit authoritas apud Patres, & Latinos.

Idacius Clarus. Idaicum Clarum lib. contr. Varimadum vltra medium. Floruit anno 380.

Hieron. Iosephus Methon. Hieronymum, quem citauit Iosephus Methonensis Episcopus in responsione ad Marcum Ephesium collocata post Concilium Florentinum. Concil. Florent. Sunt duo illius expressa testimonia in Epist. ad Hedibiam: vnum cap. 9. commentar. in Isaiam: alterum cap. 57. Hoc proferam. *Spiritus à Patre egreditur, & propter naturæ Societatem à Filio mittitur.*

Chrysost. Chrysostomum, tum à Græcis, tum à Latinis pro eadem veritate sæpissimè adductum. Multis in locis. Homil. 2. in Symbolum Apostolorum, & hom. 2. propè med. & serm. de Trinit. tom. 3. & homil. 3. de spiritu sancto tom. 3. Gennad. Gennadius eum item citat in sua Apologia pro Latinis ex homil. de Incarnatione.

August. Ex quinto sæculo prodeat Augustin. quo nemo Patrum plura, & nobiliora spiritus S. processioni à Filio testimonia reddidit. Idque superius annotauimus, non sine illustri eiusdem à Græcis, qui eum mirum in modum venerantur, coluntque præconio.

Cyrillus Alex. Cyrillus Alexandrinus præclarissimum Ecclesiæ Græcæ lumen, quo præcipuè authore in Concilio Florentino, & extra, eandem processionem, & nostri, & Græci confirmant Scriptores. Conc. Fl. Leo Mag. Leo Magnus Papa: qui duo manifesta edidit testimonia, serm. 1. in Pentecost. cap. 3. & Epist. ad Turib. cap. 1. atque adeo producitur in Concil. Florent. sess. 24.

Prosper Aquitan. Prosper Aquitanicus, quem etiã citarunt Græci lib. 1. de vita contemplatiua cap. 18. & lib. sententiarum Augustini, sententia 371.

Paschas. Paschasius Diaconus, qui librum de spiritu sancto scripsit, ac in eo cap. 8. Processionem ex Filio adstruit.

Agnellus. Agnellus Episcopus Rauennatẽsis in Epistola de ratione Fidei ad Armenium.

Ann. 500. ad 600. Fulgent. Sexti sæculi sunt Fulgentius, quem Græci, & nostri in Florentino lib. de Fide ad Petrum nomine Au-

Augustini citarunt, putantes illum esse Augustini, cum sit Fulgentij. Qui etiam in respõsione ad tertiam quæstionem Ferrandi, hanc asserit processionem.

Anastas. Synaita. Anastasius Sinayta, qui maximè celebratur ob præclara de processione à Filio testimonia, vti apparet ex ijs, quæ supra commemorauimus. Magna vbique eius habita in referendis authoribus, & in Concilio, & extra Concilium ratio.

Hormisd. Papa. Hormisdas Papa Epistola 1. aduers. Nestorium eius veritatis assertor, & vindex fuit, & laudatur à Rhodio sess. 7. Concilij Florentini.

Boetius. Boetius Seuerinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. idem docet.

Aurelius Cassiod. Aurelius Cassiodorus in Psalmum 50. eamdem doctrinam tradit.

Ann. 600. ad 700. Greg. M. Septimum sæculum tulit Gregorium Magnum, quem Dialogum Græci vocant: nemo eum non citat vbique magnum, hac in re multum: lib. Dialog. cap. vlt, & lib. 1. moral. cap. 8. & lib. 5. cap. 26. & lib. 30. cap. 5. alias 8. et homil. 26. in Euangelia, et in Symbolo, quod in vita eiusdem recitatur.

Isidorus Hispal. Isidorum Hispalensem, quem magno consensu citant nostri lib. Etymolog. 7. cap. 3. init. et §. 3. et cap. 4. §. 1. et lib. 2. de differ. spir. cap. 3.

Ildefons. Toletan. Ildefonsum Toletanum, cuius est illustre testimonium lib. de Virginit. S. Mariæ c. 8.

Ann. 700. ad 800. Beda. Octaui sæculi fuit. Beda venerabilis, qui cap. 8. in Ioann. & iterum cap. 29. ad illud. *Insufflauit, & dixit: Accipite spiritum sanctum*, & homil. in Dominica *Exaudi*, & lib. 1. de Element. Philosoph. idem docuit Damascenus

Damasc. eodem sæculo floruit, sed quod de illo est quæstio suus ei dandus est locus.

Ann. 800. ad 900. Alcuinus. In nonum sęculum incidit Alcuinus. Bedę discipulus, Magister Caroli Magni. Is lib. 1. de Trin. cap. 6. Processionem statuit à Filio.

Tharas. Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus in Epist. ad Præsules, & Sacerdotes Antiochenos, & Alexandrinos, & Hierosolymitanos, quæ habetur Actione 3. Septimæ Synodi, & sæpè citatur à Græcis, Catholicis, vti ex superius dictis apparet.

Aponius. Aponius, qui scripsit in Cant. Cantic. vbi lib. 3. & 6. eamdem fatetur.

Rabanus. Rabanus Maurus Moguntinus Episcopus lib. 1. de vniuerso cap. 3. & lib. v. de instit. Cleri cap. 57. & in Ecclesiast. lib. 6. cap. 2. eiusdem est author sententię.

Haymo. Haymo, qui homil. in Octaua Paschæ idem sensit, & prædicat. Simeon Metaphrastes citatus in Florentino, & alijs Græcis authoribus.

Remigius Antisiod. Remigius Antisiodorensis ad illud Psalmi 32. *Et spiritu oris eius*, hanc tenet, traditque doctrinam.

Decimum sæculum vacat. Caruit Scriptoribus. Rari fuerunt.

An. 1000. ad 1100. Leo IX. Ad vndecimum sæculum spectat Leo IX. Pontifex, quem constat ex Epistola scripta ad *Episcopos Venetiarum, &c.* & Epist. ad Petrum Antiochenum, hanc processionem asseruisse.

Anselm. Anselmus ex instituto id professus Epistola de processione spiritus sancti, & Menolog. cap. 52. & 55. & ad Galatas 4. ad illud. *Misit Deus spiritum Filij sui*.

An. 1100. ad 1200. Rupertus. Duodecimi sæculi huiusce sunt processionis Authores. Rupertus Tuitiensis lib. 2. de glorificat. Trinitatis, & processione spiritus sancti cap. 17. & lib. 1. de operibus spiritus sancti c. 28.

Bernard. Bernardus serm. 3. de Pentecoste: & inter paruos sermones sermon. 20.

Richardus de Sancto Victore

lib. 5.

lib. 5. de Trinit. cap. 8. & lib. 6. cap. item 8. Hugo Aetherianus tribus libris de hæresibus, quas in Latinos Græci deuoluunt. Innocentius III. Papa, qui huic sæculo coronidem imponit serm. in diem Ascensionis:

Innocent.

Petrus Lombardus (etsi Innocentio antiquior) dictus Magister 1. Sententiarum dist. 11. & 12. Quem sequuntur innumerabiles Scholastici ex omni Schola, & natione, quos infinitum esset recensere: Principes nomino sequentis sæculi: Alexandrū de Ales 1. par. qu. 43. memb. 4. Albertum Magnum 1. p. qu. 31. art. 1. D. Thomam 1. p. qu. 36. art. 1. & 2. & opusculo 1. contra errores Græcor. cap. 32. art. §. 1. vsque ad §. 32. & opusc. contr. Græcos, & Armenos cap. 4. & lib. 4. contr. Gentes. cap. 24. & de potent. qu. 10. art. 4. S. Bonauentura in 1. dist. 11. art. 1. qu. 1. Henric. in summ. art. 54. q. 6. Omnes sæculi tertij decimi. Vnum addidero instar plurium, qui fœlix Quartodecimo sæculo initium dedit noster Ioannes Duns Scotus in primo dist. 10. 11. & 12.

Petrus Lombard. Alexand. d'Ales. Alber. M. D. Thom. Io. Duns Scotus.

Superest, vt Græcos recentioris memoriæ numeremus.

Primus esto. Alexius Aristenus quem Georgium vocant alij; eum nos supra multoties citauimus. Is sæculo 12. Floruit Initio Imperio Comnenorum.

Alex. Aristenus S. Georg.

Hoc eodem sæculo, sed sub finem Imperij Comnenorum:

Nicetas Thessalonicensis Archiepiscopus, antea Maroniæ celebris author nominis viguit.

Nicetas.

Nicephorus Blemmida. Monachus egregiè doctus in tertium decimum sæculum incidit.

Niceph. Blemmid.

Hoc idem quatuor magnos Authores tulit.

Ioannem Veccum Patriarcham Constantinopolitanus initio Imperij Palæologorum.

Veccius.

Georgium Metochitam Diaconum Constantinopolitanum Vecci adiutorem, & socium.

Georgius

Constantinum Meliteniotam Symmistam item, & comitem Vecci, & Metochitæ.

Constant. Symmist.

Quarti decimi fuerunt.

Simon Constantinopolitanus Ordinis Prædicatorum Cretensis.

Simon Cretensis

Demetrius Cydonius Imperatore Manuele Palæologo.

Demetr. Cydon.

Esaias Cyprius eodem Imperatore.

Esaias Cyprius.

Seculo quintodecimo vixere.

Georgius Trapezuntius.
Gennadius Scholarius.
Gregorius Protosyncellus.
Bessarion Cardinalis omnes magni nominis.

Trapez. Gennad. Gregor. Bessarion

Seculum superius edidit Ioannem Plusiadenum, & Maximum Chrysobergam.

Plusiad. Chrysob.

Hoc nostrum ornauit Petrus Arcudius, & illustrat illustrabitque Leo Allatius immortalitate dignus scriptor, à quo multis in libris, quos fœlicissimo ingenio parit, huiusmodi processio à Filio asseritur, & contra Schismaticos defenditur.

Arcud. Leo Allatius.

SECTIO IV.

Quid de Maximo, & Damasceno sentiendum?

IN hoc Elencho Authorum duo desiderantur Maximus, et Damascenus, quos ego consulto præterij; quod de Maximo ambigitur; quis fuerit, et quid senserit? De Damasceno quæritur solum, quid senserit.

Maximus Damasc.

Quod attinet Maximum. Duos adducit Bellarminus lib. de Script. Ecclesiast. Primum confessorem Episcopum Taurinensem ad annum 420. Alterum Martyrem Constantinopolitanum ad annum 650. mortuum

Bellarm.

tuum anno 660. quem illius contra Pyrrhum Monothelitā diſceptationis, ſeu cum eo Dialogi authorem faciunt. Vter horum ſit primum inquirendum. Deinde in qua fuerit ſententia examinandum.

Igitur non fuiſſe illum Latinum, ſed iſtum Græcum liquet ex Beſſarione orat. 6. pro vnione, quæ habetur inter Concilia tomo 4. par. 1. eidem inſerta cum alijs eiuſdem Beſſarionis Concilio. Et ex ſeſſ. 7. pag. 455. et 23. pag. 551. vbi legitur Epiſtola S. Maximi, et ſeſs. 25. initio pag. 555. idque ex Diſputatione Leonis Allatij contra Hottingerum. Mihi omnino de eo conſtat ex Epiſtola ad Marinum Epiſcopum Cypri data in quo Græcos ſuos alloquitur, capita Synodi Lateranenſis, ſub Martino celebrati ad examen vocantes. Itaque ille Græcus fuit, et Honorio Papæ ſuppar.

Beſſar. S. Max. Allatius. Honor. Papa.

De illius mente diu multumque in Florentino Concilio dubitatum. Occaſionem dedit illius Epiſtola ad Marinum, quæ producitur, & legitur. Seſſ. 23. pag. 551. vbi ſunt ambigua quidem verba, adeo, vt Græci vellent eo iudice rem decidi. Sic enim ait. *Inquiunt ſpiritum ſanctum etiam à Filio procedere, & mox conſonas Patrum Romanorum attulere ſententias: nec non Cyrilli Alexandrini ex ſacris eius commentarijs in Ioannem. Per quas demonſtrarunt ſeſe nequaquam aſſerere Filium eſſe cauſam ſpiritus: vnam quidem norunt cauſam Filij, ac Spiritus, Patrem illius quidem ſecundum generationem, huius autem ſecundum proceſſionem, ſed ſignificare, quod per ipſum etiam procedat, eâque ratione oſtendere eiuſdem eſſentiæ nulla cum varietate communionem.* Quæ ſanè verba non admodum vrgent, imo parum videntur iuuare: nam ex illa comparatione generationis Filij, & proceſſionis spiritus ſancti deducitur, ſicut Pater eſt cauſa (more Græcorum loquimur) Filij, ita & eſſe ſpiritus ſancti. Vnde quemadmodum Filij ſolus eſt cauſa, ita & ſpiritus ſancti erit. Quare omnes lectà Epiſtola Græci dixerunt: *Si Latini recipiunt hanc Epiſtolam cum ipſis coniungemur.* Quòd exiſtimarunt eam ſuæ de ſolo Patre fauere ſententiæ. Quod indicat Leo Allatius Diſput. cum Hottingero. Et quidem noſtri authores, aut non citant huius modi Epiſtolam; aut non multum ei tribuunt. Nam D. Thom. opuſc. 1. contra errores Græcorum cap. 32. Maximum pro Latinorum ſententia citans profert, *locum ex libro de Candelabro, & ſeptem lucernis*, quem etiam adducit Gennadius Scholarius de proceſſione ſpiritus ſancti; & Didacus Ruiz de Montoya affert S. Maximum ad cap. 5. Zachariæ apud Beſſarionem, vt ait, diſt. 67. ſeſſ. 7. num. 7. indicato etiam loco S. Thomæ. Eundem locum in cap. 4. Zachariæ producit Bellarminus lib. 2. de Chriſto cap. 25. ad finem authore item Beſſarione. Suarez autem lib. 10. de Trinitate cap. 1. cum multos Patres Græcos adducat nullam de Maximo facit mentionem. Fortaſſe, quia non habuit aliud ſcriptū Maximi præter Epiſt. ad Marinum, quam minimè idoneam iudicauit. Et quidem Latini authore Beſſarione orat. 6. pro vnione pag. 571. negabant eam Epiſtolam Maximi eſſe, in eoque Græcos etiam nonnullos Latinis aſſentiri. Cum igitur hic locus videatur ambiguus opus eſt quærere alium perſpicuum. De teſtimonio autem Zachariæ, ita Beſſar. in oratione illa 6. recitata, & poſita ſeſſ. 25. pag. 567. ait. *Maximus*, inquit, *in medium prodeat, qui exponens, quid velit illud Zachariæ Propheta, Aurea lampas, & quod ſupra eam.* Sic dicit, &c. *Filij eſt eſſentialiter ſpiritus, non aduentitius, & deforis, nec temporaliter illum accipientis, ſed ab æterno eſſentialiter il-*

Concil. Florent. Leo Allatius. D. Thom. Montoya. Beſſarius. Bellarm. Beſſarius.

ctum habentis, quemadmodum, & Pater. Cuius ratio est, quod ex Patre per eum essentialiter procedit. Qui sanè locus rem continet: nam illa vox. *Quemadmodum & Pater*, adhibita ratione, quod ex Patre per eum essentialiter procedit, manifestè probat procedere à Filio, quemadmodum habetur à Patre. Vtcunque se habeat, illa Epistola hoc satis est ad veritatem processionis à Filio ex mente Maximi confirmandã.

Bessarion

Alius locus insinuatur ibi à Bessarione, sed obscurè tamen, vbi Maximus idem rursus affirmat. Audiamus Bessarionem. *Quia enim inquit Maximus per eum prodit spiritus sanctus (idest vt alibi dicit idem Doctor, quia per eum procedit, ideo à Romanis ex Filio prodire dicitur*, obseruaui illud. *Alibi*, & inde collegi non vno tantum in loco Maximum ita dixisse. Fateor mihi occurrisse hunc alium, quem indicat locum posse illum Epistolæ esse: in qua dicitur. *Per ipsum etiam procedat*. Sed consulens Græca mihi persuasi non eum locum in Epistola, sed alium alibi positum esse debere. Nam in Epistola ponitur verbum Græcum Prodire. At vero locus citatus à Bessarione habet aliud, idest, *Procedere*, quæ diuersa, opinor sunt: ac proinde alium habuit Bessarion pro illa sententia ab eo Epistolæ diuersum. Qui cuius sit operis non exposuit, vti nec expressit, quis ille sit in quo Zacharię locum Maximus interpretatur, nec enim de commentarijs eius in Zachariam constat: nec vbi extra commentarios illum exponat locum apparet. Quare sola fide Bessarionis nititur illa Maximi sententia.

Bessarius

Bessarion Maximus

Hæc me ratio mouit ad examinandam diligentius illam epistolam Maximi, & eruendum ex ea sensum idoneum ad processionem ex Filio asserendam. Videamus ergo qua sit occasione scripta Epistola: quodque illius argumentum. In Synodalibus Latinorum Patrum institutis multa erant, quæ à Græcis Constantinopolitanis taxata dicebantur. Negat hoc Maximus affirmans de duobus tantum capitibus examen factum. Primum erat spiritum sanctum ex Filio etiam procedere: alterum Christum, quà homo erat peccato originali caruisse. De primo in quo versatur quæstio sic Maximus. *Consonas*, inquit, *Romanorum Patrum attulere sententias: nec non Cyrilli Alexandrini ex sacris eius commentarijs in Ioan. Tum: Per quas demonstrarunt*, (nempe Synodales Patres Latini) *se se nequaquam asserere Filium esse causam spiritus, vnã quippe norunt causam Filij, & spiritus Patrem, illius quidem secundum generationem, huius autem secundum Processionem, sed significare, quod per ipsum etiam procedat, eaque ratione ostendere eiusdem essentiæ nulla cum varietate communionem*. Hoc posito patet Maximum cum Patribus Latinis sensisse: quid autem ij senserint constat imprimis ex eo, quod Latini essent, quorum nemo vnquam negauit: *Spiritum sanctum procedere à Filio*. Deinde hic apertè dicunt. *Per Filium procedere*. Redit ergo quæstio ad modum, quo procedit. Concedunt *Per Filium*, sed negant eum esse *Causam*, idest Principium, quem vnum Patrem esse volunt: admittendo *Filium* ad processionem, excludendo ab eo rationem *Causæ*, siue Principij. Videndum nunc est. An hinc sequatur negare eos spiritum sanctum procedere à Filio.

Maximus

Maximus

Maximus

Maximus

Minimè sanè. Nam eo tantum sensu negarunt, quo Filius esset aliud cum Patre Principium, & quidem Patri par, quod Græci nolebant, ne duo æqualia ponerentur Principia: cum solus Pater Principium, & Fons Diuinitatis, quemadmodum supradiximus esset: quod

ille

ille solus à se esset. Quo sensu Filius non poterat esse Principium, quod non à se, sed à Patre esset. Hac ratione ne Latini quidem Principiũ esse affirmabant: quod Græci non capientes sugillabant Latinos quasi duo Principia admittentes vnum Patrem alterum Filium vtrumque Par, & vtrumque ab altero non dependens. Igitur Latini Patres, vt docerent Græcos, quid sentirent, distinguebant admissa Communione Patris, & Filij ad processionem Spirit. S. distinguebant, inquã, rationem, & modum in spirando affirmantes quidem Filium esse quidem vnum cum Patre Principium, non alterum à Patre Principium, imo etiam concedebant, non esse vti Pater erat eo sensu Principium, vt à se esset, sed à Patre, à quo quemadmodum accipiebat essentiam, ita accipiebat virtutem spirandi, & producendi spiritum sanctum. Qui sensus omnino verus, & tutus, & gratus Græcis Patribus erat. Vno verbo mens Latinorum erat Filium respectu spiritus esse Principium vnũ & idem cum Patre; respectu Patris non esse Principium, quia erat Principiatum à Patre. Quod sanè verissimum est. Hunc autem modum procedendi seruata illa distinctione explicabant, adhibita præpositione *Per* quæ declarabat Principium respectiuè ad spiritum sanctum, non autem respectiuè ad Patrem, qui solus erat Principium, & à se. Cum ergo hac ratione cum Latinis Maximus conueniret, idem prorsus cum ijs sentiebat, atque adeo affirmabat spiritum à Patre Filioque procedere, & illa Præpositione *Per* ad remouendam Græcorum inuidiam, vel calumniam, verius incogitantiam vtebantur. Ita controuersiam hanc componebat Ioannes ille Dominicanus insignis Theologus sess. 24. *Nos vnam*, inquit, *causam Filij & Spiritus fatentes Patrem, vt principaliter à Patre Filius producat Spiritum sanctum*. Et mox adducto loco Ioannis 15. *Quem ego mittam vobis à Patre: vox illa mittam, quid aliud significat, quàm quod ab aliquo mittitur? Qui mittit igitur propriũ aliquid mittit, & ex ipso est, quod mittitur, vt exempli gratia; quando præfectus agit iussu Imperatoris; non enim agit ex se ipso, sed Imperatoris mandato: ita & Filius non à se ipso producit spiritum sanctum. Sed à consubstantiali Patre in generatione sua illud accipiens, virtutemque Paternam, & naturalem in se habens producit & ipse spiritum sanctum, non principaliter, vt Pater; is enim est radix, & Fons Deitatis*. Hæc ego sane apud me ipse prius formaueram, & postea magna mea voluptate inueni apud Ioannem in Concilio, & multo deinde post in Magno Theologo Vasquez reperi, quem vidi eo, quo Maximus à me in hac Epistola expositus est modo, eumdem prorsus interpretari. Pauca, sed idonea decerpo. *Eodem sensu debet intelligi Maximus in Epistola ad Marinum, vbi de Patribus Latinæ Ecclesiæ dicit eos non concedere Filium esse Causam, hoc est Principium spiritus sancti. Intellexit enim causam, sine causa: hoc est Principium primum*. Itaque, & locum Epistolæ retineo, cum præsertim videam à Gennadio Scholario pro nostra doctrina citari, & ex Cyrillo confirmari: Opusculo de processione spiritus sancti. Quod item à Iosepho Methonensi Episcopo fieri alias obseruaui in responsione ad libellum Marci Ephesij, ad finem Concilij, vbi Maximi Epistolam recipit, & fatetur eum non negare processionem ex Filio. Hoc de Maximo, ac illius Epistola. Vnum obseruo, & miror Patres Latinos in Concilio Florentino producta huiusmodi Epistola, & Græcis vrgentibus, vt ex eius doctrina, res decideretur, minimè voluisse,

Ioannes Domin.

Ioannes Vasquez.

Gennad.

Maximus

Concil. Florent.

ac nullam de ea deinceps mentionem fecisse: ceu minus ei fidere viderentur. Quanquam fortasse fecerunt, ne vnius hominis ambiguè loquentis res tanti momenti iudicio definiretur.

Damascus Venio ad Damascenum. De quo ingens, & nobilis inter nostros Doctores est controuersia. S. Thomas motus eo loco lib. de Fide 1. cap. 11. vbi apertè negat ex Filio esse Spiritum sanctum: quem ipse citat 1. p. qu. 36. art. 2. ad tertium, fatetur Damascenum in eo errore cum Theodoreto, & nonnullis Nestorianis fuisse. Ita in responsione ad tertium. Idem sensit qu. 10. de potent. art. 4. ad vltim. Assentitur Bannes in commentar. qui Theophylacto, quem constat, errasse Damascenum adiungit, et nonnulli apud Vasquez 1. p. disp. 147. cap. 7. num. 35. Scholastici qu. 10. de potent. art. 4. et Clicthouæus, qui ignoratione deceptum Damascenum dicit.

D. Thom

Bannes. Theoph. Damasc.

Vasquez

Clicthou.

Liberant tamen ab hac nota Damascenum imprimis Scotus illum exponens in 1. dist. 11. qu. 1. et alius Thomas Argentinas in 1. dist. 11. qu. 1. art. 1. et Suarez lib. 10. de Trinit. cap. 1. et Vasquez dist. 147. cap. 7. et Ruiz de Montoya dist. 67. sess. 9. et Bellarmin. lib. 2. de Christo cap. 25. et 27. Et quod amplius est Besarion orat. ad finem Concilij Florentini orat. 6. pro vnione, et Gennadius Scholarius tractatu in quinque capita Concilij Florentini cap. 1. prolatis alijs locis in quibus Damascenus asserit processionem ex Filio. Nam eodem libro de Fide cap. 18. *Imago*, inquit, *Patris est Filius, & Filij spiritus sanctus*. Cuiusmodi nisi à Filio sit esse non potest. Et infra. *Deus spiritus sanctus medius Ingeniti, & Geniti, & per Filium Patri coniunctus*. Deinde à Gennadio tertius locus manifestior affertur illo Opusculo sectione 3. *Hic enim* scribit Gennadius,

Thomas Argent. Suarez. Vasquez. Montoya

Bellarm.

Bessarion

Gennad.

Gennad.

capite Theologicarum rerum tertio decimo. Cuius principium diuinitas cum sit incomprehensibilis omnino exprimi nomine non potest; sic ait. Ipse quidem meus est Pater videlicet Filij abyssus, Filij genitor, & per Filiū manifestatiuè spiritus productor. Ac paulo post. *Spiritus vero sanctus manifestatiua occultæ Diuinitatis potentia Patris, ex Patre Per Filium procedit, vt ipse scit.* Adijcit autem Gennadius. *Quod vero dictio Per causam significet iam dictum est, nec repetere oportet. Sanctus praeterea Cyrillus in secundo ad Herm̄iam inquit Sanctum spiritum addes, qui ex Patre Per Filium naturaliter profluit*. Itaque in eadem cum Cyrillo naui ponit Damascenum Gennadius. Eundem locum adducit Bessarion orat. 6. pag. 570. vbi probat Damascenum rectè de hac processione sensisse, eumque cum Maximo coniungit, quod vterque Per Filium cum dixisset perinde esse existimarunt, ac si ex Filio dicerent: quemadmodum Cyrillus, & alij Patres, quos ibi citat, dixerunt. Vnde apparet Damascenum eiusdem prorsus cum Maximo fuisse sententiæ: nimirum Patrem esse propriè causam, et Principium Spiritus sancti: Filium autem non esse Principium eo modo, et sensu quo Pater, sed ex eo esse, ac proinde Principium Principiatum: itaque ex Patre Spiritum sanctum, ex quo erat et Filius, per Filium esse spiritum sanctum, quòd Filius etiam in societatem actiuæ spirationis veniret, nō tamen eo modo quo Pater: hoc modo exponunt Damasc. omnes ij, quos proximè adduximus authores. Quorum vnus Bessar. sic ait oratione illa, seu cap. 71. pag. 571. *Dixisse eos* Maximum, & Damascenum *hac ego dicam: ne quis Principalem causam Spiritus putet Filium, quasi non à Patre acceperit quod per eū Spiritus Sanctus procedit. Communis enim lingua Græcorum vsus cum per*

Cyrillus Gennad. Bessar. Cyrillus

Damasc.

Bessarius Maximus Damasc.

præpositionem: Ex, principalem significet causam, & Damascenum coegit non ex Filio, sed per Filium dicere procedere Spiritum Sanctum: & Maximũ, quod à Romanis dicitur ex Filio procedere, idem significare sentire, ac si dicant per Filium procedere. Nunquam enim, ait, Ex Filio Spiritum Sanctum prodire Romani asserant Præpositio autem: Ex: principalem significet causam, non tamen ideo dicunt, ut talem causam significent Filium esse. Damascenus etiam ex Filio quidem Spiritus, inquit, minimè est: Per Filium autem conceditur. Solus namque Pater est causa talis videlicet qualem ipsa: Ex: significat. Quare talem quidem causam negant Filium esse. Præpositionem autem: Per: attribuunt Filio, per quam simul cum Patre causam, sive principium Spiritus Sancti esse significatur. Et concludit.

Maxim. Damasc.

Significant Maximus, & Damascenus Filium causam esse non principalem, nec propriam, ob hoc enim eam negantes negant Filium causam esse. Quæ doctrina verissima est, & à Ioanne

Io. Tho.

Thomista Theologo iam in eodem Concilio ante orationes Bessarionis recepta, & tradita sess. 24. pag. 552. & 553. & approbata consensu Patrum sess. 25.

Bessar.

Ac ita ipsum disertè explicat Damascenum Iosephus Episcopus Methonensis in Responsione ad libellum Marci Ephesij, quæ habetur post Concilium Florentinum, & ipsemet fatetur iam idem antea in Apologia pro quinque Capitibus tradidisse, & in hanc mentem Damascenum exposuisse. Quin etiam in eadem responsione paulò inferius pag. 688 interpretatus locum Maximi, distinguit inter Filium, & Patrem, *vt Pater sit causa, & principium principale, & primordiale, sic vocat, & principium sine principio, siue causam absque causa.* Filius verò non eo, sed alio sensu dicatur. *Principium quatenus id à Patre accepit.* Gregorij

Iosephus. Marcus. Ephes. Conc. Fl. Damasc. Maxim.

Hieromonachi, cuius longa est post Concilium Florentinum pro huiusmodi processione aduersus Marcum Ephesium disputatio, eadem sententia est solidissimè confirmata. pag. 704. & 705. Productum enim aduersus se à Marco Damasceni testimonium ex lib. 1. de Fide cap. 11. egregiè refutat, & adductis alijs locis, collatisque cum illo primo docet Damascenũ id prorsus voluisse, Filius ne esset *Primordiale*, quod ait & principale Spiritus Sancti principium, vt est Pater, sed cum Patre à quo est vnum, & non à se, sed ab eo principium: & iterum de Maximo agens idem inculcat pag. 714. Hoc idẽ antiquior tradiderat Veccus Patriarcha Constantinopolitanus, cuius est optima Damasceni, & Maximi oratione 2. de iniusta sui depositione defensio, & in hanc mentem apta interpretatio. Atque sæpè alias hanc quæstionem versat, & Damascenum, & Maximum vindicat illa distinctione inter modum procedendi à Patre, & Filio inducta, qua omnes difficultas tollitur, & vnitas processionis ex vtroque sustinetur. Hoc Veccus Epist. ad Theodorum, & in lib. ad Constantinum, & animaduers. ad Camaterum, & in Epigraphis agit, ne omnia eius opera recenseam. Vno vinculo ligem omnes quotquot hanc processionẽ Græci tuentur Authores: Constantinum Meleteniotam orat. 1. & 2. de processione Spiritus sancti; Georgium Metochiten contra Maximum Planudem; & aduersus Manuelem Cretensem, Maximum Chrysobergam orat. ad Cretenses. Demetrium de process. Spiritus sancti; & cœteros, quos in lucem recens edidit tum Arcudius, tum Leo Allatius: atque hos præcipuè duos, sed imprimis Leonem in defensionem Damasceni, & processionis à Filio veritatem. Ita omnes conspirant, vt nemo de Damasceno ambigere deinceps

Gregor. Hierom. Damasc. Veccus Idem Constan. Georg. Maxim. Chrysob. Demetr. Arcud. Allatius.

ceps

ceps debeat. Standum quippe communi tum Græcorum, tum Latinorum sententiæ, & omnino statuendum Damascenum non negare Spiritum sanctum procedere ex Filio, dummodo Filius non esset principium à se sicuti est Pater, ac eo tantum sensu negasse quatenus cōstituebat aliud principium par, & principale, & nulla ratione à Patre, sed à se, quod fieri non posse videbat, cum Filius esset à Patre. D.Thom Itaque D. Thomæ respondendum Damascenum, & si videatur negare processionem ex Filio, eo cap. 11. lib. 1. de Fide, tamen alijs locis manifestè dixisse Spiritū sanctum per Filium procedere, & ita esse quēadmodum diximus explicandum. Nec nos magis sumus, quàm erat Io. à Monte nigro. Ioannes à Monte nigro Theologus, & Dominicanus, Thomistæ. Cum igitur veritus non sit ille negare Damascenum in eo errore fuisse, Concil. Florent. vti constat ex sess. 24. Concilij Florentini, nec nos curabimus idem de Damasceno sentire, quanquam D.Thom Clicthon D. Thomas aliter statuerit. Clithoueus, qui ignoratione deceptum Damascenum dixit deceptus est quidē: & vitium quod Damasceno affinxit prorsus incurrit. A quo ex scholasticis liberant Damascenum, Suar. Vasq. Bellarm. Montoya Valentia Suarez de Trinit. lib. 10. c. 1. Vasqu. in p. d. 247. c. 7. n. 35. & 38. Bellar. lib. 2. de Christo cap. 27. & Montoya d. 67. s. 9. n. 15. Valentia cit.

CAPVT IV.

Quando primùm, & quare addita fuerit Symbolo Filio ea Particula Filioque?

HAec quæstio magna iam ex parte discussa, & decisa nunc erit breuiter profliganda. Et primum quæri potest de Concilio vniuersali: Deinde de particulari. Quod attinet ad primum, quatuor esse possunt sententiæ. Prima. In ipsomet Concilio Constantinopolitano à Græcis 150. Patribus additam fuisse. Concil. Constan. Ita Loaysa in notis ad Concil. Toletanum 3. verbo *Item Fides Sancta*. Loaysa Extat hoc Concilium in 2. tomo Collectionis Binianæ. 2. parte tomi; Collect. Bibiana Cuius nos authoris verba citauimus sect. 3. cap. 2. de processione Spiritus sancti. Secunda esse potest ea, quæ tradit à Damaso in Concilio Romano fuisse adpositam, Damas. nam cum illud Concilium cum Constantinopolitano quodammodo coaluerit, Conc. R. vt vnum ex duobus sit factum authore Bellarmino lib. 1. de Concil. & Eccles. cap. 5. Bellarm. & qui eum citat Seuerino Binio in notis verbo *Oecumenicum*, Seuerin. quod in eo decretum, cautumque est, in Constantinopolitano cautum decretumque habetur. Præsertim si illud Concilium Damasi antecessit Constantinopolitanum, & in eo Regula Fidei dictata est à Damaso, & missa ad Patres Constantinopolitanos, qui ei adhęrentes Symbolum cum ea particula recitarunt, quemadmodum nos in materia de Concilijs dictata animaduertimus; constat quippe illam regulam Fidei, siue Symbolum à Damaso ad Paulinum directum non in 4. Concililio Conc. R. Romano post illud Constantinopolitanum, sed in 3. ante illud compositum. Verum hæc sententia Garciæ Loaysæ ne Hispanis quidem Loaysa placet authoribus. Improbat eam Suarez lib. 10. de Trinitate c. 1. & Suarez Ruiz de Montoya d. 67. s. 5. Montoy.

Bellarm. Quibus accedit Bellarminus lib. 2. de Christo, c. 31. his rationibus. Primò, quia in nullo Codice antiquo illius Concilij Constantinopolitani ea particula habetur: Concil. Constan. Conc. Fl. quod si haberetur illud Patres Concilij Florentini monere non omisissent. Atqui ne verbum quidem ea de re fecerunt; cùm tamen multa de septima Synodo prolato vetusto codice fe-

feciſſent. Preterea ſi in eo Concilio id poſitum eſſet, non committeret Leo III. vt in tabulis illis duabus argenteis à ſe concinnatis illa particula omitteretur. Tandem vir ſuæ ætatis ſtudioſiſſimus Theodoretus qui eius Concilij accuratam ſcripſit hiſtoriam, non poſſet, aut ignorare, aut reijcere rem tam notabilem, tamque illuſtrem, & quod amplius eſt contra ſentire vel ſcribere: nam ille obſtinatè proceſſionem ex Filio negauit, imo illius negandæ à pleriſque author videtur. Quomodo ergo particula ex Filio à Patribus Conſtantinopolitanis in Concilio Oecumenico recitari, & inſeri ſymbolo potuit?

Leo III.

Theod.

Altera ſententia, quæ veluti Appendix eſt Primæ, rem non continet. Nam hic agimus de Oecumenico Vniuerſalique Concilio. At illud Romanum quodcunque demum ſit, dici nequit Vniuerſale Concilium: quia ſi Patres Conſtantinopolitani non receperunt illud Decretum Patrum Romanorum, & illam particulam Symbolo à ſe condito minimè addiderunt, non poteſt dici admiſſa ab Vniuerſali Concilio. Non conſtat autem admiſſam, vti ex proximè dictis apparet, ergo quod ſit in Romano adpoſita Concilio, non ſequitur adhibitam fuiſſe in Oecumenico Concilio. Addo exemplum petitum ex hoc ipſo Conſtantinopolitano. Canon illius tertius de Primatu eius Regiæ vrbis Epiſcopi poſt Romanum non poteſt dici Canon Vniuerſalis Concilij, quia Damaſus non conſenſit, nec alij item vno, & amplius poſt eum ſeculo Romani Pontifices conſenſerunt, ac proinde nullus Canon fuit, etſi in ea Synodo quæ Vniuerſalis fuit, conditus fuerit. Ita neque illa expoſitio, ſiue additio *Filioque* facta in Romano Concilio à Damaſo, licet miſſa fuerit ad Patres Conſtantinopolitanos ſi ab ijs admiſſa non eſt dici poteſt ab Oecumenica Synodo recepta. Prius igitur monſtrandum eſt eos Patres illam ſuſcepiſſe, & poſtea affirmandum in Vniuerſali Concilio fuiſſe receptam. Itaque vel etiam, de quo ambigitur, conceſſo illam expoſitionem factam à Damaſo in Romana Synodo, quæ cum Conſtantinopolitana coaluit, & vnum cum ea compoſuit Vniuerſale Concilium, non ſequitur eam adhibitam ab Vniuerſali Concilio Conſtantinopolitano. Imò ſi ea Decretis à Damaſo eſt inſerta, & inter ea Conſtantinopolim ad Patres eſt miſſa, vt Symbolo apponeretur, cum conſtet eos illam Symbolo ſuo non inſeruiſſe, nam in eo certè non eſt, colligitur eam non fuiſſe ab ijs Patribus admiſſam, ac proinde retorquetur argumentum contra huius ſententiæ, ſi qui ſunt authores, quòd ea particula excludenda ſit à Symbolo Concilij Vniuerſalis, cùm ab eo ſit reiecta.

Concil. Conſt.

Damaſ.

Vnum tamen eſt pro hac 1. ſiue 2. ſententia, nam eodem fermè recidunt, validum argumentum. In Concilio 3. Toletano, quod ponitur tom. 2. p. 2. pag. 271. collectionis Binij. Duplex inuenitur Fidei profeſsio, & in vtraque aſſeritur Spiritus ſancti à Patre, Filioque proceſsio: vti ſuperius obſeruauimus. Et poſt illas proceſsiones in Decretis Concilij pag. 279. iubetur cap. 2. *vt per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, & Galliciæ ſecundum formam Orientalem Eccleſiarum Concilij Conſtantinopolitani hoc eſt centum quinquaginta Epiſcoporum Sybolum Fidei recitetur*. Quod ſi verum eſt, vt conſtat videtur in eo ſymbolo iam tum ea particula eſſe inſerta. Nec enim niſi inſerta eſſet auderet Recaredus, & Patres illius Concilij eam palam in ſynodo recitare. Recitarunt autem ſemel, & iterum, ergo ea iam erat in ſymbolo inſerta

Conc. Fl. Collect. Bibiana.

Con-

Constantinopolitano, quod in eodem fuit Toletano Concilio recitatum. Video idoneum esse argumentum; sed quia ibi non ponitur symbolum Constantinopolitanum ex integro rem non conficit argumentum. Quod certè neutri sententiæ aut fauet, aut nocet: nam cum minimè appareat forma symboli, nihil in vtramuis partem potest momenti afferri. Itaque respondeo: verius mihi videri symbolum Constantinopolitanum non habuisse tunc in Hispania eam additionem, siue explicationem *a Filio*. Imò ea caruisse cum recitari solebat: quia in decreto diserte habetur, *vt illud symbolum secundum formam Orientalium Ecclesiarum recitetur*. Constat autem in forma Orientalis Ecclesię illam particulam minimè vsurpari: quod animaduertit Seuerinus Binius in notis ad Concilium Constantinopolitanum ex Baronio; quamuis Loaysa in notis ad hoc Concilium pag. 287. ad illud *Item Fides sancta* contra sentiat, & affirmet in symbolo Constantinopolitano eam particulam contineri, vt alias animaduertimus. Idcirco autē dixi *Verius mihi videri* subdubitans, quia video illam meam, & Binij conicc̄turam non ad modum vrgere. Poterit quippe decerni quasi nouum, & denuò inspiratum, vt illud Symbolum in forma Orientali recitaretur. Idest ab eo deinceps tempore, quasi antea in alia forma Occidentali decantata nō esset. Cur enim quæso id tum iubetur, & cauetur ne quis contrafaciat, si antea id solitum fieri? non erat opus eo decreto, vbi erat consuetudo. Satis erat tacere eāque continuari. Quod si illud decretum fuit, aliquid de nouo, & præter morem inductum fuit. Erat ergo mos, alio more, idest cum ea particula recitari. Itaque sua huic est probabilitas sententiæ.

Seuerin. Binius

Baronius

Loaysa

Tertia est in septima Synodo Generali fuisse adiectam illam expositionem factam. Argumenta superius adduximus; quæ non sunt contemnenda. Verum rem indubitatam non faciunt: cum omnes id Græci negarint in Concilio Florentino nec Symbolum eius Concilij, quod in vulgatis exemplaribus habemus illam retinet. Itaque non est cur id certò affirmemus. Conc. Fl.

Superest quarta, & verissima, quæ tradit in Concilio Lugdunensi 2. Generali Gregorio X. Pontifice Symbolum in Missa decantatū expressa illa particula *Filioque*. Quod à Græcis item qui conuenerant cum Michaele Palæologo Grece recitatum: quemadmodum supra diximus. Atque hoc fuit vniuersale primum Concilium, quod initium venerabile huic confessioni in symbolo dedit. Secutum est Tridentinum, in quo symbolum cum ea particula recitatum. Affero ea in quibus symbolum patet, & apertè habetur. Non dubito quin alia idem symbolum reddiderint, vti Florentinum, & Lateranense V. sed non extat in eorum Actis symboli formula. De qua hic agimus.

Greg. X.

Michael Palæol.

Con. Tri.

Quod attinet Concilia particularia: inuenitur expressum cum illa particula symbolum in 8. Concilio Toletano Martino I. Pontifice Aera 691. Anno 633. Regnante Flauio Recesuintho, quod habetur tomo 2. Concil. Collectionis Binianę 2. parte pag. 481. In eo quippe pag. 485. ponitur symbolum cum expressa mentione illius particulę *Ex Patre, & Filio procedentem*. Ante istud Conciliū in nullo inuenitur symbolo manifestè posita. Quamuis enim in 3. Concilio Toletano Pelagio 2. Papa Recaredo Rege Aera 627. idest Anno Christi 589. recitentur duæ Fidei confessiones, altera ab Rege, altera à Patribus cum expressione huius veritatis, neutrum tamen est symbolum. Quę autem ibi recitantur, symbola

Con. Tol

Collect. Biniana

3. Conc. Tolet.

bola (sunt verò Nicenum, & Constantinopolitanum) eorum dumtaxat initia ponuntur, nec constat cuiusmodi fuerit reliqua formula: atque adeo affirmare certi quidquam non
Vasq. possumus. Pater Vasquez 1. p. d. 136. c. 4. n. 16. ait. *Additam inueniri in Concilio Toletano 3. vt supra vidimus in symbolo, quod Patres illi post symbolum Nicenum ediderunt: quod sanè paucis verbis demptis, cum quibus modo publicè non cantatur idem omnino est cum Niceno.* Idem tradit ex Loaysa
Loaysa Suarez Suarez lib. 10. de Trinit. c. 1. n. 16. & 17. Et quidem Loaysa in notis ad illud Concilium: ad verba *Item Fides sancta* pag. 287. *Hoc est* inquit *Symbolum Constantinopolitani Concilij à centum, & quinquaginta Patribus celebrati aduersus Eunomium, Photinum, & Macedonium, in quo aliqua explicata sunt, & posita in Symbolo, quæ in Niceno non erant, vt est illud, quod ad personam spiritus sancti spectat. Credimus in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre, Filioq; procedit. Neque existimo vt alij postea hæc verba Ex Patre, Filioque addita in synodo Romana. Sed in ipsa prima symboli formatione fuisse posita.* Quibus verbis significat symbolum Constantinopolitanum redditum in Toletano 3. de quo agit Concilium, fuisse tale quale ille existimat fuisse Constantinopolitanum: in quo cum putet illam particulam *Filioque* à prima formatione positam fuisse, sequitur symbolum recitatum à Toletanis Patribus eam omnino habuisse.

Verum hæc coniectura est: nam cum ibi non extet symbolum integrum, sed initium dumtaxat non constat de illa particula. Imò ea coniectura suspecta efficitur ex opinione
Loaysa Loaysæ, qui fortasse ea ductus cum non inuenisset symbolum integrum, sed inchoatum, voluit totum ponere ad arbitrium suum formatum, quasi dubium non esset quin ea particula *Filioque* ibi poneretur. Et Patribus Toletanis suam opinationem imposuit: attribuens ijs symbolum quale ipse mente conceperat. Nec latuit hęc suspicio magnos illos duos Theologis Suarez, & Vasquez, qui obseruarunt in editionibus priscis ante illam Loaysæ non fuisse illam particulam insertam: quam Loaysa ipse primus inuenit, quod eam in codice antiquo inuenerit. De quo ait Suarez lib. 10. c. 1. nu. 17. *Non videtur sufficiens motiuum, facilè enim potuit ab aliquo scriptore priuatim addi.* Et Suarez
Vasq. d. 146. cap. 4. num. 17. *Hanc confessionem habemus in noua compilatione Conciliorum Hispaniæ nuper edita à Garcia Loaysa, cum antea in Concilio ea non haberetur.* Video tamen Vasquez, & Suarez ita loqui, vt symbolum videantur ex integro positum legisse, ac expresè de eo mentionem facere: forte suo tempore, & illis in locis (vterque enim legit Compluti, & Toleti, opinor fuit) ea editio inueniebatur, quæ ad Seuerini Binij manus non peruenit, nec ad meas, qui ea tantum vti soleo. Vtcumque sit, iudico Garciam Loaysã antiquis editionibus illam dumtaxat particulam *Et Filio* in symbolo addidisse, non alijs in locis extra symbolum: in quibus haud dubito quin fuerit illa confessio. Magna quippe foret illa mutatio, si ad tot locos, & in tot Concilijs se extenderet: & suspicionem corruptelæ insolentia sua ingereret. Vasq.

Author sum igitur illam particulam in antiquis Concilijs Toletanis Concil. positam in symbolo non fuisse, fuisse in Confessionibus extra symbolũ. Tolet.
Poni autem perspicuè in symbolo cœpisse in 8. Concilio Toletano, de quo non video ambigi, ac de hoc expresè affirmat Vasquez d. 146. cap. Vasq.
4. n. 17. & Suarez lib. 10. cap. 1. n. 8. Suarez
Id autem certus dico, quoniam Toletana Concilia diligentissimè inspexi, & recognoui: idque confirmo in eorum nullo ante 8. symbolum reci-

tari, sed professiones, & confessiones Fidei fieri extra formam symbolicam: quas modo non curamus qui de sola symboli propria additione agimus. In Concilio octauo verè, & propriè symbolum est. *Sicut*, inquiunt Patres Toletani, *in Missarum solemnibus concordi voce profitentur, ac dicunt*, his verbis *Credimus, & in Spiritum sanctum Dominum, & Viuificatorem ex Patre, & Filio procedentem: cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum, qui locutus est per Prophetas.*

Concil. Tolet. Illud tamen animaduerto, ne quem turbet illa formula posita in 2. Concilio Toletano sub Anastasio Papa Anno Domini 400. quæ initio speciem quandam habet symboli, illam Confessionem Fidei, non symbolum esse: atque adeo manere indubitatum quod asserui: in nullo Concilio Toletano ante octauum cum particula *Filio* in symbolo inueniri. Quare admisso de quo nonnulli ambigunt eam doctrinam iam tum à Patribus Toletani Concilij receptam, & traditam, non ex eo sequitur illam Symbolo Fidei Constantinopolitano insertam fuisse.

Suar. Vnum saltem obijci mihi posse video, quod Suarez affert lib. 10. c. 1. n. vltimo. *In Concilio*, inquit *Toletano* 8. *habetur Filioque in symbolo, & dicitur iam multo ante fuisse consuetudinem in Hispania, vt cum illa additione decantaretur publicè in Ecclesijs.* Hoc enim argumentum est non tunc primum in symbolo fuisse positum, sed in alijs item Concilijs fuisse recitatum. Respondeo primum in hoc Toletano 8. Concilio, id tantum haberi: *Sicut denique in sacris Missarum solenitatibus concordi voce profitemur, ac dicimus. Credimus, &c.* Quod certè multò minus est eo, quod Suarez affirmat. Nec enim dicitur in Concilio iam multo antea fuisse consuetudinem in Hispania ita decantandi, sed tantum *in sacris Missarum solemnitatibus* ita eos profiteri. Quod etsi indicet morem esse, non tamen asserit antiquitatem illius moris. Itaq; amplius dixit Suarez, quã Concilium. Hoc animaduerso deinde respondeo, verum quidem esse ante illud Concilium recitari solitum in Missa illud symbolum, sed minimè constare quanto tempore antea hic mos inceperit, nihilque contra nos inde concludi, nos enim non inficiamur, in alio tempore, & Concilio illud symbolum ita fuisse recitatum, sed negamus inueniri in alio ante hoc octauum Concilio. Quod verissimum est. Quare affirmamus eam formulam antiquiorem esse isto Cõcilio, sed quanto sit illo antiquior, de eo minimè constare. Certa quippe inuestigamus. Illud autem est certum in octauo Concilio Toletano primũ reperiri eam particulam symbolo Filij insertam, & cum ea symbolum recitatum. Idque vidi postea sensisse P. Ruiz de Montoya d. 167. s. 8. num. 5. vbi sic. *In Concilio Toletano Octauo recitatum Symbolum cum hoc additamento. Fuit autem celebratum hoc concilium circa annum Domini sexcentesimum quinquagesimum tertium. Ante quod tempus nullum reperitur symbolum Constantinopolitanum ita declaratum.* Nec solum cum P. Montoya sentire me comperi; sed etiam cum P. Gabriele Vasquez, qui quod existimet in Concilio Toletano 3. hanc primum adpositam fuisse particulam, negat in vllo se antiquiori eam legisse. *Vbi autem* inquit d. 146. c. 4. n. 17. *primum publicè in Ecclesia cæperit decantari symbolum cum illa particula ego hactenus non legi: Ex quibus colligitur nullum esse Concilium Toletanum antiquius tertio in quo absque controuersia symbolum Nicenum cum illa particula habeatur.* Verum quidem est in eo me à doctissimo viro dissentire, quod ille putat confessionem illam, quæ ponitur in 3. Concilio Toletano esse symbolum,

Concil. Tolet. Montoya Montoya Vasquez.

ego

ego contra exiſtimo, vti proximè obſeruaui; ſed in eo, quod nunc aſſumpſi conſentio, quod ante illud Toletanum, in quo perſpicuè ſymbolum cum illa particula recitatum inuenitur Concilium, quodcumque tamdem ſit, nuſquam illa ſymbolo adiecta reperiatur. Itaque cum ego octauum illud eſſe affirmem, rectè affirmaui in nullo ante a ſymbolum cum ea particula fuiſſe recitatum.

Concil. Francof. Ruit ex his vulgaris opinio, quæ ad tempora Caroli Magni, ad Concilium Francfordienſe hoc initium refert: cum enim hoc in annum 794. inciderit, eſt illo Toletano recentius. Nec ſtat illa alia item cõmunis, quæ Concilio Gentiliacenſi in Gallijs Regi Pipino illud aſſignat. Eſt enim hoc ſæculo, & amplius Octauo Toletano recentius: cum Gentiliacenſe celebratum fuerit Anno 766. Toletanum vero Anno 633. Illud item minus eſt conſtans, Gentiliacenſe, Symbolum cum ea particula edidiſſe. Compertum eſt autem de Proceſſione Spiritus Sancti à Filio habitam quæſtionem, & decretum, ab hoc illum procedere: quemadmodum ſuperius diximus.

Concil. Brachar. Bernard. à Brutto. Nullam hic mentionem de illo Bracharenſi nuper excogitato primo Concilio, cuius inuentor fuit Bernardus à Britto, facere volui, vbi exhibetur particula *Filioque*, quod mihi non poſſum perſuadere illud extitiſſe Concilium, nec in eo eiuſmodi ſymbolum eſſe recitatum, in quo initium formulæ ſit ineptum, & minus ad Fidem Catholicam reſpondens, vti in mea de Aduentu S. Iacobi in Hiſpaniam Diatriba] notaui, præter aliàs ſolidas, opinor, coniecturas ob quas ſuſpectum illud redditur Concilium.

Concil. Brachar. Loayſa. Operæ pretium tamen erit de Bracharenſi Concilio Primo agere: quod legitimum eſt, ac receptum, & habetur in libro Loayſæ de Concilijs Hiſpaniæ, & in Collectione Binij parte 2. tomo 2. pag. 208. Binius Eſtque antiquius Toletano Octauo cum ſit anno 553. integro prius ſæculo congregatum. In hoc recitatur exemplar Fidei ſcriptum à Papa Leone I. & miſſum ad Synodum Leo Pap. Galliciæ, & inde ad Eccleſias Hiſpaniæ directum. Cuiuſmodi tamen illud fuerit non apparet, ac illud dumtaxat exprimit, quod *regulam Fidei contra Priſcillianam hæreſim* continuerit: cętera, quæ dicit capitula minimè declarantur: *Ne*, inquit, Conciliũ, *prolixitatem facerent*. Nulla in eo Concilio de Proceſſione Spiritus ſancti, vel ſymbolo mentio. In II. Bracharenſi anno 672. Concil. Brachar. quod extat in eodem tom. pag. 233. iubetur Catechumenis viginti ante baptiſmũ diebus recitare quotidie *ſymbolum*, quod eſt *Credo in Deum Patrem Omnipotentem*, & nihil amplius dicitur. Itaque de hac Symboli formula nihil certi habemus.

In Tertio Bracharenſi eſt quiddam animaduerſione dignum. Ponitur ibi in limine ante capita, ſiue Canones ſymbolum integrum Conſtantinopolitanum; quod Patres appellant Nicenum, in cuius formula exhibetur illa particula *Et Filio*. Et quod mirabile eſt, præmittũtur hæc verba: *Noſtræ Fidei regulam ipſis verbis atque ſententijs commemorando retegimus, quibus eam in Conuentu Niceni Concilij declaratam eſſe ſcimus.* Vnde ſumitur, cum in eo Symbolo ea ſit particula, iam tum in Niceno Concilio fuiſſe: quod argumentum addidero ſententiæ Loayſæ, qui author fuit, quemadmodum ſuperius diximus, ab initio, cum formatum eſt ſymbolum, poſitam fuiſſe. Dicunt autem Patres Bracharenſes in Niceno Concilio fuiſſe declaratam, quòd Symbolum Conſtantinopolitanum pro eodem ac Niceno habuerunt; & quod à Patribus Conſtantinopolitanis additum fuit, id

non tam additamentum, quam explicatio est existimãda. Qua ratione potuit in Concilio Florentino, præter alia exempla, & rationes contra Græcos illam additionem vocantes, eamque minimè ferre volentes illa particula confirmari, quod Patres eam Bracharenses declarationem appellarint, & dixerint in Niceno Concilio factam, quo monstrarunt, non fuisse contra mentem Patrum Nicenorum, imo ex eorum mente, ac sensu, vt quod in Concilio Constantinopolitano, etsi esset tempore diuersum, & personis distinctum, decretum esset, quia à Spiritu sancto dictatum erat, perinde ac Niceni Concilij Decretum haberetur. Incidit autem illud Concilium Bracharense III. in Annum Domini 675. Pontifice Adeodato. Rege Vvambano, & in fine tom. 2. Concil. par. 2. collocatur.

Redeundo igitur ad præterita, & à nobis prius inter Generalia obiter nominata Concilia, ea mihi sententia sedet, quam multis, & idoneis opinor argumentis firmaui. In Concilio Romano à Damaso Papa instituto Symbolum cum ea particula inclusa formatum. Vnde quippe illam Toletana Concilia acceperunt? Aut vnde accipere debuerunt? Aut quomodo ausi essent eam Symbolo sacro, & solemni propria authoritate inserere? Id sanè mihi ea legenti, & assiduè versanti cum alijs Hispanis Concilia perspectum est, ac exploratum, nullos ex vlla natione Patres obseruantiores Romanæ Sedis fuisse, quam Hispanos, adeo vt & regulas Fidei, & ritus sacros, & ceremonias, formulasque recitandi officij Diuini à Sede Apostolica accipere, & habere vellent, ad idque sæpè Romam Legatos ad Pontifices mitterent, atque ab eorum sede tanquam à quadam Cælesti Cortina responsa, & oracula peterent, seque ab ijs instrui, & institui desiderarẽt, ne quid in Hispania, quod ad sacra spectaret, nisi ex præscripto Romani Pontificis ageretur. Id apparet ex Epistola Innocentij I. ad Decentium, & imprimis ex alia Epistola Greg. VII. ad Reges Hispan. Alphonsum, & Sancium: in qua sic. *Vnde enim*, inquit, *non dubitatis vos suscepisse Religionis exordium, restat vt inde suscipiatis in Ecclesiastico ordine Diuinum Officium: quod Innocentij Papæ ad Eugubinum directa Episcopum vos docet Epistola: quod Hormisdæ ad Hispalensem missa decreta insinuant, Toletanum, & Bracharense demonstrant Concilia.* Ex quo sequebatur decere, vt à qua primum sede Doctores, & Pastores acceperant, ab ea doctrinam, & sacrorum ritus acciperent. Exempla in Concilijs extant, quæ nos diligenter collegimus in nostra de Aduentu S. Iacobi in Hispaniam Diatriba à pag. 96. ad 118. Indico Toletanum 1. alias 2. tempore Innocentij I. non longe ab ætate Damasi, & Tertium celebratum anno 586. Quartum, quod incidit in annum 638. & Octauum annum 63. & Duodecimum omnia Toletana, & ex Bracharensibus 1. & tertium, omissis alijs ne sim prolixus: ex quorum Actis constat, tũ regulas, & documenta fidei, tum ritus, & ceremonias sacrorum, tum rationes, & modos recitandi Officia à Romana Sede accepisse, & accepta exercuisse. Quod si hæc ex præscripto Romanorum Pontificum seruarunt, nihilque ausi sunt Hispani in sacris profiteri, nisi id ad sensum capitis retulissent, quomodo auderent in re tanta, quanta erat illa ad commune Ecclesiæ Symbolum additio, inconsulta Sede Apostolica quicquam innouare? & proprio arbitrio indulgere? Nemo id mihi certè persuaserit, qui eorum Patrum, & instituta, & mores ex assidua Conciliorum lectione noui. Itaque existimo quoniam in Concilijs

Innoc. I.

Gr. VII.

Diatriba de S. Iacobi Aduentu in Hispaniã.

cilijs

cilijs video formam illam expreſſam, & recitatam, & in ſymbolum demum inſertã, nec in octauo Concilio primum, ſed multò prius, quod animaduerti, vſitatam, ab Romano aliquo, vel Pontifice, vel Concilio fuiſſe profectam. Non inuenio autem alium ante Damaſum ad faciendam meæ opinioni fidem aptiorem. Nam & is author eius formulæ, quod proximè oſtendi, habetur, & natione Hiſpanus erat, nec dubium quin illa, quæ cæpit in Hiſpania, & Hiſpanica dici poteſt, confeſſio, ab Hiſpano Pontifice emanarit.

Damaſus.

Et quidem, quod illius expoſitionis, ſiue additionis author Pontifex, vel Concilium, præſente Pontifice fuerit, ſuadetur ex eo, quod exponere, & adijcere aliquid ſymbolo ſolemni, & ab Oecumenica Synodo compoſito, ac edito nemini licitum fuit citra Pontificis Romani authoritatem, aut eiuſmodi cum eo Concilij; itaque illa, ſiue expoſitio, ſiue additio, ſine ea poteſtate fieri, nec debuit, nec potuit. Suppono enim à Concilio vniuerſali id primum factum non fuiſſe, cum de eo non conſtet, quemadmodum nos ſupra ea commemorando oſtendimus. Hinc eſt, vt Andreas Rhodienſis Epiſcopus nomine Latinorum dixerit Actione 7. Concilij Florentini Romanã Eccleſiam eius additionis, ſiue declarationis authorem extitiſſe. Et in eodem Concilio ſtatutum fuit id ad Romanum ſpectare Pontificem; cui per ſummam in Eccleſiam authoritatem licebat: atque hoc vnum fuit ex 4. capitibus à Latinis ſcriptis, & Græcorum conuentui oblatis: vti apparet ex Actis Concilij Actione 25. pag. 595. Non potuiſſe autem alium præter Damaſum eius rei authorem fuiſſe, conſtare puto. Nam quem Diuus Antoninus dicit 3. par. tit. 22. cap. 13. §. 10. Nicolaus I. hic multo fuit eo Toletano octauo Concilio recentior, cum floruerit circa annum octingenteſimum ſexageſimum. Præterea hoc ei Photius acer illius hoſtis, quique eum, & Adrianum ſecũdum acerbè criminari conabatur, non obiecit, obiecturus ſanè ſi id egiſſet, cum Photius, qui contra ſentiebat, ingens illud piaculum eſſe putaret. Quare author ſum illam expoſitionem ab alio multò quam Nicolao, antiquiore Pontifice fuiſſe adiectam.

Andreas. Epiſcop. Rhodien. Concil. Florent.

Antonin.

Photius.

Ad alios Põtifices redit quæſtio. Pater Didacus Ruiz de Montoya, vir, ſicut ſæpè alias dixi, doctiſſimus, diſput. 67. ſeſſ. 5. num. 5. in 1. concluſione ſic ait. *Tempore ſextæ Synodi Generalis, hoc eſt poſt annum Domini ſexcenteſimũ à Romano Pontifice facta fuit additio de Proceſſione à Filio. Probatur primo, nam vt prædictus Andreas nomine Latinorum in Florentino ſeſſ. 7. inter medium, & finem ait, maximo in Gallia, & in Hiſpanijs ſchiſmate imminente, cum iam, ex Filioque, paſſim celebraretur. Romano Pontifici fuit neceſſe in multorum Occidentalium amplæ dignitatis magnoque Concilij Patrum conuentu addito. Ex Filioque, Symbolum magis illuſtrare*. Hæc Montoya. In cuius ſententia, cum multa laudem, tum pauca quædam obſeruem. Primum illum tranſtuliſſe: imminente, *Schiſmate*, cum Græcè non ſit *Schiſma*, ſed *periculum*, *cyndinon*: at hoc ſatis eſt minutum. Deinde expreſſiſſe certum tempus deſignato anno ſextæ Synodi cum Andreas non expreſſerit tempus, in quo Romanus Pontifex eam particulam adiecerit, aut adiectam probauerit: quod tamen Mõtoya deſignat, affirmans fuiſſe tempora Sextæ Synodi poſt annum Domini ſexcenteſimũ, cuius rei vix extat in Andrea Rhodio veſtigium. Imo ſi ex periculo coniectura facienda, & illud periculum erat ortum ex ea occaſione de-

Mõtoya

Mõtoya

Mõtoya.

decantandi Symboli cum particula, *Ex Filio*, non potuit in illud tempus expositio illa conferri: quia in Gallijs, quas disertè nominat, tardiùs multò quàm in Hispanijs ea formula vsurpata, vti numerando, & conferendo Concilia obseruauimus. Nã id primum tempore Pipini videtur agitatum in Concilio Gentiliacensi quod multo posterius fuit sexta illa Synodo, cuius tempori assignat Montoya expositionem, quæ multis ante annis, imo & sæculis in Hispanijs erat celebrata. Atque vt rem accuratius tractemus Sexta Synodus celebrata fuit anno 680. multo post sexcentesimum, Papa Agathone, eius anno Põtificatus tertio. Baronius igitur, & Spondanus ad eum annum affirmant Agathonem Romę aduersus Monothelitas centum viginti Episcoporum habuisse Concilium, & in eo Synodalem Epistolam edidisse, in qua erat illa professio *Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio*. Sed eam abrasã fuisse ab aliqua mala manu Græcanica, & de eo in Florentina Synodo Iulianum Cardinalem esse cõquestum, & hoc animaduertisse Emmanuelem Callecam Græcum authorem in commentarijs aduersus Græcorum errores conscriptis. Quare non immerito Montoya eam huic tẽpori confessionem videtur assignasse. Sed nõ potuit is eã primus iubere, & statuere, cum multo ante in alijs Concilijs edita fuerit, atque adeò alium multo antiquiorem Pontificem authorem habuerit, quem Damasum fuisse existimamus.

Baron. Spond. — Emman. Calleca. — Andreas. Rhod.

Verùm, quia Andreas Rhodius eius sententiæ author est in Florentino Concilio, qui Montoyam impugnat, Rhodio contradicit. Quare opus est ita rem componere, vt dum impugnamus Mõtoyam, Rhodium minimè accusemus. Dico igitur aliud esse rem inuenire, & manifestare, relinquendo illam arbitrio Ecclesiarum, nihil ijs, aut præscribendo, aut significando: aliud rem commendare, ac præcipere, & ita proponere, vt alij intelligant sibi esse seruandam. Primo illo modo se habuit Damasus cum eo Concilio Romano exponendo eam particulam, & relinquendo liberam volentibus eam accipere optionem. Secundo vsus est ille, quicumque demum fuit Pontifex, de quo agit Andreas Rhodius, & Ruiz de Montoya, qui cum vidisset ea particula in medio relicta oriri inter particulares Ecclesias, alijs eam acceptantibus, alijs detrectantibus, dissensiones, ad eas tollẽdas præcepit, vt omnes Occidentales Ecclesiæ eã reciperent, & in Symbolũ insertam publicè decantarent. Hoc autem non potuit fieri tempore sextæ Synodi, quando non erat adhuc vsurpata in Gallijs, sed postea Rege Pipino, quando cæpit ab Hispanijs in Gallias emanare. Hispaniæ vix dum inuentam, & propositam à Damaso sponte sua receperunt, & celebrarunt, alijs Ecclesijs interim tacentibus, nec se mouentibus, & veterem formulam seruãtibus. Quæ germana certè videtur locũ istum exponendi ratio; eaq; stante currit nostra, quæ item aliorũ est authorum, quos superius adduximus de Damaso, & Romano Concilio sententia, quam sequimur, vti magis probabilem, & Ecclesiasticis historijs cõgruentem. Itaque Damasum in Romano Concilio eius expositionis *Filioque* authorem, & volumus, & prædicamus. A quo eam statim Hispaniarum Ecclesiæ acceperunt, & celebrarunt.

Andreas. Rhod. Mõtoya. — Damasus Conc. R.

CA-

De Symbolo, quod dicitur Athanaſij, & vtrum in eo illa particula ex Filio ab initio fuerit poſita? Corollarium.

PRomiſi de hac re me acturum. Memor promiſſi fidem datam præſtò.

Nihil familiarius hæreticis, quã Fontes obruere, & turbare, quos liquidos, & puros eſſe non ſinunt. Immiſti nitidis aquis eos aprorum more conſpurcant. Vnus eorum Athanaſij. ſymbolum Athanaſij, quod moliti iam pridem, & hodie moliuntur corrumpere, quod perſpicui ex eo doctrinæ Christianæ riui deducuntur. Negant ergo eſſe Athanaſij Hæretici per antiphraſim dicti Trinitarij, eorumque Principes, Valentin. Gentilis. Seruetus. Blandr. Valentinus Gentilis, Seruetus, & Blandrata, qui ob egregiam, quam vbique præ ſe ferunt modeſtiam, non Athanaſij, ſed Satanaſij ſymbolum dicunt, arguta, & ingenio eorum digna agnominatione. Caluini. Caluini etiam in illud inuerecunda eſt vox: non aliam inquit *authoritatem habet, niſi nugas Sacerdotum ex Canonicis horis depromptas.* Quas tricas & gerras putat Caluinus, homo in profanis ſerius, & grauis, in ſacris leuis, & ridiculus. Schiſmatici Græci minus audent, ſed non minus deſipiunt. Minus audent, quod non audent inficiari authorem, quem admittunt eſſe Athanaſium; ſed non minus deſipiunt, quod aiunt, *eum cum illud compoſuit ebrium fuiſſe*, ita Gennad. referente Gennadio Scholario in defenſione 1. Capitis Concilij Florentini ſect. 5. Impudentiſſimè certè Schiſmatici, nec niſi in crapula, vel ſomno poſt crapulam. Vtinam ij in eam, ſi eiuſmodi fuit, ebrietatem inciderent, ebrios eos quam ſuo more ſobrios eſſe mallemus. Verùm non eſt opus has ineptias refutare. Alij eorum ſimiles ſatis refellunt. Lutherani verum, & germanum Athanaſij fœtum eſſe concedunt. In confeſſione Vvitembergenſi. *Credimus,* aiunt, *tres eſſe per ſe ſubſiſtentes proprietates, ſiue perſonas, ſicut docet Prophetica, & Apoſtolica Scriptura, & explicant omnia Symbola, Apoſtolicum, Nicenum, & Athanaſianum.* Lutherani in confeſs. Vvitemberg. Clariùs Hugoniſtici à Caluino deficientes in ſua confeſſione: *Admittimus*, inquiunt, *tria Symbola videlicet Apoſtolorum, Nicenum, & Athanaſij, quia cum verbo Dei cohærent, atque conſentiunt.* Hugon. Feuardentius id noſter narrat. Feuard. Ioannes item Vvolebius in Academia Baſileenſi Profeſſor in ſuo compendio Vvoleb. quod appellat Theologia lib. 1. cap. 1. Can. III. Athanaſio Symbolum aſſignat. Qui etiam illud attribuit Valentinus Gentilis authore Lindano in Chriſtomachia in Catalogo Sacrament. Licet *Sophiſticum* illud idem ſymbolum appellet. Magna ad eos conuincendos ſuorum gregalium authoritas eſt. Videamus tamen, quibus rationibus adducti negent, aut negare poſſint Athanaſij eſſe.

Prima. Nimis tempeſtiuum, atque adeo importunum hoc ſymbolum videri. Acerbas adhuc eſſe, & crudas illas, quas tradit definitiones: præcoces illos eſſe fructus pro noua, & minimè adulta Eccleſia. Idque apparere ex Diuinitate ſpiritus ſancti tanta perſpicuitate ante Pneumatomachos aſſerta, & eiuſdem proceſſione à Filio, incognita adhuc non modo veritate, ſed ne quæſtione quidem excitata.

Secunda. Multa ibi certa, & indubitata poni, quæ aut ſunt incerta, & dubia, aut multis grauibuſque Patribus ambigua viſa, & de quibus multis poſtea ſæculis dubitatum, cuiuſmodi Chriſti ad inferos deſcenſus, & in proprijs corporibus reſurrectio: quæ tamen ibi tam

per-

perspicuè affirmantur, vt non potuerint de ijs Catholici homines, qui recitabant Symbolum, ambigere.

Tertia in eo Symbolo tam apertè proponuntur articuli fidei aduersus hæreses excogitatas post tempora Athanasij, vt composito factum esse ad eas refellendas videatur, ac proinde ab aliquo post Athanasium. Nam illa pars: *Ex anima rationali, & humana carne subsistens*, iugulat hæresim Apollinaris: illud. *Non duo tamen, sed vnus est Christus*. Et rursum; *Ita Deus, & homo vnus est Christus*, euertit errorem Nestorij. Aliæ duæ particulæ. *Vnus autem non conuersione Diuinitatis in Carnem, & vnus omnino non confusione substantiæ, sed Vnitate Personæ*. Eutychen, & Monophysitas refutant. Iam vero, quæ pars ad spiritum sanctum pertinet: tum illa. *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vna est Diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas*, tum illa: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Macedonium dedita opera refellunt. Vt certè is non potuerit esse author Symboli, quin eas hæreses prius nosset, et exploratas haberet. Qui Athanasius esse non potuit.

Apollin.

Nestorij.

Eutych.

Maced.

Quarta. In eo Symbolo sunt, quæ rectæ, et sanæ fidei contradicunt, ac proinde sunt ab Athanasij Symbolo aliena. Primum esto. *Omnipotens Pater: Omnipotens Filius: Omnipotens Spiritus Sanctus. Et tamen non tres Omnipotentes, sed vnus Omnipotens*. Quod est contra Concilium sub Innocentio III. et refertur cap. *Firmiter* de summa Trinitate, vbi sic. *Pater Generans, Filius nascens, Spiritus Sanctus procedens: consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni*. Affirmat plures *Omnipotentes, & Aeternos*: quod negarat Author Symboli. Accedit huic Concilio Hilarius, qui 2. lib. de Trinit. Patrem, et Filium vocat *Spiritus sancti Authores*, qui si *authores* numero multitudinis, à fortiori, vt aiunt, *Omnipotentes*, dici possunt, ac debent. Alterum sit. *Sicut Anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus, & homo vnus est Christus*. In quo inest quiddam durum, et suspectum: non enim Anima rationalis, et caro est homo: sed Humanitas, caret enim subsistentia, quam homo exigit, et Humanitas excludit. Præterea *Humanitas* non constituit hominem, sicut Homo, et Deus constituunt Christum: nec ista constitutio Christi fit ex Deo, et Homine, sed ex Diuinitate, et Humanitate vnitis media subsistentia verbi ad quam immediatè facta est vnio hypostatica. Vnde illa particula: *Assumptione humanitatis in Deum*, non videtur apta, cum ad *Personam Verbi*, assumpta Humanitas fuerit.

Symbol. Athanas.

Concil. sub Innocent. III.

Hilarius.

Quinta. Non constat vbi, et quando illud symbolum Athanasius fecerit: sunt enim qui Romæ; sunt qui Treueris in Puteo compositum dicant; ex quo sequitur incertum esse tempus compositionis. Plures Romæ in dunt: verum Genebrardus lib. 3. de Trinit. producto testimonio veteris codicis manuscripti Germanensi apud Lutetiam Parisiorum de Synodis; Treuiris editum à latitante in puteo propter persecutionem Arianorũ, et Constantii Athanasio affirmat. Idem tradit Nauclerus in Chronico ætate 9. Hæc igitur varietas de loco et tẽpore cogit de authore ambigere. Hæ sunt Hæreticorum coniecturæ.

Genebr.

Ad primam respondetur non esse intempestiuum, sed opportunum, quod est verum, nec enim pendet à tempore, quod est æternum, et à Deo profectum, qui illud, quibus vult reuelat, et sane, quicquid est in Symbolo, in Patrum monumentis inuenitur, et Athana-

sius

Athanaſ. ſius ipſe in alijs à Symbolo ſcriptis docuerat, ſicuti reſpondendo ad ſingula argumenta dicemus. Et quidem hæc, quam tangit argumentum de Spiritus Sancti Diuinitate veritas non eſt immatura, et præcox, cum eam multi ante Athanaſium Patres docuerint, quos 1. p. quæſtionis cap. 3. §. 2 adduximus, inter quos ſunt S. Martialis. S. Ignatius. S. Dionyſius. Clemens Romanus. Alexander Primus. Præterea ſcriptura Sacra, omnibus eſt antiquior Patribus: in ea autem earum, quas aduerſarij vocant præcoces, multæ reperiuntur.

S. Mart. S. Ignat. S. Dion. Clem. R. Alex. I.

Secundum facile diluitur: negando in Symbolo ambigua, et dubia contineri, ſi de Patribus, et Doctoribus Fidelibus ſit ſermo, cum ea nos ab ijs Sacras nobis Scripturas tradentibus, et exponentibus accepimus. Quod autem adducitur, de Chriſti ad inferos deſcenſu, traditur is expreſsè in Symbolo Apoſtolorum: *Deſcendit ad Inferos*: quamquam eum articulum Niceni, et Cōſtantinopolitani Patres ſuis ſymbolis minimè inſerere voluerunt. Aduerſarij cum hæreticis, et ex hæreticis argumentantur, qui Deſcenſum Chriſti ad inferos negant: cuiuſmodi ſunt Zuinglius, et Caluinus. Reſurrectio Generalis in propriis, ac veris corporibus Catholica veritas eſt: negarunt pauci, apud Græcos quorum vnus erat Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, quem S. Gregorius Magnus conuicit, et ad vitam veritatis reduxit. Itaque falſum aſſumit aduerſariorum argumentum.

In Symbolo Apoſtolorum PP. Niceni, & Conſtan. Concil.

Zuingl. Caluin.

Eutych. S. Greg. Magnus.

Tertium in reſponſione ad primum ſoluere iam cæpimus. Nunc omnino ad ſingula reſpondendo obiecta ſoluemus. Ac primum Diuina fit prouidentia, vt Sanctorum Patrum corda moueantur ad eiuſmodi ſtatuenda myſteria, quæ futuris poſt eos temporibus impugnatum iri ab hæreticis nouit. Non eſt igitur mirum, quod id egerit in Athanaſio viro ſanctiſſimo, et doctrina eximio. Præterea nō ab Athanaſio ſolum, ſed etiam à multis ante eum Patribus ijdem ſunt confutati errores, vt apparet ex ijs, quæ ſuperius aduerſus eos ſcripſimus. Quid ergo mirum ſi quæ Athanaſius per multos libros ſparſa iam antea habebat in vnum collegit, et collecta in ſymbolum incluſit? Id tantum reſtat probandum. Eas propoſitiones, quæ in ſymbolo ſunt, contra illos hæreticos prolatæ, fuiſſe in ſcriptis ante illud editum, ab Athanaſio traditas. Quod apparebit ſingulas percurrendo, et producendo. Ac imprimis obſeruo Appollinarem antiquiorem fuiſſe Athanaſio, atque adeo hic argumentum deficere. Cæterum illius propria hæreſis fuit negare Chriſto animam Rationalem. Ea vero refutatur ab Athanaſio affirmante Animam, tum lib. de Incarnatione Chriſti, tum Epiſtola ad Epictetum. Secunda Neſtorij ponentis in Chriſto duas perſonas: refellitur ab Athanaſio in tract. de Chriſti natiuitate. Et in Expoſitione Fidei, quæ teſtimonia citantur in Concilio Hiſpalenſi 2. tom. 2. Concil. p. 2. Tertia Eutychetis, & Monophyſitarum præterquam quòd in Apollinari ſatis fuit ab Athanaſio confutata, propriè ex ipſius doctrina refellitur in Epiſtola ad Epictetum, & in libro contra eos, qui negant duas in Chriſto eſſe naturas: cuius fragmentum refert Euthymius 2. parte Panopliæ, qui obſeruat etiam ſi ille error fuerit in Eutychete Athanaſio recentior, aliquē tamen ante ipſum ſemina illius ieciſſe, ac ijs forte Appollinaris Sectatores fuerunt. Præterea in duobus, quos proximè ex Hiſpalenſi Concilio adduximus locis, conſtat eum ibi hæreſim Eutychetis euertiſſe. Quarta Macedonij,

Athanaſ.

Neſtor. Athanaſ.

Eutych.

Euthym.

Concil. Hiſpal.

nij, & Pneumatomachorum perspicuè ab Athanasio multis est in libris refutata, quemadmodum apparet in nostra ea de re proxima disputatione cap. 3. ij sunt Epistolæ 3. ad Serapionem: Oratio contra gregales Sabellij, & lib. de comm. essent. Patris, & Filij; & spiritus sancti, & vtraque Disputatio contra Arium, & lib. de humana natura suscepta, & Dialog. 1. & 2. de sancta Trinit. contra Anom. & lib. 7. de vnica substantia Trinit. adeo vt ex professo contra eam hæresim scripsisse videatur. Quoad aliam vero partem spectantem ad errorem Græcorum negãtium spiritum sanctum à Filio quoque procedere, explodi eum, & impugnari ab Athanasio illam ex Filio processionem affirmante satis nos supra ostendimus controuersiæ par. 2. cap. 3. & monstrauimus in Concilio Florentino pro Catholica fuisse sententia citatum, nec oportet locos omnes repetere. Do nonnullos cursim. orat. 4. contr. Arian. orat. de Concil. Niceeno in tract. refutat. Meletij Epist. ad Serapion. serm. de Incarnat. Verbi. Illud animaduerto. Hoc exemplum de Macedoniana Hæresi ineptum esse, nam Macedonius eam viuente Athanasio inuexit, imo is contra Macedonium scripsit Dialogum. Vnde potuit in Symbolo Diuinitatem, & consubstantialitatem spiritus sancti aduersus eumdem tradere: ac si ille author fuit alterius hæreseos negantis processionem à Filio, quod non putamus improbabile, mirum non est, Athanasium tam eam perspicuè refutasse. Vtcumque sit, præcepit sua sapientia hanc doctrinam Athanasius, nec opus erat expectare hæresim ad eam tradendam: alioqui nulla esset hæresis de nouo inuecta testimonijs antiquorum Patrum confutanda.

Athanas. Concil. Florent. Malesij. Macedon

Ad quartum respondemus negando vllum ex ijs, quos fingit errorem esse. Nam quod ait Athanasius. *Non tamen tres Omnipotentes. Non tres æterni, non tres Immensi, sed vnus æternus, & vnus immensus.* Rectè ac ex optima doctrina, & Theologia dictum est. Nam vti docet D. Thomas 1. par. quæst. 36. art. 4. & qu. 39. art. 3. Duo sunt modi affirmandi prædicata de subiecto, primus substantiuè, secundus adiectiuè, quos item communiter tradunt Thomistæ, & cæteri Theologi. Substantiuè affirmatur res ad modum substantiæ secundum formam significatam per nomen, quæ si est vna, licet subiecta siue supposita sint plura, singulariter prædicatur, quemadmodum natura diuina, quod vna, & simplex est Tres personæ Pater, & Filius, & spiritus Sanctus vnus Deus dicuntur, & sunt. Adiectiuè autem res per modum accidentis, & adiacentis subiecto, & pluraliter, prædicatur, quando subiecta sunt plura. Vnde ait S. Thomas citatus art. 3. in corpore qu. 39. *In Deo quæ significant essentiam adiectiuè prædicantur pluraliter de tribus propter pluralitatem suppositorum, dicimus enim tres existentes, vel tres sapientes, aut tres æternos, & increatos, & immensos, si adiectiuè sumantur.* Hinc soluitur facile argumentum, & exemplum: cum S. Athanasius locutus sit substantiuè, sumpta in eo sensu Omnipotentia, & cæteris attributis docente ipsomet D. Thoma in eodem loco. *Si vero*, inquit, *substantiuè sumatur, dicimus vnum increatum, immensum, & æternum, vt Athanasius dicit.* Itaque non ego, sed D. Thomas Athanasium tuetur. Et quidem modus loquendi Athanasij purior est, & certior, quam alius allatus ex Concilio, qui etiam in alio sensu adiectiuo sustineri potest, ac debet. Vtrouis enim loqui potest idoneus quisque Theologus, idque breuiter monstro. Modum Athanasij sub-

Athanas. D. Thom D. Thom Athanas. D. Thom

ſubſtantiuè loquendo, ſine multiplicatione formarum tenuit S. Ignatius Epiſt. ad Philadelphienſes, vbi negat dicendos *eſſe tres Increatos*, & S. Auguſtinus lib. 11. de Ciuitate cap. 24. *Non tres*, inquit, *Omnipotentes, ſed vnus Omnipotens*, & Gregorius Bæticus lib. de Trinit. *Non duo*, ait, Omnipotentes, *ſed vnus Omnipotens*, & Beda in cap. 8. Ioan. ad illud: *Ego principium qui, & loquor vobis. Non tria principia, non tres Omnipotentes*. Quem modum loquendi de Patre, & Filio reſpectu Spiritus ſancti in ratione Principij, docet Concil. Lugdunenſe ſub Gregorio X. cap. Vnico, de ſumm. Trinit. vbi damnat ponentes. *Duo Principia*, & abſolutè probat hanc formulam ſubſtantiuam, ſine multiplicatione Boetius in lib. de Trinitate: eſt quippe magis conformis vnitati naturæ Diuinæ, quæ cum omnino vna, & ſimplex ſit amat vnitatem, & ſimplicitatem nominum, quæ relatiua non ſunt, quemadmodum obſeruant S. Thom. in 1. diſtinct. 9. qu. 1. art. 2. & Bonauent. ibid. diſt. 9. dub. litteral. 2. & Scotus diſt. 12. qu. 1. §. *Iuxta quæſtionem*. Dum negant Patrem, & Filium eſſe duos ſpiratores.

S. Ignat.
Auguſt.
Gregor. Bæticus.
Beda.
Concil. Lugdun.
Boetius.
D Thom. Bonau. Scotus.

Verum tamen eſt illam rationem loquendi adiectiuè multiplicando prædicata vſurpari ab alijs Patribus. Hoc enim ſenſu Hilarius lib. 2. de Trinit. Patrem, & Filium dicit *authores Spiritus Sancti*, & Hugo Aetherianus lib. 3. contra Græcos lib. 3. appellat Patrem, & Filium *donatores Spiritus Sancti*, & Gregorius Magnus lib. 30. moral. cap. 5. Patrem, & Filium *Proferentes* vocat. Et in Concilio Florentino ſeſſ. 25. Epiſcopus Mitylenenſis §. *Ab* ineunte affirmat Patrem, & Filium eſſe *Spirantes*. Quare non iniuria Richardus problematicè vtrumque modum proponit, & defendit in 1. diſt. 11. art. vn. qu. 5. Ex quo apparet parum intereſſe, vtro quis vtatur, modò ſano, & idoneo ſenſu vtatur. Imo & ipſemet Athanaſius, qui ſimpliciter dixit. *Vnus increatus, vnus Immenſus, vnus Omnipotens*, & negat aliter dici: quia in ſenſu ſubſtantiuo loquebatur, quo cei tè non licet multiplicitas, alibi vſurpauit alium modũ dicendi more adiectiuo. Nam in quæſtionibus de natura Dei quæſt. 13. vocat Perſonas Diuinas. *Tres principij expertes, & aborigines*. Quo etiam modo locutus Epiphanius in Ancorato dum dicit. *Tria ſancta. Tria conformia. Tria operantia*. Itaque hac ex parte ruit illud argumentum: cum tam procul ſit ab errore illa formula dicendi Athanaſij, vt magis ad veritatem accedat.

Hilarius
Hugo Aetherianus
Gregor. Magnus
Conc. Fl.
Epiſcopo Mytil.
Richard.
Athanaſ.
Epiphan.

Leuiora ſunt illa, quæ obijciuntur de Homine, & Humanitate, atque adeo breuiter expedienda. Illa phraſis: *Anima rationalis, & caro vnus eſt homo*, quæ affertur gratia exempli, conſtat bene, nam non excludit vnionem inter eas partes qua homo fit, imo ſupponit illam, & ſubſiſtentiam: vt ſenſus ſit, quemadmodum ex vtroque corpore, & anima vnitis, ſubſiſtens fit homo in vna natura humana, ita ex Diuina natura ſubſiſtente in Verbo, & natura humana vnita Verbo fit Deus, & homo ratione naturæ duplicis, & Perſonæ ſimplicis, & hoc ſignificare voluit Athanaſius, non quod argumentum futili ſubtilitate intendit. Et ſanè Patres ſæpè dicunt Verbum aſſumpſiſſe hominem ſumendo hominem pro humanitate, vti ſupra diximus. Itaque ſicut ponunt hominem pro natura humana aſſũpta à Verbo, ita & ſumunt humanam naturam extra verbum pro homine, vti apparet in exemplo Athanaſij, qui cum dixit Animam, & Carnem eſſe hominem non intellexit de Anima, & corpore ſeparatis, ſed vnitis inter ſe, & ex compara-

Athanaſ.

tione apparet, nam Deus, & Homo non fit ſine vnione hypoſtatica, ſed illa mediante, ac proinde vt ſimilitudo conſtaret, debebat ſumi humanitas non in abſtracto ſine vnione, & ſubſiſtentia; ſed cum vtraque, ex qua reſultat concretum homo, quod erat exemplum alterius compoſiti ex duplici natura, & vna perſona. Iam vero quod ait de aſſumpta humanitate in Deum, ineptum eſt, cum Verbum ſit Deus, atque adeo quod à Verbo aſſumitur aſſumatur à Deo: non eſt igitur ſenſus naturam humanam fuiſſe immediatè aſſumptam à Deo, prout eſt Diuinitas, aut ſubſiſtens aliqua communi ſubſiſtentia pro tribus perſonis, ſed fuiſſe vnitam Perſonæ verbi immediatè, qui eſt Deus, ac proinde bene dicitur natura humana aſſumpta à Deo, nec vlla eſt in argumento difficultas.

Quarta obiectio inepta eſt: nec enim quod non conſtet de loco, & tempore vbi & quando compoſitum eſt Symbolum, idcirco de illo eſt ambigendum. Alioqui res certiſſimas in dubium vocabimus, quod & tempus, & locum earum ignoramus. Nam vnde, & quando Magi ſint ad Christum adorandum profecti incertum eſt, nec tamen de illorum aduentu quiſquam poſsit ambigere? De Euangelio, & Apocalypſi Ioannis conſtat ab eo eſſe ſcripta, quo anno, & loco ſcripta ſint, authores ambigunt. Idem de Matthæi Euangelio, & multis Pauli, & aliorum Canonicis Epiſtolis dubium incidit, nec tamen ideo earum authoritas vocatur in dubium. Siue igitur Romæ, ſiue Treueris, ſiue antea, ſiue poſtea, Symbolum ſit ab Athanaſio compoſitum, ad locum & tempus quicquam, nihil tamen ad authorem intereſt, qui cum vtroque in loco diuerſis temporibus fuerit, illud potuit componere, niſi forte nullus eſt Homerus, quia non conſtat in qua ciuitate natus ſit. Ego inde probarem fuiſse Homerum, quod tot de eo vrbes contenderint; argumentum eſt quippe fuiſse, quē tot vrbes ſuum eſſe volebant. Igitur & quod Roma, & Treuiri vnaquęque ſibi vendicat Symbolum Athanaſij, eo probatur ab eo compoſitum fuiſse, quandoquidem vtraque vrbs de eo ſibi vindicando contendit. Vter locus & symbolo aſsignādus paulo poſt dicemus.

[Euangel. Ioann. & Apocal.]

[Euangel. Matthæi. Pauli Ep. Canon.]

Nunc ſolutis argumentis veritatem adſtruimus symboli Athanaſij. Editum ab illo fuiſse. Traditio quædam eſt Eccleſiæ Latinæ, quæ illud in Breuiario nomine Athanaſij ponit, & recitat, quo magnam ei authoritatem affert. Eodem vtuntur quædam aliæ Orientales Eccleſiæ Seruiana, Bulgarica, Ruſsica, Moſcouitica, quemadmodum fatentur ipſimet aduerſarij, Symboli hoſtes, qui ſolùm negare ſolent antiquitatem illius, illudque ſuſpectum nouitate faciunt, cum tamen ipſi nouitatis amatores, & authores ſint. Certè harum Eccleſiarum teſtimonia multo plus habent authoritatis, & fidei, quàm hæreticorum, qui multo ijs recentiores ſunt, & priuati homines nullo modo cum Eccleſijs comparandi. Præſertim cum etiam Conſtantinopolitana Eccleſia illud Symbolum nomine Athanaſij vſurparit teſte Baronio, & Spondano ad annum 340. Illud Gregorij Decimi tempore Conſtantinopolim miſſi Apocryſarij ipſiuſmet Gregorij Pontificis coram Græcis palam cum additamento proceſſionis ex Filio recitarunt. In Decreto Papæ Eugenij ad Armenos in Florentino Concilio mentio fit Symboli Athanaſij cum ea expreſsione proceſsionis à Filio. Author idoneus Ioannes Belethius Theologus Pariſienſis ab hinc quingentis fermè annis librum edidit Symbolorum, in quo ſecundo loco ponitur Symbolum Atha-

[Breuiar. Romam.]

[Eccleſia Suriana. Bulgaria. Ruſsica. Moſcou.]

[Eccleſia Conſt. Baronius Spondan]

[In Decr. Eugenii Florent. Concil.]

[Ioannes Beleth.]

Genebr. Athanaſij vti refert Genebrardus, lib. 3. de Trinit. dum ex eo probare vult eamdem ex Filio proceſsionē. Lazar. Bayff. Eodem ſtudio narrat Lazaro Bayffio Franciſci I. Regis Galliæ oratorem apud Venetos allatum fuiſſe libellum de proceſsione Spiritus ſancti, pictum eleganter à Nicolao Sophiano viro valde docto, in quo ex Symbolo Athanaſij, ea veritas à Filio probabatur, quod symbolum illius omnino eſſe ille author affirmabat, & loco Nazianzeni Gregorij à nobis ſuperius adducti confirmabat. Equidem puto eam rationem eſſe cur de Symbolo Athanaſij minus authores perſpicuè ſcripſerint, quòd præcipue intenti erant ab probandam veritatem Proceſſionis ſpiritus ſancti à Filio, & ad id Symboli Athanaſij authoritatem conferebant, vt apparet ex ijs Græcis quos antea citauimus Scriptores, & imprimis Gennadio in Gennad. libro pro defenſione Concilij Florentini cap. 1. Certum eſt illud in Romana Vaticani Bibliotheca, in antiquiſſimo manuſcripto haberi nomine Athanaſij, & in Sfortiana inueniri Græca lingua ſcriptum, Voſſius. quod Voſſius Catholicus interpres Latinitate donauit, ac donatum in lucem emiſit. In Cœnobio Germanenſi Lutetiæ Pariſiorum, codex eſt vetuſtiſſimus de Synodis, in quo dicitur author eius symboli fuiſſe Athanaſius cum Treuiris exularet, & in Puteo latitaret. Quod item ſcri- Naucler. bit Nauclerus in 9. ætate ſuæ Chronologiæ. Simon Conſt. Iam vero ex Græcis Simon Conſtantinopolitanus epiſtol. ad Ioannem Nomophylacem quandam illius Symboli ſententiam recitat, & Athanaſio tribuit: abſque dubio in Symbolo de quo agimus. Quod item agnoſcit, & vindicat, aduerſus contumaces quoſdam, & Gennad. ineptos Græcos Gennadius libro de proceſſione ſpiritus ſancti, eadem illa ex eodem Symbolo adducta ſententia. Idoneum teſtimonium eſto illud Gulielmi Durandi, qui lib. 5. cap. 5. de Diuinis officijs ait: Ex Primaria Eccleſia conſtitutum fieri, vt ad Primam ſymbolum Athanaſianum aliquando cantetur, nempe Dominicis, aliquādo minimè hoc eſt reliquis diebus. Vnde conſtat antiquam illam de Symbolo in Eccleſia traditionē eſſe. Non eſt igitur ambigendum Athanaſium huiuſce Symboli authorem eſſe. An autem illud ſtatim à morte Athanaſij celebrari cęptum, id non admodum conſtare puto. Quamquam coniecturæ ſint pro parte affirmante. Nam Gregorius Nazianzenus Gregor. Nazianz orat. 21. quæ eſt de laudibus Athanaſij teſtatur editam ab eo Fidei confeſſionem fuiſſe, quam totus Oriens, & Occidens veneratur. Quę Confeſsio non alia eſſe videtur, quā Symbolum, & hoc Nazianzeni teſtimonio vtitur pro Symbolo Athanaſij Demetrius Cydon de proceſ- Demetr. ſione ſpiritus ſancti ex Patre, & Filio, apud Arcudium, quod symbolum eodem Confeſſionis nomine appellatur à Simone Conſtantinopolitano eo loco, quem proximè citauimus, ad Ioannem Nomophylacem, & idem Demetrius Cydon. Præterea S. Auguſtinus ſententias Auguſt. quaſdam affert ijſdem fermè verbis quibus conceptæ ſunt in Athanaſij Symbolo conſtantes. In libro quippe 5. de Trinit. cap. 8. ſic ait. *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens ſpiritus ſanctus, & tamen non tres: ſed vnus, Omnipotens.* Et in Enchirid. cap. 36. *Quemadmodum quilibet homo eſt vna Perſona veluti anima rationalis, & caro; ita & Chriſtus eſt vna Perſona Deus, & Homo.* Aliæ reperiuntur modice deflexæ Epiſt. 174. ad Paſcentium Genebr. Comitem Arianum. In Concilio Toletano IV. celebrato Aera 681. Anno Chriſti 633. Honorio I. Pontifice, ſic illi Patres agunt. *Patrem à nul-*

à nullo factum, vel genitum Filium à Patre non factum, sed genitum asserimus, Spiritum verò Sanctum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre, & Filio profitemur. Sanè sunt Athanasij. Alia citatur à Genebrardo, in eo tract. de Symbolo; quam eam esse dicit. *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, & tamen non tres Dij, sed vnus est Deus.* Quod etiam affirmat Pater Vasquez: sed eam ego in ea Epistola in qua esse dicunt, idest 17. ad Pascentium non reperi, cum plures editiones consuluissem.

Addit P. Vasquez 2. tomo in 1. par. S. Thomæ Disput. 146. cap. 5. num. 23. *Sanctum Augustinum in Psalmum* 120. *nomine Athanasij integrum versum huius Symboli recitare.* Loci illius pro mea de Augustino lectione non recordari me puduit: qui mihi nouus videbatur. Cedebam tamen, & credebam citanti Vasquio, quem eruditum, & diligentem authorem scio, ac penè eius Fide citabam. Videre tamen ac recognoscere locum volui; cumque attentè commentarijs in eum Psalmum Augustini legissem locũ, quem citat Vasquius, in eo tomo super Psalmos non inueni: miratus cõsului alios scriptores, ac inter eos Seuerinũ Binium in notis ad Conc. virum certè doctũ, & accuratum: reperi apud eum locum Augustini citatum, quem Vasquius indicabat, & quidem certius, & expressius; aiebat quippe eam ab Augustino scriptam sententiam in eum versum Psalmi 120. incidisse, qui huiusmodi est: *Per diem sol non vret te, neque Luna per noctem.* Spes oborta est inueniendi locum, tam perspicuè positum, nec iam de fide Vasquij, sed de mea in legendo, vel iniuria, vel incogitantia querebar; sed cum tertiò, (bis enim anteà legeram) eiusdem Psalmi commentarios summa cum attentione legissem, nihil omnino reperi. quæ res mihi admiratione fuit. Itaque nec versus, nec nomen Athanasij in Augustino est: nisi fortè alia est editio in qua sit: mea certi est antiqua, & probata ante Basileensem, & Parisiensem recognitam à Louaniensibus, & Louaniensem. Tam sum tamen authorũ imprimis illorum, Fidei amans, vt non quieuerim, antequam inuestigarem, an alibi Augustinus illud dixisset. Cumque occurrisset locus Epistolę Sancti Ioannis I. vbi Augustinus illum versic. Psal. 120. *Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem*, adducit, & exponit, eò conuolaui, sed ne ibi quidem illud inueni. Quare necesse fuit alias editiones consulere illa mea recentiores. Profeci consilio. Nam in ijs reperi locum adductum à Vasquio, & Binio, sed videbatur ex aliquo exemplari nouo assumptus, erat quippe signatus hac nota (⌐), quasi additus veteri editioni, qua vtebar. *De ipso dicunt impij. Et Sol non ortus est nobis.* (*De hoc Sole Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus locutus est: Filius*, inquit, *Dei à Patre solo est non factus, nec creatus, sed genitus.*)

Hæc nota indicat additamentum illud esse, ex aliquo exemplari post illa prisca reperto adiectum; quod puto Genebrardum de eo Symbolo accuratè tractantem latuisse. Vnde venerit, & an sit idoneum? haud constat. Mihi certè suspicionem mouit, ex eo, quod in ea sententia Athanasius, *Pater* dicitur, quo nomine Augustinus non solet, quos citat Sanctos appellare. Nusquam enim apud eum inuenies aliquem ex ijs (citat autem plures, ac sæpius) eo nomine *Patris* citatum. Vtcunq; sit Symbolum Athanasij opus esto, quod alia mihi argumenta persuadent, & præcipuè antiqua Ecclesię traditio, cui prorsus adhærendum. Hoc Symbolum statuunt, & assignant

Vasq. D. Thom

Seuerin. Binius

Augustin

Genebr.

Serarius. gnant Athanasio Serarius, & apud eum Petrus Clenchetus, quem citat Cardinalis Baronius anno 34. nu. 14. nec enim eos mihi videre contigit. Baronius rem ibi eruditè probat. Sequitur Spondanus, & Bisciola, Seuerinus Binius confirmat, Vasquez antea citatus vindicat, & Bellarminus, & Montoya. Ego vnũ ex Græcis adducam: est Demetrius Cydon Constantinopolitanus libro de processione spiritus sancti cap. 6. vbi sic. *Athanasius in Confessione Fidei ad Iulium Papam, cuius etiam Gregorius Theologus in Encomiastica oratione mentionem facit inquiens. Audet fiducia accepta veritatem in scriptis fateri vnam trium esse substantiam, ait, Dominus noster Iesus Christus Dei Filius Deus, & homo est. Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, & homo est ex substantia matris in sæculo natus.* In quo testimonio illud est animaduersione dignum, quod locum Nazianzeni de quo quis posset, haud iniuria ambigere, is author de Symbolo Athanasij intelligit. Itaque non ille solum sua, sed etiam Gregorij Theologi authoritate Athanasij esse confirmat.

Petrus Clench. Baronius Spondan. Seuerinus. Vasquez. Bellar. & Montoya Demetr. Nazianz.

Quod locum attinet in quo ab Athanasio scriptum symbolum illud fuerit, non multum de eo curandum existimo: cum de re constet; siue igitur Romæ, siue Treueris scripserit, ad locum aliquantum, ad veritatem Symboli nihil interest. Malo tamen cum Baronio Romæ, quam Treuiris assignare, cum optimæ illæ pro Roma Baronij coniecturæ sint: quas apud eum Lectori consulendas relinquo: quanquam ea quibus vtitur improbando Treuiros mihi, vt verum fatear, frigidæ videantur. Ego illa tantum vtar, quod non putem in Puteo occasionem scribendi fuisse, & illa ipsa mentio Putei suspicionem affectationis inducit. Cur autem eum Papæ Iulij tempore, ac coram eo, & Romana Ecclesia editum, & recitatum ab Athanasio fuerit nullum tamen illius exemplum in lucem, tunc prodierit, causa latet, quamquam si verum illud est, quod ait Gregorius Theologus eius confessionem ab Oriente, & Occidente celebratam, certum est illud iam fuisse per vniuersam Ecclesiam disseminatum, idque ex locis ab Augustino adductis confirmatur, cum ad Africam peruenisset. Sed vtcumque sit, qui serio secum expendat, quot, & quanta Patrum opera tandiu latuerint, & perierint, ijs temporibus, quando manuscripta solummodo extabant, non miretur illam etiam Confessionem iniuria temporum intercidisse, quanquam intercidisse dici non posit, quæ in Archiuis inclusa Romanis, tandiu fecit custodita, donec tamdem tempore opportuno apparuit.

Baronius

Comperto Symbolum Athanasij esse, constat in eo illum versum reperiri. *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Omnia quippe manuscripta exemplaria, quæ supra commemorauimus, sic habent. Idoneum à Græco, & graui authore testimonium accipiamus. Is est Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus dictus Scholarius lib. defens. quinque capitum Concilij Florentini. Ergo in defensione primi de processione spiritus sancti à Filio sect. 6. sic ait. *Accedat igitur veritatis Præco, & Confessor magnus, & celebris Athanasius, vt mecum eadem testificetur. Hic enim in Confessione suæ Fidei, cuius principium. Quicumque vult saluus esse ante omnia opus est, vt teneat Catholicam Fidem, sic inquit: Spiritus Sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Doctor hic etiam dicit à Patre, & Filio Spiritum Sanctum esse non factum, nec creatum, nec genitum. Sed procedentem.* Et pau-

Gennad.

paulo post. *O tuam patientiam Christe Rex? quomodo blasphemantium ora non comburuntur. Athanasium dicere non verentur Ebrium fuisse, & vino oppletum, quando hæc scripsit. Verè plenus erat spiritalis poculi sapientiæ, & gratiæ ex Spiritus Sancti fonte scaturientis, non vt hi miserabiles dicunt. Propitius sit illis Dominus, ac nobis. Tollatur ab eis hæc impudentia, nobisque contingat sub Athanasij pedibus consistere.* Ex hoc testimonio prorsus constat apud Græcos indubitatum esse symbolum Athanasij hanc doctrinam continere: quã quia ferre non possunt Schismatici ebrietati asignant, non negant tamen Athanasij esse, sed ebrij, & ructantis affirmant esse. Nobis id satis est, si ab ijs, vel ebrijs hanc confessionem excipiamus. Satis eos ex Gennadio refellimus.



SCHO-

SCHOLA V.

DE PRINCIPIO SPIRITVS SANCTI ET DISTINCTIONE HVIVS A FILIO

CAPVT PRIMVM.

Vtrum & quatenus Ratio Amoris mutui conducat ad probandum Spiritum Sanctum à Filio procedere?

NEMINI dubium est quin si ad constitutionem Personæ Spiritus Sancti mutuus Amor Patris, & Filij requiritur: necessariò à Filio Spiritus Sanctus procedat. Videamus ergo. An Spiritui sancto ratione Processionis suæ ista proprietas ita conueniat, vt quarto modo, & veluti characteristica, vt aiunt, sit. Si enim ille ita procedit Amor, vt non sit nisi duorum mutuus, & nexus amborum, sequitur contra Græcos, non posse non ex Patre Filioque procedere. Vnde non satis erit ad illius constitutionem solus Pater, cum is non sit satis ad rationem mutuì Amoris: qui non nisi inter duos, exerceri potest. Quo argumento maximè Græci conuincentur.

Igitur statuendum Spiritum sanctum formaliter, ac ex vi suæ Processionis esse Amorem mutuum, & nexum Patris, & Filij. Id verò primum ex doctrina Patrum: deinde ex ratione Theologica deducemus. Primus est Hieronymus in Psalm. 17. initio ad illud. *Diligam te Domine. Spiritus*, inquit, *Sanctus nec Pater est, nec Filius: sed dilectio quam habet Filius in Patre, & Pater in Filio. Vnde Paulus dixit.* Roman. 5. *quia Charitas Dei diffusa est in Cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Quem locum addit Hieronymus vt significet quã sit proprium Spiritus sancti vnire plures inter se amore, adeo vt etiam Creaturas cum Deo, & inter se nectat amando, & copulet. Hieron. Ambrosius in symb. Apostol. c. 1. *Vnus*, inquit, *est diligens eum qui ab ipso est vnus est dilectus ab eo qui ab ipso est* (ille est Pater, hic Filius) *vna est dilectio vtriusque Spiritus Sanctus.* Ambros. Prosper in lib. sentent. sent. 371. *Spiritus* inquit, *Sanctus, spiritus est Patris, & Filij, tamquam Charitas substantialis, & consubstantialis amborum.* Prosper Fulgentius quæst. 4. ad Ferrandum. Fulgent.

 Dua-

duabus id Augustini sententijs, quas infra adducemus confirmat: & adijcit. *Illa vnitas Spiritus Sancti, quæ est communio Patris, & Filij.* Isidorus lib. 7. Etymolog. cap. 3. *Spiritus Sanctus inde propriè Charitas nuncupatur, vel quia naturaliter eos à quibus procedit, coniungit, & se vnum cum eis esse ostendit, vel quia in nobis id agit, vt in Deo maneamus, & ipse in nobis.* Et iterum. *Sicut vnicum Dei verbum propriè vocamus nomine Sapientiæ, cum sit vniuersaliter, & Spiritus Sanctus, & Pater sapientia, ita Spiritus Sanctus propriè vocatur nomine Charitatis, cum sit Pater, & Filius vniuersaliter Charitas.* Anselmus in Monologio c. 48. & 49. *A Patre pariter & Filio summi Spiritus Amor procedit. Amat se Pater, amat se Filius, & alter alterum.* Et rursum. *Quanquam omnino idipsum est quod amat, vel amatur in Patre, & quod in Filio necesse est vt pari amore vterque diligat se, & alterum:* & vrget tribus sequentibus capitibus. Bernard. serm. 8. in Cant. de Spiritu Sancto sic: *vtpotè qui Patris, & Filij imperturbabilis Pax sit, gluten firmum, indiuiduus amor, indiuisibilis vnitas.* Et ibid. eum vocat. *Osculum Patris ad Filium.* Et serm. 3. de Pentecost. *Spiritus Sanctus quasi specialiter spiritus dicitur, quod ab vtroque procedat firmissimum, & indissolubile vinculum Trinitatis.* Apud eundem lib. de Amore Dei c. 7. & 8. vocatur Spiritus Sanctus: *Amor Patris ad Filium, & Filij ad Patrem: & tantus est,* inquit, *Amor vt sit vnitas.* Guitmundus Archiepiscopus Auersanus in Confess. de SS. Trinitate tom. 6. Biblioth. col. 2. *Constat,* ait, *quia à Patre procedit Amor in Filium, & à Filio procedit ad Patrem suum. Iste amor est Spiritus Sanctus qui ab vtroque procedit, & semper in vtroque manet.* Accedit Concil. Toletan. XI. in Confess. Fidei vbi Patres sic. *Neque Patris tantùm, neque Filij tantùm, sed simul Patris, & Filij Spiritus dicitur.* Et infra. *Simul ab vtrisque processisse monstratur, quia Charitas, siue Sanctitas amborum agnoscitur.* Hæc ratione vtitur Author libri de cognit. veræ vitæ inter opera Augustini tomo 9. vbi ex mutuo Amore Patris, & Filij deducit ex vtroque procedere Spiritum Sanctum. Ipse verò Augustinus inter omnes Patres Latinos (nam Græci hac de re pauca dixere) hanc maximè, & sæpissimè tradit sententiam, lib. 5. de Trinitate cap. 17. & 19. & rursum c. 27. & 28. & lib. de Fid. & Symb. cap. 9. & tract. 105. in Ioan. & lib. 15. de Trinit. cap. 7. & 17. lib. 6. de Trinit. cap. 5. initio: *Siue sit vnitas amborum, ait, siue sanctitas, siue charitas, siue ideo vnitas, quia charitas, & ideo charitas, quia sanctitas; manifestum est, quod non aliquis duorum est, quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligitur, generatoremque suum diligat, sintque non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alicuius, sed suo proprio seruantes vnitatem spiritus in vinculo pacis; vnde concludit: Spiritus ergo Sanctus commune aliquid est Patris, & Filij, quidquid illud est.* Hanc ex eo præter Prosperum, Fulgentium, Isidorum, Anselmum, & Bernardum accepere insignes illius discipuli Richardus, & Hugo vterque à S. Victore. Ille quippe frequentissimè Spiritum Sanctum mutuum statuit Patris, & Filij Amorem. Et præcipuè lib. 3. de Trinit. cap. 3. 7. & 11. vbi multis demonstrat, & docet perfectum Amorem in nexu, & colligatione duorum consistere: eumque suauem imprimis esse, ac iucundum. Et cap. 16. ait Perfectionem, & Plenitudinem sapientiæ in vna esse posse persona: non posse plenitudinem, & perfectionem amoris. Vnde cum Spiritus Sanctus sit diuinus, atque adeo perfectus Amor, necessario

Marginalia: Isidor. — Anselm. — Bernard. — Guitmun. — Con. Tolet. XI. — Auth. lib. de cogn. ver. vit. — Augustin. — Richard. à S. Vict. — Hugo

sario ex vtriusque amore processu-
HugoVictor. rum. Hic autem, idest Hugo in epist. ad Bernardum manifestè ostē-
dit, *Spiritum Sanctum mutuum, & reciprocum esse Amorem*. Consen-
Nazianz. tiunt Patres Græci Nazianzenus
D.Thom apud D. Thomam opusculo 1. cont. error. Græcorum. *Spiritus*, inquit, *Sanctus procedit, vt sit Ingenitus, & non Filius medius Ingeniti genitique*. Qua voce *medius* mutuus amor, & nexus amoris intelligitur. Chry-
Chrysost. sostomus homil. 2. in Symbol. Apostol. ad fin. *Spiritus Sanctus procedens de Patre, & Filio Charitate coniungitur*.
Epiph. Epiphan. in Ancor. col. 7. ait. *Spiritus in media Patris, & Filij ex Patre, & Filio*.
Damasc. Damascenus lib. 1. Fidei cap. 18. in medio. *Deus*, inquit, *Spiritus Sanctus, medius Ingeniti, & Geniti*. Quomodo nisi per nexum vinculumque Amoris?
D.Thom Hæc & similia docent S. Thom. in præsenti quæst. 36. ar. 4. ad 1. & de poten. quæst. 10. art. 2. ad 15. & 1. sent. distinct. 11. quæst. 1. art. 2. & art. 4. ad 2. & distinct. 29. quæst. vnica art. 4. ad 2.
Albert. Albertus 1. p. quæst. 31. memb. 1, ad 3. & membr. 2. ad 10. (quamuis dissētire videatur memb.
Alexand. 3. prope fin.) Alexander 1. quæst. 43. memb. 3. art. 3. & memb. 4. & toto memb. 5. & quæst. 46. memb. 5.
Richard. solutione 3. & vltima. Richardus 1. distinct. 11. art. vnico; quæst. 3.
Gregor. vbi Gregorius quæst. vnica, art. 2. post med. & distinct. 12. quæst. vnica.
Gandau. Henricus de Gandauo art. 54. quæst. 6. ad 7. 8. 9. & vndecimum, & art. 60. quæst. 6. corpore, fine.
Argent. Argentina 1. distinct. 11. quæst. 2. colum. penult. & vltima.
Carthus. Carthusianus cum alijs Authoribus 1. di-
Capreol. stinct. 10. quæst. 1. Capreol. distinct. 12. quæst. vnica, conclusione 4. & colum. 2. & 3.
Ferrar. Ferrarien. 4. contra gentes cap. 25. ad finem.
Caiet. Caietanus, & cæteri expositores communiter in præsenti quæst. 36. art. 4.
Canar. vbi Canarien. in 3. par. commentarij, difficultate vlt.
Valent. Valent. 1. p. sua q. 10. puncto 5. fine.
Vasq. Vasquez disp. 150. cap. 2. inclinat in hoc
Marsil. Marsilius lib. 1. quæst. 15. art. 3. & clarius col. vlt. Dum respondet ad 2. rationem pro parte negatiua. Fauet denique
Bonau. S. Bonauentura 1. distinct. 11 art. vnico, quæst. 2. ad 2. & iterum ad vltimum.
Montoya Montoya de Trinit. disput. 70. & 71. & 72. hac de re latissimè.

Veniamus ad argumenta rationum. Primum esto quasi à priori. Voluntas quæ vna est, & eadem in Filio, in vtroque est fæcunda: & in actum prodire desiderat. Actus is est Amor, ergo Amor debet esse amborum. Minor, & consequentia constant. Maior apparet, quia voluntas non habuit actum in Filio, non enim is est actus voluntatis, sed intellectus, ergo cum communicatur, & inest Filio Fæcunda manet, & prona in actum: ergo in Filio sicut in Patre habet rationem fæcunditatis, & debet in actum prodire à Filio, sicut prodit à Patre. Confirmatur quia. Idcircò Intellectus in Filio non est fæcundus ad aliam productionem, quia iam actum suū produxit, quod est verbum, ergo à contrario voluntas, quæ est in Filio, cum suum non produxerit actum, erit ad eum producendum fæcunda, & prona. Hic verò est amor, ergo producet amorem.

Secundum huiusmodi est. Omne id quod habet Pater, præter id quo est relatiuè Pater, habet Filius. Sed Pater habet Amorem fæcundum: igitur & illum habet Filius: nam cur sterilis erit Amor in Filio? ac proinde imperfectus, & minimè Diuinus? repugnat quippe illa carentia fæcunditatis cum perfectione Diuina, quando hæc est absoluta, & consequenter communicabilis. Vnde manifestè concluditur in Filio esse Amorem non sterilem, sed fæcundum, & eiusdem cū Amo-

re Patris naturæ, ac perfectionis.

Tertium sit. Amor mutuus, & reciprocus teste Richardo de S. Victore lib. 3. de Trinitate cap. 3. 7. & 11. est maximè perfectus, & suauis, addit cap. 16. hinc fieri vt Sapientia possit esse in vno tantum, & singulari perfecta: amor non ita, quia nexus & vnio duorum est. Ergo Amor in Deo mutuus, & reciprocus esse debet. Alioqui, & erit imperfectus, nec beabit.

Richard. à S. Vict.

Quartum ducitur ab inconuenienti. Si solus Pater produceret Amorem erga Filium, & Filius eundem non produceret erga Patrem sequeretur, aut Patrem non esse amabilem à Filio, aut Filium, si Pater esset amabilis, esse ingratum erga Patrem, non correspondendo ei in Amore. Vtrunque autem est falsum vti patet; ergo quemadmodum Pater amat Filium: Ita Filius amat Patrem. Quod tradit Augustinus lib. 6. de Trinit. c. 5. *Manifestum*, inquit, *est quod aliquis duorum est, quo vterque coniungitur, quo genitus à genitore diligatur, genitoremque suum diligat.*

August.

Quintum sumitur ex absurdo. Estque dilemma. Dato quod solus Pater producat amorem: vel amat se tantùm, & ex hoc amore procedit Spiritus Sanctus: vel amat se & Filium, & hoc amore Spiritum Sanctum producit. Neutrum est aptum, ergo vtrunque absurdum. Probatur prior pars dilemmatis, quia ille Amor solius Patris est amor sui ipsius, ac proinde amor concupiscentiæ, qui est ignobilis, & imperfectus, atque adeo ineptus, & absurdus. Probatur pars posterior ex dictis proximo argumento, ex eo sequi Filium minimè Patri in amore respondere: vel sterilem esse amoris: quod maximè est absurdum.

Sextum apparet ex natura, & conditione Doni: quam formaliter conuenire Spiritui Sancto superius ostendimus. Ex quo sequitur Donum eum esse amborum: nemo enim sibi donat: igitur Pater donat Filio, & Filius Patri donat: atque adeo amborum, non vnius est donum Spiritus. Nec obstabit dicere satis esse, quod Pater donet Spiritum Sanctum Filio, nec requiri vt donetur à Filio Patri: remouetur quippe obiectio, dicendo Filium quoque donare debere, quia cum in eo sit ipsum Donum formale necessario debet efficere suum effectum formalem: quod est donare propriè, ac proinde retinere naturam, & conditionem Doni: alioquin amitteret naturam Doni, & desineret esse Donum, atque adeo non esset in Filio Spiritus Sanctus, quod donum in eo non esset.

His argumentis prorsus conficitur Spiritum Sanctum à Filio necessariò procedere ex vi suæ naturæ, quæ est Amor mutuus, & reciprocus: qui nexus est vtriusque Personę.

Confirmatur hæc doctrina ex Augustino qui rationes inquirens cur Filij processio sit generatio: non sit autem Spiritus Sancti, cum tres afferat eas semper fundat, in eo quod Filius sit verbum, & vti tale procedat solum ab vno Patre: nec vllo possit modo à duobus procedere: at vero Spiritus Sanctus sit Amor, & Donum; quod omnino requirit duo, ad quos referatur nectendo & copulando, & afficiendo. Id nos latè & accuratè ostendimus in Encyclopædia nostra ad articulos S. Augustini. Citauimus porro lib. 5. de Trinitate cap. 14. & lib. 9. de Trinit. c. 12. & lib. 15. de Trinit. cap. 27. & tractat in Ioannem 99. & lib. 3. contr. Maxim. c. 14. & ponderauimus solennem Augustini phrasim appellantis Spiritum Sanctum *Communionem Patris, & Filij*, qua vtitur lib. 6. de Trinit. c. 5. citat, & paulo post, & lib. 9. c. 3. & serm. 38. de temp. Hàc ratione fieri diximus, vt se-

August.

ſecundum eundem Auguſtinum hæc propoſitio vera ſit. *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.* Quẽadmodum notat S. Thom. 1. p. q. 37. art. 2. & ibi Interpretes. Tradit vero eam Auguſtinus lib. 6. de Trinit. c. 5. quem ſequitur Magiſter in 1. diſp. 37. & ibi Bonau. Scot. & Gabriel, Capreol. & Marſilius: & cum D. Thoma in 1. p. ſentiunt Caietan. Banez, Nazarius. Zanard. Valentia Zumel, Vaſquez, & Montoya, & Suarez in ſum. lib. 11. cap. 3. & Florauant. de Trinit. lib. 2. titulo *de nomine Amoris*. Cuius propoſitionis veritas eo nititur, quòd verba ſunt D. Thomæ 1. p. q. 27. art. 2. *Pater & Filius dicuntur diligentes Spiritu Sancto: quia diligere prout notionaliter ſumitur non ſolum importat productionem diuinæ Perſonæ, ſed etiam perſonam productam, per modum Amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam.* Hinc illud Hugonis de S. Victore in Epiſt. ad Bernardum. *Si rectè diceris amare amore qui à te procedit cur non Pater, & Filius dicuntur amare amore qui ab ipſis procedit?* Et iterum. *Si Spiritus Sanctus eſſet Amor cordis tui & Patris, & Filij, quis quæſo poſſet negare Spiritu Sancto hoc eſt amore tuo te diligere?* Vtitur autem S. Thomas ad id perſuadendum exemplo. *Ignis calefactione calefacientis*, & *Arboris floribus florentis*. Quæ ſunt productiones formam ſecum deferentes, atque adeo cauſam, & principium denominantes, quod egregiè inter cæteros explicat Vaſquez ad 1. p. D. Thom. q. 37. diſp. 151. cap. 3. Vnde apparet ratio. Cur non dicatur propriè: *Pater ſapiens ſapientia genita*. Quam propoſitionem cum Auguſtinus ſemel admiſiſſet lib. 83. quæſt. quæſt. 23. poſtea ſæpe retractauit lib. 6. de Trinit. c. 1. & 2. & lib. 7. cap. 1. & 3. & 16. & lib. 1. Retract. c. 26. Eandem item excludit Athanaſ. orat. contr. Gregal. Sabellij, & Anſelm. in Monolog. c. 43. & improbant communiter Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 37. ar. 2. Patet igitur ex dictis Spiritum Sanctum Patris, & Filij mutuum eſſe vtriuſque, ac reciprocum Amorem: eoque ſe propriè diligi, necti, & copulari, ac proinde ab vtroque neceſſariò, & ex vi ſuæ productionis procedere.

D. Thom. Magiſt. Bonau. Scot. Gabr. Capreol. Marſil. Caiet. Banez Nazianz. Valent. Zumel Vaſq. Montoya Suarez Florau. Hugo Vaſq. Auguſt.

CAPVT II.

Vtrum Spiritus Sanctus procedat ab vno, vel à duobus Principijs.

Magni eſt quæſtio iſta momenti. Nam Græci in Concilio Florentino ſæpe Latinis Patribus obiecerunt hanc proceſſionem Spiritus Sancti à Filio duo Principia habituram: atque adeo inuoluere repugnantiam tum ex parte producentis, tum producti. Ex parte producentis, quòd cum eſſent duæ Perſonæ diſtinctæ, & duplicẽ virtutem erant habituræ: atque adeo multiplicata virtute, & actione multiplicarentur in Deo abſoluta: realiter diſtincta. Præterea relationes ſpirantis conſtituerent diuerſos ſpiratores relatiuè, & conſequenter reſultarent plures quàm duæ Perſonæ, quæ Relationibus, vti communis fert ſententia, conſtituuntur: Ita vt præter Generantem, & Filium genitum exurgerent duo reales, & realiter diſtincti ſpiratores: qui cum aduenirent Perſonis Patris, & Filij conſtitutis duas alias formarent ijs ſpirationibus Perſonas. Idque præter Florentini Concilij Græcos authores aduerſarios patet ex Palama in refutatione inſcriptionum Vecci, vbi eum arguit hæreſeos quaſi ex Proceſſione quã affirmabat ex Patre, & Filio diuerſitatem in natura diuina poneret: eamque per Relationes diuideret: quem-

Concil. Florent. Palama

Arcud. quemadmodum videre est in opusculis Arcudij vbi proponit Refutationes Palamæ, & responsiones Bessarionis. Apparet item hæc obiectio ex ijs quæ adducit pro hæresi Græcorum Gennadius Scholarius in Defens. quinque capitum sect. 10 vbi hoc argumentum proponit, & soluit. Propriè autem argumentatur contra hoc vnum Principium Maximus Planudes in tract. de Spiritu sancto aduersus Latinos qui habetur in fine libri compositi ab Arcudio de Processione spiritus sancti pag. 615.

Gennad.

Planud.

Itaque diligenter examinanda, & tractanda quæstio. Et quidem benè Scotus in 1. d. 12. q. 1. §. *Iuxta quæstionem*. Et Durand. in 1. d. 14. q. 2. & 3. & Gabr. in 1. d. 12. q. 1. in princip. animaduertunt duas hic esse quæstiones vnam de re: alteram de voce. De Re. An in Patre, & Filio sit vna sola virtus spirandi? De voce. An supposito quod sit vna, & sola virtus sicut Catholici doctores, imo & Hæretici præter Græcos Schismaticos fatentur, dici debeat vnum principium, vel duo? In quarum expositione ita procedemus, vt in prima contra Græcos Schismaticos probemus vnicam esse, non duplicem, nec diuersam in Patre, & Filio virtutem spirandi. In secunda non contra eos solum, sed etiam contra nonnullos Catholicos monstremus vnum & esse & dici Principium Spiritus Sancti debere.

Scot. Durand. Gabr.

Circa primam rationes dubitandi pro parte Græcorum eæ esse possunt: quas affert D. Thomas 1. p. qu. 36. art. 4. Eæ septem. Sed nos eas ad 4. reducemus. Prima est. *Spiritus Sanctus non videtur à Patre, & Filio procedere in quantum sunt vnum, neque in natura quia Spiritus Sanctus sic etiam procederet à se ipso, quia est vnum cum eis in natura. Neque etiam in quantum sunt vnum in aliqua proprietate: quia vna proprietas non potest esse duorum suppositorum, vt videtur. Ergo Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, vt sunt plures*. Secunda. *Cum dicitur Pater, & Filius sunt vnum Principium Spiritus Sancti, non potest ibi designari vnitas Personalis, quia sic Pater, & Filius essent vna persona. Neque etiam vnitas proprietatis, quia si propter vnam proprietatem Pater, & Filius sunt vnum Principium Spiritus Sancti, pari ratione propter duas proprietates Pater videtur esse duo Principia Filij, & Spiritus Sancti: quod est inconueniens. Non ergo Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti*. Tertia. *Si Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti videtur è conuerso dicendum, quod vnum principium Spiritus Sancti sit Pater, & Filius. Sed hæc videtur esse falsa, quia hoc quod dico principia, oportet quod supponat vel pro persona Patris, vel pro persona Filij, & vtroque modo est falsa. Ergo etiam hæc est falsa Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti*. Affertur tandem à D. Thoma authoritas Hilarij lib. 1. de Trinit. prope finem. *Spiritus*, inquit, *Sanctus à Patre, & Filio authoribus confitendus est*. Ex qua deducitur esse duos spiratores, siue duo Principia. Pro quibus sic vlterius argumentantur Græci. Illa virtus spirandi, quæ est in Patre, & Filio vel est aliquid absolutum, vel aliquid relatiuum, neutrum est; ergo nulla est illa virtus spiratiua. Maior patet. Minor probatur. Imprimis non est aliquod absolutum, quia quicquid est absolutum in Deo est commune tribus Personis, ac proinde essentiale: igitur illa virtus spirandi debet esse item communis spiritui Sancto: non tantum Patri, & Filio.

Thomas

Hilar.

Deinde illa virtus non est aliquid relatiuum, quia omne Relatiuum in Deo est distinctiuum, non commune: At illa virtus est communis

Patri

Patri, & Filio, ergo non est relatiua. Præterea: illa virtus est amor duorum, ex quo procedit Spiritus Sanctus; hic autem amor est ipsamet natura Diuina, quæ communicatur spiritui sancto: quæ est absoluta, non relatiua. Accedit argumen-
Planud. tum Planudis supra citati ex dualitate Personarum non posse existere vnitatem Principij. Suadetur insuper hæc opinio argumento quorumdam Latinorum, qui negant Patrem, & Filium esse vnum principium hoc modo. Aut principium sumitur pro forma agendi, aut pro ipso agente: si pro agente sunt duo agentia Pater, & Filius cum realiter distinguantur, si pro forma ea licet vna apud Catholicos sit, non potest denominare vnum illud duplex Agens, quia non dat vnitatem ijs, quando ijs inest: sed tantum est vna
Durand. in duobus, non facit ex duobus vnũ. Et hac ratione argumentatur Durandus in 1. dist. 29. qu. 2. & Gregor. dist. 12. qu. 1. cum quibus vi-
Altisiod. detur sentire Altisiodorensis lib. 1. summ. cap. 30. Quamquam hi recum Catholicis sentiant admittentes vnam virtutem in Patre, & Filio, contra Græcos admittentes duas, & diuersas, & tantum in modo loquendi discrepantes, quòd malunt duo principia appellare. Quo sensu re-
Scot. ctè dixit Scotus hanc quæstionem in Scholis Catholicis esse de voce, & nomine, non autem de re: conueniunt quippe de re, quæ est vna virtus in vtroque: & de sola voce vnum, & duo dissentiunt. Quare
Vasq. immerito Canariensis apud Vasqu dist. 149. cap. 1. Scotum, & cum eo id animaduertentes Durandum, & Gabrielem reprehendit, qui Canariensis ob id ab eodem Vasquio taxatur.

Vera, & Catholica sententia est Patrem, & Filium, cum ambo spiritum sanctum amando spirant, non esse, nec dici duo, sed vnum principium spiritus sancti. Ita definiuit Concil. Lugdun.
Concilium Lugdunense, vt refertur in cap. *Fideli*. De summa Trinitate, & Fide Catholica in 6. his verbis. *Damnamus omnes, qui negare præsumpserint, æternaliter spiritum sanctum ex Patre, & Filio procedere, siue etiam temerario ausu asserere, quod spiritus sanctus ex Patre, & Filio tamquam ex duobus Principijs, & non tamquam ex vno procedat.* Superius autem dixerat. *Non duabus, sed vnica spiratione procedit*. Ex quo sequitur. *Vnum esse Principium.* Idem ducentis ferè post annis decreuerunt Concilij Florentini Patres sess. vlt. tum litteris Latinorum professionem suæ Fidei continentibus, tum post med. eiusdem sess. §. *Quid equidem*, & §. *Sed ab ineunte*. Et in Eugenius
litteris vnionis, sic Eugenius IV. *Hoc sacro approbante Concilio Florentino: Diffinimus, vt hæc Fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur: sicque omnes profiteantur, quia spiritus sanctus à Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex vtroque æternaliter; tamquam ex vno principio, & vnica spiratione procedit.*

Nec illa particula *tamquam, tamquam* intelligenda est eo sensu, vt non veritatem, sed similitudinem significet, idest non affirmari à Concilijs reuera vnum esse Principium; *sed instar vnius Principij se habere*: per quamdam proportionem, & similitudinem, qua explicatione vsus est Durandus, & sequaces, ne viderentur contradicere Concilijs. Nam illæ particulæ veritatem asserunt: non solam similitudinem significant, qua ratione dixit Ioannes Cap. 1. Ioann. Eu.
cap. 1. sui Euangelij. *Gloriam quasi Vnigeniti à Patre*. Et quidem ea fuit mens Conciliorum, quæ voluerunt tradere, & stabilire contra errorem Græcorum vnicam esse in Patre, & Filio virtutem spirandi, in

qua

qua Pater, & Filius conuenirent. Nō bene autem hanc suam, cui magnopere studebant doctrinam stabilirent, si tantum vellent, illis particulis in eo sensu vti, euerterent enim potius illam, quam statuerent. Itaque Canariensis, & alij recentioris memoriæ Theologi apud P. Vasqu. disp. 149. cap. 3. Durandi, & Gregorij sententiam *Temerariam* appellant, eamque censuram merito Vasquez confirmat.

Vasquez

Durand. Gregor.

Vltra hæc Concilia duo: inuenitur professio Fidei Romanorum, quæ referri solet post Chalcedonense Concilium in qua sic. *Spiritum Sanctum Patris, & Filij esse vnum Deum, qui ex vno*. Hæc verba duos articulos continent. Primus est spiritum sanctum ex vtroque Patre Filioque procedere. Alterum hos duos esse vnum principium. *Ex vno.* Apud Græcos Patres minus perspicua est hæc doctrina, quare nec Bessarion, nec Demetrius aduersus Palamam, nec Gennadius vllum eorum attulerunt. Hæc etenim quæstio Latinorum penè tota fuit. Non desunt tamen testimonia, quæ faueant vni Principio. Sic enim Athanasius orat, 5. contr. Arianos. *Vnum est Principium Deitatis, non duo: vnde propria Monarchia vnus dominatus haberi debet. Ex ipso deinde principio per naturam existit Filius qui est Verbum, non quasi alterum Principium seorsum subsistens, nec aliunde genitus, nec ratione secundi duo principia*. Et contra Gregales Sabellij propè med. *Qui duo*, inquit, *Principia inducit is duo nomina prædicat*. Expressius aliquanto est testimonium Nazianzeni in sermon. Concil. Constantinopol. Cuius verba refert S. Thom. opusc. 1. cap. 32. tit. 25. *Necessarium est credere Sanctam Trinitatem, Patrem scilicet sine principio Filium vero Principium à Patre principio. Spiritum autem sanctum cum principio Filio vnum Deum esse*. Loquitur de principio ad intra, ac respectu originum, & dum spiritui sancto non tribuit nomen principij significat esse à Patre, & Filio, & quamquam vnum, & alterum dicat Principium non ait esse duo: sed principium à principio, sicut dicimus. *Deum de Deo. Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*. Quo idem, & vnus Deus significatur. Confirmatur ex alijs locis Nazianzeni orat. 37. de spiritu sancto ad fin. & orat. 49. de Fide circa med. vbi reijcit plura in Deo principia, & vnicum statuit principium. Clarissimè Gregorius Nyssenus orat. 1. ad illud Genes. 1. agens enim de Trinitate ad intra: postquā de spiritu sancto est locutus rediens ad Patrem, & Filium, sic ait: *Vna in vtroque forma, & principium à Patre in Filio idem est*. Non potest hæc ratio principij trahi ad principium ad extra respectu Creaturarum: nam hac ratione etiam spiritui sancto conuenit esse principium. At Nyssenus de principio, quod est Patri cum Filio commune agebat. Fauent etiam nonnulla, quæ dicit Cyrillus Alexandrinus lib. 12. thesauri cap. 5. quæ pertinent ad vnum tantum principium in Deo ponendum.

Bessarion Demetr

Athanasij

Nazianz.

Nissen.

Cirillus

Propria igitur, & quæstio, & circa illam de vno spiritus sancti principio doctrina Patrum Latinorum fuit. Quorum Princeps Augustinus est. Vix enim vllus ante ipsum Pater hunc veritatem perspicuè docuit, quod dico propter Hilarium, qui eam significauit lib. 6. de Trinit. col. 4. Igitur Augustinus sæpè, & manifestè affirmat Patrem, & Filium esse non duo, sed vnum spiritus sancti principium. Ita lib. 5. de Trinit. cap. 14. & lib. 10. de Ciuit. cap. 23. & lib. 3. contra Maximin. cap. 17. prope finem & tract. 39. in Ioannem à principio. Idque ex illo probat Diu. Thomas 1. part.

Augustin

q. 36.

D. Tho. qu. 36. art. 4. Imo Græci, qui Catholicam de hac processione doctrinam sequuntur Augustino authore nituntur, vti apparet in Gennadio Gennad. Scholario de processione spiritus sancti cap. 10. vbi affert locum Augustini citatum à D. Thoma, & Bessar. Bessarione lib. de processione spiritus sancti ad Alexium Lascarim eodem adducto Augustini testimonio. Et iterum in alio libello de historia Concilij Florentini in solutione obiectorum à Græcis profert idem Augustini testimoniũ de vno principio. Itaque verè diximus Augustinum hac in re Principem inter Patres authorem haberi. Illius apud D. Thomam testimonium hoc est. *Pater, & Filius, non sunt duo principia, sed vnum principium Spiritus Sancti*. Ita D. Thom. 1. par. qu. 36. art. 4. citat vero lib. 5. de Trinitate August. cap. 14. Hic locus in Augustino sic habet. *Si ergo & quod datur, principium habet eum à quo datur, quia non aliunde accepit illud, quod ab ipso procedit, fatendum est Patrem, & Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia. Sed sicut Pater, & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus Creator, & vnus Dominus sic relatiuè ad Spiritum Sanctum vnum Principium*. Hic locus omnia continet: veritatem vnius principij: rationem eius veritatis, quod scilicet vna est veritas communicata Filio à Patre: exemplum Idem Trinitatis ad extra, nempe quod tres personę, quod vna virtute creent, vnus Creator, & vnum principium creaturarum dicantur. Quo exemplo vtitur Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 13. *Cum dicimus*, inquit, *Patrem principium, & Filium principium, non duo principia creaturæ dicimus, quia vnus Deus simul ad creaturam, vnum principium est, sicut vnus creator, & vnus Deus*. Iuuat afferre aliud testimonium Augustini ex Idem lib. 3. contr. Maximin. cap. 17. propè finem. *Pater principium non de principio, Filius principium de Principio; sed vtrumque simul non duo, sed vnum principium*. Augustinum sequitur Isidorus lib. 1. sentent, de summo bono cap. 15. sub initio. Isid. *Inde vnum sunt Pater, & Filius, quia nihil habet Pater, quod non habet Filius. Non enim res vna, & duorum consubstantialis poterit simul ab eis procedere, & simul inesse, nisi vnum fuerit à quibus procedit*. Et Anselm. Anselm. in Monolog. cap. 52. *Quia non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater, & Filius, sed ex eo in quo vnum sunt. Nam non ex relationibus suis quæ plures sunt (alia est enim relatio Patris, alia Filij) sed ex ipsa sua essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater, & Filius tantum pariter bonum*. Eamdem rationem ex professo tradit in Epist. de processione spiritus sancti cap. 10. ad finem, & cap. 11. & 16. Quam omnino ex his Patribus desumptam vrget Ioannes ille Theologus Latinus in Ioannes Theol. Concilio Florentino sess. 19. præsertim inter med. & fin. & alibi, & Bessarion in tract. de spiritu sancto Bessarion ad Alexium, & Gennadius Schola- Gennad. rius cap. 10. Qui hanc sententiam apertè docent, eamque Bessarion ponit in orat. pro vnione inserta Florentino Concilio. In quo ea veritas stabilitur sess. 25. §. *Quibus Latini*, & sess. 24. post med. Produco locum sess. 25. qui rem continet. *Quoniam Græci suspicantur nos duo principia, duas ve causas in Trinitate profiteri, idcirco hanc habentes sententiam anathemate damnamus: quando quidẽ ipsi credimus Patris, & Filij operationem potestatemq; mittendi vnicam Spiritus Sancti causam esse, ita vt Filius non sit diuersum à Patre principium*.

Igitur, & thesim, vnum esse non duo Spiritus Sancti principia: & rationem ductam ex vnica virtute spirandi statuunt, & defendunt: Ma-

Magister. Bonau. D.Thom. Alexand. Albert. Henric. Scotus. Richard. Carthus. Marsilius. Capr. Canar. Caietan. Valentia.

gister in 1. dist. 29. cap. 2. & cap. 3. & vlt. Alexand. 1. par. qu. 70. tract. 3. art. 3. 4. 5. Albert. 1. par. qu. 31. num. 3. Henric. in summ. art. 54. qu. 6. ad 9. argum. & art. 60. qu. 6. & 7. Bonau. in 1. dist. 11. art. vnd. qu. 5. & dist. 29. art. 2. qu. 6. Scot. in 1. dist. 12. qu. 1. Richard. dist. 11. art. vndec. qu. 1. Carthus. dist. 11. qu. 4. Marsil. lib. 1. qu. 15. art. 3. Aureol. dist. 12. qu. vndecima. S. Thomæ tum ibid. tum 4. contr. Gent. cap. 25. & opuscul. 1. cap. 11. & opuscul. 9. qu. 25. & 8. in Ioann. lib. 3. col. 3. & 1. lib. 15. lect. 1. & 1. par. qu. 36. art. 4. & Capr. in 1. dist. 12. q. 1. Canariens. in 1. par. art. 4. in 2. par. commentar. dub. 1. & 2. & caius. ibid. cum cæteris Thomistis. Sequitur Valent. & Molina, Vasquez, & Montoya in commentar. super D. Thomam. Suarez lib. 2. de Trinitate, cap. 4. 5.

Valentia. Vasquez. Molina. Suar.

Ratio huiusce thesis sumpta ex proximè tradita Augustini doctrina eiusmodi est. Pater, & Filius sunt principium spiritus sancti: non quà sunt Pater, & Filius relatiue inter se oppositi, sed prout conueniunt in virtute spiratiua, quæ est vna, & eadem in duobus; ergo cum hæc sit vna, & ij vnius more, non plurium spirent Spiritum sanctum, erit vterque vnum Spiritus Sancti principium, non duo. Confirmatur exemplo. Ideo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus in operationibus ad extra sunt vnus, & idem creator & operator, quia vna est, & essentia, & potentia creantis, & operantis. Ergo etiam in hac processione ad intra, quia spirant vnica, & eadem virtute spiritum sanctum, Pater, & Filius erunt vnus spirator, & vnum principium spiritus sancti. Confirmatur præterea more Theologico. Quando formale constitutiuum est vnum, constitutum per illud est item vnum eadem vnitate constitutiui: sed constitutiuum principij spiritus sancti est vnum vnitate numerica eiusdem virtutis spiratiuæ, ergo constitutum per illud nimirum principium spiritus sancti vnum omnino esse debet in ratione principij. Neque Græci de hac ratione probandi dubitarent, quæ euidens est. Sed in eo erant errore, quod crederent virtutem spiratiuam esse diuersam in Patre, & Filio. Qui sanè ingens error erat, quia Pater, & Filius non spirant per relationes Patris, & Filij, quibus opponuntur, & differunt, sed per virtutem spirandi, & amandi reciprocè, quæ vna in ijs est, ac proinde diuersa esse non potest.

Argumenta proposita verbis Sancti Thomæ, eiusdem verbis soluuntur. *Ad primum*, ergo inquit, *dicendum, quod si attendatur virtus spiratiua, spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio in quantum sunt vnum in virtute spiratiua, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate, vt infra dicetur. Neque est inconueniens vnam proprietatem esse in duobus suppositis*, quorum *est vna natura. Si verò considerantur supposita spirationis, sic spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio, vt sunt plures. Procedit enim ab eis, vt amor vnitiuus duorum.* D.Thom

Ad secundum dicendum, *quod cum dicitur Pater, & Filius sunt vnũ principium spiritus sancti, designatur vna proprietas, quæ est forma significata per nomen. Non tamen sequitur quod propter plures proprietates non possit dici Pater plura principia, quia implicaretur pluralitas suppositorum.*

Ad tertium, quod est quintum apud Diuum Thomam, *dicendum, quod etiam hæc est vera: vnum principium spiritus sancti est Pater, & Filius, quia hoc quod dico principium, non supponit pro vna persona tantum, sed indistinctè pro duabus, vt dictum est*. Dictum vero fuerat ad quartam

tam obiectionem. His verbis. *Cum dicimus Pater, & Filius sunt vnum principium, non habet determinatam suppositionem, imo confusam pro duabus personis simul. Vnde in processu est fallacia figuræ dictionis à confusa suppositione ad determinatam.*

Planud. Hæc responsio soluit argumentum Planudis Græci positum ex dualitate personarum; quibus negabat inesse posse rationem vnius principij: addita communi doctrina quæ tradit formam significatam nomine, & modo substantiuo cum vna est, conferre denominationem vnitatis suppositis, quibus inest. Vnde, inquit in hac quæst. art. 4. in

S. Thom. corp. S. Thomas. *Sicut Pater, & Filius sunt vnus Deus propter Vnitatem formæ significatæ per hoc nomen Deus, ita sunt vnum principium Spiritus sancti propter veritatem proprietatis significatæ in hoc nomine principiũ.* Facit huc, quod ait in eodẽ articulo ad 7. excitata quæstione, de duobus spirantibus, & spiratoribus. Sic enim. *Videtur melius dicendum, quod quia spirans adiectiuum est, Spirator vero substantiuum possumus dicere, quod Pater, & Filius sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores propter vnã spirationem. Nam adiectiua nomina habent numerum secundum supposita; substantiua vero à se ipsis secundum formam significatam.* Hinc est responsio ad authoritatem Hilarij subijcit enim Diuus Thomas. *Spiritus Sanctus est à Patre, & Filio authoribus, exponendum est, quod ponitur substantiuum pro adiectiuo. Possumus* enim, inquit, Diuus Thomas dicere: *quod Pater, & Filius sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores propter vnam spirationem. Nam adiectiua nomina habent numerum secundum supposita, substantiua vero à se ipsis secundum formam significatam,* ita Diuus Thomas quæst. 36. art. 4. Vno verbo: Hilarius dixit *Authores* sensu adiectiuo respiciendo supposita, quæ duo sunt, atque adeo pluralitatem in formam, quæ est vna, refundunt.

Cum ergo principium sit nomen substantiuum, & significet formam substantiuè vnam, idest virtutem spirantem, necesse est, vt vnum sit, & dicatur principium, non duo. Reliqua, quæ pro Græcis supersunt argumenta, pendent ex proxima subiecti capitis quæstione.

CAPVT III.

Per quid constituantur Pater, & Filius in vnius ratione Principij?

Considerari possunt hęc tria. Primum Essentia. Secundum voluntas fœcunda. Tertium relatio spirationis actiuæ. Igitur essentia nequit esse ratio constitutiua principij; cum sit vna, & eadem in tribus personis, ac proinde communis spiritui sancto, qui est vnus, & idem Deus cum Patre, & Filio. Deinde essentia non est proximum, & immediatum principium processionum, sed intellectus, & voluntas diuina, quemadmodum contra Durandum statuunt communiter Scholastici Theologi. Alexand. de Verbi Processione 1. par. qu. 42. nu. 2. & de processione Spiritus sancti qu. 43. nu. 3. Bonau. in 1. dist. 27. qu. 1. de processione Spiritus sancti qu. 10. Scot. in 1. dist. 2. par. 2. q. 1. 4. & dist. 27. qu. 1. & 2. Richard. in 1. dist. 2. par. 2. qu. 4. & dist. 27. qu. 1. & 2. Richard. in 1. dist. 2. qu. 1. Gabr. in 1. dist. 7. qu. 2. art. 1. 2. & 3. D. Thomas 1. par. quæst. 27. Caret, & Thomistæ ibid. Vasquez dist. 111. cap. 1. & 2. Bannez, Zumel, Valentia, Molina ibid. & Suar. lib. 1. de Trinitate cap. 5. Ruiz de

Alexan. Bonau. Scotus. Richard. Gabr. D. Thom. Suarez Molina. Montoya

Montoya de Trinit. dist. 2. per totam.

Quod attinet ad voluntatem fœcundam per amorem diuinum exponi debet in ratione principij, pro vt est in Patre, & Filio, ita vt hi duo sint vnus, & amator, & spirator respectu spiritus sancti. In quo interuenit difficultas, quia cum sint duæ personæ realiter distinctæ, non videntur posse vnum principium constituere. Hoc ergo prius explicandum erit. Et quidem D. Thomas qu. 36. art. 4. ad 4. expresse dicit. *Hic principium non habere determinatam suppositionem, imo confusam pro duabus personis simul*, & in responsione ad 5. rursum ait. *Hoc quod dico principium non supponit pro vna persona tantum, sed indistinctè pro duabus, vt dictum est*. Tertio in responsione ad 6. *Ly principium supponit confusè, & indistinctè pro duabus personis simul*. Ac ita sentiunt Thomistæ cum Diuo Thoma, Capreol. in 1. dist. 12. qu. 1. & Caiet. ad art. D. Thomæ, & Montoya, dist. 70. sess. 2. Alij volunt, vt sit determinata illa suppositio, vti Gregor. in 1. dist. 12. qu. vndec. Gabr. in 1. dist. 12. qu. 1. art. 2. & art. 3. dub. 1. & Canariens. 1. par. qu. 36. art. 4. Vasquez distinct. 149. cap. 4. Sed in modo exponendi tum hi, tum illi mire dissentiunt. Propter hanc difficultatem fuerunt nonnulli, qui excogitarunt subsistentiam quandam communem Patri, & Filio spirantibus, vt hi duo dum spirant habeant vnum, & commune suppositum, sub quo immediatè spirent, & ratione cuius dicantur vnum proprium, & determinatum principium. Ita tradidit Ochamus in 1. dist. 12. qu. 1. §. *Circa primum*, & omnino expressit in respons. ad dub. 2. & quod mirere Ludouicus Molina 1. par. art. 4. dist. 2. post med. §. *Denique*, quem nominatim citat, & hoc nomine reprehendit P. Didacus Ruiz de Montoya dist. 70. sess. 3. nu. 11. dicens *esse errorem*. Sane illud suppositum, quodcumque illud sit refutant Aureolus in 1. dist. 12. qu. vndecim. art. 3. proposit. 3. Gregor. ibid. qu. 1. Canariens. in 1. par. qu. 36. art. 4. in 2. par. comment. Valent. 1. par. qu. 10. de spiritu sancto par. 5. §. *Neque vero*. Vasquez dist. 149. nu. 9. Suar. de Trinit. lib. 10. cap. 4. Montoya dist. 70. sess. 3. Rationes refutandi multæ sunt, & afferuntur à Montoya. Verum duæ mihi probantur, quia valere apud omnes debent, tum qui admittunt in Deo subsistentiam absolutam, tum qui negant.

Prima est. Subsistentia immediatè, & ex ratione sua datur ad complendam naturam, & reddendam illam suppositum. Sed hæc, quæ fingitur subsistentia communis Patri, & Filio immediatè afficit, & complet subsistentias Patris, & Filij, qui sunt iam duo supposita: ergo ea non est, nec potest esse subsistentia. Maior est certa. Minor probatur, quia idcirco ponitur illa subsistentia, vt Pater, & Filius, qui sunt duo supposita vniantur in ratione vnius alterius suppositi: ac proinde illa subsistentia, quæ inducitur immediatè afficit illas duas Personas. Neque respondeas illam subsistentiam afficere immediatè virtutem spirandi, & ita descendere ad Patrem, & Filium, sicut dicunt authores subsistentiæ absolutæ, eam immediatè afficere, & complere diuinam naturam, & cum ea ad tres personas venire. Etenim ratio est lōge diuersa, quia hæc subsistentia diuina absoluta, quæ ponitur in natura diuina, ideo ponitur à suis authoribus, vt eam constituat non vnam, sed perfectam, & completam in eo genere perfectionis, quam volunt simpliciter simplicem: atque adeo pertinet directè ad perficiendam naturam in ratione subsistentis absolutè, an-

S.Thom. Capr. Caiet. Canar. Vasquez. Ocham. Molin. Montoy. Aureol. Gregor. Canar. Valent. Vasquez Suarez Montoy.

ante omnem considerationem personæ. At vero ista subsistentia, quæ inducitur ad spirationem actiuam, non inducitur ad complendam virtutem spiratiuam; nec ad eam perficiendam, sed ad vniendas personas in ratione suppositi, vt possint constituere vnum principium in ratione suppositi: quare immediatè cadit supra subsistentias, non supra virtutem spirandi. Itaque argumentum contra nostram sententiam factum retorquetur.

Secunda ratio sit. Ex illa noua subsistentia, quæ affertur, sequitur in Trinitate quarta Persona: Ergo ea est reijcienda. Probatur assumptum. Illa subsistentia constituit vnum suppositum, quod non est Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus. Igitur constituit quartum suppositum, siue personam. Respondebis: illud non esse propriè suppositum, nec personam, quia est communicabile Filio, & Patri, & vnum in ambobus. Sed contra; quia hoc ipsum communicabile Patri, & Filio, est incommunicabile spiritui sancto, ac illi opponitur: ergo ex hac parte erit suppositum, atque adeo quarta persona. Accedit, quod istud suppositum est quid notionale, ac proprium Patris, & Filij, minimè commune Spiritui sancto, & ab eo realiter distinctum in ratione spirationis: cum ergo hic spirator suppositum sit, erit suppositum, & persona distincta à Spiritu Sancto in ratione suppositi, & personæ. Saltem hic inuoluitur contradictio, quod sit suppositum cum duplici ratione inter se pugnante, idest communicabili Patri, & Filio: quæ ratio pugnat cum supposito, & incommunicabili spiritui sancto, quæ ratio conuenit supposito, ac proinde inueniuntur in eo supposito spirante rationes pugnantes, & implicantes suppositi, & non suppositi.

Explosa hac periculosa opinione supe. sunt duæ sententiæ. Vna quæ tenet constitui principium per virtutem illam spirandi, in qua conuenit Pater, & Filius, sumptam quasi in actu primo, prout concipitur ante processionem ipsam actiuã, & relationem spiratoris, connotando duas personas, quæ requiruntur tamquam conditio ad spirandum *in actu*, quod aiunt, *secundo*. Altera, quæ docet constitutiuum principij esse ipsammet Relationem spirationis actiuæ, in qua sita sit formalis ratio principij: ita vt hoc constituatur per relatiuum. Incipiamus ab hac secunda, quam accuratè tradit, & constanter tuetur Montoya Montoya disp. 70. sess. 5. citans pro ea Magistrum, & Diu. Thomam Alexandrum, & Richardum, & Albertum, Bonauenturam, Ochamum, & Gabrielem, Carthusianum, & Canariensem ex alijs, ex suis Molinam, Valentiam, Vasquez: de quibus postea videbimus, an ita sentiant? Fundamenta sunt. Primum petitum ex authoritate Augustini, Augustin de Trinitate lib. 5. cap. 14. prope finem aientis. *Pater, & Filius relatiuè ad spiritum sanctum vnum principium*. Et Anselmi cuius tamen Anselm. nullum affert disertum testimoniũ, sed affirmat eum frequenter admonere rationem principij, *à quo Deus*, siue *de quo Deus* esse relatiuum, non absolutum, & ita loqui Epistol. de processione spiritus sancti cap. 2. & 3. & cap. penult. quorum verba se ponderasse ait disp. 9. sess. 5. nu. 17. & seq. Pergit affirmare Anselmum vocare patrem, & Filium vnum principium: idque se monstrasse disp. hac 70. cap. 5. Addit authoritatem Bessarionis in orat. *Pro vnione* c. 6. & Episcopi Mitylenensi in eodem Concilio Florentino sess. 25. §. *Ego ab ineunte*.

Secundum ex rationibus conflatum. Sunt vero quatuor. Prima duci-

ducitur ex distinctione: nam principium non intelligitur in Deo, nisi ex reali distinctione, at vero ante illam relationem spiratoris, nulla intercedit, nec concipitur distinctio realis Patris, & Filij à spiritu sácto, ergo non intelligitur ratio principij. Secunda, quia in illa prima acceptione principij inest tantum ratio absoluta, & communis Patri, & Filio in qua conueniunt, ergo illa nequit esse ratio principij. Patet, quia omne absolutum in Deo est commune tribus personis, vnde ratio principij, aut non est absoluta, aut est communis spiritus sancti, quod esse non potest. Tertia omne principium processionis in Deo est relatio, vti constat ex communi sententia, quæ negat contra Ioannem de Ripa, & Scotum, qui probabilem illius sententiam dicit, constitui absolutis proprietatibus, & affirmat esse relationes: sed hic datur principium, & processio spiritus sancti ergo debet esse relatio, non datur alia præter operationem actiuam, ergo ea debet esse ratio principij.

Quarta: si sola Paternitas, & Filiatio cum illa virtute absoluta spirandi esset principium spiritus sancti frustra esset alia relatio spirationis actiuæ, cum iam esset in ijs ratio sufficiens processionis, & oppositionis ex vi principij spiratiui. His rationibus addit Montoya authoritatem Magistri in 1. dist. 29. propè finem, vbi docet. *Patrem, & Filium eadem relatione, vel notione principium dici Spiritus Sancti. Si vero quæritur, quæ sit illa notio, quam ibi notat principium? Nomen illius non habemus, sed non est ipsa paternitas, vel Filiatio, imo notio quadam Patris & Filij, qua ab æterno Pater, & Filius vnum principium est spiritus sancti*, & Sancti Bonauenturæ artic. 2. qu. 1. in corp. & qu. 2. item in corp. vbi docet vnum principium vocari, prout principium dicit vnitatem notionis, seu relationis supposita vnitate naturæ, & virtutis spiratiuæ. Simile quiddam habet dist. 12. artic. vnico qu. 2. in fine. Et D. Thomæ in 1. dist. 29. qu. vndec. art. 3. in corp. in quo loco sic. *Vna numero notio est Patris, & Filij secundum quod principium spiritus sancti dicuntur, vt dicitur in littera*. Videlicet Magistri citati cum quo sentit. Et in qu. 36. par. 1. art. 4. in corp. in fine, & solutione ad 2. docet, quod vnitas proprietatis significatæ per nomen principij, est ratio propter quam sit, & dicatur vnum principium. Hac ratione suam sententiam probat, & munit P. Montoya, & postea soluit argumenenta contrariæ.

Ad maiorem explicationem addit, conclusiones duas, alteram. *Relatio spirationis actiua non est totalis ratio constitutiua Principij quod, attamen est præcipua ratio, & vltima constitutiua illius*: Rationem affert, quia *Principium quod de materiali dicit suppositum subsistens abstrahendo ab hoc, quod sit Pater, vel Filius, & ab hoc quod sit realiter vnum, vel plura supposita: sed de formali*, inquit, *constituitur per relationem spirationis actiuæ*. Alteram. *Eadem relatio spirationis actiuæ sub quadam quasi partiali formalitate, quæ superadditur volitioni Diuinæ, constituit spiratiuum principium, vt quo. Probat hanc ex eo quod Principium generatiuum vt quo, constituitur vltimò per relationem Paternitatis sub quadam partiali formalitate superaddita supra intellectionem*. Quod attinet authores, quos pro se citat Montoya. Illi antiqui nō admodum perspicuè loquuntur, & D. Thomam pro sua sententia citant aduersarij. Cæterum Molina, & Valentia eiusdem cum Montoya sunt opinionis. Vasquez significat illam potius quam affirmat. Adijcio indubitatos, qui Montoyæ partes sequuntur. Salmanticenses tract. 6. de

Magistri

D. Thom

Salmant.

Nazar. Turrian. de Trinit.d.15.dub.4. & Nazarius in 1.p. D. Thom. qu.36. art.4. Turrian.1.p.q.39.d.34. dub.2. Perez disput.3.de Trinit.c.7.assert.2. Perez

Contrariam quæ tenet Constitutiuum Principij esse virtutem illam spirandi, qui est amor voluntatis fæcundæ in Patre, & Filio per modum actus primi, vti est prior relatione spirationis actiuæ tradit P. Suarez lib.5. de Trinitate c.5. n.6. & cap.8. n.10.11. & 12. & lib. 10. cap.8. n.6. Alios locos citat Montoya, in quibus minus clare loquitur Suarez, qui ab eodem solus citatur ex recentioribus, quorum nemo alius ab eo nominatur. Ex antiquis adducit Henricum in sum. ar. 54. q. 6. ad 9. argum. & art. 60. qu. 6. & 7. quod magna, inquit, ex parte illam tradat. Et Scotum in 1. d. 12. qu.1. §. *Quantum ad istum*. Et poterat eundem ibid. §. *Ad tertium*, & sequent. Et melius adhuc d.32.q.2. §. *Ita dico* vsque ad finem quæstionis. Præter quos inueniri à se nullum alium authorem testatur antiquum. Suarium in hac sententia sequuntur Morandus de Trinit. tract. 6. q. 27. n.62. & seqq. Arriaga d. 50. sect. 3. Florauant. lib.2. de Trinit. & in notis breuibus ad Theoriam.

Suar. Henric. Scot. Morand. Arriaga Florau.

Rationes Suarij ita proponit Ruiz vt minus eas vrgeat, imò proponendo extenuet. Adducit autem quinque. Ego qui eius sequi sententiam volo, sic argumentor primo. Principium ex ratione propria sua formali dicit antecedentiam tum actionis, aut quasi actionis ex eo ortæ, tum earum, quæ actionem vel comittantur, vel subsequuntur. Sed hæc ratio antecedentiæ non potest inesse relationi spirationis actiuæ respectu processionis Spiritus sancti: ergo hæc nequit habere rationem principij erga illum. Maior patet. Minor probatur, quia relatio spirationis supponit personam spirantem, imò & ipsammet originem processionis: & simul est cum spiratione passiua, cumque ea cognoscitur, ac proinde non antecedit illam, nec personam productam, imò ex productione resultat. Consequentia colligit vi formæ.

Secundò. Spiratio illa actiua habet se per modum actus secundi. At verò principiũ se habet ad instar actus primi. Igitur illa spiratio actiua non potest habere rationem principij. Tertio. Vel illa Relatio est principium Quod, vel Quo: neutrum est: ergo non est principium. Probatur dilemma quoad primam partem, quia principium quod, est suppositum: illa autem relatio non est suppositum, imò inest suppositis, Patri, & Filio. Probatur quoad secundam: quia principium quo, est illud in quo productum assimilatur producenti: sed hæc non est relatio, seu virtus spirandi, idest Amor, ergo relatio non potest esse principium quo. Maior est doctrina communis tradita à D.Thoma q.41.art. 5. quem citat Suarez. Consequentia tenet, igitur dilemma concludit. D.Thom

Quartò. Quia Pater est is, qui immediatè amat, & spirat, & similiter Filius, non autem mediante relatione, sed processio est ab Amante, & spirante immediatè: ergo non à relatione. Quintò, quia Relatio non ingreditur rationem virtutis amãdi, nec spirandi, nequit ergo esse principium. Sextò. Relatio vel est principium sumpta in fieri, vel in facto esse: non in fieri, quia hæc est origo, & via: non in facto esse, quia est posterior origine, & via, ergo etiã posterior Principio, quod originem antecedit. Hæ rationes solidæ sunt, & Suarij, meamque persuadent sententiam. Cuius videtur fuisse Ioãnes ille Dominicanus Theologus in Concilio Florentino sess. 18. vbi sic. *Dixi Filium ex Patre, & ex Patris substantia generari, ita tamen vt Pater sit generans: Principium* Ioannes Theolog.

pium autem quo ipsa Persona generat est id quod solum communicabile est. Debeo locum Suario: ac ex illo argumentum formo. Ita se habet *Principium* Quo, in Patre respectu Filij: sicut Principium quo in Patre, & Filio respectu Spiritus Sancti. Sed in Patre est natura communicabilis Filio per intellectum, ergo in Patre, & Filio respectu spiritus sancti erit principium quo voluntas communicabilis spiritui sancto, & quemadmodum Relatio Patris ad Filium prout Relatio est, non habet rationem *Principij quo*, ita neque Relatio spirationis actiuæ habebit rationem *Principij*: *quo*. Eandem tradit doctrinam sess. 19. quæ sanè ibi à Patribus videtur approbari. Quare censeo hanc sententiam multo esse alia de Relatione probabiliorem. Suar.

Supereſt ad argumenta opposita respondere. Primum soluitur dicendo rationem Principij adæquatam semper inueniri cum distinctione reali à termino: non autem Principij inadæquati. Quare si sumatur illud principium vt quod prout includit Patrem, & Filium, distinguitur hoc principium realiter à spiritu sācto ex Patre in omni sententia, ex Filio in nostra, quæ est Scoti admittentis distinctionem inter relationes disparatas: qualis est Filij in ratione Generationis, & Spiritus Sancti in ratione spirationis. Nam in principio *quo* non potest esse diuersitas, sed identitas, vti patet ex doctrina proxima. Verum hæc solutio quo ad distinctionem Principij Spiritus Sancti nequit procedere in sententia D. Thomæ, & Suarij, qui non admittunt illam distinctionem disparatam, sed solum relatiuam in Diuinis. Quare alia solutio adhibenda. Quæ sic habet. Quando Principium fuerit formaliter, Relatiuum, tunc requiri distinctionem realem in Principio, quando vero Principium non fuerit formalis relatio, tunc non requiri in principio realem distinctionem; quamuis aliunde ratione relationis resultantis interueniat etiam in principio realis distinctio: vt apparet in processione Spiritus Sancti qui cum procedat à Patre, & Filio spirantibus per illam virtutem notionalem spirandi, non distinguuntur præcisè à Spiritu Sancto in ratione Principij, sed completa productione Personæ relatiuæ in termino resultat relatio in Principio distincta realiter à termino. Itaque se habet concomitanter, non antecedenter ex parte Principij. Quare argumento in forma respondetur. Principium semper est distinctum realiter à termino; distinguo. Principium purè relatiuum concedo, nō purè relatiuum nego. Vel distinguo: semper datur distinctio antecedens nego, concomitans concedo. Ita Principium constitutiuum in Patre, & Filio respectu Spiritus Sancti non distinguitur realiter, nisi adueniente relatione, atque adeo relatiua oppositione.

Secundum diluitur. Dicendo illam rationem Principij esse notionalem proprietatem, quæ non potest dici simpliciter absoluta, sicut est natura Diuina, communis item Spiritui Sancto, sed certo vocabulo notionalis, quod non sit communis Spiritui Sancto, licet Patri, & Filio sit communis: nec item est relatio pura, quia non est oppositionis in Patre, & Filio. Ac proinde ad dilemma respondetur illam rationem Principij non esse simpliciter absolutam, sed proprietatem notionalem iuxta doctrinam D. Thomæ qu. 36. art. 4. ad 1. & 2. quæ conuenit Patri, & Filio: non autem Spiritui Sancto. Est tamen illa determinata per Relationes Patris, & Filij materialiter ad illam proprietatem se habentes: ratione quarum transit in D. Thom

no-

notionem. Ex qua demum resultat relatio spiratoris: quæ consequitur rationem principij.

Ad tertium respondetur: negando assumptum: liberè quippe assumitur omne principium in Diuinis esse Relationem: sed tantum vbi non est locus alteri Principio præter relationem, vti est in Patre, & Filio. Per has enim constituuntur Personæ in actu ad producendum. At vero vbi iam sunt Personæ constitutæ, non est, nec esse potest Relatio principium, quia iam est ante illam completa ratio Principij. Quemadmodum se res habet in productione Spiritus Sancti vbi Relatio aduenit principio, non constituit principium. Quartum soluitur dicendo Relationem spiratoris non esse frustra, quia est necessaria ex parte Principij iam constituti ad correlationem formalem ad relationem spirationis passiuæ: ac proinde non est superuacua Relatio spiratoris; non enim Pater, & Filius per Paternitatem, & Filiationem ad Spiritum Sanctum referuntur; vel referri vllo modo possunt. Locus Magistri parum iuuat, quia Magister non dicit esse relationem, sed notionem, eoque nomine appellat. Et dum negat ei proprium nomen satis significat non esse relationem, quid enim facilius, quàm appellare illam relationem Spiratoris? Bonauentura nihil fauet, dicens seu notionem, seu relationem, hoc enim ostendit dubitare quid sit? Præterea cum re ipsa non sit distincta relatio mirum non est, quod ea notio, siue relatio ab eo dicatur. S. Thomas nostræ potius sententiæ quàm oppositę patrocinatur: non enim Relationem, sed notionem, & proprietatem dicit: quod proximè obseruauimus.

Sic diluuntur argumenta prolata à P. Montoya, quæ Arriaga minus, meo iudicio, accuratè diluit: tam ea leui brachio attingit vt pene integra, & firmata relinquat. Cætera quæ spectant ad illam partem quæstionis vtrum æqualiter spirent Pater, & Filius, an inæqualiter Spiritum Sanctum de ijs quod est satis superius diximus. Vno verbo resoluimus. Aequaliter & immediatè, ac proximè, & principaliter spirant; vno eo excepto quod Pater spirat per virtutem à se, non ab alio, Filius per eandem virtutem, sed quam non habet ex se, sed acceptam à Patre. Hoc autem spectat ad modum habendi, non ad rationem spirandi: in qua sunt ambo vnum, & æquale principium. Et hæc est doctrina Augustini lib. 15. de Trinit. cap. 27. & tract. 99. in Ioan. & Author. lib. de cognit. veræ vitæ, apud eundem Augustinum tom. 9. cap. 18. & Anselm. de Process. Spiritus Sancti cap. 10. & 16. & Magist. in 1. d. 29. cap. vlt. & Henric. in sum art. 60. q. 9. ad 1. & S. Thom. in 1. d. 12. q. 1 art. 2. & 1. p. q. 36. art. 3. & Albert. 1. p. q. 31. m. 3. Scot. in 1. d. 12. q. 2. ad 1. Altisiodor. lib. 1. sum. c. 3. Gregor. in 1. d. 12. q. vn. Marsil. q. 31. art. 3. Aureol. in 1. d. 12. ar. 2. Carthus. in 1. d. 12. q. 1. col. 2. Suar. lib. 10. de Trinit. c. 3. Vasquez in 1. p. q. 36. art. 2. in comment. Montoya d. 69. si qui authores improbant eos qui dicunt Spiritum Sanctum principalius à Patre, quam à Filio procedere: & qui ita loquuntur eo sensu exponunt, vt Pater spiret à se, Filius à Patre: idque voluit significare magnus ille Ioannes Theologus in Concil. Florent. sess. 24. Dum docuit Spiritum Sanctum *præcipuè esse à Patre*. Quod hausit ex Basilio, qui quemadmodum ibi citatur sess. 25. concedit *Filium esse* ordine secundum à Patre, nimirum propter originem à Patre.

August.
Author l. de cogn. ver. vit.
Anselm.
Magist.
Henric.
Albert.
Scot.
Altisiod.
Gregor.
Marsil.
Aureol.
Suarez
Carthus.
Vasq.
Montoya
Ioannes Theol.
Basil.

CAPVT IV.

Vtrum & quatenus conducat ad probandam processionem Spiritus Sancti à Filio Scholastica illa quæstio: distingueretur ne ab eo Spiritus Sanctus si ab eo non procederet?

CErtum imprimis est multum interesse ad Processionem Spiritus Sancti à Filio adstruendam illa suppositio: nempe fore, vt sublata processione tolleretur distinctio Personarum Filij, & Spiritus Sancti. Nam si vt Spiritus sit tertia, & distincta Persona necesse est vt procedat à Filio: omnino constat ab isto procedere. Hinc iam apparet quanti facienda sit ista quęstio, quam aliqui inutilem putarunt: alij omnino ineptã, & ex qua nihil certè colligi posset, quorũ dux fuit Gotfredus (Goffred.) qui teste Scoto in 1. d. 11. q. 2. huiusmodi quæstionem, quod esset ex hypothesi impossibili superuacuam, & absurdam existimauit. Cum eo sensit Gregorius in 1. d. 11. q. 1. art. 2. Quibus fermè assentitur Torres (Torres) in præsenti q. 36. ar. 2. p. 2. dum ait eam parum *spectare ad Theologum*. Et quidem minuti quidam magistri Theologiæ incogitantia sua eam penè inutilem, & ridiculam reddunt. Nam facta illa hypothesi impossibili: Quod non procederet Spiritus Sanctus à Filio confundunt inter se Filium, & Spiritum Sanctum, & ita micent vtrunque, vt tollant de medio personas: & euertant statum quæstionis. Ac ita respondent argumentis asserentium adhuc ambos manere distinctos, vt negent aliam quoque partem hypothesis propter quam quæstio excitatur: extinguendo personas ne appareat fundamentum distinctionis: itaque concedunt Filium per voluntatem esse processurum, & Spiritum per intellectum nolentes sustinere fabricam controuersiæ ad hoc aptissimè excogitatæ, vt appareat vnde proueniat vtriusq; Personæ propria, & formalis notio cum distinctione earum inter se. Id verò faciunt, qui Scoti argumenta metuunt, quod fortia sint, nec ab ijs expedire se possint, nisi euersa, quæ rectissimè supponitur de distinctionis radice quæstione. Hos ego sic impugno. Græci de facto negant processionem Spiritus Sancti à Filio, & tamen admittunt distinctas esse Personas. Igitur potuerunt duo illa inter se distinguere, negationem processionis, & affirmationem distinctionis Personarum. Quod ergo Gręci de facto ponunt, cur illi sub conditione hypothesis non admittunt? Fingant, quod Gręci verum putant, Spiritum Sanctum à Filio non procedere, & inquirant vtrum hoc admisso maneant distinctę illę personę? quas Gręci absolutè affirmant manere distinctas. Discant ex Scoto in 1. d. 12. q. 1. & Durando d. 11. q. 3. post med. & d. 12. q. 1. n. 8. & Ocham d. 12. q. 1. & Gabr. d. 12. q. 2. art. 1. & Aureolo d. 12. q. vn. art. 1. & 3. & Bellarm. to. 1. lib. 2. de Christo c. 27. & Molina in 1. p. q. 36. art. 4. d. 5. qui sentiunt Personam Spiritus S. casu quo à solo Patre procederet ex vi suę istius formalis processionis futuram esse eiusdem naturę ac proprietatis, quam modo habet cum à Patre, Filioque procedit. Non aufertur ergo suppositio ista secunda de personis, posita illa prima hypothesi impossibili apud Latinos: nempe, quòd à Filio non procederet. (Scotus. Durand. Ocham. Gabr. Aureol. Bellarm. Molin.)

Fundamentum quo inititur Goffredus inane est. Ait ex impossibili sequi quodlibet: ac proinde cum sit impossibile Spiritum non procedere à Filio, eo dato sequitur Spiritum Sanctum distingui, & non distingui ab eodem. At illud assumptũ est falsissimum, nam si dicas supposito, quod Deus per impossibile men-

mentiatur peccabit, non sequitur vtraque pars contradictionis, hoc est peccabit, & non peccabit. Semper enim verum erit dicere peccaturum, cum mendacium sit peccatum. Rursum cum dicis: *Si homo haberet alas volaret* non sequitur non volaturum, & volaturum: sed tantum volaturum. Tertium si dicas: si Dij plures essent non posset constare mundi ordinata, & recta administratio, non sequitur ex eo vtraque pars scilicet rectè, & non rectè administratum iri. Præterea si illa ex hypothesi impossibili absurda, & inepta esset argumentatio rueret doctrina Aristotelis, quæ hoc genus argumentandi probat. Deinde tollerentur multæ quæstiones quæ in scholis Theologię vtiliter proponuntur ab ijsdemmet magistris, qui hanc quęstionem auferunt. Disputatur enim. Quid foret si Deus operaretur ex necessitate naturæ? Deinde si careat scientia creaturarum possibilium, & actualium, quid sequeretur in gubernatione mundi? Quæ duæ quæstiones tam ponuntur vtiliter, vt ex prima Dei libertas, ex secunda prouidentia probetur. Igitur ineptè contra Theologicam istam quæstionem Goffredus argumentatur: quæ nisi esset admodũ vtilis, non ea ab Henrico, D.Thoma, & Scoto, & tota schola Theologica excitaretur. Vtilitas verò in eo sita est, vt appareat, quod sit formale constitutiuum, & distinctiuum duarum personarum Filij, & Spiritus Sancti. Præterea si verum sit, quod communiter tradunt Theologi sublata processione à Filio tolli consequenter distinctionem realem Spiritus Sancti à Filio, erroris euidenter conuincitur Græcorum opinio negantium Processionem a Filio, cum ex ea sequatur negatio duarum distinctarum personarum, atque adeo euertatur mstyeriũ Trinitatis. Inter authores, qui pro vtilitate huiusce quæstionis pugnant præcipui, quantum ego legendo assequi potui, fuere Salmaticensis, qui existimant in eo se causam D.Thomæ agere, qui ante Scotum rem excitauit, & tractauit. Id verò accuratissimè præstant tom. 2. in 1. p. d.14. dub. 2. nos opinor satis compendio diximus.

Status igitur quæstionis est, vtrũ radix distinctionis Spiritus Sancti à Filio sit ipsamet Generatio per quã constituitur Filius, & ipsamet ratio Verbi producti per actum intellectus à Patre. An spiratio Actiua respectu Spiritus Sãcti, per quam Filius constituitur Spirator. Nam si per hanc distinguitur Filius à Spiritu Sancto, si hic ab illo non procedit minimè ab eo distinguetur. Si verò non per hanc, sed per Filiationem distinguatur, etiam si ab eo non procedat, omnino ab eodem realiter distinguetur. Et quidem status perspicuus est. Nam vt Filius producat cum Patre Spiritum Sanctum iam debet esse constitutus in ratione Filij: ac proinde iam est Persona à Patre distincta. Quæritur modo vtrum Spiritus Sanctus, dato quod procedat à solo Patre, non à Filio, iam constituto diuersus futurus sit, & alius à Filio à quo non procedit.

SECTIO I.

Proponitur sententia negans distinctum iri Spiritum Sanctum à Filio, si ab eo non procederet.

Hanc docet S.Thomas 1.p. qu. 36. art.2.& lib.4. contrGent. c. 24.& copiosius De Potentia q. 10. art. 5.& opusc. 1. contr. errores Græcorum c. 32. §. 30. & 31. Alex. 1.p. q.43. m. 4. Albert.1.p.q. 21.m. 3. S. Boauent. in 1. d. 11. art.1. Aegyd. art. 1.q. 3. Heruæus q. 1. Argentina d. 11. q.2. art. 2. Capreol. q. 1.art.1. Marsil. 1.q. 15.art. 3. Fer-

D.Thom Alexand. Albert. Bonau. Aegyd. Heru. Argent. Capr. Marsilius

Ferrar.
Ferrarienſ.4.contr.gent.c.24. Commentatores S. Thomæ in q. 36.in 1. p. Caiet. Couar. Nazian. Zanard. Molina. Salmanticenſes, Vaſquez d.147. Montoya d.68.Suarez lib.10 de Trinit. cap. 2. alijque Theologi in 1. p. D.Thomæ.
Vaſquez
Montoy
Suarez
Salman.

Præcipua huius ſententiæ probatio ſumitur ex illo principio. *In Diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis appoſitio*. Quod eſt communiter ex Patrum doctrina receptum. Ex eo deducitur ſublata Relationũ oppoſitione nullum eſſe diſtinctionis Realis fundamentum. Illud autem Principium tradunt in Concilio Florentino ſeſſ. 18. poſt med. §. *Diuina ſubſtantia*. Et §. *Dixi equidem*. Et Concil. Toletanum XI. in Confeſſione Fidei, vbi etiam id habet Vvormatienſe Conc. quæ tria citat P.Montoya d.68. ſ.4. Accedunt ex Patribus Nazianz.orat. 37. & orat. 39. Cyrillus lib.2.Theſauri c. 3. & lib. 7. c. 1. & lib. 11. c. vnico. Gregor.Niſſen.ad Ablabium lib. *quod non tres Dei*, & lib.1.cont. Eunom. Auguſtin. de Trinit. c. 8. & 11. & lib.7. c. 2. & vltimo, & lib. 8. c. 1. & lib. 11. c. 10. & ſerm. 38. de temp. Boetius lib. de Trinit. ad fin. Anſelm. lib. de Incarnat. Verbi c.3. & Epiſt. de proceſſ. Spir. S. c.2. & 3. & cap.vlt. Iſidor. lib.2. de differ. ſpirit. c. 2. Bernard. epiſt. 190. ad Innocent. Faciunt alii Patres, qui non agnoſcunt alia conſtitutiua, nec diſtinctiua Perſonarum, præter relationes, ſiue origines ſecundum rationes principij, & procedentis à principio, quomodo loquuntur Latini, vel cauſæ, & cauſati, quomodo loquuntur Græci. Hi ſunt Dionyſius de diuin. nom. c.2. & Baſil. hom. 28. contra Sabellian. & lib. 2. contr. Eunom. & Epiſt. 43. ad Gregor. Niſſenum. Athanaſ. Dial. 1. de Trinit. & queſt. de natura Dei Anonymis q.2. Nazianz. orat. 1. nu.71. & orat. 23. in laudem Heronis, & orat. 23. ad Arianos nu. 52. & orat. 29. de dogm. & conſtit. Epiſcopor. & orat. 32. ad centum, & quinquaginta Epiſcopos, & orat. 37. 5. de Theolog. & orat. 39. in Sancta lumina ante num.24. Cyrill. Alexand. Dial. de Trinit. lib. 1. inter med. & fin. & lib.3. col. 1. & lib.2. colum.5. & lib.6. col. 4. & lib. 7. prope med. Sophronius Patriarcha Conſtantinopol. in 6. Synod. Act. 11. Theodoret.dial. Immutabilis, & lib.2. de Princip. col.penult. & comment. ad Hebr. 1. ad illud *Figura ſubſtantiæ eius*. Anaſtaſ. Sinait. lib. 1. de rectæ Fidei dogmatib. & Iſidor. Peluſiota lib. 2. epiſt. 42. & Damaſcen. lib. 1. c.9. & lib. 3. c.5. 6. & 7. & epiſt. de Triſagio, & orat. 1. de Natiuit. B. Mariæ, & lib. de duab. Chriſti voluntatibus. & lib de Decretis prim. inſtit. c.1. & 3. & in Concil.Florentino Marcus Græcorum nomine ſeſſ.29. ait. *Per ſuas Proprietates Perſonas differre*. At proprietates ſunt Relationes oppoſitæ. Hi Greci. Eadem eſt doctrina Patrum Latinorum. Ambroſij in ſymbol. Apoſtol. c. 10. & de Fide ad Gratian. l. 1. c. 12. & lib. de incarnat. Dom.myſt. c. 9. & Hilar.lib.11. de Trinit. ſub init. & lib.12.in med. Auguſt. lib.3.cont. Maximin.c.10. & ſerm.38. de temp. & lib. 33. quæſt. q. 69. Fulgent. de Fide ad Petr. c. 1. & reſpondens ad 1. obiect. Arian. Ioan. Papa 1. lib. de duab. natur. contra Eutych. Cyprian. lib. de Cardinal. Chriſti operibus cap.de natiuit. Bernard. lib. 5. de conſid. ad Eugen. & Epiſt. 190. ad Innocent.

Conc.Fl. — Naziànz — Cirillus — Nyſſen. — Auguſtin — Boetius — Anſelm. — Iſidor. — Bernar. — S. Dion. — Baſilius — Athanaſ. — Nazianz. — Cyrillus — Sophron — Theod. — Anaſtaſ. — Synaita — Iſidor. — Peluſ. — Damaſc. — Conc. Fl. — Ambroſ. — Auguſt. — Fulgent. — Ioan. P. — Cyprian. — Bernard.

Clariſſimè hanc ſententiam tradit Ioannes Theologus in Concil. Florent. ſeſſ.18. probans ex ſententia Græcorum Patrum incommunicabilitatem prouenire ex vi Relationis, quæ ſit *à quo aliquid*, & ad *quod aliquid*, ideſt principij producentis, & termini producti. Idem §. *Dixit equidem* ita concludit aduerſus Græcos
Ioannes.
Theolog.

cos

cos. *Sola Relatio apud omnes Græcos & Latinos Doctores Diuina processione Personas multiplicat, ita vt non vlla alia ratione, quam Relationis vna persona ab alia differat.* Loquitur autem de Relatione opposita ratione processionis actiuæ, & passiuæ iuxta doctrinam suæ scholæ Thomisticæ: eoque argumento conatur Græcos, qui negabant Processionem à Filio, conuincere.

Bessar. Maior vis est in locis Bessarionis. In 1. orat. pro vnione c. 6. docet Personas Diuinas constitui principaliter per eas relationes, quę fundantur in origine, seu processione: & ad id attulerat prius locum Gregorij Nysseni ad ad Ablatium. *Eo* inquit *distinguitur Spiritus à Filio, quia per ipsum est: quasi dicat, cum ambo à Patre sint, non sufficienter distinguerentur nisi alter per alterum esset.* Ita intellexit Bessarion mentem Nysseni, & vlterius ostendit ly *Esse per ipsum* perinde valere, ac *procedere à Filio*. Et quidem tetigit Bessarion mentem Nysseni: nam hic in eodem lib. ad Ablab. prope finem iuxta Montoyam sic ait. *Per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus, nimirùm eo quod credimus aliud quidem causam esse, aliud vero ex causa, & ex eo quod causa est.* Dicta vero Bessarionis Concilio placuisse compertum est. Quare videtur hæc sententia à Patribus eius Concilij propè definita. Hoc argumentum ab authoritate ductum rationem appellat Montoya: & primam ordine ponit. Secundam format ex dictis Bessarionis, & Ioannis Theologi in Concilio Florentino. Tertiam principalem vocat: & huiusmodi est. Spiratio actiua propterea non constituit tertiam personam realiter distinctam à Patre, & Filio quoniam illis non opponitur relatiuè. At si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non illi opponeretur relatiuè, ergo non constitueret Personam distinctam realiter à Filio. Hanc rationem prius formauit Durandus, & ab eo accepit, & exposuit Vasquez d. 147. c. 6. Durand. Vasquez Aliam affert idem, quam pro Confirmatione ponit Montoya, & ad idem fermè redit principium, nempe vbi non datur oppositio relatiua non interuenit realis diuersitas Personarum: & versatur in alio exemplo à primo per comparationem deducto, quam sic proponit Montoya. Eadem proportio est inter actiuas origines, & passiuas. Sed origines actiuæ spirationis non inferunt distinctionem realem inter Patrem, & Filium spirantes, ergo neque origines Passiuæ ex parte Filij, & Spiritus Sancti distinguentur: ex ea sanè ratione quòd non opponantur relatiuè. Addit Vasquez cum certum sit de Filio distingui realiter à Spiritu Sancto, non posse hanc certitudinem niti principio incerto quale illud Scoti, quod distinguantur interse per relationes non oppositas, sed tantum disparatas. Itaque omnino fundandam esse distinctionem in oppositione relatiua, quæ certa, & indubitata est in Ecclesia. Hæ siue duæ, siue tres rationes, quas Montoya, & Vasquez tantoperè moliuntur, à D. Thoma clarè admodum, & perspicuè adducuntur 1. p. q. 36. ar. 2. in corpore. D. Tho. Eas ipsius verbis volo afferre: nihil enim aptius dici potest. *Respondeo dicendum, quod necesse est dicere Spiritum Sanctum à Filio esse. Si enim non esset ab eo nullo modo posset ab eo personaliter distingui. Non enim possibile est dicere, quod secundum aliquid absolutum diuinæ personæ ab inuicem distinguãtur, quia sequeretur quod non esset trium vna essentia. Quicquid enim in Diuinis absolutè dicitur ad vnitatem essentiæ pertinet. Relinquitur ergo quod solum relationibus diuinæ personæ ad inuicem distinguantur. Relatio-*

lationes autem personas distinguere non possunt, nisi secundùm quod sunt oppositę. Quod ex hoc patet, quia Pater habet duas relationes, quarum vna refertur ad Filium, & alia ad Spiritum Sanctum, quæ tamen quia non sunt oppositæ, non constituunt duas personas, sed ad vnam personam Patris tantum pertinent. Si ergo in Filio, & Spiritu Sancto inuenire non esset, nisi duas relationes quibus vterque refertur ad Patrem, illæ relationes non essent ad inuicem oppositæ, sicut neque duæ relationes quibus Pater refertur ad illos. Vnde sicut persona Patris est vna, ita sequeretur quod persona Filij, & Spiritus Sancti esset vna habens duas relationes oppositas duabus relationibus Patris. Hoc autem est hæreticum quia tollit Fidem Trinitatis. Oportet ergo quod Filius & Spiritus Sanctus ad inuicem referantur oppositis relationibus. Non autem possunt esse in diuinis aliæ relationes, nisi relationes originis: vt supra probatum est. Oppositæ autem relationes originis accipiuntur secundum principium, & secundum quod est à principio. Relinquitur ergo quod necesse est dicere, vel Filium esse à Spiritu Sancto, quod nullus dicit, vel Spiritum Sanctum esse à Filio, quod nos confitemur. Et huic quidem consonat ratio processionis vtriusque. Dictum est enim supra quod Filius procedit per modum intellectus: Spiritus Sanctus autem per modum voluntatis, vt Amor. Necesse est autem quod Amor à verbo procedat. Non enim aliquid amamus, nisi secundum quod conceptione mentis apprehendimus. Vnde & secundum hoc manifestum est, quod Spiritus Sanctus procedit à Filio. Certè quæ alij fusissimè dicunt, hic ea omnia summatim videas collecta: & ex hoc vno D. Thomę Fonte omnes hauserunt, & haustam in riuulos doctrinam deduxerunt.

SECTIO II.

Affertur contraria affirmans Spiritum Sanctum distinguendum fore à Filio, quamuis ab eo non procederet.

HVius author pręcipuus habetur Scotus, non quod primus eam tradiderit, sed quia illam firmius probauit, fortius muniuit, & accuratius tractauit. Is ergo eam proponit, & sequitur in 1. dist. 11. qu.2. vbi omnes Scoti discipuli. Docuerat eam prius Henricus quodlib. 5. qu. 9. quo cum sensit Bacon. in 1. dist. 13. qu. 1. Eam fermè sequitur Aureol. in 1. dist. 11. qu. 1. art.2. & Gabr. dist. 11. qu. 2. art. 2. concl. 1. & Gregor. in 1. dist. 11. qu. 1. art. 2. Licet in nonnullis ab Scoto dissentiant. Propendet in eam Richard. art. vndec. quæst. 2. & Carthus. ib. q. 2. Nititur authoritate Patrum docentium Personas constitui, & distingui per hypostases constitutas ex vi Processionum inter se diuersarum: quæ cum sint per intellectum, & voluntatem, vna Generatio verbi, altera Processio Spiritus Sancti realem afferunt distinctionem. Ita Nazianz. orat. 39. in Sancta lumina circa med. & post num. 24, & Athanas. dial. 1. de Sancta Trinit. contra Anomæum inter med. & fin. Augustin. lib. 5. de Trinit. cap. 14. Damascen. lib. 1. de Fide cap. 7. 9. 10. 11. & 18. Anselm. lib. de Processione Spiritus Sancti cap. 2. & 3. [Scot. Henric. Bacon. Aureol. Gregor. Richard. Carthus. Nazianz. Athanas. August. Damasc. Anselm.]

A ratione sumuntur præcipua fundamenta. Prima est à priori hoc modo. Principium quo res propriè constituitur, est etiam distinctiuum ab alia, quæ eo non constituitur. At secunda Persona Filius constituitur per Filiationem procedentem per intellectum, quæ non conuenit Spiritui Sancto procedenti per voluntatem, ergo Filiatio est principium consti-

constituens, & distinguens Filium à Spiritu Sancto; quod argumentum est in Darij, & videtur concludere si applicetur. Applicatur autem hoc modo. Si per impossibile Spiritus Sanctus nõ procederet à Filio, adhuc maneret in Filio ratio Processionis per intellectum, & ipsamet Filiatio per quam constituitur nunc, & distinguitur à Spiritu Sancto, ergo adhuc maneret sufficiens Principium distinctiuum; per quod quamuis à Filio non procederet à Spiritus Sanctus, & hic à Filio distingueretur.

Secunda, etiam à priori. Non potest res vlla substantialiter, & in suo esse ab alia distingui, per id, quod aduenit sibi iam substantialiter, & in suo esse constitutæ. Sed relatio spirationis actiuæ aduenit Filio, iam substantialiter, & in suo esse constituto, ergo per eam non potest distingui substantialiter à spiritu sancto. Maior, & minor constant. Consequentia est in forma.

Tertia. Quamuis spiritus sanctus non procederet à Filio adhuc essent duæ emanationes, altera per intellectum, altera per voluntatem, distinctæ ex ratione sua, & disparatæ, quæ distinctio transiret in terminos, quos producunt, qui sunt verbum, & amor, igitur, & hi sua propria ratione disparatè distinguerentur, quemadmodum & emanationes.

Quarta. Fingamus Spiritum sanctum non procedere à Patre; hoc supposito, adhuc ille à Patre distingueretur, ergo eodem ratione si non procederet à Filio ab eo realiter distingueretur. Assumptum ostenditur, quia Pater esset à se, non ab alio, & generaret Filium, quod non faceret spiritus sanctus, quia est amor; igitur Pater distingueretur à spiritu sancto, non per relatiuam oppositionem, ergo per distinctionem disparatam.

Quinta, Item à priori; quando proprium constitutiuum vnius rei habet ex sua ratione substantiali, & formali annexam negationem alterius, est argumentum realis ab ea distinctionis, sed ratio substantialis Filij, & Verbi, & Imaginis, per quam inesse constituitur, annexam habet negationem spiritus sancti, qui non potest esse verbum, nec imago, neque Filius, ergo spiritus sanctus, & Filius realiter distinguuntur per rationem amoris, & verbi.

Vnde conficit Scotus, non solam distinctionem oppositionis relatiuæ esse in Deo realem, sed etiam disparatam realem esse. Fatetur itaque de facto: Filium, & spiritum sanctum duobus illis modis distingui, tum oppositione relatiuę spirationis ad spiritum sanctum, tum distinctione disparata verbi, & amoris.

SECTIO III.

Fertur iudicium de prædictis sententijs, & vtraque tuta, & probabilis esse ostenditur.

QVod primum attinet, quæ Diuum Thomam habet Authorem, ea multum in Scholis inualuit, adeo vt communi Theologorum, extra scholam Scoti, consensu, & recipiatur, & sustineatur, habeaturque pro sententia Patrum, & ad Græcorum errorem confutandum accommodata. Hinc est, vt nonnulli eius sectatores maiores, quàm par esset, animos sumpserint ad oppositam Scoti acrius taxandam, tanquam affinem errori Græcorum, & minus doctrinæ Patrum, & Florentini Concilij consentaneam. Equidem ego, qui soleo sine amore, sine odio, sine inuidia, & sine ambitione, aut studio partium calculum, ponere, sic iudico hanc Diui Thomæ sententiam gratiosam esse, ac

fœli-

fœlicem, quod tam latè pateat, & in Scholis dominetur. Obseruo enim quemadmodum, quod aliàs opinor, animaduerti, ex hominibus alij sunt fœlices, & gratiosi, alij infœlices, & odiosi citra meritum, & sine vllo, vel officio, vel maleficio, ita contingere in sententijs, quæ interdum magis minus ve probantur iuxta hominum placita, & arbitria, quibus gratæ, ingratæ ve accidunt.

Harum duas hasce S. Thomæ, & Scoti oppositas esse puto sententias, quæ cum ambæ probabiles sint, & fortasse æque verisimiles: diuersa tamen earum fortuna est, quod ea S. Thomæ, multis arrideat, Scoti vero paucis probetur. Et quidem S. Thomæ si authoritatem attendas, multo præstat Scoti sententię, si argumenta expendas, nihil ei cedit sententia Scoti: imo huic illa concedit. Nam illud principium, quod pro certo, & indubitato assumitur, nullam esse in Diuinis realem distinctionem nisi vbi est oppositio Relatiua, antiquiorem Anselmo Authorem nõ habet, vt videbimus cap. sequenti. An vero is illud tradiderit non admodum constat. Nam duo insignes Theologi Vasquez d. 147. cap. 4. & Suarez de Trinit. dist. 10. cap. 2. ingenuè fatentur Anselmum magis fauere Scoti sententiæ, ad idque locos idoneos producũt. Quibus etsi Montoya opponat, dicens Anselm. in ijs ex aliena sententia loqui nihil aduersus tantos viros proficit. Itaq; res tota ad scholã redit, quæ nisi id rationibus probet, non admodum illud constabit principiũ. Probari autem ratione principia, nec solent, nec possunt: cum præsertim omnes rationes eo vno nitantur principio, & ab eo desumantur. Adeo vt eo negato, quod sine piaculo fieri potest, cum sacrum non sit, omnes infirmentur. Porro si rationes examinentur, illæ ipsæ magna ex parte authoribus eiusdem displicent: vti videre est in Vasquez cap. 5. qui nonnullas ex Caietano, Durandoque producit, & improbat. Quas vero ipse affert cap. 6. ad duas rediguntur, quę & infirmitatem suam produnt, & à nobis haud difficilè suo loco soluentur. Quæ proponuntur à Montoya, & alijs minimè nos deterrent à tuenda Scoti sententia. Illud certum est: negato illo principio, quod Nysseno, Anselmoque tribuitur omnia penè argumenta labascere. Et quidem adhibita distinctione illa Scoti disparata, tamquam admota machina ruit, quod obtenditur, principium. Venerabilis tamen est ea D. Thomæ ob illius, & quos ille multos, & magnis sectatores habet, authoritatem sententia, & quia Græcorum errori magis est opposita, ex eo sibi gratiam conciliauit.

Anselm. | Vasquez. | Suar. | Montoya

Quod spectat ad sententiam Scoti. Eam nonnulli malè accipiunt, de quibus iure queritur Vasquez disp. 147. cap. 3. quod eam tentarint erroris, & periculi in Fide insimulare: nixi, vt ait, loco Florentini Concilij, quem ipsi arbitrio finxerunt suo, & ad genium formatum vel deformatum Scoto obiecerunt. De quo multis agit eo cap. 3. Vasquez, & paucis Montoya disp. 78. sess. 2. Sed hic, vt impugnet Scotum, ille vt defendat. Videamus, apud Vasquium locum Concilij. Sic is, inquit, habetur sess. 25. in Confess. Fidei factæ in Concilio, & ad Græcos missa. *Nam credentes spiritum sanctum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, vt intelligant spiritum à solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium, qui autem proferunt spiritum ex sola Patris persona procedere, hi procul dubio substantiam ab hypostasi separant, & partitionem nugantur diuinæ substantiæ, quod à ratione valde est alienum*, Hæc sunt verba, inquit, Vasquez cap. 3. n. 11.

Vasq. | Montoya | Concil. Florent.

nu.11. *Quæ in omnibus exemplaribus: nunc habentur prædicti tamen Theologi, vt sententiam Scoti erroris, aut periculi insimulent comminiscuntur nescio quam emendationem huius litteræ, quā dicūt in omnibus codicibus, si Deo placet, esse mendosam. Sic igitur dicunt legendū esse. Nam credentes Spiritum S. ex Filio nequaquam procedere, necesse est vt intelligant Spiritū ex solo Patre procedere, ac consequenter eum esse Filiū. Quibus verbis si ea essent Concilij, sententia Henrici, & Scoti apertè damnaretur.* Quid autem Vasq. sentiat audiamus. *Verum*, ait, *hæc friuola sunt vt Henrici, & Scoti sententia improbabilis, nedum periculosa in Fide censeri debeat. Quis enim non videat ridiculum esse verba Concilij, quæ in omnibus codicibus Græcis, & Latinis eodem modo habentur, emendare, vt* Vasquez. *sententiam Scotì erroris insimulemus? Potius ipsi notandi essent, qui hanc emendationem tam leuiter excogitarunt, cum aliunde facili sensus ex prædictis verbi colligi possit.* Ita Vasq. qui sensum eum innoxium verborum, sic producit. *Cum Græci*, inquit, *docent spiritum sanctum non procedere à Filio consequenter docent ex solo Patre procedere; ac proinde eum, scilicet spiritum sanctum, non esse Filium, ita vt Trinitatem astruant. Quæ in quatuor Generalibus Concilijs definitur, quibus Græci in eo Concilio Florentino congregati, ita deferebant, sicut quatuor Euangelijs. Non ergo infert Concilium Florentinum contra Græcos absurdum illud quod nostri Theologi contra ipsos, & Scotum inferre tonantur, nempe eum scilicet spiritum sanctum esse Filium, si à Patre procederet. Sed statuere potius voluit, quod Græci secundum veram Fidem adstruere deberent, nempe si spiritus non procedit à Filio saltem à Patre procedere, & à Filio distingui, ne Trinitatem confunderent.* Cui nos sanè gratias agimus pro studio defendendi Scotum, cui quod ille acumine, & subtilitate similis est; iure quodam eum debuit tueri, & à calumnia liberare. Verum duo in Vasquez desidero. Primum Fidem in citando loco Cōcilij. Secundum rationem in eo exponendo. Vt ab hoc incipiam. Si textus Concilij, ita se habet, quemadmodum affert Vasquez, non multum certè fauet Scoti sententiæ, si eo sensu Vasquij intelligatur. Nam ille aptus non videtur: verba quippe illa. *Necesse est, vt intelligant à solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium*: nescio an eam expositionem Vasquij patiantur? Illa enim particula, *consequenter*, turbat illam: cum ex eo quod à Patre solo Spiritus Sanctus procedat, non sequatur verbum esse *Filium*, imò sequatur Spiritum Sanctum esse Filium, nam qui ex solo Patre procedit: Filius est. Igitur dato quod Spiritus Sanctus à solo Patre procedat consequenter deducitur esse Filium, quemadmodum Theologi hostes Scoti emendabant: nixi illa particula *consequenter*, sed admittamus illud, *non*, vt sit sensus: *Necesse est eos qui negant Spiritum Sanctum procedere à Filio, intelligere spiritum sanctum à solo Patre procedere.* Certum hoc est, si enim non procedit à Filio, à solo Patre procedit. Sed quomodo verum erit, quod subiungitur, *debent intelligere consequenter*, idest ex eo, quod procedat à solo Patre, *eum non esse Filium* quomodo enim hoc consequenter deducatur? Scilicet eum non esse Filium, qui ex solo est Patre? cum oppositum sanè sit consequens nimirum, qui est à solo Patre est Filius. Et quidem illa particula *consequenter* non ponitur eo modo quo dicit Vasquez. *Cum Græci docent Spiritum Sanctum non procedere à Filio consequenter docent ex solo Patre procedere.* Sed ponitur. *Ac consequenter non esse Filium*, vt ly *consequenter* non cadat super *ex solo Patre procedere*: nam hoc erat euidens & idem per idem: non autem con-

sequens ex alio. Quis enim non videt perinde esse apud eos, qui concedunt ex solo Patre procedere, ac negant procedere ex Filio, non procedere à Filio, ac procedere ex solo Patre. Non ergo hæc veritas est consequens: sed eadem. Cadit ergo *consequenter* super id, quod sequitur nempe: *eum esse Filium*, vt sensus sit. Ex eo; quod est à solo Patre sequitur eum esse Filium, sicuti illi Theologi emendantes textum dicebant. Itaque illud *non* stare nequit cum ea particula *consequẽter*. Præterea Concilium in eo loco non instruebat Græcos, nec laudabat eorum Fidem in Filio retinendo, adhuc negata processione ab eo Spiritus Sancti, sed eos impugnabat, vt apparet ex textu, & constat ex verbis adiunctis. *Qui autem proferunt ex sola Patris persona Spiritum sanctum procedere hi procul dubio substantiam ab hypostasi separant, & partitionem nugatur diuinæ substantiæ*. Hoc manifestè infertur contra Græcos: ergo, & illud aliud *non* esse, aut *eum esse* Filium, vt eo modo legatur, contra Græcos erat. Patebunt ista illum locum, & sequentes Concilij legentibus. Vnde P. Ruiz de Montoya, retento illo *non* cum Vasquio contra eum exponendo sensit, ait quippe mentem Concilij fuisse Græcos impugnare dicentes ex solo Patre Spiritum Sanctum procedere, quia ex eo sequebatur tolli omnino Personam Filij. Hoc est *necessario sequitur, non existere Filium, quia non erit consubstantialis, vt explicatur in eodem* §. Nempe in verbis proximè à me adductis. *Substantiam ab hypostasi separant, & partitionem nugantur diuinæ substantiæ*. Adijcit Montoya. *Clarius autem in* §. *Quoniam Græci nos calumniantur: illis verbis: Tres in partes diuinam illam substantiam diuidi mente concipiat. Hoc enim sequitur si Spiritus Sanctus non procedit à Filio. Tunc enim non existere Filius eiusdem substantiæ cum Patre, sed existeret alter Filius diuersæ substantiæ, nec non alter Spiritus Sanctus*. Equidem hunc esse sensum illius loci, (si ille ita habetur in Concilio) quem affert Montoya existimo. Nam video Patres Latinos in ea parte sessionis voluisse liberare se à calumnijs Græcorum Catholicam eorum sententiam impugnãtibus: ac in eosdem argumenta retundere: monstrando errare illos in sua sententia negante Processionem à Filio. Contra eos ergo duo absurda inferebant. Vnum ea ratione tolli Filium, quia cum careret virtute spirandi non haberet eamdem essentiam, & consubstantialitatem Patris. Alterum diuidi substantiam Trinitatis, quia in Patre erat versus spirandi, quæ non erat in Filio actiuè, nec in Spiritu Sancto passiuè, si enim Filius eum non producebat, nihil ei communicabat: ac proinde diuisam virtutem, & partialem recipiebat à Patre. Itaque eo admisso errore, in Filio erat essentia diuisa ab essentia Patris, quia virtutem spirandi non accipiebat, & in Spiritu Sancto erat illa virtus spiratiua communicata à Patre, quæ nullo modo in Filio erat. Atque hic est germanus illius loci intellectus, vti affertur à Vasquio, & Montoya.

Montoya

Verum rem audiat Lector mirabilem; quem hic attentum volo. Hic textus, quem affert Vasquez, & Montoya, & alij apud Vasquez, Theologi, non inuenitur in Concilio Florentino. Nam cum ego eum quæsissem (soleo quippe fontes inquirere) & exemplaria omnia, quæcumque inuenire potui cõsuluissem, non potui textum illum reperire. Itaque nec in editione Romana, nec in editione Seuerini Binij, nec in eo, quæ est Stephani Paulini locus ille extat, quemadmodum quiuis experiri poterit, qui mihi fidem habere nolit. Non possum non magnopere mirari duos hosce doctissimos viros hos locos ita citare, cum

in his exemplaribus tantæ authoritatis non sint. Nam P. Arriagam eumdem locum adducentem non multum curo, quòd ille solius Vasquij Fide citet, & leui brachio hanc difficultatem attingat, satisque non consuluisse se Concilij exemplaria significet. Tanta mihi est in duos illos authores reuerentia, vt de eorum Fide non ambigam. Credo eos in aliquod exemplar incidisse, quod illos textus continebat. Imo & mihi persuadeo antiquiora quædam exemplaria, ita omnino, vti legit Vasquez, habuisse, quod video affirmari ab eo *in omnibus codicibus*, quemadmodum ille citat, *verba illa reperiri*. Id iudico. Ea exemplaria mendosa fuisse, nostra esse castigata, cum præsertim videam Græcos fontes *illis verbis carere*: quos ego adiui, & comperi cum nostratibus Latinis Romanis, & Binianis, & Paulinianis, quæ aliter, quam adducunt Vasquez, & Montoya habent, consentire. Affero locos, quos inueni. In Concilio Florentino sess. 25. §. *Sed quoniam suspicantur*, sic ait Concilium. *Etenim qui negant Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere, profectò manifestè declarant, quod ex solo Patre: si vero ex solo Patre, fuit ergo, quando non erat Filius. Si vero dicant, quod ex sola Paterna hypostasi, separant re ipsa substantiam ab hypostasi, atque ita per ipsos substantia in partes secabitur, quod absurdum est*. Hæc est legitima sententia, cui Græca omnino respondet. Non est hic, nec illud *consequenter*, nec illud *non*, nec illud *Eum*. Tamen locus rem continet, quemadmodum exponebat Montoya. Nam duo hic absurda afferuntur à Latinis contra Græcos. Alterum sequi, tunc non esse Filium. *Fuit ergo, quando non erat Filius*. Idest quando Spiritus Sanctus processit à solo Patre: alterum, si erat Filius, quando processit à Patre diuisam fuisse virtutem spirandi in Patre, qui eam habebat, & in Filio qui non habebat: atque adeo non fuisse eamdem, & integram substantiam Diuinitatis in Filio, quæ duo hic in nostro textu clari dicuntur. Alia vero expositio Vasquez, omnino excluditur, nec tertia illorum Theologorum emendantium textum locum habet. Verum est illam primam rationem alium quoque sensum pati posse: nempe fuisse tempus, quando non erat Filius, quo sensu Ariani dicebant de eodem Filio. *Erat aliquando, quando non erat*, quòd erat Creatura, perinde ac Filius non esset, adhuc quando Spiritus Sanctus erat, & procedebat à Patre. Video tamen hunc sensum alieniorem esse à mente Concilij. Itaque duo priores videntur apti.

Arriaga.

Vasq.

Concil. Florent.

Montoy.

Hinc existit argumentum aduersus Scotum: quia videtur Concilium damnare illius sententiam, quemadmodum volebant illi Theologi, quos Vasquez refellit. Nam si ex eo, quod Spiritus Sanctus non procedit à Filio sequitur, & tolli Personam Filij, & diuidi substantiam Dei, in omni suppositione hæc duo sequuntur ex natura rei, ac proinde ex sententia Scoti hi errores sequuntur. Respondeo tamen hos duos locos nocere Græcis, sed Scoto nihil officere. Ratio est, quia Græci negabant de facto processionem Spiritus Sancti à Filio, tum materialem, tum formalem, nec putabant in eo se errare. Vnde necesse erat ostendere ijs absurda, quæ inde sequebantur, nimirum non habere integram rationem Deitatis, nec esse Filium Dei, cum in eo non esset consubstantialitas cum Patre Deo: præterea diuisam esse essentiam eo modo, quo proximè diximus in tribus Personis. Quos errores Græci non videbant, et re ipsa sequebantur ex negatione Proces-

sionis, quæ de facto est. At vero Scotus admisso Fidei mysterio, & Processione à Filio, faciebat suppositionem ex impossibili, & speculando inquirebat, quid futurum esset, si manente Filio in ratione Filij præcisa ratione spirandi maneret adhuc ex vi generationis distinctus à Spiritu Sancto? quæ tantum modo est quæstio speculatiua ad vidēda prædicata Geniti, & Spirantis. Itaque Scotus non euertebat naturam Filij, sed eam prorsus retinebat, & volebat, vt omnino maneret sub ea ratione geniti à Patre per intellectum, & an hoc sufficeret ad distinctionē Spiritus Sancti speculando inquirebat. In quo certè nullus inesse poterat error: cum adhuc in ea suppositione vellet, vt maneret Persona Filij, etiam vti distincta à Spiritu Sancto, quem etiam supponebat per voluntatem solius Patris ex eius vnius amore procedentem, & de eo quærebat vtrum à Filio, quatenus erat Filius genitus per intellectum distingueretur. Imo hinc apparet Scotum, tam necessarium putasse Filium in Diuinis, vt etiam virtute spirandi ablata Filium esse non negaret facta suppositione impossibili, quòd existimaret duas esse rationes constituendi, & distinguendi Personam Filij, vnam ex processione generatiua Patris, alteram ratione spirationis actiuæ, erga Spiritum Sanctum. Qua ratione Scotus magis stabilit, & firmat Personam Filij, quàm oppositæ sententiæ authores, qui vna tantum spiratione actiua volunt à Spiritu Sancto distingui, ac ea sublata speculatiuè loquendo tollunt Personam Filij, cum is non constituatur in esse Personæ per spirationem actiuam, sed per Relationem Filij, cui aduenit Relatio spirationis actiuæ, post Personam Geniti constitutam. Quid hic quæso non est tutum, non ingeniosum, non ad doctrinam veritatis accommodatum? Sumus in Schola cum Scoto: fatemur Catholicam veritatem, reprobamus errorem Græcorum, qui negabant de facto processionem à Filio, & consequenter euertebant Personam Filij, quæ nunc est, nec esse potest sine illa virtute spirandi, qua in eo sublata ruit natura Filij. Damnamus hunc errorem cum Scoto in Ecclesia, & in Schola. At quando facta illa suppositione impossibili consideramus Personam Filij, abstrahendo ab illa spiratione actiua, & examinamus, an adhuc esset Persona distincta à Spiritu Sancto nihil profecto committimus, quod reprehendi possit, imo si inueniamus rationem qua possimus sustinere præcisa adhuc ratione spirandi Personam Filij, gratulandum nobis potius est, quam indignandum. Nam fortiora sunt duo vincula, alterum ex vi generationis per quam Filius producitur à Patre, alterum ex actiua spirandi virtute, per quam idem Filius Spiritum Sanctum spirat, quam vnum istud spirationis actiuæ, à quo solo res tanta dependeat. Itaque laudem meretur Scotus, non reprehensionem.

CAPVT V.

Sententia Scoti alteri præfertur, & multis argumentis confirmatur.

Tria sū in hoc capite monstraturus. Primum sententiam Scoti argumentis valere. Secundum Sacræ Scripturæ, & doctrinæ Patrum magis esse conformem. Tertium nihil ei nocere, contraria, vel ex authoritate, vel ex ratione sumpta argumenta. Ac tunc concludam eam prorsus alteri esse præferendam. Idque ante omnia profiteor; ex quo dare operam Theologiæ cæpi

pi ſemper mihi Scoti doctrinam, quam modo ſequor placuiſſe, & quo eam magis expendo, magis mihi arridere.

SECTIO I.

Sententiam Scoti argumentis valere.

ID rationes pro ea factæ perſuadent, quæ quia validæ, & fortes ſunt, coegerunt aduerſarios in partes abire, & hinc inde varias reſpõſiones colligere, & adhibere, quas cum ſinguli proponant, nulla fermè eſt, quæ ſuo authori cum placeat, alijs non diſpliceat. Itaque non tam nos eas ſolutiones impugnamus, quam ipſimet aduerſarij refutant. Id videre eſt in Vaſquez, (Vaſquez.) qui non modo rationes Thomiſtarum, ſed etiam ſolutiones ad argumenta refellit, & in Arriaga, qui à (Arriaga.) Vaſquio adhibitas infringit; quæ cum ſint communes alijs eximijs Societatis IESV Theologis, ſi eę non ſunt aptæ, non erunt aliæ aptiores. Certè quas adducit Arriaga, leuiculę ſunt, & multò quam Vaſquianæ minus probandæ. Nec me puto iniuriã facere Arriagæ dum eis Vaſquium acerrimi ingenij, & grauiſſimi iudicij, & ſummæ eruditionis virum præpono. Præterea multa Scoti, & præcipua principia ab aduerſarijs doctioribus recipiuntur, & probantur: de quo cum ijs alij, neſcio an æquè docti, expoſtulant. Cuiuſmodi eſt illud de duplici modo diſtinguendi: per relationes ſecũdum rationem propriam relatiuam ab oppoſita relatione, & ſecundum rationem diſparatam ab alijs, quibus formaliter non opponitur, quod ſanè arridet magnis duobus Theologis Suario, & Vaſquio, & tertio, (Suar. Vaſq.) item pari, Montoyæ. Quorum Vaſquez diſp. 147. cap. 5. num. 2. Hanc (Montoya) doctrinam recipit, & confirmat aduerſus Thomiſtas clariſſimos Caietanum, & Canarienſem docens, & ratione, & exemplo Relationes diſtingui inter ſe tum relatiuè, tum diſparatè. *Nam Paternitas*, inquit, *non ſolum differt à relatione, ſed etiam à ſimilitudine, & alijs*. Ac eo Caietanum conuincit fatentem: (Caiet.) *Si Spiritus Sanctus non procederet à Patre ab eo nihilominus diſtinctum iri*. Ergo ait Vaſqnez, *iam Paternitas diſtingueret Patrem ab alio, quàm ab oppoſito relatiuo, & Proceſſio ſimiliter*. Et hanc rationem diſtinguendi diſparatè in ipſa relatione multis ibi probat Vaſquez, & Montoya diſp. (Vaſquez) 168. ſect. 4. num. 16. Quod dum admittunt principium, neſcio quomodo negare poſſunt Filium poſſe diſtingui à Spiritu Sancto, tum diſparatè ratione Filiationis, tum Relatiuè ratione ſpirationis actiuæ?

Iam vero aliud Scoti principium de duabus emanationibus diſtinctis realiter vna per intellectum, & altera per voluntatem, vnde ſequantur duæ relationes realiter diſtinctę, ideſt Filiatio, & ſpiratio paſſiua ex quo manifeſtè colligitur diſtingui debere Filium, & Spiritum Sanctum ex eo præcisè, quod ille emanat per intellectum, hic per voluntatem admittunt plures Thomiſtæ, (Thomiſt.) quos acriter impugnat Vaſqu. cap. 6. (Vaſq.) eo quod admiſſis illis duabus emanationibus realiter diſtinctis duæ illæ Perſonæ realiter item diſtinguãtur. Vnde ille affirmat eos Thomiſtas, *oſcitanter id Scoto concedere, quo admiſſo vix defendere valent, non futuras duas relationes producti, & duas productas Perſonas*. Ecquis tamen eſt, qui audeat negare illas emanationes eſſe re diſtinctas, cum ſint origines, & relationes in fieri, atque adeo re ipſa inferre terminos, quæ ſunt Verbum, & Amor, ideſt Filium, & Spiritum Sanctum: quorum ille per generationem intelligen-

gendo producitur, hic per Processionem amando procedit? Alioqui Vasquez auferet diuersitatem Processionum, quas tanto studio Theologi ponunt, & defendunt, vt statuant plures in Deo esse Personas. Hinc apparet vis argumentorum, & principiorum Scoti, quæ redigunt in has angustias aduersarios, eosque cogunt inter se digladiari, & recepta Theologiæ principia conuellere.

Adijcio. Legat, qui volet attente solutiones, quas adhibent Thomistæ argumentis Scoti, comperiet, eas nullatenus esse firmas, & solidas. Vnum ex ijs, qui eos sequuntur nobilem Authorem Ruizium Montoyam summo studio legi, vt viderem, quomodo responderet argumentis Scoti, miratus sum hominem, tam ingeniosum, & doctum non alias vias euadendi excogitare potuisse. Omnes illæ videntur effugia, & vix eas proponit, cum relinquit, seque ad dicta antea, vel postea dicenda remittit, vti videre est sect. 6. & 7. in quibus respondet argumentis Scoti. Insuper eo vitio laborant solutiones, quòd eo redeunt, vt euertant suppositionem factam in hac quæstione, nimirum quod maneat Filius præcisè in ratione Verbi, & Filij, & ita comparetur cum Spiritu Sancto, prout est Amor, & Donum: quam suppositionem respondendo sæpè conatur euertere Montoya, quod aliter argumenta solui non posse homo acutus videat. Et quidem primo argumento in sect. 6. respondet destruendo suppositionem, & remittendo se ad superius dicta. Secundo, & tertio, & quarto eodem modo satisfacit. Quintum eadem ratione diluit, & relinquit pene intactum testimonium Damasceni cōtra se allatum. De Anselmi mente in sextò argumento latissimè disputat, quod contra Suarez, & Vasquez sentiat, qui Anselmum fauere Scoto iudicant, quod magnum est pro Scoto argumentum habere Suaritum, & Vasquium Sectatores. Hoc beneficium Montoyę debemus. Iam vero cætera argumenta, quæ diluit cap. 7. & sunt quinque, ita soluit Montoya, vt integra maneant, & in in fine concludit distinguendum fore Spiritum Sanctum à Filio, si Filius maneret persona potens ad producendum Spiritum Sanctum, licet eum actu non produceret, & admittit distinctionem penes relationem potentialem, qui certè nouus est modus distinguendi fingendo relationes potentiales, & ruit illud principium, quod in Diuinis nulla datur distinctio realis, nisi vbi intercedit relatiua, & formalis oppositio. Hæc autem fit per reales, & formales relationes: nam illæ potentialis cum sint intra naturam Diuinam absolutam, quomodo possunt realiter Personas distinguere? En quò reducant aduersarios Scoti argumēta? Age verò aduersarios vrgeamus. Primum negando distingui Filium per suam Filiationem præcisè à Spiritu Sancto, cōsequenter negāt Processionem per intellectum ex eo, quod talis sit, esse rationem distinguendi Filium à Spiritu Sancto. At ex hoc sequitur tolli rationes duarum diuersarum Processionum, quas magnopere conatur statuere ad 1. p. S. Thom. Patet sequela, quia si Processio per intellectum ex se non est distinctiua à Processione per voluntatem, non inde potest probari numerus duarum Processionum, & falso ex ea doctrina deducitur illas fore duas processiones. Deinde si non est ratio distinguendi Filium à Spiritu Sancto ratio præcisa Filiationis sequitur Spiritum S. ex vi suæ Processionis non opponi Filio: atque adeo non repugnare ei rationem Geniti, & Filij, imo & Verbi, & Imaginis, quod est contra Fidem.

Montoya

Patet

Patet ſequela, quia ſi tota diſtinctio prouenit ex actiua ſpiratione nulla prouenit ex productione per generationem, quæ omnino ſupponitur ad ſpirationem actiuam : ac proinde inter generationem, & Proceſſionem nulla erit diſtinctio. Tertio, quia proceſſio Spiritus Sancti à Filio, eſt à Perſona Filij, ergo ab illo à ſe diſtincto, ſed non eſt adhuc ſpirans in actu ſecundo, ergo ante iſtum actum ſpirandi, iam eſt Filius diſtinctus à Spiritu Sancto, alioqui Spiritus Sanctus procedit à ſe ipſo ſi non diſtinguitur à procedente. Quarto. Perſona Filij per generationem producitur, eſtque terminus formalis illius, ſed nondum intelligitur actiua illa ſpiratio, ergo præciſa illa, manet ratio, & Perſona Filij conſtituta, igitur & diſtincta. Quomodo ergo poteſt aduenire ratio diſtinctiua per ſpirationem actiuam ? Quinto. Filius non conſtituitur, nec in eſſe Dei, nec in eſſe Perſonæ per illam rationem ſpirationis actiuæ, ergo non accipit ab illa, nec conſtitutionem, nec diſtinctionem. Antecedens probatur, quoad primam partem, quia illa virtus non pertinet ad eſſe Dei, cum non ſit in Spiritu Sancto, qui habet totum eſſe Dei : quoad ſecundam ſuadetur, quia Filius non poteſt conſtitui per id quod eſt commune Patri. Igitur colligit conſequentia. Tandem ſi quis conſideret in Filio rationem Verbi, & Imaginis, quam accipit per generationem, & in Spiritu Sancto rationem Amoris, & Doni inueniet præciſè per iſta diſtingui Filium à Spiritu Sancto, hæc autem ſupponuntur in Filio ad ſpirandum actiuè, ergo iam illum faciunt diſtinctum à Spiritu Sancto. Deinde quis dicet verbum, & Imaginem diſtingui intrinſecè per ſpirationem Amoris, & amando actiuè diſtingui ab Amore producto? Præterea quomodo diſtinguetur Filius à Spiritu eo per quod non conſtituitur, non autem eo per quod conſtituitur? Plures ſunt in Filio rationes diſtinctiuæ, vna quòd ſpirat actiuè, quæ eſt oppoſitionis relatiuę, altera generationis, & Filiationis, quæ eſt oppoſitionis diſparatæ. Tamdem quomodo diſtinguetur Filius à Spiritu Sancto per id tantum, quod eſt ei commune cum Patre, & non diſtingueretur per id quod eſt ei proprium, & per quod diſtinguitur à Patre? Sanè ſi per hoc dumtaxat diſtinguitur non diſtinguitur per id quo propriè in ſuo eſſe Filij conſtituitur. Quod quis affirmet? Demus ergo vnam & alteram diſtinctionem, & illam diſparatam, & iſtam relatiuam: quemadmodum in Patre concedi neceſſe eſt, qui non ſolum diſtingueretur à Spiritu Sancto per ſpirationem illam actiuam, ſed etiam per ſuam propriam perſonalitatem Paternitatis, quæ cum ſit rectè oppoſita Filio, diſtinguit tamen Patrum diſparatè à Spiritu Sancto, quod non eſt auſus negare Caietanus, quem ex eo cogit Vaſquez fateri eadem ratione, & Filium diſtinguendum.

SECTIO II.

Scotum cum Scriptura Patribuſque ſentire.

QVot & quibus in Sacra Scriptura locis Filius Dei Genitus, & Verbum, & Imago dicitur, ijs omnibus Perſona Filij à Perſona Spiritus Sancti diſtincta omnino, & diuerſa ſignificatur. Et quidem mirum eſt, quod nullus ſit in Scripturis locus, in quo fiat mentio iſtius diuerſitatis à Spiritu Sancto ratione ſolius ſpirationis actiuæ. Igitur radix diſtinctionis innititur terminis ſignificantibus Proceſſionem

Filij

Filij à Patre per generationem, & quæ ex illa notiones consequuntur. Primus cecinit Dauid. *Filius meus es tu ego hodie genui te*: In Psalm. 2. *In splendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te*. Psalm. 109. locum priorem affert Paul. ad Hebr. 1. Deinde Isaias cap. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Et Prou. 8. *Nomine sapientiæ. Ante omnes colles ego parturiebar*, hoc ad generationem pertinet. Huc item spectat. *Ego iam concepta eram*. Facit Ecclesiast. 24. *Ego ex ore altissimi prodiui Primogenita*. Hebr. 1. *Cum misit Primogenitum suum*. Sed ille Ioannis primus locus illustrissimus. *Vnigenitus qui est in sinu Patris*, & illa. *Gloriam, quasi Vnigeniti à Patre*. splendet item alius cap. 3. In nomine Vnigeniti Filij Dei, & cap. 4. *Filium suum Vnigenitum misit Deus*. Semper Filio generatio attribuitur pro characteristica proprietate, qua constituitur, & distinguitur. Mitto eo locos in quibus appellatur Filius qui sexcenti sunt. Hoc nusquam de Spiritu Sancto dicitur, quòd is non generetur, nec generari possit, nec esse Filius, cum procedat per amorem, & sit Amor notionalis. Vnde nec est Imago, nec Verbum quod est proprium solius Personæ Filij, eoque constituitur, ac distinguitur. Ita Ioannis I. *In Principio erat Verbum, & Verbum erat* apud Deum, & Deus erat Verbum, & *Verbum Caro factum est*. Et Epist. 1. cap. 5. *Pater Verbum, & Spiritus Sanctus*. Verbum distinctum ponitur à Patre, & Spiritu Sancto, vti *Verbum est. Tres sunt. Qui testimonium dant in Cælo*. Tres distincti relationibus constitutionis Personarum *Patris, Verbi, Spiritus Sancti*. Pater quo est Pater, Verbum quo est Verbum à Spiritu Sancto distinguuntur *Tres sunt*, non quod negetur alia distinctio orta ex ratione spiratoris, sed quod hæc ex Paternitate, & Filiatione statuatur, quæ est primaria, & propriè personalis distinctio. Hac ratione Filij, & Verbi est imago Dei, quemadmodum dicitur Hebr. 1. *Splendor Paternæ gloriæ, & Figura, seu Imago substantiæ eius*, & 2. Corinth. 4. *Qui est Imago Dei*, & Colossens. 1. *Imago Dei inuisibilis*, & Sap. 7. *Speculum sine macula, & Imago bonitatis illius*. Hinc Ioann. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum*. Ex quibus testimonijs deducit Ecclesia, Solum Filium esse Imaginem, ac nullo modo Spiritum Sanctum, quia non est *Filius, neque Verbum. Quid est enim simile Deo*, inquit Athanasius orat. 4. contra Arianos, *nisi sua ipsius progenies?* & Basilius homil. 16. in Ioann. cap. 7. ad illud. *In Principio* erat Verbum, *quoniam Imago*, inquit, *est Genitoris, totum in se monstrans Genitorem*. Hanc autem propriam, & distinctiuam rationem affirmant Patres. Nazianzen. Apolog. 1. quæ est orat. 1. & orat. 35. quæ est 3. de Theolog. & orat. 36. & in Carm. arcano post medium, & Chrysostom. homil. 74. in Ioann. Cyrill. Alexandr. lib. 3. cap. 1. thesaur. Concil. Ephesin. post med. in Confess. Fidei, quæ est decima inter Epist. Cyrilli. Clem. Roman. Epist. 1. ad Iacob. Felix. I. Epist. 1. ad Benign. Euarist. Epist. I. ad Episcop. African. & omnes fermè Patres, qui rationem Imaginis adeo propriam Filij esse volunt, vt Spiritui Sancto non conueniat. Quod omnes fermè probant Theologi cum D. Thoma 1. par. quæst. 35. & Bonauent. in 1 dist. 31. 2. par. art. 1 j quæst. 1. secuti Augustinum lib. 3. de Trinitate cap. 2. & vltim. Sunt autem egregia illa verba Nysseni lib. de differ. essent. & hypostas. ad finem. *Filij hypostasis, quasi forma, & facies est, qua Pater cognoscitur manente ea, quæ in ijs consideratur, proprietate ad discretionem personarum*. & lib. de

Tri-

Psal. 2. Psal. 109 Isaiæ. Prouerb. Ecclef. Hebr. Ioann. 2. Corin. Coloss. 1 Ioan. 14. Athanas. Basil. Nazian. Chrysost. Cyrill. Clem. R. Felix. I. Euar. I. D. Thom. Bonau. Nyssen.

Trinit. ad Eustathium. *Nec aliter*, inquit, *videre licet hypostasim, siue Personam Patrem, nisi quis per characterem in eum intuitus fuerit: character autem Patris hypostaseos, siue Personæ Filius est.* Ex his patet Scoti sententiam esse maximè consentaneam Scripturis, in quibus etiam quoties scribitur Spiritum Sanctum mitti à Patre, & Filio semper supponitur Filius constitutus in ratione Filij: vti cùm scribitur Ioan. 15. *Quẽ ego mittam vobis à Patre.* Et rursum 14. *Quem mittet Pater in nomine meo*, & cum dicitur cap. 20. *Insufflauit. Accipite Spiritum Sanctum.* Quo sanè significatur antequam intelligatur Spiritus Sanctus procedere, iam illas duas Personas esse constitutas, quod si constitutæ, ergo & distinctæ ex propria ratione personali.

Veniamus ad Patres. Certè omnes ij, qui duas illas Processiones adstruunt, & quæ sunt necessario adstruendæ per intellectum, & voluntatem aduersus Durandum Scoto nostro adstipulantur. Ideo enim sunt distinctæ, quod vna sit intelligendo, & dicendo, altera amando, & spirando. In quo est distinctio, quæ in natura ipsa Diuina, & essentia secundum se esse nõ potest; atque hac ratione reprobatur temeraria Durandi sententia. Sunt hi

Iræneus. Nazianz. Chrysost.

Iræneus lib. 2. aduers. hæres. cap. 48. & Nazianz. orat. 36. quæ est 4. de Theolog. Chrysostom. orat. 1. de illo Euangelico orac. *In principio erat Verbum*, & tom. 5. versus fin. orat. 9. de illo Abraham. *Pone manum tuam super femur meum.*

Basil.

Basilius homil. 16. ad illud. *In principio erat Verbum*,

Nissen.

& Nyssenus orat. Catechet. cap. 1. & Epist. contra Apollinarem post princip.

Athanas.

Athanasius contr. gregales Sabellij, & orat. 5. contr. Arianos.

Dionisius Alex.

Dionysius Alexandrin. apud Athanas. in Epist. de sentent. Dionysij Alexandr. contra Arian.

Theodor

Theodorus Episcopus Ancyr. in Concil. Ephesino tom. 6. cap. 10. in princip.

Cyrill.

Cyrillus Alexandr. lib. 1. in Ioann. cap. 5. & lib. 1. thesaur. cap. 5. & 6. & Dialog. de Trinit. lib. 2.

Theodor

Theodoret. in Epitom. Diuin. Decret. cap. 2. & lib. 2. Græcar. Affection.

Damasc. Theoph.

Damascen. lib. 1. Fid. Theophyl. Ioan. 1.

Ambros. August.

Ambros. lib. 1. de Fid. ad Gratian. cap. 5. August. lib. 15. de Trinitate cap. 6. & cap. 13. & 14. & 15. & 27. & Fulgent. lib. 3. ad Monym. cap. 7.

Anselm. Isidor.

Anselm. in Monolog. cap. 46. Isidor. Etymolog. lib. 7. cap. 2. & lib. 2. de different. cap. 5.

Hugo Victor.

Hugo Victor. lib. 7. erudit. Theolog. cap. 21.

Magister

Omitto Magistrum sententiarum in 2. dist. 5. & 39. ex Augustini doctrina eamdem veritatem confirmantem. Quos Patres potiori iure citamus pro Scoti sententia, quam quos Ruizius de Montoya citauit pro D. Thomę sententia, quemadmodum inferius apparebit.

Iam verò ij, qui distinguunt generationem à Spiratione, & dicunt solum Filium generari, non autem Spiritum Sanctum, quid aliud quæso agunt dum hoc docent, nisi tradere puram putam Scoti doctrinam? assignant quippe diuersitatem Personarum generationi, & Processioni ambarum, quod vident ex eo Filium eiusmodi esse, quod gignitur per intellectum, Spiritum verò non esse Filium, ex eo, quod spiratur per voluntatem.

Symbolo Athanas.

Patet ex Symbolo Athanasij, & ex Concilio Toletano I. & 11. in sua Confess. Fid.

Basil.

Ita docuit Basil. lib. 3. contra Eunom. & lib. vnico de Spiritu Sancto, vbi sic. *Spiritus Sanctus non per generationem vti Filius à Patre veniẽs, sed tamquam Spiritus oris eius*, & infra. *Non natura genèrabilem dicit.* Ergo eo distinctum.

Concil. Tolet.

Athanas.

Athanas. Dialog. 3. de Sanctiss. Trinit. contra Macedon. ait Filium esse *Vnigenitum*, & negat Spiritum Sanctum eiusmodi esse, *quia procedit*, idem fu-

fusius scribit lib. 3. de Trinit. cui titulus est. *De assumptione hominis*. Et orat. 3. contra Arianos, & Epist. 2. ad Serapion. & Dialogo 7. de Sanctissima Trinit. & Dialog. 1. contra Macedonium. & Dialog. 1. contra Anomæum, & lib. 4. contra Vrbicum Potentin. & quæstio de natiu.
Epiphan. Dei qu. 15. Ephiphan. hæresi 62. & hær. 69. & 73. & 76. ad cap. 29. Aetij, & in Ancor. col. 7. vbi sic. *Spiritus Sanctus non genitus, non creatus, non confrater, non patruus, non pro pater, non Filius*. Clarius adhuc loquuntur alij Patres, qui non solum negant Spiritum Sanctum esse genitum, sed vlterius eum à Filio per ipsam procedendi rationem distinguunt, nimirum quod Filius sit partus intellectus, Spiritus vero Sanctus, sit amor voluntatis, & in eo sitam rationem aiũt distinguendi alterum ab altero, quæ sanè est ipsissima doctrina Scoti. Ita docent ex
Iustin. Græcis Patribus Iustinus in exposit.
Ephreem Syr. Fid. init. & med. Ephreem Syrus opusculo de sui reprehensione posteriori.
Anastas. Sinayta. Anastasius Sinayta lib. 1.
Theodor de rectæ Fidei dogm. Theodoret. in Epit. Diuinor. Decret. lib. 5. cap. 3. de Spiritu Sancto. Præterea Sanctus
Damasc. Damascenus lib. 1. de Fid. cap. 10. Producamus aliqua ex illustrioribus
Iustin. eorum testimonia. Iustini illud esto. *Ingenitum, genitum, & procedens non Essentiæ nomina sunt, sed existentiæ modi. Tum. Si ea quæ differentiæ sunt contemplemur, hic quidem esse suum obtinere dicitur, vt ingenitus, hic autem vt genitus, hic vero vt procedens*. Rursum. *Ipsum Ingenitum, genitum, & procedens non essentiam declarant, sed subsistentias significant. Satis enim sunt nobis ad discernendas Personas, & ad Patris, & Filij, & Spiritus Sancti peculiarem cuiusque indicandam subsistentiam*. Sanè in rem nostram.

Theodor Theodoretus lib. 5. Epitom. cum probasset c. 2. Verbum esse ex Deo Patre genitum cap. 3. sic ait. *Spiritum ergo Sanctum ex Deo, & Patre substantiam habere dicimus. Substantiæ autem modus, nec creaturæ est similis, increatus est enim Spiritus Sanctus: nec Vnigenito Filio. Nullus enim Sancti Spiritus substantiam appellauit generationem*. Fauet Scoto haud dubiè Theodoretus.

Damascenus perspicuè lib. 1. de Fid. cap. 10. *Filius ex Patre est generationis modo. Spiritus vero Sanctus, & ipse quoque ex Patre est, non tamen gignendi modo, sed procedendi. Et quidem generationem, & processionem inter se differre compertum habemus. Filij ex Patre generatio, & Spiritus Sancti processio est*. Viden vti Damascenus, vbi Patri assignat Filij generationem, & Spiritus Sancti Processionem (non nunc disputo, an ex Filio esse negarit) & rationem differendi ponit in generatione, & processione? Idem docet cap. 11. Eodem modo S. Ephrem Syrus lib. de sui reprehens. cum attribuat Patri, & generationem Filij, & processionem Spiritus Sancti. *Produxit*, inquit, *Filium, & Spiritum Sanctum. Cæterum Spiritus Sanctus genitus non est, sed processit ex substantia Patris*. Nulla hic commemoratio processionis à *Filio, & tamen astruitur distinctio*, ad mentem Scoti. Damasc. Ephreem Syr.

Ex Latinis hoc ipsum docent Ambrosius in Symbolo Apostolor. cap. 3. post med. Hilar. lib. 12. de Trinit. column. penultim. Gregor. Bæticus de Trinit. vers. fin. Augustin. lib. 5. de Trinit. cap. 14. & lib. 9. cap. 12. & lib. 15. de Trinit. cap. 6. & 27. & vltim. & tract. in Ioann. 99. & lib. 3. contra Maximin. cap. 14. & serm. 38. de tempore, qui est 3. de Trinitat. & serm. 125. de tempore. Fulgent. de Fid. ad Petrum cap. 1. & 2. Anselm. Epist. de Processione Spiritus Sancti contra Græcos cap. 2. Ex his clarissimè Ambrosius illo cap. 3. Symb. *Spiritus Sanctus* Ambros. Hilarius. Greg. B. Augustin Fulgent. Anselm. Ambros.

ctus verè Spiritus est procedens quidem à Patre, & Filio, sed non est ipse Filius, quia non generatur, nec Pater, quia procedit ab vtroque non genitus, non ingenitus, non factus. Non diceret Scotus manifestius.

Hilarius. Hilar. sic ad fin. lib. 12. loquens cum Deo Patre. *Magna mihi erga res tuas Religio est: neque quia te solum innascibilem, & Vnigenitum ex te natum sciens, genitum tamen Spiritum Sanctum non dicturus sim.* Minus perspicuè, quam Ambrosius, sed satis ad sententiam Scoti. Fulgentius de Fide ad Petr. manifestius. *Vnus Deus Pater, qui vnum Filium genuit: Vnus Spiritus qui solus essentialiter de Patre Filioque procedit. Neque enim,* sequitur infra, *in illa Trinitate, proprium esset solius Patris, quia non est generatus ipse, sed vnum Filium genuit, neque proprium solius Filij, quia non genuit ipse, sed solus de Patris essentia verus est, neque proprium Spiritus Sancti, quia nec natus est ipse, nec genuit, sed solus de Patre Filioque procedit.* Adstruit quidem Processionem ab vtroque: sed ponit distinctionem ex parte generationis, & processionis. Vtcumque sit de alijs.

Fulgent.

August. Duos mihi præcipuè vindico Augustinum, & Anselmum. Ille citatis proximè locis expresse distinguit Verbum, & Spiritum Sanctum, ex ratione Processionum, nimirum, quòd Filius sit genitus per intellectum, & natus: Spiritus verò Sanctus procedens per voluntatem, vt datus. Igitur lib. 5. de Trinitate cap. 14. *Illud elucescit, quod multos solet mouere, cur non sit Filius etiam Spiritus Sanctus, cum & ipse à Patre exeat, sicut in Euangelio legitur. Exijt enim non quomodo natus, sed quomodo datus, & ideo non dicitur Filius.* En tota ratio distinctionis ex parte processionum à Principio præciso omni alio respectu. Hoc est, ille generatus, hic procedit, ille ex intellectu, hic ex voluntate. Id porro manifestius docet lib. 9. cap. 12. exponens quomodo Filius Sapientia Patris sit Fœtus, & partus mentis, Spiritus autem Sanctus sit Amor Prolis ex mente ortæ, qui *Amor*, inquit, *Partus, & Proles dici non potest*, & concludit. *Est quædam* imago Trinitatis: *Ipsa mens*, idest Pater, & notitia eius, quod *est Proles eius*, idest Filius, *& Verbum eius, & Amor tertius, idest Spiritus Sanctus. Et hæc tria vnum atque vna substantia.* En distincti tres ob rationem diuersitatis originum, præcisa illa ratione spirationis actiuæ à Filio, de qua nulla prorsus mentio ad constitutionem, & distinctionem Personarum. Tertius locus est inuictus. Quærens Augustinus cur Spiritus Sanctus non sit Filius, sed alius à Filio lib. 15. cap. 6. & cap. 17. postquam vtrumque distinxit à Patre, quod hic sit ingenitus, & non ab alio, affirmat de Filio, & Spiritu Sancto, neutrum esse Patrem, quia non sunt ingeniti, & à se, vti Pater. Tum pergit distinguere genitum Filium, & procedentem Spiritum. Et docens hunc ab vtroque Patre Filioque procedere, non ponit rationem distinguendi in eo, quod procedat à Filio sed quod cum à duobus procedat, non procedit ab ijs vti genitus nec vti Filius, quem negat à duobus posse tamquam à Patre, & matre produci. *Non igitur*, inquit, Idem cap. 6. *Est ab vtroque genitus, sed procedit ab vtroque Spiritus*, & cap. 27. *Cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus Sanctus? quoniam si & ipse Filius diceretur, amborũ vtique Filius diceretur. Filius quippe nullus est duorum nisi Patris, & Matris*, & concludit. *Absit autem, vt inter Deum Patrem, & Deum Filium tale aliquid suspicemur, quia nec Filius hominis simul ex matre, & Patre procedit. Sed cum in matrem procedit ex Patre, non tunc procedit ex matre,*

& cum in hanc lucem procedit, non tūc procedit ex Patre. Spiritus autem Sanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de vtroque procedit, quamuis hoc Pater Filio dederit vt quemadmodum de se ita de illo quoque procedat. Si aliunde sumeretur ratio distinctionis, hic ea adhibenda esset ab Augustino, quando agebat de Processione Spiritus Sancti ab ambobus. At non eam aliunde quæsiuit, nisi in modo procedendi, qui generatio esse nō posset, & dum affirmat Personam Spiritus Sancti, negat esse Filium, perinde ac si Filius esset, Spiritus Sanctus esse non posset: cum Spiritus Sanctus omnino Filius, & genitus esse non posset. Quo apparet Augustinum agnouisse distinctionem hanc Scoti disparatam sumptam ex generatione, & non generatione, eaque posita distinguendas omnino esse iuxta eas processiones Personas.

Anselm. Anselmi testimonia tam sunt perspicua, vt illa legere, rem videre sit. Itaque Suarez, & Vasquez tanti nominis Theologi cum Thomistarum sequantur sententiam, his conantibus Anselmum ad se trahere, ij prorsus dimittant, & Scoto concedant: concludatque Vasquez (Vasquez.) disput. 147. cap. 4. num. 20. *Illud commune axioma, quod tribuitur Anselmo. In Diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio, nullum in eius authoritate fundamentum habere.* Sed quoniam Patri Ruizio de Montoya (Montoya) aliud visum est illa disput. 68. sess. 6. & multis contendit Anselmum docere sententiam Sancti Thomæ, & quæ contra adducuntur ex eo sententiæ, non suo, sed aliorum sensu eas dixisse, necesse est locos tractare, & recognoscere, & rem totam accuratè exponere. Illud præmitto antiquam esse inter authores, iam inde à Scoti temporibus, de mente Anselmi quæstionem alijs cum aliter intelligentibus, quemadmodum apparet ex Scoto dist. vndec. qu. 2. §. Authoritas adducitur Anselmi, quem ille tamen pro se adducit ad finem quæstionis: quo cum sensit Carthusianus ibidem: itaque non soli nuperi de eo Theologi contendunt.

Lecta igitur accuratissimè illa Epistola Anselmi, & omni, quod semper soleo, priuato deposito affectu, comperi eum manifestè tradere doctrinam Scoti admissa vtraque distinctione, Relatiua tum rectæ oppositionis, Principij, & Principiati, tum obliquæ diuersitatis disparata: ita vt vel ambæ simul in eadem relatione concurrant, vel vna eorum per se sine altera consistat. Existimo autem id me lectoribus monstraturum, modo sint ex ijs, qui præoccupatum affectu animum ad legendum non afferant. Disputat, & quidem Augustini more: cuius discipulus is est, & hic agit Anselmus densissimè aduersus Græcos negantes Processionem à Filio, ita tamen, vt quæ ij rectè ac ex communi tradant, probet, & confirmet. Altius ergo incipit hoc modo...

SECTIO III.

Mens Anselmi diligenter inquiritur & exponitur: & is à Scoto stare ostenditur.

IN quatuor partes secari perspicuitatis causa potest Epistola: quæ in decem, & octo capita distribuitur. Prima continet sola duo. In primo proponit Anselmus eam de Trinitate doctrinam, quæ communis est Græcis, & Latinis circa vnitatem Dei, & multiplicitatem personarum: præscindendo adhuc à quæstione cum Græcis, *de Processione à Filio.* In secundo de modo, & ra-

& ratione Vnitatis in Essentia, & multiplicitatis in Personis latius, & exactius tractat, & rationem Vnitatis Diuinæ essentiæ attribuit, diuersitatis Relationibus: probatque nec illam tollere differentiam relationum: nec relationes auferre vnitatem in natura. Et adhuc præscindit à quæstione *An procedat Spiritus Sanctus à Filio?* vt quæ statuit in eo capite, vtcunque illa se habeãt, certa sint. Hæc est prima pars libri. Secunda incipit à capite tertio, & terminatur ad caput nonum. Continet sex capita. In capite tertio iam incipit quærere. Vter de vtro sit? Spiritus Sanctus de Filio: an Filius de Spiritu Sancto? Rationem: cur alter ab altero esse debeat, indicarat in secundo capite: & in hoc tertio illam proponit, & vrget. Est verò ea, quia cum ratio procedendi Filij à Patre sit Deitas in Patre, & hæc sit vna, & eadem in Patre, & in ea persona quæ est de Patre, necesse est, vt tertia persona quæcunque tandem sit, à Patre, & ab illa secunda persona sit. Statuit igitur cũ de Fide sit Filium non procedere ab Spiritu Sancto, constare Spiritum Sanctum à Filio procedere; idque persuadet cap. 4. 5. illa ratione identitatis in natura diuina, quæ cum sit vna, & eadem in Patre, & Filio, quem iam supponit ex Euangelio non procedere à Spiritu Sancto, oportet, vt illa sit vnum in duobus principium Spiritus Sancti: nec possit is ab vno solo, sed omnino debeat ab vtroque procedere. Vrget eandem veritatem cap. sexto, & septimo locis, & testimonijs Euangelij Sancti Ioannis, quæ sunt à nobis superius, cum de eo egimus adducta. Capite octauo proponit obiectionem petitam à Sole, lumine, & calore, nempe quod sicut in Sole calor non est à splendore, nec splendor à calore, sed vterque à Sole, ita nec Filius à Spiritu Sancto, nec hic à Filio, sed ambo à Patre tanquam à Sole procedunt. Respondet ei optimè Anselmus, quod in Sole suus splendor non est ipsemet Sol, à quo tanquam ab vno calor procedat. At in Deo Patre, & Filio vnam, & eandem esse essentiam, à qua Spiritus Sanctus procedat. Tertia pars sex capitibus continetur à nono ad quintum decimum. Nonum proponit responsionem Græcorum dicentium Spiritum Sanctum esse per Filium, non à Filio. Hanc impugnat eo capite isto dilemmate: vel est à Deitate, vel à Relatione: ab illa nequit, quod est eadem Patris, & Filij Deitas: quæ non fluit à Patre in Filium, nec à Filio in Spiritum Sanctum, cùm sit eadem manens in tribus. A relatione Patris, & Filij non potest prouenire: non enim de Paternitate, & Filiatione, quæ opponuntur, potest esse communicatio & fluxio illa Diuinitatis. Deinde soluitur alia Græcorum responsio, nempe, vt sit à Filio quemadmodum omnia sunt facta per Filium. Hanc improbat quod, quæ sunt facta per Filium ad extra, ea sunt à tota Trinitate facta: non per Verbum sed à Verbo. Tandem affert aliam responsionem, quod nimirum sit per Filium, tanquam per riuum à Fonte quasi in lacum. Hanc reprobat eo cap. & 10. & euidenter falsitatis conuincit. Capite 11. 12. & 13. diluit obiectionem sumptam ex loco Euangelio Ioan. 15. *Qui à Patre procedit*. Quæ verba videntur significare dum tacent de Filio Spiritum S. à solo Patre procedere. Cui ingeniosè, & eruditè respondet non sequi ex eo quod nominetur solus Pater, excludi Filium, & ostendit hanc esse consuetudinem scripturæ vt vna Persona ponatur pro omnibus, ita vt posita vnius actione, necesse sit cæteras intelligere. Quod multis, & præclaris ostendit exemplis. Et aduertit nusquam negari Spi-

Spiritum Sanctum procedere ex Filio. Capite 14. affert querelam Græcorum, de additione particulæ à Filio ad Symbolum, eamque diluit. Quarta pars comprehendit quatuor capita 15.16.17.18. Caput 15. continet compendium dictorum. Ita concludit Spiritum Sanctum ab ambobus Patre, & Filio procedere, vti sunt vnum, & conueniunt in vnum principium: & docet ambos æquè spirare, & immediatè Spiritum Sanctum, quod si interdum à Patre, principaliter spirari dicitur, eo tantum sensu dicitur quod Pater spiret à se, Filius vero à Patre. Idem vrget c. 16. & ostendit inter personas diuinas, nihil esse, aut maius, aut minus, aut prius, aut posterius: tantum intercedere origines, & relationes: & his solis esse diuersas: tandem concludit necessitatem processionis à Filio sicut à Patre propter identitatem cum Patre: idque vlterius probat, quod affirmatur procedere à Patre, cum quo idem est Filius; & minimè negatur procedere à Filio. Cap. 17. præmissa, quam semper vult saluam, distinctione Generationis, & Processionis, probat ex illo dilemmate. Aut Spiritus Sanctus est de Filio, aut Filius de Spiritu Sancto: non illum de hoc sed hunc de illo esse. Vnde deducit diuersum esse à Filio, quod nimirum ab eo procedit. Comparat deinde inter se personas, & in quo differant. Tandem constituit sex differentias personarum inter se, idest. *Habere Patrem, & non habere Patrem: habere Filium, & non habere Filium. Habere Spiritum Sanctum de se procedentem: & non habere Spiritum Sanctum de se procedentem.*

Ex his sequi, vt quisque habeat vnam propriam qua differat ab alijs duobus: & duas ita communes, & proprias, vt qua communicat vni, ea differat ab altero, v.g. Pater habendo Filium differt à Filio, & Spiritu Sancto. Præterea conuenit cum Filio spirando Spiritum Sanctum, & hoc ipso differt ab eodem: & non habendo Patrem conuenit cum Spiritu Sancto. Filius habendo Patrem: differt à Patre, & Spiritu Sancto. Spirando Spiritum Sanctum conuenit cum Patre, & differt à Spiritu Sancto. Porrò non habendo Filium conuenit cum Spiritu Sancto, & differt à Patre. Spiritus Sanctus procedendo differt à Patre, & Filio: non habendo Filium conuenit cum Filio, & differt à Patre. Non habendo Patrem conuenit cum Patre, & differt à Filio. Tandem obseruat singulos referri ad duos. Pater ad Filium, & Spiritum Sanctum sicut ad illos qui de se sunt. Filius ad Patrem, quia est de Patre, & ad Spiritum Sanctum, quia est de Filio: Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium, quia est ab vtroque. Concludit, cum hac Personarum diuersitate stare vnitatem Dei. Quod ipsum prosequitur cap. 18. sustinens semper vnitatem naturæ, & diuersitatem personarum: ita vt neutra pugnet cum altera, sed altera tueatur alteram, & comitetur. Hæc est summa Epistolæ.

Ex ea primum constat Anselmum docuisse relatiua in Deo opponi duobus modis, & disparatè, & relatiuè, siue ex obliquo, & rectè. Ita docuit c.1. *Alio modo intelligitur Filius esse de Patre, & aliter Spiritus Sanctus. Filius enim est de Patre suo idest de Deo qui est Pater eius. Spiritus Sanctus verò non est de Deo Patre suo, sed tantum de Deo qui est Pater. Hæc itaque sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater & Filius, & Spiritus Sanctus dici non possint de inuicem, sed alij sicut ab inuicem, quia prædictis duobus modis est de Deo, quod totum potest dici Relatio. Nam quomodo Filius existit de Deo nascendo, & Spiritus Sanctus procedendo, ipsa diuersi-*

inui-

tate natiuitatis; & processionis referuntur ad inuicem vt diuersi, & alij ab inuicem. Hoc dicit ex sua, & Græcorum, cum quibus in eo conuenit sententia, præscindendo à processione ex Filio, spectata sola ratione generationis, & processionis. Cap. 2. *Supradicta vero relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum de inuicem dici, & propria singulorum alijs attribui.* Semper inuoluit illos duos modos nascendi & procedendi, secundum rationes generandi, & spirandi, quas vult esse distinctas, adhuc ante doctrinam de Processione à Filio, quam non dum astruxerat. Et in hoc puncto consentit cum Græcis, & suo proprio item sensu loquitur. Eodem capite maiori vi affirmat hanc distinctionem cum ait. *Pater de quo est Filius non potest is esse qui à se est. Spiritus vero Sanctus qui existit de Patre procedendo: non est ille qui est de Patre nascendo:* & mox. *Nec Pater de quo est Spiritus Sanctus potest ille esse qui de se est (idest Filius) nec Filius, qui existit de Patre nascendo est ille qui de eodem Patre est procedendo, idest Spiritus Sanctus.* Probatur hoc Anselmo: qui perinde habet distingui Patrem à Filio quod Filius est à Patre: ac eo Filium à Spiritu Sancto adhuc non supposito quod procedat à Filio. Haud dubie agnoscit, & admittit hanc distinctionem Anselmus, præcisa adhuc processione à Filio. Vnde immerito Montoya negat hæc dici ex Anselmi sententia. Nam si ea vera non erat, quomodo ferebat eam Anselmus? qui in cap. 1. dixit se illa primum afferre quæ pro certissimis haberentur: & cap. 2. perspicue sic dixit: *Hæc quæ dicta sunt pariter credimus & confitemur, & nos qui dicimus Spiritum Sanctum de Filio procedere; & Græci qui nobiscum hac de re non sentiunt.* Non videtur P. Montoya hæc vidisse: viderant autem Vasquez, & Suarez. Recipit ergo ista, & quæ dixerat in fine cap. 1. Anselmus quæ sic habent: *Filius autem vt interim aliam causam dicam, quoniam nondum constat quod Spiritus Sanctus de illo sit, & procedat, ideo non est Spiritus Sanctus: nec Spiritus Sanctus est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus vero non nascendo, sed procedendo.* Quid manifestius? Recipiuntur hæc capite 2. *His præmissis,* inquit, & mox. *Hæc quæ dicta sunt pariter credimus, & confitemur.* Non bene igitur Montoya sentit. Rursum cap. 3. alias 4. *Ad quod ego.* inquit, *Habent vtique à Patre esse Filius, & Spiritus Sanctus, sed diuerso modo: quia alter nascendo, alter procedendo vt alij sint ab inuicem per hoc quod dictum est. Et ideo cum nascitur vnus non potest cum eo nasci ille, qui per hoc est alius ab eo, quia non similiter nascitur, sed procedit. Et cum vnus procedit, nequit ille simul procedere, qui per hoc est alius ab illo, qui non similiter procedit, sed nascitur. Et ideo non habet hic vnitas illa vim consequentiæ quia pluralitas obuiat, quæ ex natiuitate nascitur, & processione. Nam etsi per aliud non essent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diuersi.* Hoc testimonium est inuictum: & à nemine qui locum attente legat, negari potest. Miror que Montoyam audere obscurare hoc lumen, dicendo loqui Anselmum ex suppositione principij Græcorum. Certe non legit attente. Nam in eo loco cum aduersus Græcos probaret Anselmus omnino esse necesse vt aut Filius esset de Spiritu Sancto, aut hic de Filio; vt inde concluderet Filium non posse esse de Spiritu Sancto, sed hunc de Filio, vsus fuit hoc argumento. Pater & persona quæ de illo est, est idem omnino Deus; ergo quæ à Patre per-

persona procedit, debet etiam procedere ab alia persona, quæ sit de Patre, quia hæc cum Patre idem est Deus, ergo inquit necesse est, vt aut Spiritus Sanctus sit de Filio, si iam est de Patre Filius, aut Filius de Spiritu Sancto, si iam est de Patre Spiritus Sanctus. Non dum enim inferebat illam consequentiam, Filium, quod erat genitus à Patre esse eum à quo procederet Spiritus Sanctus, sed assumebat principia huius consequentiæ: nimirum vbi erat vnitas essentiæ diuinæ, fore principium Processionis. Contra hoc ponit obiectionem: hoc modo. *Dicet aliquis quoniam vnus Deus & Pater, & Spiritus, cum Filius est de Patre, sequitur eum esse de Spiritu Sancto: aut cum Spiritus Sanctus est de Patre, quia idem est Deus Pater, & Filius est etiam de Filio: cum Pater gignit Filium, necesse est eum gignere quoque Spiritum Sanctum, quia vnus idemque Deus est Filius, & Spiritus Sanctus. Et cum Spiritus Sanctus procedit de Patre propter eandem vnitatem Deitatis Filij, & Spiritus Sancti procedit Filius de Patre, ita sicut Spiritus Sanctus. Si vero vnitas Deitatis in Filio, & spiritu sancto, non habet illam vim consequentiæ vt vterque similiter sit genitus, & procedens, videtur, quod non ex eo, quod vnus est Deus Pater, & Spiritus sanctus sequitur Filium esse de spiritu sancto, aut spiritum sanctum esse de Filio, quoniam idem Deus est Pater, & Filius vt dicis.* Huic argumento ita respondet ibidem ijs verbis. *Ad quod ego.* Summa est, quia vnitas Dei nihil obuiat in primo casu ad productionem Personæ tertiæ: at vero in secundo, quod affertur in exemplum obuiare oppositionem, quæ datur inter generationem, & processionem, quæ vnitatem habere nequeunt. *Ideo*, inquit, *non habet vnitas vim consequentiæ: quia pluralitas obuiat, quæ ex natiuitate nascitur, & processione.* Quo quid euidentius pro Scoti sententia? An legit hæc Montoya? Legat qui volet. In Anselmo Scotum inueniet.

Sed ne obijciat idem, & si quis cum eo sentiat, hæc ante doctrinam de Processione à Filio statutam dici ab Anselmo, quanquam obiectio sit inepta, adduco alios post eam traditam locos. Cap. 7. ita ponit processionem Spiritus Sancti à Filio, vt supponat hunc natum ex Patre, atq; adeo aliam personam constitutam ad processionem Spiritus Sancti, & cap. 9. ad finem ait. *Spiritum Sanctum asserimus suo modo, non quasi de duobus fontibus, sed verè de vno fonte procedere: ita tamen, vt nomen Natiuitatis nec processio Filij amittat, nec Spiritus sancti processio recipiat.* Et cap. 10. *In Patre intelligitur ingenitus. In Filio genitus. In Spiritu Sancto singulari quodam & ineffabili modo procedens.* Ibidem infra. *Sicut non credimus alium Deum Patrem, de quo est Filius, & alium Deum Patrem & Filium, de quo est Spiritus Sanctus, quamuis de eodem Deo, siue de eodem Deo, siue de eodem principio suo quisque modo sit, alter scilicet nascendo, alter procedendo: sed quodam singulari, & ineffabili modo intelligitur ista processio. Processio namque multis modis dicitur, de quibus iste solitarius intelligitur, sicut natiuitas Filij singularis cognoscitur.* Supposita iam ex Filio processione retinet semper distinctionem ratione obliqua natiuitatis ex Patre Filij: & Processionis sine natiuitate Spiritus Sancti. Iam vero illæ differentiæ quas adduximus superius 17. perspicuè demonstrant vtramque distinctionem. Cap. vltimo easdem recognoscit, dum ait: *Habemus ex vera Fide Deum esse de Deo nascendo, & Deum de Deo procedendo.* Hanc vero distinctionem seruat toto illo capite. Ita vt cum illa directè relatiua ad Principium, retineat hanc obliquam ad relationes

nes disparatas. Illud est maximè obseruandum, quod vix alio argumento vtitur ad probandam Processionem Spiritus sancti à Filio, quam quod Filius supponitur vnius, & eiusdem Deitatis cum Patre, & vnũ cum eo Principium, vt ex vnitate amborum Patris, & Filij, potiusquàm ex diuersitate spirati ab spirante, Processionem probet ex Filio. Quod si tam efficax erat hoc argumentum ad probandum omnino debere Spiritum Sanctum procedere à Filio, quia alter ab eo non distingueretur, quid magis facile, & obuium, quam hoc argumentum? Cur igitur illud non adhibuit Anselmus? nisi quod vidit illud non sequi, nimirum quia supererat alia ratio distinctionis à Filio, idest natiuitatis, & processionis? Non nego Anselmum vsum item fuisse illa alia ratione desumpta ex eo, quod qui ab alio procedit, distingui debet ab eo à quo procedit: quemadmodum paulo post dicemus: Sed aliud est dicere vnam rem vno & alio modo distingui ab alia, aliud affirmare vno tantum modo distingui, & alium negare. Loci sunt qui probant in Anselmo Spiritum Sanctum distingui à Filio Relatiuè in recto ex oppositione spirantis à spirato, sed multo plures qui probent distingui eos ex obliquo relatione disparata geniti, & Procedentis; nullus omnino locus, in quo vna sola affirmetur, & altera negetur. Ac ita retundimus obiecta Montoyæ, qui contendit illam solam distinctionem directam relatiuam posuisse Anselmum, aliam disparatam sustulisse.

Montoy. Obijciet porro nobis Montoya illum locum cap. 3. vbi sic Anselmus. *Cùm autem apparebit, quia Spiritus Sanctus est de Filio, tum quoque palam erit, quia propter hoc nequit esse Filius, Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus Filius.* Concedimus, & agnoscimus locum: sed consequentiam ex eo ductam à Montoya negamus: vult enim per eum excludi aliam distinctionem toties inuectã, quod ille ingenuè fatetur, ab Anselmo. Is quippe non negat aliam: sed affirmat hac inducta procedentis à spirante patere diuersitatem amborum, quæ omnino euidens est, quod de illa dubitare possit nemo: cum de alia disparata dubitent multi contra Græcos, quòd minus hac directè relatiua euidens est, quia fundatur in diuersitate principali, & à principio, quam nemo in Diuinis vnquam negauit. Nec nos negamus hanc apparere, quo verbo vtitur Anselmus, idest *videri*; sed aliam hac posita non excludimus, quam item retinet Anselmus, & vtramque fatemur, tuemurque. Et vt prorsus Montoyam refellamus, obijciamus ei locum alium, vbi ambas perspicuè ponit cap. 1. *Filius autem*, inquit, *vt interim aliam causam dicam, quoniam nondum constat, quod Spiritus Sanctus de illo sit, & procedat, ideo non est Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus Sanctus vero non nascendo, sed procedendo; nec Filius potest esse suus Spiritus nec Spiritus Sanctus valet esse ille cuius Spiritus est.* Hic locus rem maximè continet, quia & aliam causam dicit distinctionis, interim, dum non decidit quæstionem, an procedat ad Filio; quo significat plures causas esse distinctionis, non vnam; harum illam interim affert ductam ex natiuitate, & processione; aliam interim omittit in suum tempus, nec tamen præterit, dum ait: *Nec Filius potest esse suus Spiritus, nec Spiritus Sanctus suus.* Significans causam distinctionis relatiuæ, per directam oppositionem, qua fit, vt nec Filius à se, nec Spiritus Sanctus à se possit esse, atque requiri, vt vnus sit ab altero.

Expoſita doctrina Anſelmi, quæ meo iudicio indubitata eſt; conſtat illud, quod in Schola Thomiſtarum habetur pro primo principio. *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio*, non eſſe traditum ab Anſelmo ſenſu Thomiſtico, qui verba reſtringit ad ſolam oppoſitionem directè relatiuam, cum hic ſit alienus à mente Anſelmi qui etiam diſparatam inter relationes agnouit, & poſuit. Idque ex ipſomet loco, quem citant contra eoſdem Thomiſtas probatur. Hæc enim ſunt verba illius: *nec vnitas amittat aliquando ſuam conſequentiam, vbi non obuiat aliqua relationis oppoſitio*, vbi ly *aliqua* non reſtringit, ſed laxat ſignificationem ad alias diſtinctiones præter illam vnicam relatiuam. Stat igitur dictum Anſelmi: ſemper enim diſtinctio in Deo fundatur in Perſonis per relationes conſtitutis: non in natura, & eſſentia abſoluta, quæ vna prorſus, & eadem, & indiſtincta eſt. Vnde quæcumque ſit diſtinctio ſumitur ex eo, quod eſt relatio, quæ ſi directè opponitur Relationi, ita vt ſit producentis, & producti, eſt oppoſitio recta, & formalis: ſi ſumitur eo quod vna eſt Perſona genita, altera non genita, ſed procedens eſt diſtinctio obliqua, & diſparata: ac proinde *aliqua oppoſitio*. Secundum Anſelmum. Miror autem rurſum Montoyam tam fidenter dicere, diſp. 68. ſect. 6. num. 12. Iure Anſelmum Thomiſticam tradere ſententiam, & illius eſſe Proloquium à Thomiſtis vſurpatum, & de hac re quaſi victorem cum grauiſſimis ſui inſtituti Theologis expoſtulare: eiuſmodi ſunt Vaſquez, & Suarez: qui qua de re conueniunt (conueniunt vero ſi ea dubia eſt raro) ea pro certa, & conſtanti habenda eſt. Ego nec his, nec illi credere volui, donec meis oculis vidi Epiſtolam, & maturè expendi, & mentem Anſelmi inueſtigaui; nec dubito attigiſſe, & Suarij, & Vaſquij fidem liberaui. In Montoya obſeruo eum Proloquium illud minus fideliter citaſſe: deleit quippe illam particulam *aliqua*, in qua vis eſt. Citat præterea locum alium cap. 6. apud me ſect. 2. num. 14. vbi ait. *Si enim de Patre eſt, Spiritus Sanctus, eſt de Deo, & ſi eſt de Deo, eſt de Patre, quoniam nulla ſupradicta obuiat Relatio*, qui certè locus ei non fauet: nam inter Deum, & Patrem nulla eſt diſtinctio relatiui à relatiuo, ſed coniunctio abſoluti cum relatiuo. Ex quo non ſequitur ille ſenſus principij de Relatiua directa oppoſitione, cum ſit locus vtrique diſtinctioni, tum relatiuæ, tum diſparatæ: quæ eo nomine relationis vtraque ſignificetur. Quare locus nihil concludit, vt autem concluderet debuiſſet ſupponi aliqua diſtinctio Perſonæ ad perſonam, quæ cum eſſet tantummodo diſparata non aliam relinqueret, de qua poſſit intelligi præter relatiuam. Itaque ſenſus non eſt nullam obuiare Relationem: vbi concurrebat Perſona cum Perſona diſparatè, ſed nullam obuiare Relationem, vbi abſolutum cum Perſona concurrebat. Imo hic locus noſter eſt. Ex eo enim deducitur: Quæcumque ſit Relationum inter ſe oppoſitio, eam obuiare vnitati, cum illa quæ nihil obuiat non inter Relatiua, ſed abſoluta verſetur, atque adeo nulla ſit oppoſitio.

Claudo ſectionem obſeruando Anſelmum in ipſamet quæſtione de facto, quæ ei erat cum Græcis, non timuiſſe admittere duas rationes diſtinctiuas Filij à Spiritu Sancto; ita vt ſtante proceſſione à Filio ſeruetur vtraque oppoſitio, vna relatiua directa ſpirantis, & ſpirati, altera obliqua Geniti, & procedentis: nec vnquam in illa diſputatione conuiciſſe Græcos eo argumento, quod ſi nō à Filio procederet Spiritus

tus Sanctus ab eo non distingueretur: quod vidit manere adhuc aliam rationem differendi. Scotus autem non excitauit quæstionem de facto: sed facta suppositione de conditione impossibili præscindēdo speculatiuè vnam rationem distinctiuam ab alia, sublata vna rectæ oppositionis relatiuæ, quæsiuit, quid futurum esset de alia ratione disparata ex obliqua relationum oppositione: eamque manere adhuc in vtraque Persona, quas retinuit in esse Personæ alterius per Filiationem, alterius per Processionem constitutæ affirmauit.

SECTIO IV.

Oppositæ sententiæ argumentis respondetur.

QVoniam ea omnia collegit D. Thomas, & nos ab eo collecta in ea quæst. 36. art. 2. in corpore proposuimus, quo modo ibi afferuntur, eo nos soluere operæ pretium erit. Primo quod assumit illud commune Thomisticum principium: non dari distinctionem in Diuinis nisi per Relationes directè oppositas, negamus: & satis id superque ostendimus asserta distinctione obliqua, & disparata. Exemplo, quod adducit S. Thomas, ac ex eo Vasquez, Suarez, Montoya de duabus Relationibus Patris, vnius ad Filium, alterius ad Spiritum Sanctum, quæ non distinguuntur in Patre facilè respondemus: non omnes Relationes disparatas inter se distingui, sed eas quæ ex sua ratione conuenire in vnam, & eamdem Personam nequeunt, vti sunt relatio Geniti, & Relatio procedentis, quæ natura sua sunt oppositæ, seque mutuo excludunt, cum vna ex generatione per intellectum, altera ex processione per voluntatem proueniat, ac idcirco in vnam coire personam nequeant. At verò Relatio spirationis actiuæ conuenit etiam Filio spiranti, ac proinde non opponuntur, nec se excludunt. Vnde existit diuersa ratio. Addo quod hæ duæ relationes, adueniunt personis iam constitutis, ideoque non possunt eas distinguere, cum eas non constituant. At vero Relatio, Geniti, & procedentis constituunt primo Personas, easque distinguunt: nam quod est formale constitutiuum illud est etiam distinctiuum.

Quod attinet ad secundum exemplum, siue confirmationem, quæ ducitur ex eo, quod si Filius, & spiritus Sanctus referrentur ad Patrem per duas relationes, quæ non essent originis ab eo, non distinguerentur per eas inter se, & essent vna, eademque Persona, sicut Pater, qui per duas relationes refertur ad Filium, & Spiritum Sanctum, est tamen vna, & eadem Persona, facilius respondetur negando paritatem, quia deficit exemplum in duobus. Primo in eo quod Pater est vna tantum Persona, iam in suo esse constituta, & non potest fieri duplex, aut triplex Persona per illas relationes aduenientes. At Filius, & Spiritus Sanctus sunt duæ personæ, quæ supponuntur ad Patrem referri iam constitutæ: vnde cum sint duæ, si ijs aduenirent aliæ Relationes non pugnantes inter se, & per eas referrentur ad Patrem minimè ab eo per eas distinguerentur: quemadmodum, & Pater, & Filius iam constituti non distinguentur per relationes aduenientes spirationis actiuæ. Secundò deficit argumentum in eo quod argumentum supponit, quando Spiritus S. & Filius referuntur ad Patrem non referri per Relationes oppositas, puta Geniti, & procedentis, per quas constituuntur, & distinguuntur: sed per alias quæ sibi nullo modo opponantur. Nos autem non loquimur nisi de

Relationibus oppositis inter se, & constitutiuis, & distinctiuis Personarum, cuiusmodi sunt Relationes Geniti,& Procedentis. Vnde exemplum nihil concludit, si enim velit, quod per has referantur ad Patrem, necessario ab illo per illas distinguuntur. Si autem velit, vt per alias his adiectas ad Patrem referantur, quæ non sint constitutiuæ, nec distinctiuæ, concedimus per illas non esse distinguendos. Sed hac ratione argumentum, & exemplum nihil concludit.

Anselm. Ad testimonia oportet respondere. Quoad testimonium Anselmi, & Patrum circa illud Principium. *In Diuinis omnia sunt vnum vbi non interuenit oppositio relationis*. Admittimus in sensu Scoti, negamus in Thomistico: idque satis ostendimus. Nyssenus Nec aduersatur Nyssenus ad Ablabium, quem importune nobis obijciunt aduersarij. Nam dum dicit. *Per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus, nimirum eo quod credimus aliud quidē Causam esse, aliud vero ex Causa, & ex eo quod ex Causa est*. Loquitur de euidenti distinctione, & quæ omnibus *patet*, quam indicat Verbum *Deprehendimus*, quam solutionem superius adhibuimus loco Anselmi vtente Verbo *Apparet*. Ac ita intellexit Bessarion Bessarion orat. pro vnione cap. 6. his verbis quæ contra nos adducit Montoya Montoya cum pro nobis faciant. *Eo distinguitur*, *inquit*, *Nyssenus à Filio*, *quia per ipsum est*, *quasi diceret*, *quod cum ambo à Patre sint non sufficienter distinguerentur*, *nisi alter per alterum esset*, ly *sufficienter* continet totalem, & adæquatam distinctionem complexam ex disparata, & relatiua: cum præsertim loquatur de facto Nyssenus, quod nos minimè negamus: admittimus quippe duos modos distinguendi, & relatiuè, & disparatè, et vtrumque de facto damus: ex suppositione autem quod alter relatiuus deesset, dicimus manere adhuc alterum modum separatæ distinctionis, quem prorsus aduersarij tollunt. Aduertimus deinde Bessarionem non posuisse in testimonio Nysseni illam particulam *solum* exclusiuam alterius distinctionis, quam addidit Montoya. Sic enim citat Bessarion. *Eo distinguitur Spiritus Sanctus*, non *Eo solum* vti asserit Montoya. Cui minus opinor est, quàm Bessarioni credendum. Cæteri Patres, qui à Montoya magno numero citantur, longe aliud senserunt, quemadmodum nos accuratè ostendimus sect. huius capitis secundi productis, & expensis locis.

Venio ad Concilia. Primum sit Concil. Florent. Florentinum. Id obseruo nec Vasq. Vasquez d. illa 147. nec Montoyam Montoya sua 67. ausos fuisse illud pro sententia D. Thomæ citare: tantum afferre testimonia Ioannis Dominicani, qui priuatam disputatoris in eo Concilio personam agebat, & Bessarionis in oratione habita vnionis, qui priuatus item erat doctor, & orator non autem totius Concilij. Et quāquam Salmanticenses nimio plus Salmant. Thomistæ Ioannis verba citent nomine Concilij affectui dandum est, at minimè ignoscendum, quod multum interest nō loquatur ne Dauus, an Heros in scena, sed an loquatur Ioannes, An integrum Concilium? In quo certè illud maximè animaduertendum, quod cum omnibus modis ageretur de persuadēdo Græcis Processionem à Filio, abstinuerint Patres ab hoc argumento, vel obiter solum tractauerint, quod dico propter eum, quem superius adduxi locum, & de quo iterum inferius agemus. Quod si hoc argumentum, tam est validum, vti Thomistæ existimant, cur illud non summa vi Concilium obijciebat, & identidem inculcabat? Legi sæpè hac mente Concilium, & miratus sum Patrum

ea

ea de re silentium. Auxit admirationem videre illos cum Græcis actualem Processionem negantibus disputare: quo sanè casu argumentum illud erat vrgendum: nec enim subtiliter in Schola cū Scoto actualem Processionem ex Filio Catholice confitente, & rem ad calculos exiliter reuocante res erat, sed in acie cum Græcis processionem illam de facto negantibus dimicabatur: contra quos ille Achilles erat, producendus. Sed aliter visum Patribus, ac inter eos tot tantosque viros vnus fuit inuentus Thomista, qui eum, nec admodum fidenter afferret: quem si Bessarion est secutus, duo ad summum ij fuerunt. Nec comperimus ijs annuisse cæteros: ceu subtilitates istas Scholę minus curarent.

Con. Tolet. XI. Concilium Toletanum XI. citat Montoya d. 68. sess. 4. num. 3. in Confess. Fidei. Sed ibi nihil habetur, quod faciat ad causam Thomisticam, & sunt quædam, quæ faciunt ad Scotisticam. Nam pro Thomistica id tantum affertur, quod fatetur Concilium Spiritum Sanctum esse à Patre, & Filio, quæ veritas non Thomistica, sed Catholica est. Ratione autem probatur ea, Quia *Charitas siue Sanctitas amborum esse cognoscitur*. Quæ cum deducatur ex Vnitate, non ex distinctione, nobis magis fauet, quam Thomistis. Præterea dicitur Filium, & Spiritum eo distingui, quod Filius sit Genitus, Spiritus Sanctus procedens: eoque se mutuò excludere. Vvormatiense, quod item adducit Montoya eadem ratione procedit: statuit illam de Processione à Filio doctrinam: sed nihil ad controuersiam pertinet. Itaque ijs puto Vasquez diligentem, & eruditum authorem abstinuisse, quod vidit nihil inde ad suam sententiam momenti posse desumi.

Montoya

Concil. Vvorm.

Vasquez.

Superest tamen vna, & grauis ex Concilio Florentino obiectio, ex illo loco orta, quem superius examinauimus cum Vasquez, & Montoya, & quibusdam Anonymis Thomistis: quam quia difficilis est ob intelligentiam textus volo exactè tractare. Aduerto autem primum eam contra Græcos negantes Processionem à Filio de facto, non aduersus nos, qui admittimus valere. Quamquam & nos ea obliquè petamur. Eam igitur prorsus diluere operę pretium erit.

Sessione 25. Est Confessio quædam Patrum Latinorum missa ad Græcos huiusmodi verbis additis ad Græcorum errorem confutandum. *Etenim qui negant Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere: profectò manifestè declarant, quod ex solo Patre. Si vero ex solo Patre: fuit ergo quando non erat Filius: Si vero dicant, quod ex sola Paterna hypostasi separant re ipsa substantiam ab hypostasi, atque ita per ipsos substantia in partes secabitur, quod absurdum est*. Sic hodie legitur in omnibus exemplis post vltimam correctionem: non quemadmodum antea tempore, quo Vasquez, & Montoya scripsere, legebatur, quod supra obseruauimus. Est autem intellectus difficilis illius primæ partis; quæ assumit affirmata ex solo Patre Processione, negari existentiam Filij. Id quippe est. *Si vero ex solo Patre, fuit ergo quando non erat Filius*. Quæ sequela improbabilis videtur esse, & afficta Græcis, qui affirmando Spiritum Sanctum à solo Patre procedere, non negabant existere Filium, quomodo ergo id ex eorum sententia colligunt Patres Latini? Aut quæ tandem est ista necessitas cōsequentiæ: *Ex processione à solo Patre colligitur non existere Filium in Diuinis?* Non est autem credendum Patres Latinos ineptè collegisse, & absurdè argumentatos esse.

Conc. Fl.

Dico igitur hanc fuisse Latinorum

rum Patrum, quæ Anſelmi fuerat, argumentationem. Proceſſio Spiritus Sancti fit ab eo, qui eſt Deus, ac per ipſius Deitatem, quæ cum vna, & eadem ſit, in quibus perſonis ſit, debet ſpirare actiuè Spiritum Sanctum: ergo ſi ſit iam perſona Filij, qui eſt idem cum Patre Deus, debet is per eamdem quæ illi eſt cum Patre Deitatem ſpirare Spiritum Sanctum. Quod ſi negatur ſpirare, negatur exiſtere, quæ apta eſt, & rotunda argumentatio. Sequitur enim ex eo quod non ſpiret, non eſſe Deum eumdem cum Patre, ergo ſequitur non exiſtere cum Patre: nam ſi cum eo exiſteret cum eo certè ſpiraret. Confirmatur hæc ratio ex ſecunda parte ſententiæ. *Si vero dicant, quod ex ſola Paterna hypoſtaſi: ſeparant re ipſa ſubſtantiam ab hypoſtaſi. Atque ita per ipſos ſubſtantia in partes ſecabitur.* Quod ſic intelligendum. Si primam illam ſequelam negent Græci, & occurrant, ſe non negare exiſtentiam Filij, quando Pater ſolus ſpirat Spiritum Sanctum, ſed dicere quod ipſo Filio exiſtente, Pater illo excluſo ſolus ſpirat ex vi ſuæ hypoſtaſis, & Paternæ Perſonæ; hac accepta reſponſione inferunt aliud abſurdum ex ea Patres Latini. Nempe ſeparare eos hac ratione ſoluendi Diuinitatem ab hypoſtaſi Patris. Patet, quia tunc Deitas non eſſet principium producens Spiritum Sanctum, ſed ſola hypoſtaſis, ergo ſola hypoſtaſis ſine Diuinitate produceret, ergo ſeorſim ageret, & ſeparata agendo conſiſteret. Vnde & aliud abſurdum ſequebatur: nempe *ſecari ſubſtantiam Dei in partes*: quod duobus modis intelligi poteſt. Primo, quia cum Pater ſit Deus includendo perſonam, qui ſeparat perſonam à Deo ſeparat, & ſecat Deum, & ſubſtantiam Dei diuidit. Secundo, quia ſi Deitas non per ſe, ſed per hypoſtaſium communicatur Spiritui Sancto: neceſſe eſt, vt perſonalitas, ſiue hypoſtaſis ſit Deitas: atque adeo ſit diuerſa à Deitate naturæ, quæ minimè communicatur, & in Spiritu Sancto ſit tantum Diuinitas communicata per ſolam hypoſtaſim, quæ non eſt illa abſoluta naturæ Diuinæ. Ex quo ſequitur Diuinitatem, quæ eſt in Spiritu Sancto non eſſe eam, quę eſt in Patre, & Filio, nam hęc nihil produxit, nam ſi produceret, produceret tum in Patre, tum in Filio, ſed non produxit in Filio, vt aiunt Græci; nec ſine illo potuit in Patre producere, quod etiam conceſſerunt: Ergo ſecatur in partes eo modo ſubſtantia Diuinitatis, & optima argumentatio eſt. Quæ item quoad hanc ſecundam partem proponitur paulo inferius ab ijſdem Latinis Patribus ſeſſ. eadem 25. §. *Sed ne identitatem vnitatemque eſſentiæ diuidamus, atque vt eſſentiam ab hypoſtaſibus non re differentem, ſed ratione tantum, & actu intelligendi aſſeueremus, & nulla ſuſpicio ſit Spiritum Sanctum eſſe à ſolo Patre, triumque ſubſtantia, quæ vnica eſt in tres partes diſſecta cuipiam videatur, vocem ex Filio pronunciamus in Symbolo, & propterea dicimus Spiritum Sanctum procedere ex Patre, & Filio, vt ab vnico principio.* Concil. Florent.

Ex his duo deducimus. Alterum Patres Latinos nullam rationem habuiſſe illius Principij diſtinguentis ab oppoſita relatione: Sed Principij vnientis in vna Deitate Patrē, & Filium. Alterum nihil contra Scoti ſententiam dixiſse, ſed contra Græcos, qui de facto negabant Spiritum Sanctum ex Filio procedere: quam veritatem Catholicam Scotus, cum ſua Schola, & amplectitur & defendit. Cuius ſententiam ſi Authores velint ſerio, & ſine ſtudio partium expendere, & quæ nos hic latè, & copioſè diximus maturè conſiderare, non dubito, quin eam dein-

deinceps alteri Thomisticæ longè præponant. Mei officij fuit, eam vti ab Scoto accepi, ac ex eo intellexi, candidè, & explicatè proponere, eamque quoad eius fieri potuit, Patrum authoritate, & rationum momentis confirmare, & quæ aduersus eam obijci solent, & possunt abundè refutare.

Hæc omnia quę diximus ex Scoto didicimus. A quo ista quæstio accuratissimè tractata est, & perspicua decisa in 1. d. 11. q. 2. adiunctis ijs quæ habet in eadem dist. qu. 1. & dist. 12. qu. 1. & 2. & præcipuè acceptis quæ tradit dist. 13. qu. 1. titulo. *Vtrum Spiritus Sanctus sit genitus?* vbi agit de duabus processionibus per intellectum, & voluntatem; & illarum ob id distinctionem, quod exactè præstat §. *Ad quæstionem respondeo*. Accedunt, quæ docet d. 26. q. 1. & dist. 27. q. 2. & 3. & d. 28. qu. 2. & 4. & dist. 22. q. 2. Adijcio quæ ante docuerat dist. 2. q. 4. f. 6. & 7. quę omnia cum attentissimè legissem, & lecta inter se maturè contulissem, miram inueni doctrinæ harmoniam, nexumque rerum: ex quo apud me expenso, & formato multum cœpi & scientiæ fructum, & voluptatis. Fateor ingenuè non parum in hac qua sum deuexa ætate è Lectione Scoti profecisse.

SCHO-

SCHOLA VI.

DE IVDICIO VERITATIS FIDEI ET MORVM IN DVBIIS CIRCA EAM ORTIS.

PROLOQVIVM.

ABSOLVTA tractatione de Verbo, & Spiritu Sancto, aptè instituitur quęstio de iudicio veritatis inter homines, ad quos missa est veritas Verbi Incarnati, qui de semetipso Ioannis 19. dixit. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati*. Et magister veritatis Spiritus Sanctus, qui Verbo Incarnato succederet in Cathedra veritatis: *Ille vos docebit omnia*. *Cum venerit ille docebit vos omnem veritatem*, quemadmodum per igneas linguas erudiuit. Nimirum quod; *cum omnis homo sit mendax*, veritas ab ijs esse non poterat. Nasci ergo debuit in terris Veritas Christus: *Veritas de terra orta est*, & *Spiritus ille Veritatis*, in terras debuit per speciē descendere, vt apud eos iudicium veritatis esset, & ab ijs discerent homines iudicare. Idcirco Spiritus Sanctus in specie Columbæ, & linguæ igneæ visibilem se præbuit, vt ex illius super volantis motu afflatus cœlestis existeret, & ex illo igne faculæ deciderent, quæ mentes illuminarent, & corda succenderent. Quibus sanè signis duo indicauit, alterum visibile, ac sensibile fore iudicium: alterum ab eo ferendum, qui & Columbæ Filius huius & esset, & vocaretur, & ardore Charitatis plus cæteris æstuaret. Cuiusmodi Petrus fuit. Filius Iona, idest Columbæ, & verus Christi Amator, qui plus cæteris eum dilexit. A quo quòd illius Fides non defecit, Fratres sunt reliqui confirmati. Sed antequam de Petro, & successoribus quicquam statuamus, quæstionem excitemus, & decidamus.

Ioan. 19.

CAPVT I.

Ecquis sit Iudex Controuersiarum?

TRes in quæstionem venire possunt. Scriptura Sacra. Traditio Sacra. Pontifex summus siue Ecclesia. Primum de Prima. Deinde de alijs agemus. Ac primum.

Controuersias esse de rebus fidei patet, & natæ ex ijs hæreses testantur, easque accuratè collegit, & recensuit Pater Martinus Be-

Becanus in suo Manuali lib. 1. cap. 5. & in tomo opuscul. à fol. 727. ad 736. ad has componendas Iudice opus est, qui more iudiciali eas dirimat. Igitur quis, & qualis hic Iudex sit, quæritur. Hæretici aiunt esse solum Sacram Scripturam, quod probant. (Becanus)

Primò loco Isaiæ 8. num. 20. vbi Deus remittit Iudæos ad *legem*, *& testimonium*. Secundo Ioan. 5. In quo ait Christus *scrutamini scripturas*. Tertio Lucæ 16. ore Abrahami ad Diuitem *habent Moysem*, *& Prophetas, audiant illos*, cui accedit caput vltimum, vbi Christus duos discipulos inuentos in via docuit ex Sacris Scripturis, & reprehendit, quod non crederent. Quarto loco Actorum 17. In quo Beroenses audientes Paulum *scrutabantur scripturas, si hæc ita se haberent*. (Isaiæ 8. Ioan. 5. Luc. 16. Act. 17.)

Probatur secundò ratione: quia Iudex debet esse certus, & in materia fidei infallibilis: certitudo autem, & infallibilitas tantum reperitur in Authoritate Diuina, hæc verò in solis Scripturis continetur. Ergo sola Scriptura Sacra est Iudex controuersiarum. Confirmatur quia Iudex est superior controuersijs, & litibus, & vti talis eas definit. Vnde sequitur non posse esse alium iudicem præter scripturam, quia supra illam nemo esse potest. Tertio quia authoritas Diuina non existit in aliquo homine viuo, nec in traditionibus, quæ per manus hominum veniunt, nec scriptis humanis, & mortuis, nec in alijs quæcumque demum sint instrumentis, aut momentis, & alijs Scripturis mortuis, nec in alijs probationibus humanis. Ergo nusquam præter Scripturam potest inueniri Iudex controuersiarum. Ita hæretici.

Catholici clarius procedunt, & distinguunt duo. Iudicem, & normam, seu regulam, per quam Iudex dirigitur, & gubernatur. Iudex enim fert sententiam secundum ius, & leges, & vtitur regula rationis in ferenda sententia de proposita controuersia. Posita ista distinctione aiunt Iudicem esse Pontificem Romanum vel ex cathedra per se, vel simul cum Concilio definientem. Normam vero, & regulam esse scripturam, & traditionem. Hoc posito. Vtrum sola Scriptura sit Iudex controuersiarum? Non esse Probatur primo, quia Iudex est ille, qui in controuersia inter litigantes pro vna parte fert sententiam certam, & determinatam. Hoc autem non facit Scriptura, quia noui hæretici de intelligentia Scripturæ semper ambigunt, & de illa nobiscum, & inter se disputant, quia in Scriptura euidenter nõ habetur certa sæpè & definita sententia. Patet veritas probationis exemplis. Nestoriani duas in Christo distinguebant personas, Euthychiani vnam ponebant naturam, & vtrique Scripturas allegabant. Caluinistæ negant realem Christi præsentiam in Eucharistia, quam figuram tantum esse dicunt. Lutherani autem admittunt corpus Christi simul cum pane in Eucharistia, & realem Christi præsentiam non negant. Ariani abutebantur eo loco. *Pater maior me est*, & errabant in alio: *Ego & Pater vnum sumus* in quo item errabant Sabelliani dicentes in Deo vnum esse suppositum, seu personam. Non habebant igitur Scripturam Iudicem suarum controuersiarum. Multa alia exempla possent afferri, quæ cumulat doctè, & eleganter P. Campianus in suo aureo libello decem rationum, & Becanus citatus. (Campian. Becan.)

Probatur secundo quia officium Iudicis est auferre materiam controuersiarum, & litium, easque sua sententia terminare, & occasiones litigandi auferre; at vero Scripturę apud Hæreticos, dum eas quisque priuato iudicio seruire cogit, præbent

bent ansam litigandi, & digladiandi. Omnes enim illas in suas partes trahunt, & pro se allegant, & postquam eas producunt, de illarum sensu, veluti olim de Homero Græciæ vrbes, inter se contendunt. Igitur scriptura inter ipsos non terminat quæstiones, imo nouas ex abusu citantium auget, & producit. Nullus quippe hæreticorum Scripturæ, hactenus ita acquieuit, vt desineret dubitare. Itaque singuli, suis interpretamentis, tanquam saxis polypi adhærescunt.

Probatur Tertiò: Iudex est ille qui de alijs cum potestate iudicat, & illos ad se vocat, & dicto audientes habet tamquam superior illorum, nec sinit se à litigatoribus trahi, & torqueri, at Scriptura non ita se habet apud Hæreticos. Alij enim aliò illam trahunt, & de illa arbitrio suo iudicant, & volunt vt suo sensui obediat, flectentes eam, & detorquentes quò lubet, ostendentes se ipsamet Scriptura superiores: cum suo quisque arbitrio eam suspendat.

Confirmatur exemplis. Dicit Scriptura *hoc est corpus meum*, dicunt Caluiniani *hoc non est corpus meum, sed figura corporis mei*. Ergo ij Scripturam iudicant, & reprobant. Dicit Scriptura. *Ego & Pater vnum sumus*, dicunt Ariani *Verbum & Pater non sunt vnum quia Verbum est creatura Patris.* Dicit Scriptura, *non derelinques animam meam in inferno*. Vnde Symbolum Fidei dixit. *Descendit ad inferos*. Dicunt Caluinistæ *Anima mea id est Christi hæc dicentis pertulit in Cruce tormenta Inferni, & desperauit, ac proinde instar damnatorum se habuit*, quod quidem diceret de anima sua ipsemet Iudas proditor. Hoc enim sensu accipiunt Caluinistę illa verba Christi in Cruce. *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Addit Beza animam hoc in loco significare *cadauer*, vt idem sit dicere, *non derelinquas animam meam in Inferno*, ac dicere, *non derelinquas cadauer meum in sepulchro*. Dicit tandem Scriptura, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*. Dicunt Anabaptistæ infantes etiam non renati introibunt in regnum Dei. His exemplis manifestum est hæreticos non sequi Iudicium Scripturæ, nec eam dominum, aut Iudicem habere, sed arbitrio suo regere, ac torquere, eamque pessundare, & conculcare.

CAPVT II.

Soluuntur Argumenta Nouatorum.

AD primum Isaiæ apud quem Deus Hebræos ad legem magis, & ad testimonium mittit. Respondetur Deum hoc in loco agere contra eos, qui consulebant Ariolos & Pythones, idque fieri prohibere: dixerat quippe, *cùm dixerint ad vos quærite à Pythonibus, & diuinis, qui strident in Incantationibus suis.* Addit deinde. *Numquid non Populus à Deo suo requiret visionem?* Ex quo apparet Deum hic loquentem non agere de controuersijs legis, sed de scientia, & reuelatione futurorum. Itaque Deus monet Israelitas, si futura scire vellent, debere Scripturas Diuinas, & Prophetas consulere, & non Pythones, & Dœmones, quomodo dictum est lib. 4. Regum cap. 1. Ochoziæ Regi. *Numquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron*. Has ergo consultationes vetabat Deus iubens recurrere ad legem, & testimonium scripturarum, quas Pontifex, & Prophetæ solebant explicare. Non iubet itaque consulere nudas Scripturas, sed ait Scripturas ipsas docere, quomodo futuri euentus præsciri deberent. Id est, per Pontifices

Isaiæ 8.

4. Reg. 1.

tifices, & Sacerdotes: per Pontifices vti illo loco. *Applica Ephod.* Per Profetas vti alio loco l.2. Reg. c.14. vbi vxor Ieroboami iuit consultatum Abiam Prophetam de salute Filij sui egrotantis: *Vade*, inquit, *ad illum, ipse enim indicabit tibi, quid euenturum sit puero huic*, quare hic locus potius est contra Aduersarios, etiam dato, quod Deus hoc in loco Isaiæ de Controuersijs loqueretur. Iubet enim recurrere ad Scripturam iuxta morem illius gentis, qui erat recurrere ad Pontifices, & Proph.tas, non ad nudas Scripturas. Confirmatur, quia in eodem loco Isaiæ prius dixerat Deus. *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis*, & post hæc addidit, *ite magis ad legem, & testimonium, quam ad Ariolos*: significans eundum esse ad Scripturam non liberam, & solutam, sed ligatam, & contractam cum personis ad quas pertinebat responsum reddere, vti erant Pontifices, & Prophetiæ, quod magis patet ex verbis sequentibus, *quod si non dixerint iuxta Verbum hoc non erit eis matutina lux*. Itaque lex illa, & testimonium non sumebatur ex litteris mutis scripturarum, sed ex verbis Magistrorum.

2. Regum cap.14.

Isaiæ 8.

Ibidem.

Secundo: *Scrutamini Scripturas*. Respondet Beccanus lib. 1. cap. 5. de Iudice controuersiarum, hoc loco docuisse Christum quatuor se de sua Diuinitate habere testimonia vnum Ioannis Baptistæ, aliud miraculorum, aliud Patris æterni, aliud Sacræ Scripturæ. Vnde sequitur istum locum esse contra hæreticos, quia ex hoc loco habetur non solam Scripturam esse Iudicem controuersiarum. Ego aliter soluo, quia video Christum hoc in loco nolle probare Diuinitatem suam testimonio Ioannis. Imo & hoc infirmare, ac excludere cum dicat. *Ego autem non ab homine testimonium accipio*. Deinde neque etiam Patris testimonio persuadere vult Iudæis Diuinitatem, quia dicit. *vocem eius numquam audistis, neque faciem eius vnquam vidistis*. Tandem eti:m testimonium miraculorum exclusum ait ab ijsdem quia Christo ea operanti nolebant credere: non ergo volebat Christus facere quatuor Iudices controuersiarum apud Iudæos, cum ipsi tribus non crederent, sed tantum crederent Scripturis. Igitur eos remittit ad Scripturas, quibus tantum credebant, & ita concludit. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Concedo ergo Christum remisisse Iudæos ad Scripturas, nego tamen ex hoc sequi illationem hæreticorum; nempe. *Scriptura sola est Iudex controuersiarum*. Nam illud tantum colligitur ex loco, Scripturam aliquando posse esse controuersiarum Iudicem: nimirum, vbi clarè loquitur, tunc enim non indigemus alio Iudice, neque Catholici affirmamus, vbi Scriptura clara est opus esse Iudice, hoc enim esset absurdum. Quis enim vnquam quæsiuit Iudicem quando nulla erat controuersia? Igitur de Natiuitate, & Circumcisione, Passione, ac Resurrectione Christi, & alijs mysterijs quæ sunt manifesta in Euangelio, non expectamus Iudicem, quia sola Scriptura clarè & manifestè illa proponit, at in alijs locis, & controuersijs, vbi Scriptura clara non est, Iudicem quærimus. Itaque ad argumentum. Remittit Christus ad Scripturas Iudæos, quia eius Diuinitas erat in eis expressa, & non erat opus ad eam cognoscẽdam alio adminiculo præter ipsam Scripturam. Secundo respondeo. Ideo Christum eos remisisse ad solas Scripturas, quia ij nolebant credere alijs argumentis. Tertiò respondeo: non sequi ad solas, & mutas Scripturas eos misisse, sed vti solebant explicari per Pharisæos Ma-

Becan.

Ioann. 5.

Ibidem.

Ibidem.

Magistros legis ex Cathedris, vbi Spiritus Sanctus assistebat. Quod nos consulimus hæreticis, vt scrutentur Scripturas iuxta Pontificum, & Conciliorum, & sanctorum Patrum expositionem.

Tertius locus de Abrahamo mittente Diuitem ad Moysen, & Prophetas soluitur dicendo eum non loqui de doctrina, nec de controuersijs doctrinæ, sed de disciplina morum, quæ in legibus Diuinis, & præceptis continetur. Addo quod Abraham dixit *habent Moysen, & Prophetas, audiant illos*, non dixit legant in scriptis, sed audiant in voce Prædicatorum, & Magistrorum.

Quartus de discipulis Emaus dupliciter exponitur dicendo Christũ Scripturis fuisse vsum, quia non erat tunc Iudex competens in Synagoga cuius Pontifices eo tempore intrusi, & venales erant. Secundo dicendo mysterium Resurrectionis esse in Sacris litteris satis clarum & manifestum. Tamdem ipsimet discipuli fatentur se non intellexisse Scripturas nisi Christus explicasset, quod sæpè in Euangelio Apostoli confitentur. Vnde probatur interdum Sacras Scripturas non sufficere ad controuersias definiendas, & iudice opus esse. Hinc illa vox *cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur, & aperiret nobis Scripturas.*

Becan. Ad locum Actorum 17. de Beroensibus. Respondet Becanus: eos iam credidisse Paulo: consuluisse tamen Scripturæ locos, vt ijs perspectis magis confirmarentur in Fide. Mea solutio est diuersa, quia textus videtur significare Beroenses non tam credidisse, quam voluisse scrutari scripturas studio videndi vtrum congruerent ijs, quæ à Paulo dicebantur, quasi non credituri nisi congruerent. Hoc supposito quod apparet ex textu, respondeo primò Beroenses non agnouisse adhuc Christum, nec eius Ecclesiam, ac proinde, vt de nouo crederent egebant testimonio Scripturarum, nam alius pro ijs in eo statu iudex non erat, at nos qui nouimus Christum, & Ecclesiam, & scimus hanc non posse errare, possumus habere, & debemus alium iudicem vltra scripturam. Secundò Paulus ipse probabat sua dicta testimonijs Scripturæ, vt ait textus *disserebat eis de Scripturis*, & volebat, vt ipsi eas consulerent, quia erant claræ, & monstrabant quę ipse docebat. At vero nos quando dicimus opus esse Iudice, loquimur de rebus obscuris, quæ non habent patentia testimonia: in perspicuis autem vtimur Scriptura. Tertiò respondeo non negari à nobis Scripturam interdum Iudicem esse, sed negari solam, & semper sufficere cum ea sæpè sit obscura, & ei traditiones sint adiungendæ, quas peruicaces omnino hæretici tollunt.

Argumentis ex ratione satisfit hoc modo. Primo concedimus maiorem. Nempe Iudicem debere esse infallibilem, & negamus minorem: nimirum solam Scripturam esse infallibilem. Nam traditiones etiam infallibiles sunt. Deinde Concilia Vniuersalia, & Pontificum ex Cathedra Decreta in rebus de Fide sunt infallibilia, nec vnquam Catholici ad definiendas primarias Fidei controuersias horum iudicia recusarunt, vt apparet in definitis à Concilio Niceno contra Arium. In Constantinopolitano contra Macedonium. In Ephesino contra Nestorium. In Calcedonensi contra Euthychetem, & Dioscorum. Quis enim vnquam quæsiuit: an ex Scripturis, vel ex traditionibus hæc Concilia iudicauerint? De Pontificibus infra dicemus.

Secundum soluitur hoc modo: Iudicem controuersiarum non esse Superiorem Scripturis, nec ferre iudicium supra Scripturam, sed su-

per

per obscuritatem Scripturarum remouendo illam, & eruendo occultum sensum cum assistentia Spiritus Sancti, quæ non deest in Ecclesia. Preterea adhibentur etiā traditiones vbi Scripturę desiderantur. Tandem argumentum retorquetur in Hæreticos: illi enim iudicium ferunt super sensum Scripturarum. Imo sæpe singuli priuato iudicio illas interpretantur. Tertio negatur solis Scripturis inesse Dei authoritatem, quia inest etiam traditionibus. Prætera non est opus, vt Iudex in se habeat authoritatem Diuinam, sed vt iudicet secundum illam, vti facit Pontifex, & Concilia, quæ nihil de nouo condunt, vel definiunt de fide, sed declarant de fide esse, & contineri in Scripturis, vel implicitè, vel explicitè, & iuxta illas, vel traditiones, docent veritates de Fide tenendas.

CAPVT III.

Traditiones esse infallibiles, sed non Iudices controuersiarum.

Traditio est veritas non scripta, sed Fide, & authoritate maiorum accepta, & consuetudine roborata, & ad Personas transmissa. Apud omnes gentes est, nam omnes obseruant quosdam mores, & consuetudines certas, & solemnes vltra leges scriptas, quæ seruantur & custodiuntur. Erant apud Hæbræos, & de illis loquuntur Pharisæi in eo celebri loco, *quare discipuli tui transgrediũtur traditiones seniorum?* Quas item Christus refutando confirmat dicendo *traditiones vestras*, huius generis fuere illa baptismata Calicum, & Vrceorum, & lotiones manuum de quibus Marcus cap. 7. & Matth. cap. 15. & illa auersio Iudæorum à Publicanis, & peccatoribus, vt & cum illis edere, & ab ijs tangi recusarent de quo Matth. 9. & Lucæ 7. Hæ tamen traditiones vitiosæ erant, & corruptæ; ideo Christus eas reprehendit.

Marcus Matth.

Matth. Luc.

Erant autem aliæ traditiones laudabiles, & necessariæ, vti Canon Scripturarum, quem Hebræi accipiebant à maioribus traditum, vti Sacramentum in remedium Peccati originalis fęminarum, quod omnino aliud erat à Sacramento Circumcisionis, nec tamen inueniebatur in Scripturis. Prætere multa per traditiones habuerunt Hebræi de quibus Exodi 12. *narrabis Filio tuo in illo die dicens, hoc est, quod fecit mihi Dominus*, & Deuteronomij 32. *Memento dierum antiquorum: cogita generationes singulas, interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos et dicent tibi*. Alia testimonia similia sunt Iudicum 6. & Psal. 47. & 77.

Exod.

Iudicum 6. Psa. 47. 77.

In Nouo testamento patent traditiones, & iubentur seruari 2. Thessal. 2. *Itaque Fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram*. Chrysostomo ibi notante. *Hinc patet quod non omnia per epistolam tradiderit, sed multa etiam sine litteris, eadem enim fide digna sunt, tam illa quàm ista*. Idem docet Epiphan. hæresi 61. & Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 17. & Damascen. lib. 4. cap. 17. vbi sic. *plurima Apostoli sine scripto tradiderunt*. Huius generis est Canon scripturarum à Pontificibus, & Concilijs definitus, nam iste in scripturis non est, & prohibitio rebaptizandi baptizatos ab hæreticis, de quo Augustinus lib. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 7. *quam consuetudinem*, inquit, *credo ex Apostolica traditione venientem*. Imo & illa infantes esse baptizandos authore Origene in cap. 6. epist. ad Roman. *Ecclesia*, ait, *traditionem accepit etiam paruulis baptismum dare*, & quamquam videtur locus expressus

2. Thes. 2.

Chrysost.

Epiph. Basilius. Damasc.

August.

Origene.

pro

Ioannes. pro hac veritate Ioannis 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*, maluerunt tamen Patres traditione id, quam Scripturæ authoritate definire. Nam multi hæretici vti hodie sunt Anabaptistæ illi testimonio Scripturæ non acquiescunt, negantes de Infantibus intelligi, non possunt autem negare traditionem Ecclesiæ in ijs baptizandis, de qua Sanctus Augustinus lib. 10. de Genesi ad litter. cap. 23. *Consuetudo*, inquit, *Matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est, neque vllo modo superflua deputanda, nec omnino credenda nisi Apostolica esset traditio*. Item illa traditio est, quod in Ecclesia Catholica de Fide creditur: B. Mariam Virginem semper & ante partum, & in partu, & post partum fuisse. Nam hoc in Scripturis non habetur expressum. Igitur Traditiones infallibiles in scripturis expresse habentur, & exempla earum quæ adduximus in scripturis non reperiuntur, & tamen creduntur de fide. Agimus autem de his quæ ab Apostolis pro vniuersa Ecclesia tradita sunt, non autem de alijs quę nec ab Apostolis traditę sunt, nec Vniuersalis Ecclesia celebrat: cuiusmodi sunt communio quotidiana, Ieiunia Sabbati, & aliorum dierum, quę cum varietate Ieiunantur. *Et cætera*, inquit Augustinus, *quæ per loca regionesque variantur*. De illis primis Apostolicis grauiter Tertull. lib. de corona militum cap. 4. *Harum, & aliarum similium disciplinarum si legem expostules scripturarum nullam inuenies. Traditio tibi traditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix*. Consentit Augustinus epist. 118. ad Ianuarum vbi ait. *Insolentissimæ insaniæ esse de ijs dubitare quæ ab vniuersa obseruantur Ecclesia*. De alijs autem quę minoris sunt momenti consuluit Augustinus cum Ambrosio *vt obseruet quisque quod in ea Ecclesia in quam venit inuenerit*. Primum illud genus comparatur scripturis, hoc secundum minimè, nec enim est infallibilis veritatis.

August.

Tertull.

August.

Ambros.

Ex his patet traditiones illas Apostolicas Controuersiarum Iudices esse posse, si infallibilitas attendenda sit. Sed non esse iudices probatur, quia iudex est qui audit partes, & fert sententiam examinata veritate, & more iubentis rem decidit secundum allegata, & probata, hoc autem non est proprium scripturę nec traditionis, quę muta, & insensibilis est, sed personę viuę, & intelligentis, qualis est Pontifex, & Ecclesia, quę in vtramque partem ventilant controuersias, & diiudicant, & auditis partibus decernunt quid sit tenendum, & agendum; quare rectè dicitur cum Becano scripturã, & traditionem potius esse normam, & regulam credendi, quàm iudicem controuersiarum: nam officium iudicis est personę, non autem doctrinę, aut legis, aut traditionis. Præterea quia Traditiones pauciores multò sunt, quàm controuersiæ, & quæstiones circa doctrinam de Fide. Igitur non possunt esse iudices, nisi paucissimarum. Insuper: Traditionum cum multæ sint genera, non tam facile est dignoscere, si paucas excipias, quę sunt diuinæ, & infallibilis authoritatis, ac proinde indigent alio iudice, à quo discernantur, & statuantur. Verum de Traditionibus peculiarem quendam & vberem tractatum suo tempore ac loco trademus.

CAPVT IV.

Quis tandem sit Iudex controuersiarum?

DIcendum Pontificem Romanum Christi Vicarium, & Petri successorem, quę potestas ei cum clauibus data est; cui dictum, *oraui pro te Petre vt non deficiat fides tua*, & illud *Pasce oues meas*. Nam decidere controuersias ad Ecclesiæ regimen spectat. Concurrunt ergo in Pontifice omnes conditiones requisitæ. Nam est Persona, est infallibilis, est constitutus à Deo in supremo tribunali Ecclesiæ cum authoritate idonea ex assistentia Spiritus Sancti, atque adeo legitimus iudex controuersiarum.

Probatur hæc veritas exemplo Iudicis politici; nam in Republica est lex scripta, & consuetudo, & iudex. Lex scripta respondet scripturę. Consuetudo Traditioni. Iudex Papę. Experientia igitur docet in omni republica pręter leges, & consuetudines esse Iudices, qui lites dirimunt ferendo sententiam inter partes. Quo exemplo monstratur in rebus Ecclesiasticis pręter scripturas, & Traditiones Papam existere, iudicem viuum, & qui viua voce pronunciet sententiam.

Probatur deinde exemplo iudicis causarum in veteri testamento, qui erat summus Pontifex iuxta Iosephum lib. 2. contra Appionem. *Pontifex*, inquit, *ante alios Sacerdotes Deo sacrificat, leges custodit, & iudicat controuersias, conuictos delicti punit, cui qui non obedit is pœnas luit tanquam in Deum impius.* Certè leges erant in scriptura, & tamen illæ non sufficiebant ad iudicium, itaque opus erat Pontifice. Sed consulamus hac de re scripturam. Deuteronomij 16. ait Dominus. *Iudices, & magistratus constitues in omnibus portis tuis per singulas tribus suas, vt iudicent Populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent.* Et 2. Paralipomenon. 16. *constituit* (id est Iosaphat Rex Iudæ) *iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca.* Sed clarius Deuteronomij 16. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, & lepram, & lepram, & iudicium intra portas tuas videris variari, surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, quæresque ab eis qui indicabunt tibi iudicij veritatem*, & finit: *qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis morietur homo ille.*

Iosephus

Deut. 16.

Paral. 19.

Deut. 16.

Sed obijciunt Hæretici has esse controuersias politicas, & humanas, non sacras, ac proinde non probari intentum. Sed refellitur obiectio exemplo Moysi, qui Exodi 18. *Sedit vt iudicaret populum*, & dixit: *Venit ad me Populus quærens sententiam Dei, cumque acciderit aliqua disputatio veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges.* Esse autem controuersias sacras, quas Moyses ita decidebat, patet ex Numeri 9. vbi definit quid faciendum esset cum ijs, qui propter immunditiam legalem non poterant cum alijs celebrare Pascha, & Numeri 15. vbi statuit pœnam ei, qui inuentus esset colligere ligna die Sabbati. Verum clarissime habentur istæ controuersiæ lib. 2. Paralipomenon, cap. 19. vbi sic: *Constitui Leuitas in Hierusalem, & Sacerdotes, & Principes familiarum, præcepitque eis, &c. tunc omnem* inquit *causam, quę venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in Vrbibus suis inter cognationem, & cognationem, vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremonijs, de Iustificationibus, ostendite*

Exod. 18.

Num. 9.

Num. 15.

2. Par. 19.

eis

eis vt non peccent in domibus, &c. Et addit: *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Hoc testimonio probatur causas, & controuersias sacras ad Pontifices pertinere, ac eorum omnium caput esse Pontificem & confirmatur ex Caipha, qui apud Ioannem illam controuersiam. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Respondit Christum esse occidendum, quod iudicium cœteri sunt sequuti Ioannis 11. ex quo quamquam scelerato exemplo, apparet Summos Sacerdotes iustè leges, & controuersias definire, quod ratione eiusdem Ioannis probatur dum ait Caipham, quia *illius anni Pontifex erat Spiritu Sancto afflatum prophetasse.* Suadetur item exemplo Summi Sacerdotis in cuius pectore inerat rationale cum *Vrim, & Thumim*, idest *doctrina, & veritate*, de quibus quid significent, etsi ambigant interpretes dicente Rabi Salomone esse nomen Dei Adonai, Aria Montano duas gemmas, Iosepho duodecim lapillos vbi incisa nomina filiorum Israel, omnes tamen conueniunt inde emitti oracula diuina. Quare S. Augustinus existimat eadem illa vocabula aureis litteris inscripta fuisse, quæ rem ipsam è summi Sacerdotis pectore petendam esse significabant. Id autem cum in figura contigerit nihil aliud, quam Summi Pontificis in lege gratiæ iudicium in controuersijs Fidei significabat.

Ioann.

Rab. Sal.
Ar. Mont
Ioseph.

S. August

Præcipua tamen probatio est ex vsu, & praxi Ecclesiæ, nam in Concil. Apostolorum Act. 15. super obseruatione legalium primus Petrus dicit sententiam, & controuersiam resoluit. Sequente eum Iacobo, & cœteris. Deinde Pius I. Papa, & post eum Victor item I. celebrandi Paschatis tempus determinarunt. Causam lapsorum Cornelius. Rebaptizantium Stephanus definierunt. controuersiam inter Athanasium, & Arianos, Marcus, & Iulius deciderunt; Pelagianorum hæresim damnauit Innocentius I. Zosimus, & Bonifacius. Semipelagianorum Cœlestinus, & Leo I. & Felix. Nestorianorum idem Cœlestinus. Eutychianorum idem Leo I. proscripsit. Monothelitarum Agatho, Iconomachorum Adrianus I. euerterunt. Quamuis enim hæ quatuor Concilijs sint destructæ, tamen ex epistolis horum Pontificum definitio sumpta est. Itaque rectè dixit Leo IX. epist. 6. ad Petrum Episcopum. *Ab Apostolica tua sede nostram Apostolicam consulendo perpendimus tuam dilectionem nolle deuiare à Dominico, & omnium Sanctorum Patrum concordi decreto, quo inuiolabiliter in toto Orbe terrarum Ecclesijs Sancta Romana, & Apostolica sedes caput præponitur, ad quam maiores, & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur.* Habetur autem hæc Epistola tomo 3. Concil. p. 2. fol. 200.

Actor.

Pius I.
Vict. I.

Leo I.

Leo IX.

Sed quoniam Papa sumi potest duobus modis: primò solus per se. secundò coniunctus cum Concilio, & sunt qui dicant Papam sine Concilio non esse infallibilem iudicem controuersiarum, sed omnino adiungendum ei esse Concilium, cuiusmodi sunt Nilus lib. aduers. primatum Papæ. Gerson. & Almain. in lib. de potest. Eccles. & Alphons. Castro lib. 1. c. 2. contr. hæres. & Adrianus VI. in quæst. de confirmat. & plures Sorbonistæ, oportet de hoc diligenter inquirere; & quidem exempla, quæ affert Becanus, vt monstret Papam esse Iudicem controuersiarum, omnia sunt coniuncta cum Concilijs, idcirco attulimus alia, quæ sunt solitaria, & propria Romanorum Pontificum. Illi ergo, qui dicunt Concilium esse supra Papam, quos non sequimur imò taxamus: consequenter dicere debent Iudicem controuersiarum esse Papam

Nilus
Gers.
Almain.
Castr.
Adrian.

pam cum Concilio. Nos tamen qui
contrariũ sentimus affirmamus Pa-
pam sine Concilo,& solitariè sump-
tum esse iudicem controuersiarum,
atque omnino per se cum definit ex
Cathedra esse infallibilem.

Primo quia hęc infallibilitas est
donata,& annexa à ChristoDomino
Petro, & successoribus Petri illis
Matt.17. verbis. *Tibi dabo claues Regni Cæ-*
Luc.2. *lorum*: & illis. *Oraui pro te vt non*
deficiat fides tua, & tu aliquando con-
uersus confirma fratres tuos, & illo:
Ioan.2. *Pasce oues meas*, vti latè probauimus
in Tessera Pontificia, & lib. 1. de
Leo IX. Clauibus, & expendit Leo IX. in
Gr. VII. epistola ad Michaelem, & Grego-
rius VII. in decretis in Synodo Ro-
mana. In his enim locis Christus
cum Petro,& successoribus loque-
batur, qui communis sensus est Pa-
trum,& Interpretum, & Doctorum
quos citauimus in Tessera nostra
Pontificia. Et per se liquet: prouí-
debat quippe Christus toti Eccle-
się quam in Petro fundabat, & eru-
diebat: Inanis vero, imo nulla esset
illa prouidentia, si vel in Petro solo
consisteret, nec vltra tenderetur: vel
illi, qui vice illius futuri erant, erra-
re in Fide possent? Admisso enim
falli Pontificem qui verum erit,*Non*
defecturam Fidem? Non deficiet Fi-
des tua. Singulari illi homini Pe-
tri succẽssori addicta. Nisi sit Pon-
tifex certus, & constans in Fide,
arena erit, non Petra. *Tu es Petrus.*
Si erret, & deuiet à Fide, quomodo
Pascet Oues? Pasce Oues meas. Pa-
labunt hę: discerpentur: non pa-
scentur. Illo labente in doctrina,
nõn poterunt stare Fratres; quomo-
do enim eos confirmabit titubans,
& labans? Non erit ergo locus di-
cto *Confirma Fratres tuos*. Nec pu-
to tunc cum ista ad vnum Petrum
dicebat Christus,cum Concilio esse
locutum. Cur ergo pauci illi, & mi-
nuti prę PatribusTheologi,ad Con-
cilium verba conuertunt? Certè non
ita locos istos intelligunt, pręsertim
illum Lucę qui rem hanc infallibi-
litatis Papalis continet, *Rogaui pro*
te Petre, vt non deficiet Fides tua.Lu- Luc.1.
cius 1. Epist.2. ad Episcopos His-
pan. & Gall. & Felix 1. epist. ad Be- Felix 1.
nign. & Leo 1.serm. de Assumpt. & Leo
Agatho Papa epist. ad Constantin. Agatho
& Nicolaus 1. epist. ad Michael. &
Leo IX. epist.ad Petrum Antiochen. Leo IX.
& Innocent. III. epist. ad Episcop. Innoc.
Arelatens. Nec soli hoc Romani
Pontifices asserunt. Sed alij quo-
que tum Latini, tum Gręci. Petr.
Chrysolog. epist. ad Eutychet. quę
est ante Concil.Chalced.& Bernard.
epist. 190. ad Innocent. & Theo-
phyl. in cap.21. Lucę. Cuius hęc
sunt verba. *Quia te habeo Princi-*
pem discipulorum, confirma cæteros.
Hoc enim decet te, qui post me Ecclesiæ
petra es, & fundamentum. Vbi con-
iunxit, vtrunque locum: Petrę
constantis: & Fidei indeficientis.

Secundò, quia Concilia etiam
vniuersalia præciso capite,id est Pa-
pa,possunt errare, & errarunt, vti
multis in materia de Concilijs pro-
bauimus. Nunc satis est exemplum
Concilij Ariminẽsis, & secundæ sy-
nodi Ephesinæ, quæ prorsus erra-
runt. At nullus Pontifex Romanus
definiendo ex Cathedra vnquam
errauit, quemadmodum sæpè dixi-
mus, & in speciali controuersia di-
cemus. Hinc asserimus sententiam
Leonis IX. epist. ad Petrum: *Ha-*
ctenus fides Petri non defecit, nec defi-
ciet, nec defectura creditur in throno
illius vsque in sæculum sæculi. Et D.
Bernard.in epist. 199. ad Innocent.
Oportet ad vestrum referri Apostolo-
rum pericula quædam, & scandala Re-
gni Dei, ea præsertim, quæ de Fide cõ-
tingunt. Dignum namque arbitror ibi
posse nos resarcire damna Fidei, vbi
non possit Fides sentire defectum.
Cui enim sedi dictum est aliquando:
Ego pro te rogaui, vt non deficiat Fi-
des tua?

Tertiò, quia Romanus Pontifex semper direxit Concilia ad decidẽdas controuersias, quarum causa congregabantur. Apparet assumptum ex ijs, quæ diximus in quęstionibus super Concilia adductis exẽplis, incipiendo à primo Concilio post Apostolos in Ecclesia celebrato, quod fuit Romanum Victore Papa. Insignis est ille locus Cyrilli in thesauro citatus à Gennadio Scholario lib. de defens. Concil. Florent. c. 5. sect. 12. *Oportet nos tanquam membra caput sequi, idest Romanum Pontificem, & Apostolicam sedem, à qua debemus petere, quid credere, & sentire debemus, ac tenere, quia ipsius tantùm est confirmare, dirigere, vel arguere, confirmare, soluere, & ligare.* Imò tam est proprium Papę, & Romanæ sedis omnia suo iudicio definire, vt res mirabilis acciderit tempore S. Bernardi. Nam cum Eugenius III. Rhemis haberet Concilium, & in eo Gilberti Porretani Episcopi Pictauiensis errores examinarentur, D. Bernardus, qui confessione omnium primas partes agebat cum Archiepiscopis Gallis, & alijs viris religiosis, & doctis quandam Catholicæ confessionis formulam edidit, vt ea producta veritas constaret, & errores Gilberti refellerentur, quod cum Cardinales rescissent indignati sunt, quod sine Papæ, & Collegij imperio, & consensu ea confessio suscepta, & edita esset: & Papa Eugenius vocato ad se Bernardo cum quanquam virum sanctissimum serio ea de re monuit; nec destiterunt Romanæ Ecclesiæ Cardinales ab indignatione, & proposito, donec Bernardus summa demissione animi se purgauit, & confessionem suam eorum iudicio subiecit. Hæc narratio habetur in eo Concilio Rhemensi verbis Othonis Frisingensis tomo 3. Concil. p. 2.

Cyrill. Gennad.

Concil. Rhem.

OthoFrising.

Quarto probatur, ex approbatione Conciliorum, sine qua nullum Concilium etiam Vniuersale infallibilem authoritatem habet, cui accedit ipsa Conciliorum congregatio, quæ item propria est Romani Pontificis. Hoc patet ex testimonio Damasi Papę cap. 9. qui citatur à Gregorio VII. in decretis in synodo Romana cap. 3. tom. 3. p. 2. vbi sic Damasus: *Nulla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sint fulta Apostolica authoritate.* Confirmatur sententia Isidori ab eodem Gregorio ibi relati his verbis. *Synodorum congregandarum authoritas Apostolicæ Sedi, priuatæ commissa est potestati. nec vllam esse ratam legimus, quæ eius non fuerit authoritate congregata, & fulta. Hæc canonica testatur authoritas: hæc Ecclesiastica Historia roborat, hæc Sancti Patres confirmant.* Certè Tridentinum Concilium in quo erant Patres, & Theologi totius Europæ, cum Cardinalibus, & legatis omnium Christianorum Regum coniuncti confirmationem decretorum, & Canonum à se toto antea tempore conditorum à Romano Pontifice Pio IV. petijt, & impetrauit. Extat Bulla Confirmationis inter Acta Concilij. Græci Catholici hoc item fatentur, vt videre est in Gennadio Scholario cap. 5. §. 11. & 12. & ib.

Damas. P

Isidor.

Gregor.

Trident.

Quintò suadetur exemplis omnium antiquorum Conciliorum, quæ omnia antequã quicquam decernerint vel præsentiam, vel iudicium per litteras à Romano Pontifice expectabant, ne sine illo Sole in tenebris remanerent. Idque numerando constat. Excepto enim Niceno, quod in eo Hosius Syluestri nomine dictabat oracula: ad Concilium Constantinopolitanum I. Damasus litteras doctrinales misit. Eiusmodi Cœlestinus ad Concilium Ephesinum direxit. Suis item Leo Chalcedonense erudiuit. Quinta synodus sæpe Vigilij præsentiam re-

requisiuit, nec valuit, nisi ab eo confirmata. In sexta synodo actione 4. duę Agathonis epistolę leguntur, & accipiuntur. In septima synodo act. 2. duæ item Adriani I. epistolæ producuntur, & pro oraculis habentur. Ex his decima Leonis epistola in Chalcedonensi Concilio lecta: illud Patrum acroama extitit. *Hæc est Fides Patrum. Petrus per Leonem locutus est*. Ponitur sess. 2. Id serio est obseruandum in eodem Concilio act. 1. reprehendi, & improbari Dioscorum cum sua secunda Pseudosinodo Ephesina, quod non legerit Epistolas Leonis Papæ. Hoc est sanè inuictum argumentum aduersus eos, qui Concilium Papę anteponunt: qui tamen volunt videri eruditi. Ad quos ego conuersus illam S. Petri Rauennatis ad Eutychetem obijcio. Monet illum vt diligenter attendat, & obedienter his quæ à Romano scribuntur Beatissimo Papa. *Quoniam*, inquit, *Beatus Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem*. Non fallitur Petrus: ergo nec Papa decipitur. Pudeat ipsos opinationis suæ. Audiant Græcum Authorem Theodorum Studitem ad Michaelem Imperatorem. *Si aliquid dubitare, vel non credere videtur vestra diuina magnificentia, eius rei explicatio à Pontifice piè est postulanda: iubeat à vetere Roma capere declarationem, vt à principio à Patribus nostris est traditum. Ea inter omnes Ecclesias Dei summum, & supremum obtinet locum: cuius Petrus tenet primam sedem*. Ad hanc remittit Imperatorem, nec adiungit Concilia.

Absoluamus hoc caput verbis Gregorij VII. in decretis in synodo Romana cap. 3. vbi probat maiori reuerentia, & obseruantia dignam esse decreta Romanorum Pontificũ, quam illa quatuor prima, & Oecumenica Concilia, quæ S. Gregorius veluti quatuor Euangelia colebat. *Decreta*, inquit, *Sanctiss. Romanorum Pontificum, si possemus etiam studiosius venerari, & obseruare deberemus, cum & ipsa Concilia omni firmitate carerent, si non Apostolicæ sedis Pontifices eadem per Apostolicam authoritatem congregare, & corroborare decreuissent*. & concludit. *Sic enim legati sedis Apostolicæ eorumdem principalium Conciliorum sanctiones prima subscriptione Apostolica vice canonizabant. Nempè sub pijssimo Imperatore Constantino, Magnus Osius Cordubensis Episcopus, Victor, & Vincentius Presbyteri Romanæ Ecclesiæ ex parte S. Siluestri Papæ Niceno Concilio præfuerunt, & ipsum principali subscriptione firmauerunt. Item temporibus Theodosij Iunioris Augusti S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, & Arcadius Episcopus ex Italia vice Beatissimi Papæ Cælestini Ephesino Concilio præfuerunt, & ipsum Apostolica vice corroborauerunt. Item tempore Marciani principis Paschasinus, & Lucetius Episcopi, & Bonifacius Presbyter vice S. Leonis Papæ in Calcedonensi Concilio per duodecim dies celebrato primi fuerunt, qui & Anatolio Patriarcha Constantinopolitano quodam priuilegium in Concilio vsurpanti liberaliter contradixerunt, & reliquis statutis Apostolica vice subscripserunt, vt liber Liberati Carthaginensis Archidiaconi de eodem Concilio statuit ergo reuerentiam, siue obedientiã, quam sacratissimis quatuor Concilijs, iuxta S. Gregorij meritum exhibemus decretis Apostolicæ sedis nullatenus denegare, imò si possibile est studiosius impendere debemus, cum sine eorum auctoritate, nec ipsa Concilia fas esset recipere*.

Gr. VII. Item cap. 28. *Sed nec illa præterimus, quod Apostolica sedes sine vlla synodo præcedente exsoluendi, quos synodus iniqua damnauerat, & damnandi nulla existente synodo, quos oportuit habuerit facultatem: & hoc nimi-*

nimirum pro suo principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce, & tenuit, & semper retinebit. His autem SS. PP. Calistus, Fabianus, Sixtus, Syluester, Iulius, & reliqui innumerabiles astipulantur, qui adeo amplexi sunt veritatem, vt potius mori, quam mentiri desiderarent. Ex his patet Romanum Pontificem esse Iudicem Controuersiarum.

APPENDIX QVAESTIONIS.

Vtrum Papa sit, & appellari possit regula Fidei?

IN primis animaduerto hãc quęstionem inter Catholicos, qui fatemur Papam esse iudicem Controuersiarũ fermè in vocabulo versari. Admisso enim Papam esse Iudicem Controuersiarum, admittitur, quod satis est ad authoritatem Pontificiam asserendam, eamque esse omninò infallibilem propter assistentiam Spiritus Sancti, & per illam Catholicos esse dirigendos. Vtrum autem hoc sit regulam fidei esse, vel regulam dare parum interest ad quæstionem. Verum, quia sunt nonnulli qui omninò censent Papam esse regulam Fidei, & hoc negare existimant periculosum, oportet hac de re diligentius disputare.

Suar. P. Suarez disp. 5. de fide sect. 8. affirmat Papam esse regulam fidei, idque probat iisdem ferè, quæ nos adduximus fundamentis ad probandum eum esse iudicem controuersiarum. Vnde apparet verum esse, quod proximè animaduertimus eodem redire regulam fidei, & iudicem Controuersiarum. Suarez ergo cum nihil distinguat inter illa duo Iudicem, & regulam, asserit credendum omninò esse Papam, esse regulam infallibilem fidei. Verum P. Becan. Becanus, qui distinguit inter iudicem, & regulam lib. 1. cap. 5. de communibus Controuersijs Iudicẽ vocat Ecclesiam, siue Papam; de scriptura autem, & traditione ait esse regulam, & normam, secundum quam Controuersiarum Iudex sententiam profert. Id autem disertè explicat num. 3. *Catholici*, inquit, *distinguunt inter Iudicem, & normã. Iudicem vocant, qui fert sententiam: normam secundum quam fertur sententia à Iudice. Posita hac distinctione tria docent. 1. Ecclesiam esse Iudicem Controuersiarum. 2. Normam, quam sequitur Ecclesia esse scripturã, & traditionem. 3. Ecclesiam iuxta hanc normam dupliciter sententiam pronunciare posse, vel per Pontificem, qui est Pastor Ecclesiæ, vel per Concilia à Pontifice approbata, quæ repræsentant Ecclesiam, & vtroque modo sententiam esse infallibilem.*

Ego sic iudico. Normam, & Regulam sumptam in vera, & propria significatione prout dicit Ideam regulantem primam, & non regulatam ab alia, esse scripturam, & traditionem, & secundum hanc iudicare Papam quando determinat Controuersiam fidei, qua ratione Papa regula esse non potest. Si autem sumatur Regula respectiuè ad alios inferiores, qui illam sequuntur, eiq; se accomodant proximè, & immediatè hanc esse Pontificem, cui nos Catholici in rebus dubijs, & controuersis conformamur, & conformari tenemur quamuis ille per aliã normam reguletur dictantem ei iudicium, quo inferiores Catholicos dirigit. Itaque Pontifex medius est inter scripturam à qua regulatur, & quam minimè regulat, & inter fideles quos dirigit, & regulat. Vnde respectu scripturæ regula esse non potest, respectu fidelium regula esse potest, ac debet. Vt logicè dicamus: Papa quoad se non est regula, & norma Fidei, quoad nos est regula, & norma. Quare respectiuè regula dici potest. Igitur ad Argumentum;

Papa

Papa vel eſt regula fidei, vel non eſt. Reſpondetur diſtinguendo: eſt regula primaria, & abſoluta nego: eſt regula ſecundaria, & reſpectiua quoad nos, concedo.

Nec opponas Papam regulare ſcripturam, quando eam explicat, & ſenſum eius declarat, & proponit: hoc enim non eſt regulare ſcripturam, ſed exponere, & interpretari. Itaque interpres eſt regulæ, non ipſamet regula. Summa ſit: Romanum Pontificem propriè eſſe iudicem ſcripturarum; non autem ſcripturam, quia iudicis officium eſt viua voce, & inſtar perſonæ iudicantis ferre ſententiam, quod in ſcripturā non quadrat. Conſtat igitur de re inter omnes fermè Catholicos, Papam nimirum eſſe infallibilem quocunque tandem nomine appelletur. An verò dicendus ſit Regula fidei, vel iudex Controuerſiarum, non intereſt ad cauſam. Communiter inter eas voces non diſtinguunt Theologi, ac proinde exiſtimant eſſe Regulam Fidei, & iudicem controuerſiarum: & vtroque nomine appellant Scripturam, cum de illa inſtituunt quæſtionem, & Papam, & Concilium Vniuerſale. Ita Grauina lib. 4. de præſcript. & Coninch. d. 12. de Fide dub. 4. & 5.

SCHOLA VII.

DE INFALLIBILI AVTHORITATE ROMANI PONTIFICIS

PRAEFATIO.

OCCVPATIONE hic opus: qua, quod mihi doctus quiſque obijcere poteſt refello. Multos in hoc argumento ex Theologis noſtris verſatos: atque adeo *in Syluam*, authore Hieronymo, *ligna me ferre*. Hieron. Non id me latet. Conſulto tamen reſtim traho: nec enim debui, quod ſuſcepi officiũ, ex eo quicquam prætermittere. Recipio tamen ita rem me eſſe acturum vt nõ ſim prolixus, vbi alij ante me dixerunt; & nonnulla ex meo penu allaturum quæ ſint grata lectoribus, quos ſpero, cùm mea iſta legant, operæ in legendo poſitæ minimè pœniturum.

Quæ & quanta ſit Romani Pontificis infallibilitas iam ſuperius ſatis, opinor monſtraui: & alias copioſiſſimè, ideſt, in mea Teſſera Londini edita probaui. Nunc quas nobis offucias, & calumnias Hæretici obijciunt, errores Pontificibus Romanis affingendo, ijs adductis propulſabimus: ita vt quoſdam leuiores prætermittamus.

Illud pro infallibili Cathedræ Petri doctrina obſeruatum volumus: ab ea ſemper errorum Peſtilentiam abfuiſſe, vt nullatenus dici Cathedra peſtilentiæ poſſit: cum omnes alias etiam cum ſtabant, hæreſum peſtis infecerit. Ac vt cõpendio dicam: Sedem Alexandrinam Gregorius, & Lucius Ariani: Dioſcorus Eutychianus: Cyrus Monothelita polluerunt. Antiochenam Paulus Samoſatenus Hæreſis infandæ author, Petrus Gnaphæus Eutychianus, Macarius Monothelita contaminarunt. Hieroſolymitanam, Eutychius, Ireneus, Hilarius, Ariani: Ioannes Origeniſta infecerunt. Cõſtantinopolitanam, Macedonius, Neſtorius, Sergius Hæreſiarchæ macularunt. Mitto alios tam hæreticos, tum Schiſmaticos. Vna Sedes Romana pura extitit, & immaculata Columba, & ſponſa Chriſti. Nempe à Petro Columbæ Filio, & inſeſſa, & erudita: vt iure quidem dixerit Gelaſius in Epiſtol. ad Anaſtaſ. Imperat. Gelaſ. *Hoc eſt quod Apoſtolica ſedes magnopere cauet, vt quoniam mundi radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nulla rima prauitatis nulla prorſus contagione maculetur. Nam ſi (quod Deus auertat) & quod fieri non poſſe confidimus, tale aliquid proueniret, vnde cuiquam reſiſtere auderemus errori?* Nemo eſt qui peſtifera tangere, ijſque immiſceri velit: nemo qui peſtilentia correptum non fugiat. Quo omnes accedunt, & conueniunt, ibi nulla eſt peſtis cõtagij ve ſuſpicio. Nemo Catholicus doctor Cathedram Romanam

fugit;

fugit. Omnes eius communionem desiderarunt. Igitur ab omni suspicione pestilentiæ libera. Ad eam Athanasius, ad eam Chrysostomus, ad eam Theodoretus confugerunt. *Ad eam nauigare*, & volebat ipse, & alios hortabatur Cyprianus lib. 1. epist. 3. Eius se *communione consociatum* affirmabat Hieronymus. Carebat peste illa, cuius se inserere tanti Christiani Orbis Principes cupiebant. Rectè Nazianz. in Carm. de vita sua: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam Fidem, & semper eam retinet, sicut decet Vrbem, quæ toti Orbi præsidet, semper de Deo integram fidem habet*. Cui accinit Ruffinus in Exposit. Symboli. *In Ecclesia Vrbis Romanæ, neque hæresis vlla sumpsit exordium, & mos ibi seruatur antiquus*. Infamare tamen eam Hæretici conantur. Quo iure videamus. *Incipiunt*. Naziang.

CAPVT I.

Arguuntur ab hæreticis erroris Petrus, Linus, Anacletus, Thelesphorus, Victor, Zephyrinus, Cornelius, Marcellinus.

INcipiunt à Petro, quo deiecto putant totum ædificium Romanæ Ecclesiæ corruere. Magdeburgenses centuria 1. lib. 2. cap. 10. quindecim lapsus Petro attribuunt, sed maior eorum pars fabula est. Admisso gratis tredecim ex ijs vtcumque esse peccata, non sunt certè errores, sed delicta, quæ monstrant Petrum hominem esse, atque adeo peccatorem. Duo videntur facere ad propositum Trina negatio in nocte Passionis Domini, quæ cum Fide, vt aiunt stare nequit, & auersio à Gentilibus, & conuersio ad Iudæos Antiochiæ facta, qui videtur maximè error doctrinæ, propter quod reprehensus est Petrus à Paulo ad Galat. 2. Hæc duo obijcit Petro, Nilus lib. de primatu Romani Pontificis. Magdeb.

Secundò arguunt Linum Papam ijdem Magdeburgenses, quod, vti in eius vita narratur, *instituit ne qua mulier nisi velato linteis capite templum ingrederetur*, aiunt quippe hanc esse superstitionem. Nilus

Tertiò accusant Anacletum ijdem Hæretici lib. 2. cap. 10. quod is memoriam S. Petri construxit, & ornauit. Hoc etiam superstitiosum dicunt.

Quartò vituperant Telesphorum centuria 2. cap. 10. quod præcepit clericis ieiunare per septem hebdomadas ante Pascha; affirmant hoc esse contra Paulum dicentem, *nemo vos iudicet in cibo, aut in potu*. Deinde sugillant eundem, quod Missarum numerum, & tempus determinauit. Tertio carpunt, quod Clericos laicis antepofuit, & supra illos extulit. Aiunt enim hæc esse absurda, & erronea.

Quintò condemnant Victorem I. quasi hæreseos compertum: nam de illo scribit Eusebius affirmasse Christum purum hominem extitisse, quæ Photini, & Pauli Samosateni propria hæresis fuit.

Sextò proscribunt Zephyrinum, de quo aiunt fuisse Montanistam. Fundantur in eo quod Tertullianus lib. 2. Praxeam scribit approbasse illum hæresim Montani, dum initio eius libri ait Pontificem Romanum, qui tunc erat Zephyrinus agnouisse Prophetiam Montani, Priscillæ, & Maximillæ, ac ex agnitione litteras pacis Ecclesijs Asiæ scripsisse, quas monitu Praxeæ reuocauit, cum iam essent amissæ, quod nihil aliud est, quam Montanistis consentire, eorumque doctrinam approbare. Vnde Rhenanus interpres Tertulliani ad hunc locum adscribit margini *Romanus Pontifex Montanizat*. Præterea ex hoc loco item constat eum Tertull. Rhenan.

cum eum Praxea consensisse, qui pessimus hæreticus fuit. Quare Zephyrinus in duplici hæresi fuisse videtur, Montani, & Praxeæ.

Septimò insimulant erroris Cornelium de illo enim referunt Magdeburgenses centuria 3. cap. 6. statuisse, vt in Calice non vinum purum, nec aquâ mixtum; sed aqua sola offerretur; qua ratione sacrificium missæ omnino sustulit. Probant hunc errorem ex Cypriano, qui lib. 2. Epistolarum Epist. 3. impugnat illum, &, vti aiunt Magdeburgenses, scribit eam Epistolam ad Cornelium.

Octauò arcessitur criminis Idololatriæ Marcellinus, qui Idolis sacrificauit, quemadmodum constat ex Pontificali Damasi, & ex Breuiario Romano, & ex Epistola Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem, quâ de re habitum fuit Concilium Sinuessanum, quod habetur primo tomo Concil. par. 1. Ecquis neget amisisse Fidem?

CAPVT II.

Respondetur his obiectionibus Hæreticorum.

PRimo quod habet duas partes ita respondetur. Quoad primam nonnulli Patres affirmant Petrum non negasse Christum, sed illam fuisse anphibologiam, quia Petrus dixit negare se Christum purum hominem esse, non negando esse hominem Deum, qua ratione confessus est Diuinitatem, & humanitatem Christi. Vnde illa negatio confessio potius fidei fuit. Ita Hilarius can. 32. in Matthæum, & Ambrosius lib. 10. in Lucam. Hæc tamen responsio refellitur ab Hieronymo lib. 4. in Matth. quia ex ea sequitur mentitum esse Christum, cum dixit *ter me negabis*. Præterea si illa Christi confessio foret, non negatio, non fleret Petrus amarè, quod non cadit nisi in peccatum.

Hilarius. Ambros. Hieron.

Prima igitur responsio est: Petrũ negasse quidem, & negando peccasse, sed ore tenus, non corde, quod retinebat fidem, quando vox negabat. Iusta sanè ex Patrum doctrina responsio, apud Toletum, & Maldonat. qui consentiunt. Celebres sunt illi Prudentij versus. Fleuit negator deniq; ex ore prolapsum nefas. Cum cor manent innocens Animusque seruaret Fidem. Secunda Petrum negasse Christum, quando adhuc erat homo priuatus. Adhuc enim non audierat *Pasce oues meas*. Tunc enim cœpit esse Pontifex, & Pastor vniuersalis. Sic respondet Bellarmin. lib. 4. cap. 8. de Romano Pontifice. Tertia est negationem illam non esse per modum doctrinæ, & dogmatis communis, sed particularis, quo pacto non est contra personam Iudicis, nec contra Cathedram. Nos autem non negamus posse Pontificem, vbi homo priuatus est, errare. Negamus autem errare posse, vbi Pontificem, & ex Cathedra docentẽ agit. Imo ex hoc facto probat Gregorius homil. 21. in Euangelium Petrum Summum Pontificem fuisse. *Nimirum*, inquit, *Magna actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, vt is qui futurus erat Pastor Ecclesiæ sua culpa disceret qualiter alijs misereri debuisset.* Gregor.

Quoad secundam partem omissa longiori Disputatione, quam lib. 1. cap. 3. de Clauibus instituimus. Respondetur Petrum nihil errasse in doctrina, quando cum Gentilibus conuersabatur more gentilico non seruatis legalibus, quæ seruabant Iudæi. Nam vtrumque licebat Christiano Iudæo, dum lex gratiæ non erat promulgata, quod optimè ostendit Augustinus ad Hieronymum Epist. 8. 9. 19. Vnde nihil probat Argumentum; nec enim erat error August.

ror

ror cum gentilibus, non seruare legalia, & seruare cum Iudæis, quod patet ex D. Paulo, qui Timotheum circumcidit, & se in templo purificauit. In eo igitur error fuit, quòd minus cautè se gessit separando se à Gentilibus, vt cum Iudæis ageret. Hoc enim modo suspicionem fecit Gentilibus legalia esse seruanda. Hoc autem non erat contra doctrinam, sed contra prudentiam: ex quo nihil colligitur contra Cathedram. Imo Patres Græci cum Hieronymo volunt vt Petrus, & Paulus componerent inter se illud negotium, vt simulatio foret: qua ratione reprehensio illa Pauli non vera fuit, sed simulata. Verum Patres Latini Tertullianus lib. 4. in Marcionem, Cyprianus Epist. ad Quintum Ambrosius in caput secundum ad Galatas, Augustinus Epistolis supra citatis. Gregorius lib. 28. Moral. cap. 12. & alij sentiunt Petrum aliquo modo errasse, & peccasse leuiter, verum non contra doctrinam, sed contra prudentiam conuersationis.

Tertull. Cypr. Ambros. August. Gregor.

Secundo Argumento respondetur: Linum non illud instituisse, sed accepisse à Paulo, qui 1. Corinthiorum 11. iubet, ne fœminæ aperto sint capite in Ecclesijs propter Angelos. Errauit igitur Paulus, qui Linum docuit: quod si est impium dicere, impium etiam est de Lino idem affirmare. Verum Magdeburgensibus peccatum illud videtur, quia non sunt Angeli, sed Filij Diaboli, & vellent videre fœminas solutis crinibus, & nudato capite. Pudeat eos impudentiæ suæ, qua modestiam superstitionem appellant.

1. Corin.

Tertium soluitur admittendo totum: nihil enim peccauit Anacletus erigendo illam memoriam; erexit in Petri honorem. An non merebatur statuam in ea Vrbe in qua boni, & honesti ciues eam habuere, imo & hostis Annibal habuit. Sed illa memoria non erat statua, sed Ecclesia. Annuit Baronius anno 106. & Bellarminus. Quid mirum si Romæ Febris, & Pauor Templa meruere? At inquiunt erat superstitio, quādo colebantur Idola illa vt minimum superstitio erat. Sed quando Petrus colebatur erat religio non superstitio, quia vt seruus, & Martyr Dei colebatur. Ego tamen existimo illam memoriam non fuisse Ecclesiam, sed quemdam fornicem, & arcum, propriè Trophęum, sic enim habent Ecclesiasticæ Tabulæ de Anacleto presbytero postea Pontifice. De quo scribitur super corpus Petri velut Trophea Victoriæ insignem claramque memoriam erexisse, quod non templum, aut Ecclesiam, sed aliud gloriosum monumentum significat. Et quidem Caius author priscus Zephyrini æqualis memoriam hanc Petri, & aliam Pauli Trophea vocat apud Eusebium lib. 3. cap. 14. Sed illæ memoriæ Ecclesijs initium dederunt. Genio tamen suo agunt Magdeburgenses, & eorum congerrones Caluinistæ, qui Ecclesias, & Aras euertunt, & omnem Martyrum memoriam extirpant, & earum loco Popinas, & Ganeas statuere conantur, idque facerent si eo tempore viuerent barbaris immaniores.

Caius. Eusebius

Quarto concedimus omnia illa quæ Papę Telesphoro vitio vertuntur, sed quæ illa delicta sint ignoramus. Nam ieiunia, sancta, & visitata sunt in Sacris Scripturis. Missam faciunt Missam, & nullā esse volunt, non possunt ergo non damnare eos qui eam sustinentes altaria, & tempora designant. Laicis præferri clericos Scripturæ doctriua est, & Ecclesiæ traditio. At ij nolunt, vt clerici sint, ne cælibes in Ecclesia esse possint: hoc ijs dolet, mallent quippe omnes esse maritos. Vxorij sunt, & si placet scortatores.

Quinto respondemus Centuriatores esse discipulos Artemonis, & Pauli Samosateni, qui hanc calumniam imposuerunt Victori Papæ, & ad id truncarunt Eusebij historiam imo, & corruperunt. Nam Eusebius. Eusebius narrat hanc fuisse imposturam duorum Artemonis, & Samosateni, & perpicuè dicit cap. 27. lib. 5. suæ historiæ. *Quomodo*, inquit, *non pudet hæc Victori tam falso obiectare? cum exploratè cognitum habeant, Victorem Theodotum illum coriarium Christiana communione interdixisse?* Certè nullus author idoneus Papæ Victori hanc notam inussit. Nec est credendum Romanum Pontificem credidisse Christum Dominum esse purum hominem, quæ fuit hæresis Artemonis, & Photini, & Pauli Samosateni, quæ quia erat absurda paucos admodum sectatores habuit. Nullum autem Romanum Pontificem tam absurdè de Christo sensisse vllis in historiarum monumentis legimus. Itaque hæc calumnia fabula est.

Sextum de Zephyrino sic soluitur: negando Zephyrinum communicasse cum Montanistis, & ijs indulsisse. Nullus quippe alius Author hoc scribit. Testimonium autem Tertulliani non cogit; primo, Tertull. quia Tertulliano quamuis id affirmaret, non est habenda hac in re Fides, cum ille iam tunc deficeret ab Ecclesia, & Montanista euasisset. Itaque credendum ei non est, quemadmodum etiam non est credendum, quando in lib. de Monogamia imputat Papæ patrocinium mœchiæ, & adulterij. Hoc patet; quia Zephyrinus damnauit Proculum Montanistam, quem Caius confutarat, Caius. teste Eusebio lib. 6. cap. 14. & Tertullianum item damnasse constat, quod ipsemet Tertullianus indicat, lib. de ieiunio cap. 13. Hoc ipsum Pamel. testatur Pamelius in vita Tertulliani, & Rhenanus in notis ad lib. Rhenan. contra Praxeam, & Baronius anno 215. Baronius

Secundo, quia potest explicari Tertullianus: nec enim illius verba nimis cogunt. Dici potest ex ijs non constare Zephyrinum approbasse hæresim Montanistarum, Tertullianus quippe tantum ait illum agnouisse Prophetiam, & illa agnita misisse litteras pacis Ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ, quas coegit Praxeas reuocare. Hæ autem litteræ potuerunt esse formatæ, vti Pamelius explicat, quæ continerent Decretum Zephyrini: cur autem pacem illam appellet Tertullianus, fortasse fuit, quia Zephyrinus voluit eos Ecclesiæ conciliare, non communicando cum ijs, sed reducendo illos, in quo nihil peccauit. Vnde Pamelius sic scribit: Pamel. *Romanus Episcopus litteras pacis, prædecessorum authoritate nixus illis recusauit*. Negauit primo, non dedit. Vtrum autem Praxeas Zephyrinum ad hoc impulerit affirmat Tertullianus, fortè vt inuidiam moueat Pontifici, sed fieri potuit, vt Praxeas tunc Hæreticus non esset, quod opinatur idem Pamelius. Confirmo autem meam solutionem Zephyrinum minimè communicasse cum Montanistis, quia antea Ireneus attulerat ex Gallia Epistolas ad Papam Eleutherium cum ad Ecclesias Asiæ Iudicium Ecclesiæ Gallicanæ detulisset. Vnde non poterat Zephyrinus hac notitia accepta de illa hæresi dubitare.

Hæ sunt huius Argumenti solutiones: speciosæ quidem, & probabiles. Sed mihi videtur ingenuè fatendum Tertullianum prorsus affirmare Zephyrinum approbasse dogmata Montanistarum, quia perspicuè ait, Tertull. *coegit eum litteras pacis reuocare iam emissas, & à proposito recipiendorum charismatũ non cessare*: quę extrema verba non patiuntur interpretationem, nam propositum recipiẽdorum charismatum manifestè signi-

ſignificat eum velle recipere dogmata Montaniſtarum. Ac proinde argumento ita reſpondendum eſt: vt concedamus Tertullianum calumniam impoſuiſſe Zephyrino, eumque falsò ea de re inſimulaſſe odio Praxeæ, cuius erat aduerſarius, & propter indignationem conceptã contra Zephyrinum, qui eum Montaniſmi condemnauerat, & hæc vera ſolutio eſt, quæ confirmatur ex eo quod Tertullianus in Papam inuectus eſt, quod admitteret ad pœnitentiam homines ſceleratos, qui tamen de ſuis ſceleribus agebant pœnitentiam, & reprobauit ſecundas nuptias contra doctrinam Apoſtolicam; quemadmodum igitur calumniatus eſt hac in re Pontificem, ita & in alia calumniam impoſuit.

Accedit Hæreticos ſolere Pontifices ad ſuos errores trahere, tum vt illos ſuſpectos reddant, tum vt hæreſes ſuas probabiles faciant, nãm Artemon authore Euſebio hæreſim ſuam Victori Papæ attribuit. Pelagius autem Innocentij I. patrocinio tueri ſe voluit, vt patet ex Epiſtola Epiſcoporum Mileuitani Concilij ad Innocentium. Cæleſtius vero Papam Zozimum ſuarum opinationum ſuſpicione impudenter reſperſit.

Euſebius,

Cornel. Septima de Cornelio negandum, cum inſtituiſſe, vt ſola aqua in Calicem infunderetur. Qua in re inſigne fuit Magdeburgenſium mendacium impudenti dolo mixtum finxerãt enim epiſtolam Cypriani in qua diſputat contra hunc errorem ad Cornelium eſſe miſſam, cum ea ſcripta non fuerit ad Cornelium, ſed ad Cæcilium. Dormiebant crapulam Magdeburgenſes cum hoc ſcribebant. Verum admiſſo Epiſtolam Cypriani ad Cornelium miſſam eſſe, nihil probatur; nam Cyprianus ibi non tribuit hunc errorem Cornelio, ſed alijs, nec ille errare potuit, cum Alexander I. ante eum Pontifex de vino aqua miſcendo in Calice Decretum edidiſſet.

Magdeb.

Quod attinet ad octauum de Marcellino: erit qui reſpondeat negando lapſum, & Concilium de eo Sinueſſanum; huius autem ſolutionis authorem eſſe Auguſtinum lib. de vnico baptiſmo contra Petilianum c. 16. vbi ait commentum hoc fuiſſe Donatiſtarum, qui cum Schiſmatici eſſent, vt ſe à Catholica Eccleſia iure ſeparatos probarent, infamabant eius capita, vt eo prætextu viderentur ſeparati ne communione ſcelerum polluerentur. Erat autem hoc ijs familiare, vti patet ex accuſatione Menſurij, & Cæciliani Carthaginis Epiſcoporum, quibus crimen traditionis intenderunt. Eodem aſtu Pontifices Romanos calumniati ſunt, non modo Marcellinum, ſed etiam Marcellum, Melchiadem, & Syluestrum impoſita ijs Idololatrarum perſona, teſte eodem Auguſtino ibi, qui hæc omnia conficta à Donatiſtis aſſeruit. Idque perſuaſum eſſe toti Eccleſiæ Africanæ fatetur Baron. & Binius in Actis ad vitam Marcellini. Nam tota illa Eccleſiam lapſum Marcellini negauit. Et confirmatur iſta ſententia quia conſtat Donatiſtas mentitos eſſe culpando Marcellum, Melchiadem, & Syluestrum, & Menſurium & Cæcilianum, qui omnes innocentes fuerunt. Vnde deducitur eos etiam fuiſſe mẽtitos culpando Marcellinum? Nec videtur probabile Auguſtinum tantum virum, & totam cum eo Africanam Eccleſiam fuiſſe deceptam.

Marcell. Auguſt. Donat. Auguſt. Baron. Binius.

Verum opponet aliquis Conciliũ Sinueſſanum, quod patet congregatum fuiſſe propter lapſum Marcellini. Sed obiectio refellitur, quia hoc Concilium magnas patitur difficultates, adeo vt Baronius in prima Editione ſenſerit illud ſuſpectum eſſe propter tria capita: primum

Concil. Sinueſs. Baronius

mum propter numerum trecentorum Episcoporum, quot numquam fermè vllo in Romano Concilio ante annum millesimum conuenerunt. Secundo propter locum Concilij, quē dicunt fuisse Sinuessę quę Vrbs erat in extremo Latio in saltu Vestino procul Roma, & Crypta Cleopatrensi, de qua nulla prorsus in vlla alia historia mentio fit. Tertio propter ipsammet Actorum narrationē obscuram, rudem, & intricatam, & tantùm non ineptam, vt mihi legenti horrorem, & suspicionem attulerit, vt alia omittam leuiora.

Verum quia magna vis traditionis est. Respondetur Argumento concedendo lapsum Marcellini, quē Acta Romanæ Ecclesiæ, & Breuiaria affirmant: negando tamen sequi Magdeburgensium propositum, quia negatio Marcellini similis fuit negationi Petri ob metum, & exterius tantum facta, retenta in corde fide, & verbis solum negata. Hic autem error non fuit ex Cathedra, nec aduersus Cathedram: nullam quippe hęresim docuit Marcellinus. Deinde præclaram egit Petro similis pœnitentiam, & Martyrium constanter subijt, quod debuissent laudare, & admirari Magdeburgenses, & imitari eos Episcopos, qui ausi non sunt Marcellinum condemnare propter reuerentiam primæ sedis ingenuè fassi primam sedem à nemine iudicari. Contra faciunt Magdeburgenses damnādo temerè Marcellinum, & cum eo Sedem Pontificiam condemnantes. Nec possunt lapsum vnius Pontificis ad ignominiam Sedis Apostolicæ, & religionis Catholicæ detorquere. Audiant Tertullianum lib. de præscriptionibus. *Quid tum si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si virgo, si Doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit, ideo hæreses veritatem obtinuere? ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Audiamus item Augustinum de hac re contra Petilianum, lib. vnico de baptismo agentem, *non sanè parua est parumque gloriosa consolatio cuiusque nostrum, si ab inimicis Ecclesiæ, cum ipsa Ecclesia criminamur, eius tamen defensio, non in eorum hominum defensione consistit, quos isti nominatim falsis criminationibus appetunt. Prorsus quales fuerint Marcellinus, Marcellus, Syluester, Melchiades, Mensurius, Cæcilianus, atque alij quibus obijciunt pro sua defensione, quod volunt, nihil præiudicat Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffusæ. Nullo modo eorum innocentia coronāmur, nullo modo eorum iniquitate damnamur.*

Tertull. — August.

CAPVT III.

Alia obiecta proponuntur, & diluuntur.

QVinque Pontifices caput hoc amplectitur. Primus est Liberius, quem Arianismi reum Patres faciunt: Athanasius Epist. ad solitarios, & Hieronymus in Chronico & in Catalogo Scriptorum, qui duo apertè dicunt eum tædio exilij inflexum tandem fuisse ad subscriptionem hæreseos. Hilarius item consentit in lib. aduersus Constantium. Confirmatur ex illius vita in Pontificali vbi sic: *Liberius consensit præceptis Augusti*, & iterum. *Liberius consensit Constantio Hæretico, non tamen rebaptizatus est, sed consensum præbuit*. Et Cardinalis Bellarminus ingenuè fatetur in eius epistolis Vaticanis, quas ipsemet vidit affirmare Liberium se Constantio consensisse, idque Binius perspicuè tradit, nec audet negare Baronius anno 355. Imo necesse est dicere Liberium hæreticum fuisse, nam cum eo viuo Fœlix II. verus Pontifex, & Martyr fuerit, non potuit non Liberius eo tempore hæreticus esse, & Pontificatu

Athanas. Hieron. — Hilarius. — Bellarmi. — Binius. — Baronius

catu excidere. Itaque excusari, nec potest, nec debet, idque intrepidè
Tilman. affirmat Tilmanus Heshusius lib. 1. de Ecclesia c.9.

Fœlix II. Secundus Fœlix II. eodem Tilmano authore. Nam ille fuit intrusus ab Arianis, & ipse Arianus
Hieron. teste Hieronymo in Catalogo Scriptorum in Acacio, vbi *sub Constantio imperatore tantum claruit, vt in Liberij locum Fœlicem Arianum Episco-*
Theod. *pum constituerit*, & authore Theodoreto lib.2. nemo Catholicus ei communicare voluit. Tandem tempore Gregorij XIII. actum serio fuit de eo è Catalogo Pontificum expungendo, & casu quodam retentus
Rufinus Theod. fuit. Certè Rufinus lib.10.cap.22.& Theodoretus maculatum eum Arianismo tradunt.

Siricius. Tertius Siricius, quem Caluinus lib. 4. instit. cap. 12. §.24. hæreseos arguit, quod in Epist.ad Hispanos Episcopos coniugiū vocat pollutionem his verbis: *Quam*, inquit, *formam cum mulieribus, quæ se post pænitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt seruandam esse censemus*. De Matrimonijs proximè egerat in eo cap. 5. Epistolæ, authore Caluino.

Innoc. I Quartus Innocentius I. qui trium hæresum accusatur à Magdeburgensibus centuria 5. cap. 10. Prima habetur in Epistola 2. cap.12. vbi præcipit ne virgo iam velata, si nubat, vel fornicetur, recipiatur ad pœnitentiam eo viuente, qui cum illa peccauit. Quæ est hæresis Nouatiana. Citatur autem iste textus 2.2.q.2. cap. Quæ. Secunda continetur in Epistola 18. ad Alexandrum Antiochenum, vbi ait ratum quidem esse Arianorum Baptismum, sed per eum gratiam non conferri, quoniam inquit, *cum à Catholica fide eorum* (scilicet Sacramentorum) *Authores descisserent, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiserunt*. Quid clarius pro Donatistis.

Tertia est prohibere nequis vxorem viduam habens sacerdos fiat, fiat tamen si virginem duxit. Id habetur Epistola 22. cap.1. his verbis. *Eos qui viduas accepisse suggeruntur vxores non solum clericos effectos agnoui, verum etiam vsque ad infulas summi Sacerdotij peruenisse, quod contra legis esse præcepta nullus ignorat, nam cum Moyses legislator clamitet Sacerdos vxorem virginem accipiat*, addidit, *non viduam*, *&c.* Hoc est seruare legem Moysi, quæ habetur Leuitici 21.

Quintus Gelasius cuius duos errores Centuriatores adducunt cent. 5. cap. 4. & 10. vnum in lib. contra Eutychen, vbi docet manere cum Christi corpore verum panem. Alterū apud Gratianum d.2. cap. *Comperimus*. Non posse vnam speciem Sacramenti sine alia citra culpam sumi. Gelasius

Hæc ita soluuntur. Liberio respondemus concedendo eum cum Petro, & Marcellino in actu externo errasse, sed animo fidem retinuisse, itaque non fuisse hæreticum mēte, sed ore tenus deliquisse. Qui tamen error non fuit in fide, sed tantum in damnatione Athanasij, & communicatione cum Arianis, quamuis enim ille fecerit professionem Sirmiensem ea non erat hæretica. Non enim negabat consubstantialitatem, sed tantum reticebat: quemadmodum tradit Binius, Baronius, & Bellarminus citato Hilario, qui eam confessionem, non damnauit, sed exposuit, & in hoc sensu loquuti sunt Ambrosius, Hieronymus, & Hilarius, & cæteri contra Liberium allegati. Baronius. Binius. Hilarius.

Damus insuper Argumento necesse omnino fateri Liberium hoc modo errasse, vt Fœlix in Pontificum numerum venire possit: nam nonnisi excluso Liberio intrare Fœlix potuit. Ad eum autem excludendum satis fuit error in foro externo

terno

terno: nam cum visibile caput esset, ac in foro illo visibili defecisset, præcidi potuit, & debuit ab Ecclesia visibili. Ecclesia quippe de actu interiori non iudicat, sed de exteriori. Quare Fœlix in eius locum subrogari potuit, ac debuit, dum Liberius erat in errore illo externo.

Fœlici respondemus eum quando Liberio successit, Verum Papam non fuisse, cum eo tempore Liberius adhuc in fide perseuerabet: cœpisse autem verum Pontificatum gerere biennio post electionem suam, cum Liberius ab Ecclesia deflexit. Tunc vero ab eum Clerus Romanus, tamquam ad Catholicum accessit, & recepit vti Papam, in quo apparuit Dei prouidentia: nam quando Liberius Arianis consensit, & Constantio fauit, Fœlix Arianos reliquit, & Constantium hæreticum declarauit, & ob id Martyrium passus est, vt in Pontificali habetur. Bellarminus ait, Fœlicem in Concilio Constantium declarasse hæreticum, sed ego istud Concilium non reperi. Pulsus Fœlix ab Arianis redeunte Liberio paulo post fuit occisus, vt Liberio suus esset locus in Pontificatu.

Bellarm.

Quæstioni motę tempore Gregorij XIII. super Martyrio, & Pontificatu Fœlicis respondetur prouidisse Deum, vt eo tempore inuentum fuerit corpus illius in Basilica Sanctorum Cosmæ, & Damiani intra arcam marmoream 22. Iulij, pridie eius diei anniuersarij cum hac inscriptione. *Hic iacet corpus Sancti Fœlicis Papæ, & Martyris, qui Constantium Hæreticum damnauit.* Eo casu mirabili destitum à lite, & Fœlicis nomen in Martyrum, & Pōtificum fastis mansit. Illud confirmat eius Pontificatum, quia nisi ille esset verus Papa, duo reliqui Fœlices III. & IV. essent II. & III. Præterea Gregorius Magnus in Antiphonario, & Sacramentario Pontificum ponit Sanctum Fœlicem Papam, & Martyrem 4. Kalend. Augusti. Esse autem illum Fœlicem nostrum notat Micrologus lib. de Ecclesiasticis obseruationibus cap. 43. Microl.

In Siricio dormitauit Caluinus. Nam ille non appellat coniugia pollutiones, quod patet ex textu Epistolæ, in quo agitur de ijs, qui propter illicitos concubitus agunt pœnitentiam, & post illam ad eosdem redeunt, tamquam canes, & sues, ait Pontifex, & in textu habetur expresè *inhibitos cōcubitus quorum professam incontinentiam, generati post absolutionem filij prodiderunt*, quæ verba in legitimos non cadunt. Pręterea nemo propter matrimonium pœnitentiam agit, nec peccat illud repetendo. Ergo signum est in hoc textu non agi de legitimis nuptijs. In hoc autem sensu dixit Siricius, *quam formam, & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt, seruandam esse censemus.* Caluinus
Lapsus est hic turpiter Caluinus ex incogitantia, vel ex malitia, dum per pollutiones connubia intellexit.

Quod attinet ad Innocentium Primus, & Tertius locus facilè explicantur. Incipiendo à tertio hic caret errore: vetat enim ne bigami ordinentur. Nomine autem bigami venit in iure, qui viduam duxit. Quo ad locum leuitici ille in exemplum trahitur, non in obseruationem legis: quod si in præceptum venerit, non ideo seruatur Lex Moysi, sed ratio legis, quæ non repugnat cum lege gratiæ. Primus locus exponitur de Virginibus, quæ in contubernio virorum perseuerant post lapsum, & sunt in occasione proxima peccandi, quæ cum nisi per mortem eorum non auferatur, ante illam non sunt in statu salutis, ac proinde non possunt recipi ad pœnitentiam.

Secundus locus est difficilior. Bellarminus, & Binius sic respondent: Bellarm. Binius.

dent: Innocentium loqui de ijs qui baptizantur, vel ordinantur polluti eadem hæresi: neutri enim recipiunt gratiam, quamquam verè ministrent, & recipiant Sacramentum, ita etiam respondet Glossa 1. qu. 1. cap. Arianos, & sic exponunt illa verba *Authores eorum*, vt tum ministri, quam recipientes sint authores Sacramenti. Vnde ait isti, & illi sunt extra Ecclesiam. Glossa.

Hæc tamen solutio non videtur satisfacere textui cuius verba sunt. *Arianos præterea cæterasque pestes, quia eorum laicos conuersos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ, ac Sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus non videtur clericos eorum cum Sacerdotij, aut ministerij cuiuspiam suscipi debere dignitate. Quoniam quibus solum baptismum ratum esse permittimus, quod vtique in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti perficitur, nec Spiritum Sanctum illos habere ex illo baptismate, illisque mysterijs arbitramur.* Hucusque nulla difficultas est, negat enim recipi gratiam à baptizatis, & ordinatis apud Hæreticos, & quando ad Ecclesiam veniunt, affirmat laicos recipi ex integro ad gratiam, & communionem, clericos vero nõ ex integro cum excludantur à dignitate, & iure exercendi ordines. Tota difficultas est in ratione, quam affert Innocentius, *quoniam cum à Catholica fide eorum authores desciscerent perfectionem Spiritus quam acceperant, amiserunt*, vbi causam non recipiendi gratiam, & effectum Sacramenti reijcit in ministros, quasi effectus Sacramenti dependeat à Sãctitate ministri, qui erat error Donatistarum, nec nomen *Authores* potest conuenire vtrisque ministrantibus, & suscipientibus, nam illa particula, *quam acceperant* solis ministrantibus conuenit, qui dabant, quod acceperant, suscipientes autem recipiebant, quod antea non habebant, ergo non acceperant. Vnde patet illam vocem *acceperant* ministris tantum cõuenire, & sensus est: ideo non dari suscipientibus eam gratiam, quia ministri illa carebant, & manet integrum argumentum. Vidit hoc Glossa in hoc canone Arianos, & post primam solutionem ait. *Dic, & est sufficiens quo ad hoc, quod non possunt conferre de merito vitæ.* Quæ tamen solutio non videtur apta, tum quia admittit peccatum ministrorum officere Sacramẽto, tum quia hic non agitur de merito dantis in recipientem, sed de gratia Sacramenti: præsertim cum meritum non transeat ab vno ad alterum. Glossa.

Quid ergo dicendum? Duæ sunt responsiones, ad quas suppono prius sermonem hic esse de laicis baptizatis ab Arianis, & Hæreticis, & clericis ordinatis ab ijsdem, qui veniebant ad communionem Ecclesiæ Catholicæ: vtrique veniebant Sacramentis acceptis, sed sine gratia Dei quam non poterant recipere extra Ecclesiam Catholicam. Differebant autem inter se, quia laici admissi in Ecclesia recipiebant gratiam erantq; ex integro Catholici sicuti cœteri, qui erãt in Ecclesia, at clerici etsi reciperent gratiam, non tamen obtinebant gradum in quo fuerant ordinati, sed tamquam laici manebant in Ecclesia. Hoc supposito prima solutio est: illam rationem allatam ab Innocentio referendam esse ad Sacramentum ordinis, non autem ad Sacramentum Baptismi, nec ad carentiam gratiæ, sed ad priuationem muneris Ecclesiastici, ita ut venientes ad Ecclesiam manerent ordinati, & sanctificati, sed priuati vsu & exercitio ordinis recepti. Suadetur, quia Innocentius solum agit de perfectione, & plenitudine Sacramenti, vnde ait perfectionem Spiritus, & plenitudinem eius, quæ consistit in munere, & dignitate, & de

hoc præcisè loquitur cum dicit non posse conferri à ministro Ariano. Patet ex textu. Addit enim. *Quomodo fieri potest, vt eorum Prophanos Sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur?* Igitur de dignitate, & honore, & gradu ordinum est sermo. Vnde ait Glossa. *Qui non habet honorem eum alijs dare non potest, sed damnationem dabit, quam cum vero ordine habet.* In cap. Qui perfectionem 1. q. 1. De hac ergo perfectione & plenitudine Sacramenti ordinis loquitur Innocentius, non autem de gratia Spiritus Sancti, aut charactere ordinis, qui non dependet à ministro ordinante, nec est perfectio, & plenitudo, sed immediatus effectus Sacramenti. Confirmatur, quia illa ratio ad solos Clericos est restringenda in quibus solis habet locum illa *perfectio, & plenitudo*, quia immediatè antea dixerat Pontifex *illo baptismate illisque mysterijs*, idest ordinibus, tunc subiunxit. *Quoniam cum à Catholica fide authores eorum desciscerent, &c. perfectionem Spiritus quem acceperant amiserunt*, idest in ordinibus, & mysterijs, quorum gradu, & honore priuati sunt, & priuant eos, quos ordinauerunt.

Glossa.

Hanc esse mentem Innocentij constat, quia quæstio proposita fuerat cur Clerici ab Hæreticis ordinati, quando veniebant ad Ecclesiam Catholicam priuabantur communione ordinum cum laici baptizati nulla re priuarentur? Cui respondet Pontifex assignando differentiam, quia communio baptismi fiebat per Sacramentum cui nihil deerat: At vero ad communionem ordinis deerat Clerico gradus, & dignitas quæ dari non potuit à ministro Hæretico quia erat plenitudo, & perfectio Sacramenti, non autem Sacramentum: idque inueni postea obseruatum à Suarez de Sacramentis disp. 14. sect. 4. ad medium, & Vasquez de Sacramento ordinis disp. 243. c. 1. n. 10.

Suarez. Vasquez.

Hanc doctrinam tradit Conciliũ Suessionense sub Leone IV. in 3. tomo Concil. 1. parte posteriori pag. 386. vbi ordinati ab Ebone Rhemensi Archiepiscopo deposito declarãtur priuati Ecclesiasticis gradibus, verba Concilij sunt. *Surgens Emmo Nouiomagensis Episcopus porrexit rotulam authoritatem canonicam, & Apostolicam continentem, quod qui ab ipso voluerant, & visi fuerant ordinati in gradus Ecclesiasticos ab eodem quod idem non habuit nemo eorum accipere potuit: damnationem vtique quam habuit per prauam manus impositionem eis dedit, quia qui particeps est damnationis, quomodo debeat honorem accipere, vt Innocentius Pontifex dicit inueniri non potest.* Et sic quinta Actione *canonica, & apostolica authoritate inuentum, & decretum est à Sacratissima Synodo, vt quicquid in ordinationibus Ecclesiasticis idem Emo post damnationem suam egerat secundam traditionem Apostolicæ Sedis, vt in gestis Pontificum legitur præter Sacrum Baptisma, quod in nomine Sanctissimæ Trinitatis perfectum est irritum, & vacuum habeatur, & ordinati ab eo in quamcumque terrarum partem profugi agentur, vel vagati sint, quia Diuinum iudicium effugere nullatenus possunt Spiritus Sancti iudicio Ecclesiastici gradibus priuati habeantur*, vbi ostenditur discrimen baptismi ab ordinatione, quod solus baptismus valide ex integro conferatur etiam à degradato, & laico, non vero ordines integri collati ab Episcopo deposito, quod stabilitur Decreto Nicolai I. Epistola IX. pag. 445. eiusdem tomi vbi ait: *Photium ordinatum ex laico in Episcopum nihil percepisse à Gregorio Anathematizato, nisi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit.* Idem habetur in Octaua Synodo Actor. 7. vbi de Photio, & Gregorio agitur pag. 656. eisdem verbis Nicolai, quorum sensus est conferri quidem ordi-

Concil. Suess.

Nicol. I.

Octaua Synodo.

ordinem, & characterem: non tamen gradum, & dignitatem. Et quidem Sedes Apostolica noluit vnquam restituere gradibus Ecclesiasticis eos, qui à Photio erant ordinati, vti decreuit Adrianus II. in Octaua Synodo Act. vltima ad finem pag. 680. cum tamen baptizati ritè à quocumque reciperentur ad integrum in Ecclesiam: nimirum, quia in Baptismo totum erat Sacramentum, at vero in Ordine vltra rationem Sacramenti erat dignitas, iurisdictio, & gradus, quæ non sequebantur ordinem collatum ab hęretico, vel deposito. Hæc itaque mens est Papę Innocentij, iuxta Suarez, & Vasquez citatos.

Ad primum obiectum contra Gelasium respondet Bellarminus: illud opus contra Eutychen, non eius esse, sed Gennadij; hoc autem non satisfacit, quia Gennadius non potest esse author illius libri, idque obseruat ex Baronio Binius in notis ad vitam Gelasij. Respondet secundo esse Gelasij Cæsariensis Episcopi Hieronymo antiquioris de quo is meminit lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 130. Non placet, quia nimis est priscus author, nec isti libri ab eo componi potuerunt aduersus Eutychen, cum is multo post Hieronymum fuerit, quod fugit Bellarminum, & Binium hoc loco.

Bellarm.

Binius. Baronius

Hieron.

Respondendum est igitur concedendo hunc Gelasium non esse eius libri authorem, quia hic composuit grande, & præclarum quinque librorum volumen, teste Gennadio de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 14. Hic autem liber, qui ei tribuitur paruulus est, ac proinde diuersus. Præterea author illius Græcus videtur, quia citat quindecim Patres Græcos, Latinos vero dumtaxat duos. Tandem quia ille author laudat sæpè scripta Eusebij Cęsariensis, quæ Gelasius inter Apocrypha recensuit. Author sine dubio est Gelasius Sicyzenus qui acta Niceni Concilij scripsit, quæ extant primo tomo Conciliorum, idque apparet ex præfatione in vtrumque opus. Floruit hic tempore Basilisci anno 496. eo enim tempore Eutychiana hæresis reuixit. Debemus hoc Baronio, qui rem diligentissimè inuestigauit, vti obseruat Binius Sectator Baronij. Itaque falsa est assumptio de Gelasio Papa.

Gennad.

Baronius

Demus tamen opus illud esse Gelasij: locus non conuincit, nam dum ait, *non desinit substantia, vel natura panis* significat, non omnino desinere, quia manet accidentia illius, & est modus vulgaris loquẽdi apud eos, qui minus philosophicè loquũtur, qui cum videant manere eamdem apparentiam in hostia iudicant ex accidẽtibus panem non desijsse: & hoc sensu exposuit Bellarm. lib. 2. de Sacramento Eucharistiæ cap. 27. & Baron. anno 436.

Bellarm.

Vasquez ita respondet disp. 18. cap. 1. num. 101. primo eum librum qui tribuitur Gelasio iuxta opinionem Cani, & Claudij Sainctes esse Eusebij Cæsariensis, quod nobis tamen displicuit. Secundo Compilatorem Bibliothecæ Sacræ ad istum locum Gelasij in margine adductum addidisse intelligendum esse de effectibus panis, quia nimirum alit, & videtur. Tertio eumdem illum Authorem dicere panem *Transire in diuinam substantiam Spiritu Sancto ea perficiente*. Sed verba sunt obscura, quia dicit, *permanente tamen in sua proprietate naturæ*: nisi fortè nomine proprietatis intelligat accidentia, & effectus. Eodem prorsus modo respondet Suarius tom. de Sacramentis disp. 69. sect. 2. prope finem. Vera solutio est assignare librum Gelasio Cisyzeno, & affirmare Authorem loqui de accidentibus, & effectibus panis, quæ ibi videntur, & sentiuntur.

Vasquez.

Suarez.

Ad secundum obiectum Gelasio respondetur eum in isto textu cap. *Comperimus* de consecratione secundo loqui de Sacerdotibus, non de alijs. Debent autem Sacerdotes, vtramque speciem conficere, & sumere. Ita exponit Sanctus Thomas quæst. 80. art. 12. ad 1. & Glossa ibi, & videtur esse mens Gratiani. Sequitur Suarez disp. 80. sect. 2. & Vasquez disp. 206. cap. 2. num. 70. Addo coniecturam ex textu, in quo est verbum *sumere*, quod notat Sacerdotes sumentes, non autem laicos recipientes, & hæc est facilis solutio. Sed quia non placet Demochari, & videtur libera, & textus videtur loqui non de Sacrificio, sed de Sacramento, & ait. *Nescio qua superstitione videntur astringi*, sit secunda solutio. Gelasium loqui de illis Manichæis occultis, qui sumpto solo Christi corpore abstinebant sanguine, qua superstitione docebant in Christo non esse verum sanguinem. De his ergo loquitur Gelasius iubens eos vtraque specie communicare, & reprehendens non facientes, ne videretur eorum superstitioni, & errori conniuere. Qua item ratione Leo Primus Epistola ad Maioricum, & Ioannem eam formam communicandi sub vtraque specie seruari præcepit, vt vitaret errorem Manichęorum teste Henriquez lib. 8. cap. 44. in notis citato loco Gelasij in cap. *Comperimus*. Sed de his satis diximus in controuersia de Communione sub vtraque specie.

D. Thom. Glossa. Suarez. Vasquez. Democh. Henric.

CAPVT IV.

De Anastasio, Vigilio, Gregorio Magno, & Honorio, qui accusantur & liberantur.

ANastasius de tribus accusatur. Primo, quod Photinum per se sine authoritate Concilij absoluerit, & cum illo societate Acacij infecto communicauerit. Secundò, quod voluerit reuocare Acacium reiectum à Fœlice, ac Gelasio. Tertiò, quod approbarit baptismum, & ordines collatos ab eodem Acacio; hęc ex vita Anastasij decerpta obijcit Tilmanus Heshusius lib. 1. de Ecclesia cap. 9. & Magdeburgenses cēturia 6. cap. 10. nec Gratianus repugnat distinc. 19. cap. Athanasius.

Tilman. Magd. Gratian.

Hunc Pontificem aliàs liberauimus, & quidem accuratissimè, idest in selectis controuersijs contr. 4. de Canoniz. cultu & venerat. Sanctor. Nunc breuiter dicimus. Anastasium admisisse quidem Photisum legatum ad se, quod omnino est de iure gentium, cum præsertim ageret de Epistolis Leonis Papæ: non consensisse autem ipsi agenti de reuocatione Acacij. Itaque negandam cum eo vti infecto communicasse. Quod autem voluerit occultè reuocare Acacium damnatum à Gelasio, & Fœlice falsum id esse constat ex ipsamet Anastasij Papæ ad Anastasium Imperatorem Epistola, vbi ter improbat Acacium, & eius nomen aboleri vult, & ex Epistola Hormisdæ Papæ 29. & 32. & 51. in quibus affirmat Acacium damnatum fuisse *iudicio Sedis Apostolicæ, & suorum prædecessorum*, quorum vnus erat Anastasius. Qui si absoluisset aliter loqueretur Hormisdas, & exciperet Anastasium Papam, & solos Gelasium, & Fœlicem nominasset. Iam vero errasse illum appro-

approbando baptisinata, & sacros ordines collates ab Acacio, tam est à veritate alienum, quam est proximum veritati non errasse. Nam baptisma, & ordines collati ab Hæreticis, & Schismaticis cum Sacramenta sint valida sunt, modo ordinantes sint ritè ordinati, quemadmodum erat Acacius. Approbandi ergo erant, non reprobandi. Vnde omnes istæ calumniæ euanescunt: & miramur incogitantiam Gratiani, Platinæ, & Volaterrani, qui Anastasium culparunt: & occasionem vituperandi Hereticis dederunt. His fabulis illa accensenda. Anastasium Papam fulmine ictum: cum is fuerit Anastasius Imperator: nomen ansam creandi præbuit; vnum pro alio homines maleferiati acceperũt, qui ne Nominales quidem in historia esse potuerunt.

Vigilio obijcitur scripsisse litteras ad Theodoram Imperatricem, & alios Hæreticos Euthychianos, in quibus probat hæresim negantem in Christo duas esse naturas. Narrat hoc Liberatus in Breuiario cap. 22. Confirmatur, quia Theodora in suis litteris petijt à Vigilio, vt restitueret Anthemium Episcopũ Constantinopolitanum depositum ab Agapito, idque ille promisit iam factus Pontifex, vti constat ex litteris.

Liberat.

Sexta Synod.

Quod attinet Vigilium. Primo illa Epistola negari potest: quod ficta sit ab hæreticis, vt eum infamarent. Nec ea vana est suspicio, cum ex Sexta Synodo Actione 14. certis argumentis deprehendatur: isque fuerit mos Græcorum corrumpẽdi vera scripta Pontificum, & falsa ijs attribuendi: nam in eodem Concilio Actione 3. producitur sermo Menæ ad Vigilium falsatus, & inuenti sunt tres codices adulterini, & libri duo nomine Vigilij, prorsus conficti. De quo ibi Legati Romanĩ conquerũtur. Liberato autem respondemus eum rumori publico credidisse. Secundo dicimus ad huc Epistola admissa nihil inde concludi, quia tunc Vigilius nõ erat verus Papa; quia viuebat Syluerius legitimus Pontifex in exilio. Nota quippe historia est, Vigilium ambitione Romani Pontificatus multa molitum, vt eum obtineret; & cum nimia tum esset Iustiniani, & Theodoræ vxoris potentia, & Belisarij arma valerent, intrusit se in Sedem non vacuam Vigilius, & Antipapa diu extitit. Quo tempore mirum non est errasse. Imo & hoc in aduersarios argumentum retorquetur. Nam dum Vigilius Pseudopapa viuo Syluerio fuit multa peccauit, indulgendo Theodoræ cui promisit restitutionem Anthemij depositi ab Agapito, & exclusi à Syluerio. At postquam mortuo Syluerio legitimus esse Põtifex cœpit, nullam prorsus labem admisit. Imo tam se Religiosè, & integrè gessit, vt nihil ex ijs, quæ ante Theodoræ promiserat præstare voluerit: ac ob id variè ab eadem vexatus, & in exilium missus, & miris modis vsque ad mortem exagitatus fuerit. Quare de eo tamquam de Sanctissimo Pontifice commemorat Gregorius Magnus lib. 2. Epistol. Epist. 36. ad Episcop. Hiberniæ. Cassiodor. lib. de Diuin. Lection. & Arator. in Præfat. Actor. Apostolic. Quod ille opus Vigilio dedicauit. In Quinta certè Synodo apparuit quantus ille, & virtute, & doctrina vir esset. Quin etiam ab eo est illa Synodus confirmata: nec ante illius confirmationem vllum ea robur obtinuit.

Liberat.

Gregor. Magnus. Cassiod.

Arat.

SECTIO I.

GRegorius Magnus non ſolum ab antiquioribus Hæreticis, ſed à Kemnitio item arguitur, quòd cum Presbyteris Sardiniæ diſpenſarit ad Sacramentum Confirmationis miniſtrandum, quod fieri non poſ- Kemnit. ſe docuit, inquit Kemnitius in Examin. p. 2. pag. 325. Concilium Tridentinum. Nec ſoli hæretici eum, ſed nonnulli etiam Catholici accuſant, & erroris inſimulant: nimirum Durand. Adrian. Durand. in 4. diſp. 7. qu. 3. & 4. & Adrian. in quæſt. de Confirmat. art. Palud. Henriqu. vltimo, & Palud. & Maior citati ab Henriquez lib. 3. de Confirmat. cap. 6. Et quidem videtur erraſſe Gregorius, cum ſolius Epiſcopi ſit excluſo nempe Presbytero confirmare, Bonau. Altiſiod. Caſtro. Maior. authore Bonauentura in 4. d. 3. Altiſiodor. lib. 3. Caſtro verbo Confirmatio, & lib. 2. de iuſt. hæret. punit. verbo Confirmatio. Maior. in 4. d. 7. Gabr. Rubion. Albert. Medices. qu. vndec. Gabr. ibid. qu. vndecim. Rubione art. 16. Albert. art. 4. Medices de hæreſi verbo Confirmatio, & alij. Diſpenſaſſe autem in eo Gregorium Magnum patet ex lib. 3. Epiſtolarum Epiſt. 26. ad Iannarium coniuncta Epiſt. 9. eiuſdem libri, & Gratian. D. Thom. Concil. Florent. fatetur Gratianus cap. *Peruenit*, & cap. presbyteros 95. d. & D. Thom. qu. 72. art. 11. Imo & ex Concilio Florentino id conſtare videtur. Dum in Inſtitutione Armenorum refert legi in hiſtorijs per diſpenſationem Papæ ex vrgenti cauſa Sacerdotem miniſtraſſe confirmationem.

Quidam vt liberent Gregorium mutant textum Epiſtolæ, vt ſit, ſe permittere, vt *vngant baptizandos*, non autem, vt incorruptus habet *baptizatos*, & ſanè ita legi in multis codicibus conſtat: quos corruptos eſſe dicere minimè poſſumus. Ita liberatur Gregorius.

Verum communis ſententia tenet, & locum, & mentem, & diſpenſationem Gregorij, quod nos etiam tenemus, & textum probamus. Nam ex collatione illius Epiſtolæ 26. cum alia 9. lib. 3. quod aduertit Bellarm. lib. 2. de Confirmat. Bellarm. Henriqu. cap. 12. & Henriquez lib. 3. de Confirmat. cap. 6. apparet de baptizatorum Confirmatione loqui Gregor. Magn. Gregorium. In ea quippe Epiſt. 9. lib. 3. prohibuerat ne *Presbyteri in fronte vngerent baptizatos*. Cum his autem diſpenſat Epiſt. 26. vt eoſdem vngant. Quod eſt argumentum irrefragabile Diſpenſaſſe in eo quod antea vetuerat. Præterea non cadit permiſſio, nec diſpenſatio in eo, quod licebat presbyteris. Licebat autem ei baptizare, & vngere baptizandos: quomodo ergo hi diſpenſatione indigebant? Igitur permiſſio, & diſpenſatio cadebat in id, quod Presbyteris ex officio non licebat: hæc vero erat Confirmatio. Admiſſo facto dicendum rem illam eſſe diſpenſabilem, atque adeo non erraſſe Gregorium diſpenſando: nullo quippe prohibitum id erat iure Presbyteris. Vnde poſſunt in eo Pontifices diſpenſare. Quemadmodum docent fermè omnes Theologi, & Canoniſtæ citati ab Henriqu. cap. 6. Confirmatur ex Ambroſiaſtro in cap. 4. ad Epheſ. vbi teſtatur Ambroſ. *in Aegypto Presbyteros confirmare in abſentia Epiſcoporum*. Quod etiam affert author quæſtion. noui, & vet. teſtam. inter opera Auguſtini q. 101. Auguſt. neuterque improbat morem: qui adhuc videtur perſeuerare inter Armenos, & Græcos authore Armacano lib. 11. cap. 4.

Quod autem presbyteri olim alicubi etiam Chriſma confecerint, apparet ex Canone 20. Concilij Tole- Concil. Tolet. tani I. vbi id facere prohibentur. His verbis. *Placuit ex hac die nullum alium præter Epiſcopum Chriſma conficere*. Ac ex eodem prorſus conſtat presbyteros abſente Epiſcopo confirmare, ſic enim ibidem. *Statutum*

vero

vero est Diaconum non chrismare, sed presbyterum absente Episcopo: præsente vero non, nisi ab ipso fuerit præceptum. Quo quid manifestius? Pro-
Concil. Brachar. batur præterea ex Martino Bracharensi in Collect. Græcarum Synodorum cap. 52. Tandem id factum Gregorij refertur à Concilio Flo-
Concil. Florent. rentino, ceu rectum foret. Itaque Alexander VI. & Gregorius XIII. potestatem confirmandi apud Indos presbyteris fecerunt Authore Henriquez cap. 3. Imo ipse Adrianus VI. Anno 1521. petentibus Fratre Galapione, & Francisco de Angelis concessit pro Indijs, & Regionibus, vbi non sunt Episcopi, vt Sacerdos Regularis ex Fratribus Minoribus possit cum Chrismate ab Episcopo consecrato confirmare. Eiusque facultatis exemplum authenticum habetur in Cõuentu His-
Henriqu. palensi eodem Henriquez authore. Non errauit itaque Gregorius: errant, qui ipsum condemnant. Quod attinet Kemnitium, ille desipit, dum
Concil. Trident. ait Concilium Tridentinum contra Sanctum Thomam, & Gregorium Magnum definisse solum Episcopum esse Ministrum Confirmationis. Nam Concilium Canone 3. sic. *Si quis*, inquit, *dixerit Sanctæ Confirmationis Ordinarium Ministrum, non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem Anathema sit*. Negat de Ministro Ordinario: qui solus est Episcopus, non autem de extraordinario, & in certis euentibus, ac ex dispensatione. Voluit enim Concilium condemnare hæresim Vvicleffi, & errorem ante illum Armacani, qui dixerunt id munus Confirmandi commune Episcopis, & presbyteris esse.

Ad calem obseruo tria. Primum.
Bellarmi. Bellarminum lib. 4. de Romano Pontifice cap. 10. citare Gregorium Magnum in Epistola 26. lib. 8. ad Ioannem: cum ea sit ad Ianuarium.
Henriqu. Secundum Henriquez lib. 3. de confirmat. cap. 6. in Marg. Litt. M. sic scribere. *Durandus, Palud. Maior. & Adrian. irreuerenter aiunt, quod Gregorius I. errauit, non quidem in doctrina, sed in priuato facto, quod Bellarminus admisit, vt probabile*. Certè Bellarminus Gregorium optimè de- Bellarm.
fendit, tum lib. 2. de Confirmat. cap. 12. tum lib. 4. de Pontifice, cap. 10. vbi errasse damnantes Gregorium apertè dicit. Tantum ibi addit, si admittatur hac in re errasse ex aliorum id aientium sententia, posse ab errore liberari dicẽdo, eum errorem facti, non doctrinæ fuisse. Vnde non ait id esse probabile. Quamquam id ego in Bellarmino non probem, quod affirmet, eum errorem fore de facto, non de doctrina, si error esset: nam si esset, in doctrina esset, cum dispensando iudicaret posse presbyterum esse ministrum Confirmationis; quæ opinio contra veritatem esset, & errorem in doctrina inuolueret. Tertium est Henriquez, & alios authores citare Scotum solere pro ea sententia Durandi negantis licere vnquam Sacerdoti ministrare Confirmationem: cum Scotus id minimè senserit, quẽ- Scot.
admodum ostendit Faber diffic. 27. Faber.
à quo hæc quæstio accuratè tractatur, & communis doctrinæ de potestate dispensandi cum Sacerdote presbytero ad confirmandum astruitur.

SE-

SECTIO II.

DE Honorio maior Controuersia est. Aiunt fuisse Monothelitam Nilus lib. de primatu, & Magdeburgenses centuria 7. cap. 10. in vita ipsius, & cap. 11. columna 555. Imo ex catholicis fatetur Cano eum in hæresi Monothelitarum fuisse, quem sequitur Bagnes in 2. 2. qu. 1. art. 10. §. confirmatur, vbi cum eodem Cano, quem citat lib. 6. de locis cap. vlt. sequitur Papam hæreticum esse posse, & ait priscam esse, & communem sententiam contra Pighium, & alios nuperos Theologos. (Nilus) (Magdeb.) (Canus) (Bagnes)

Et quidem videtur Honorius excusari non posse. Primò, quia duæ Honorij Epistolæ extant vna in 6. synodo act. 12. altera in eadem act. 13. in vtraque autem approbat doctrinam Sergij Monothelitarum principis, & vetat dici Christum habuisse duas voluntates, & duas operationes. Secundò, in 6. synodo act. 13. damnatur Honorius cum alijs hæreticis, & illius epistolæ comburuntur, & in omnibus sequentibus actionibus eius damnatio nominatim repetitur. (Sexta Synodo.) Tertiò in 7. synodo act. vltima totum Concilium dicit Anathema Honorio cum cœteris Monothelitis. Idem habetur in epist. ad Clericos vniuersos. (Septima Synodo.) Quartò in 8. synodo act. 7. legitur epistola Adriani II. in qua Pontifex asserit Honorium fuisse iudicatum hæreticum post mortem. (Octaua Synodo.) Quintò Agatho Papa in epist. ad Constantinum Imperatorem act. 6. dicit Honorio Anathema. Sextò Leo II. epist. ad eundem Imperatorē in fine Concilij item 6. hæreseos accusatur. Septimò Adrian. II. act. 7. in 8. synodo affirmat Honorio anathema dictum ab Orientalibus Episcopis quoniam erat de hæresi accusatus, *in qua* inquit, *licitum est minoribus de maioribus iudicare*, itaque tria sunt Concilia vniuersalia, & tres Pontifices negandi, ad affirmandum Honorium hæreticum non fuisse. (Adrian. II.)

Accidit Tharasius Episcopus Constantinopolitanus ad Patriarchas in 7. synodo act. 3. & Theodorus Episcopus Hierosolymitanus epist. synodica ibidem. Epiphanius Diaconus Catholicus in disput. cum Gregorio hæretico ibi 6. synodo act. 7. tom. 2. Psellus in carmine de 7. synodis. Beda de 6. ætatibus mundi in vita Constantini IV. Imperat. & liber Pontificalis in vita Leonis II. Vbi author illius affirmat Leo *suscepisse 7. synodum, in qua condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius, & Pyrrhus*. (Tarasius.) (Theod.) (Epiph.) (Psellus) (Beda)

Quod me magis mouet est testimonium Leonis II. hic enim in prima epist. ad Constantinum, quæ habetur post actionem 18. 6. Concilij Constantinopolitani. *Anathematizamus*, inquit, *noui erroris inuentores Theodorum, Cyrum, &c. necnon & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustrauit, sed profana proditione immaculatam fidem subuertere conatus est*. Et rursus in Epist. 2. ad Episcopos Hispaniæ. *Theodorus* ait *Cyrus, Sergius, &c. cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis non vt decuit Apostolica authoritate incipientem extinxit, sed negligendo confouit*. Huius autem epistolæ fit mentio in Concil. Tolet. 14. can. 2. eamque in notis recipit Loaysa. (Leo II.)

His, & alijs argumentis ducti antiquis Authores ingenuè fassi sunt Honorium in hæresim lapsum esse. Ita narrat, & sentit Bagnes 2. 2. art. 10. §. confirmatur, & tres solutiones, quæ adhiberi solent ad liberandum Honorium sophisticas appellat, & cū Alberto Pighio, quod eas primus inuexerit grauiter expostulat. (Bagnes)

Pighius tamen, & Hosius, & alii citati à Bellarmino lib. 4. de Romano

Baron. Binius Bellarm. no Pontifice c. 11. & Baronius, & Binius, & ipsemet Bellarm. citatus, & ex Dominicanis P. Libellus in suo Libello de Conciliis liberant Honorium, & omnes respondent: illas epistolas Pontificum, & acta Conciliorum esse falsata, & corrupta ab Hæreticis, & Schismaticis Græcis: quæ responsio probabilis redditur attenta veteri, & perpetua Græcorum Schismaticorum consuetudine in scriptis, & adulterandis, & comminiscendis. Patet exemplis 1. Leo Magnus lib. 8. epistolarum epist. 83. ad Palestinos conqueritur de Græcis, quod epistolam suam ad Flauianum corruperint. 2. Gregorius Magnus lib. 5. epist. epist. 14. ad Narset. affirmat Constantinopolitanos adulterasse Concil. Calcedonense, & idem se suspicari de Ephesino. 3. Adrianus I. scripsit epistolam ad Tharasium, vti constat ex epistola Nicolai I. ad Michaelem, ea tamen quæ ille affert, & Tharasium pungunt non extant in ea epistola Adriani. Dempserunt nempe illam Græci, vt Tharasij honori consulerent. 4. Nicolaus I. epist. ad Michaelē remittens eum ad epistolam Adriani. *Si tamen* inquit *non est falsata more Græcorum, sed sicut à sede Apostolica missa est, conseruatur*.

Libellus.

Leo M.

Gregor. Magnus

Nicol. I.

Phot. Exemplo Photij res tota stabilitur, qui tot libros de nouo confinxit, tot corrupit, Ioannis Papę VIII. epistolas adulterauit, & conciliabulum pro Concilio inuexit, vt ex 8. synodo, & ex vita Ioannis patet. Sed insigne argumentum est in ipsamet 6. synodo. Nam in 3. Actione productus fuit sermo Menæ ad Vigilium omnino falsatus exclamantibus legatis sedis Apostolicæ. *Falsatus est hic liber 5. synodi*, & inuenti sunt tres quaterniones intra librum per fraudem inserti. Pręterea ibidem inuenti sunt libri duo nomine Vigilij adulterini clamantibus iterum legatis. *Non sunt libelli Vigilij; falsatus est hic liber, & exordia primi libri quintæ synodi*. De quibus rursus fit mentio act. 12. pag. 140. eaque fraus apparuit act. 14. pag. 164. & 165. collatis scriptis adulterinis cum germanis inuentis in Patriarchio Constantinopolitano, vnde iussere Patres, *eos qui falsauerunt Anathemati submitti*. Non est ergo mirum fuisse ista concilia, & epistolas ab Hæreticis falsatas.

VIII. Sy.

Confirmatur hęc responsio communis tribus argumentis, primò, quia in epistolis Honorij, quæ sunt duæ, nullus est error doctrinæ; fatetur enim perspicuè Honorius duas naturas in Christo distinctas, & distinctè, ac propriè operantes ob duas differentias naturarum. Vetat autem dici duas voluntates, & duas operationes propter periculum hæresis Nestorij, & prohibet item dici vnam propter suspicionem erroris Euthycheis; itaque vtramque hæresim excludit. Certum quidem est eum negare in Christo esse duas voluntates diuersas, & contrarias; loquitur enim de Christo, vti homo est, contra eos, qui dicebant Christum hominem habuisse duas voluntates inter se oppositas. Vnam conformē cum diuina, alteram cum appetitu humano, quarum ratione potuit dicere *non sicut ego volo, sed sicut tu*, & hæc patent, ex ipsius epistolis, & optimè demonstrat Baronius, & Bellarminus nosque in materia de Concilijs obseruauimus. Huius rei extat idoneum testimonium in dialogo S. Maximi, qui vixit tempore Honorij in dialogo contra Pyrrhum Constantinopolitanum Episcopum Monotelitam, qui Pyrrhus testimonio Honorij suam hæresim defendebat. Contra vero demonstrat Maximus Honorium non negasse in Christo duas voluntates diuinam, & humanam, sed solum negasse duas humanas, idque ex testimonio Secretarij ipsiusmet Honorij probat. S. Maxim

Ha-

Habetur autem is dialogus p.2. to. 2. Concil. pag. 380..

Anastas. Secundo probatur, quia Anastasius Bibliothecarius in historia sua ex Theophane Isauro affirmat hanc fuisse imposturam hæreticorum.

Agatho. Tertiò, quia Agatho Papa epist. 1. ad Imperatorem, quæ lecta est in 6. synodo sess.4. loquens contra eam hæresim, affirmat nullum ex suis prædecessoribus á fide catholica defecisse, & numeratis Monothelitis inter eos non nominat Honoriū, & ait. *Sedem Apostolicam super Petram ædificatam numquam errasse in Fide*, quod certè verum esse non potest si Honorius errauit. Hæc autem epistola Agathonis, tanquam oraculum D. Petri à Patribus Concilij recipitur. Contradiceret vero

Agatho sibi Agatho, & alij Pontifices idem affirmantes si Honorius in hæresim Monothelitarum laberetur. Explicatur magis ista sententia, quia si Honorius accusatur, ideo est, quia noluit dicere duas voluntates, & duas operationes, sed iussit suspendi vnum, & alterum loquendi modum, hęc autem hæresis esse non potuit,

Sophron. quia hoc idem fecit Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, vti constat ex epist. Sergij ad Honorium, nemo tamen Sophronium de heresi condemnauit. Cur ergo Honorius damnetur? Atque ita stabilitur communis responsio, quæ vno verbo soluit argumentum, dicendo omnes illas scripturas esse falsatas, tum acta Conciliorum, tum epistolas Paparum. Hæc solutio communiter adhibenda est argumento.

Verum difficile mihi videtur dicere omnia illa scripta esse falsata. Fateor quidem in epistola Agathonis, quæ citatur contra Honorium eius nomen non reperiri; at in alijs Leonis, & Adriani inuenitur. Vnde litteræ illæ germanæ, quæ in Romanis Archiuijs extant, non potuerunt corrumpi, cum præsertim Concil. Toletanum illam epistolam Leonis agnoscat, & adducat. Demus tamen esse falsatas. Cur nemo ex legatis Romanis id animaduertit, nec se opposuit, vti in alijs minoris fortè momenti se opposuerunt? Cur non clamarūt scripta esse corrupta? Nemo id ante Pighium obseruauit, & omnes antiqui authores dormierūt? Concedo quidem Græcos illas scripturas adulterasse, sed vnde constat has etiam corrupisse. Necesse est probare has in particulari corruptas fuisse.

Ad Agathonem, & alios Pontifices, qui Honorium minimè nominant. Respondetur hoc esse argumentum negatiuum, quod non militat contra positiuum. Affirmant autem positiuè duo Pontifices, & tria Concilia vniuersalia Honorium errasse. Quod additur negari ab ijs sedem Apostolicam hæresi esse infectam, benè stare potest cum aliquo lapsu Honorij, vti stetit cum lapsu Marcellini, & nos statim dicemus.

Disputatio Maximi cum Pyrrho tantum agit de liberando Honorio ab hæresi, quod ego etiam fateor. At non conuincit eum damnatum non fuisse. Præterea illa disputatio videtur suspecta, quia non tam est altercatio, quam dialogus, & amica confabulatio, nec Pyrrhus disputat, aut contendit, sed proponit, & interrogat, audientis magis more, quā disputantis. Legat qui volet illum dalognm, & comperiet Pyrrhum Discipuli potius partes agere, quam Aduersarij: vno dicā verbo præuaricari; id mihi legenti visum: hæc me cogunt suspendere iudicium circa illam communem respōsionem. Video eam communi consensu recipi: nec ego volo singularis esse. Assentior, sed fateor me, cum eam lego, nōn posse non visa illa Pyrrhi disceptandi frigida formula aliquantum ambigere, an decuerit disputantem.

Scio eum, in exilio fuisse, & timidè agere oportere. Verum non existimo ob id ita deserendam causam, quam & antea obstinatè, & postea defendit. Legat qui volet, minus me auditum culpabit. Liceat mihi mecũ habitare, & haud temerè ambigere, cum tamen non audeam communi sententia refragari. Quid ergo dicendum?

Placet mihi illa solutio; quæ distinguit inter hæresim, & communicationem cum hæreticis, & fauorem hæresis. Nego igitur Honorium errasse in sentiendo, concedo deliquisse in communicãdo, & conniuendo hæreticis Monothelitis, & ex occasione eorum dogma dissimulatione fouendo. Quemadmodum habetur in epistola Leonis II. proximè citata ad Episcopos Hispaniæ, vbi sic: *Qui aduersum Apostolicæ traditionis puritatem perduelliones extiterant absentes quidem æterna damnatione mulctati sunt, idest Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Constantinopolitanus cum Honorio, qui flammã hæretici dogmatis non vt decuit, Apostolicam authoritatẽ vrere incipientem extinxit, sed negligendo confouit.* Ecce distinctio dogmatis, quod tribuit Monothelitis, & dissimulationis circa dogma, quam impingit Honorio. Non dixit excitasse flammam, sed eam non extinxisse, & non extinguendo confouisse.

Leo II.

Cornel.

Idem manifestius habetur in epistola eiusdem Leonis ad Eruigiũ Regem Gothorum in Hispania, quæ est supra in tertio tomo Conciliorũ parte prima pag. 284. In qua ita: *Omnes Hæreticæ assertionis authores venerando censente Concilio condemnati de Catholicæ Ecclesiæ adunatione proiecti sunt, idest Theodorus Pharanitanus Episcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paulus, Pyrrhus, & Petrus quodam Constantinopolitani Præsules, & vna cum eis Honorius Romanus: qui immaculatã Apostolicæ traditionis regulam, quàm à prædecessoribus suis accepit, maculari consensit*: non dixit fregisse aut maculasse, sed consensisse maculantibus. Nec probabile videtur has epistolas esse corruptas, nec enim erant Græci, qui corrumperent, vti de Concilijs dici potest.

Idem.

Præterea quod ait Baronius falsatã esse hanc epistolam, quia in ea habetur litteras Diuales Constantini missas fuisse ad Agathonem Papam cũ missæ non fuerint nisi ad Papam Domnum eius antecessorem, nihil obstat, quia illæ litteræ susceptæ fuerunt ab Agathone, vti ille fatetur in sua epistola ad eundem Imperatorem, quæ habetur Act. 4. Nec refert datæ ne fuerint ad Domnum, vel Agathonem cum scriptæ essent ad Pontificem Romanum, ad quem spectabat illud negotium quod propriè pertinebat ad Agathonem, qui mortuo Domno regebat Ecclesiam, ita vt integra fides sit illius epistolæ Leonis II.

Baron.

Igitur respondere debemus de Honorio, quod supra respondimus de Liberio, qui non errauit circa fidei professionem, sed tantum deliquit communicando cum Arianis, & condemnando Athanasium, & id satis fuit Ecclesiæ ad eum habendũ pro hæretico, & Felicem in eius locum substituendum. Sic res habet in Honorio. Non errauit is in confessione duarum volũtatum, & operationum, sed tamen deliquit in scribendo, & cõmunicando cum Monothelitis, & eius errorem dissimulando. Quod satisfuit vt in foro externo particeps illorum hæresis videretur. In hoc igitur foro à Concilijs, & duobus Pontificibus condẽnatus fuit. Minus tamen peccauit Honorius, quam Liberius, & idcircò Pontificatum non amisit, quia fecit imprudens, & antequam illa hæresis esset condemnata in Concilio Vniuersali, qua ratione ille excusari de-

Ll bet,

bet, & debuit in Pontificatu remanere. Secus accidit Liberio, qui dānato iam Ario, & hæresi Ariana in Concilio Niceno; & alijs Arianis sciens, & prudens communicauit, & Constantio paruit, & Athanasium condemnauit. Hæc sint pro tempore satis. Latius dicemus in materia de Concilijs.

CAPVT V.

De Martino I. Gregorio III. Nicolao I. Stephano VI. Sergio III. Ioanne VI. Sylvestro II.

Martino Primo obijciūt Magdeburgenses cent. 7. cap. 20. Nouatianismum; nam epist. ad Armandum Episcopum quæ habetur in Lateranensi Concilio sub eodem Martino tomo 2. par. 2. pag. 479. in secretario, siue consultatione supra sic ait: *Nullatenus in eiusmodi peccato delinquentibus ad destructionem canonum compassionem exhibeas*. Loquitur autem de Presbyteris, seu Diaconis lapsu carnis coinquinatis post suas ordinationes. — Martinus / Pamel.

Respondetur: Martinum non negare copiam pœnitentiæ, & veniæ in foro conscientiæ, sed restitutionem, & officium, & ministerium: de hac enim priuatione loquitur cum dicit, *qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps iam depositus erit: nunquam gradum sacerdotij poterit adipisci*; & ita soluit Bellarm. lib. 4. cap. 12. & Binius in Notis ad vitam Ioannis. His addo constare Martinum non negasse pœnitentiam, & veniam necessariam ad salutem animæ, & produco locū Epistolæ quintæ ad Ioannem Episcopum Philadelphiæ pag. 42. in qua de ipsis ordinatis ita loquitur exhortans eos qui iam depositi sunt conuerti ad Dominum, vt manifestè admittat eorum correctionem. *Potest enim*, inquit, *Deus eos rursus in admirabilem lucem suam adducere quia facit, & immutat prout vtilius est*, &c. imo & eos depositos permittit post pœnitentiam ad suos gradus reuocari. — Bellarm. Binius. / Martin.

Verum quidem est semper se monstrasse seuerum erga eos, qui iam ordinati labebantur in vitia indigna eo statu, & quæ per sacros canones puniebātur, ait enim *resipiscētibus ex hæresi dandam esse restitutionem, quæ neganda erat*, inquit, *ijs, qui committebant peccata notata canone*. Ego existimo illum loqui de concubinatu, & peccato obstinationis, in eo ait *quippe, in ijs, qui libenter peccat, & amant peccare denegare oportet eam veniam quæ in huiusmodi lapsibus ex dispensatione datur*. Hæc autem dispensatio non erat venia in conscientia, sed canonica, & publica coniuncta cum reuocatione ad gradum, & ministerium. Tandem obseruo hanc epistolam plenam esse doctrina contraria Nouato.

Gregorio III. duo opponuntur ab ijsdem Centuriatoribus cap. 10. centuria 8. Primum, quod iussit consecratos ab alijs quam à Pontifice ceu non ordinatos consecrari. Secundum, quod permisit viro ducere aliam vxorem non valente propria per infirmitatem debitum reddere. Vtraque est calumnia.

Primā refellit ipsemet Gregorius epist. 5. ad Bonifacium tom. 3. p. p. pag. 352. vbi sic: *Presbyteros quos ibidem reperisti, si incogniti fuerint viri illi à quibus fuerint ordinati, & dubium est eos Episcopos fuisse, an non, qui eos ordinauerint consecrentur*. Quod omnino est diuersum in hoc enim casu etiam pueri sunt baptizandi sub conditione. — Greg. III

Quod attinet ad secundam; in epistola quarta ad Bonifacium. Respondetur primo cum Glossa in cap. Puto quia, 32. q. 5. & ibidem q. 7. cap. *Quod proposuisti* locum esse falsatum. Secundo, loqui de sponsa quæ ob infirmitatem superuenientem — Glossa.

tem ante matrimonium dimitti potest; Tertio, nomine infirmitatis intelligi impotentiam cum vxore coeundi, quando videlicet ita est arcta, vt à viro nequeat aperiri: tunc enim licet aliam ducere, vti ego Madriti vidi. Hæc item solutio adhibetur à Glossa cap. *de Libellis* dist. 22. quod autem iubetur viro, vt ei opem ferat ad pietatem referri debet, nam pietas suadet eam non deseri quæ nihil peccauit. Illud fateor hac particula videri aliam infirmitatem significari, non arctitudinem, quia hæc potest esse respectu vnius viri, & non respectu alterius cui potest illa nubere, & cessare ratio illius infirmitatis: si arctitudo infirmitas dicenda est, nec enim puto proprie dici posse infirmitatem. Vtcumque sit: illa infirmitas debet esse talis quæ inducat impotentiam, & ob id irritum reddat matrimonium: vnde constat solutio ad argumentum. Luthero tamen placuit teste Cochleo in Septicipite cap. de Matrimonio, quamlibet infirmitatem vxoris satis esse ad relinquendam vxorem, & aliam fœminam substituendam, & ne deesset, ancillam posse vocari, & submitti: Eant Magdeburgenses & Lutherum reprehendant.

Glossa.

Cocleus.

Aduertendum hic est hanc Epistolam Gregorij III. ad Bonifacium tribui solere Gregorio I. Magno ad Augustinum Episcopum Anglicanorum, sed ea non est Gregorij I. sed Tertij, quamquam in nonnullis exẽplaribus irrepserit nomen Gregorij, & Augustini, & pro eadem habeatur.

Quod attinet ad Nicolaum I. opponũt ei, existimasse baptisma in nomine Christi collatum validum esse. ita refertur de consecratione dist. 4. cap. à quodam Iudæo: hoc autem contradicit Euangelio, & Ecclesiæ, & decretis Pelagij, & Zachariæ Papæ, qui contrarium definiunt, vt patet ex can. Multi, & can. in Synodo eiusdem distinctionis.

Nec potest responderi tempore Nicolai adhuc contrarium non fuisse definitum; nam in Concilio Anglicano confirmato à Zaccharia iam id definitum fuerat, vt constat ex eadem Synodo relata illa distinct. 4. can. in Synodo. Imo, & contradicit Pelagio in can. si reuera: vbi decernit non valere baptismum in nomine Domini, & requiri inuocationem Trinitatis.

Concil. Anglic.

Tribus modis huic argumento respondetur: primo, dicendo Nicolaum priuato sensu locutum, non canonico, & publico Pontificis, & ita respondet Bellarminus lib. 4. c. 12 & Suarez disp. 21. sect. 3. ad finem, & Vasquez disp. 143. cap. 4. num. 28. Idq; probant ex eo quod caput quæstionis erat vtrum baptismus à Iudæo, & Infideli ministratus verus esset, non autem vtrum esset verus baptismus sub hac, vel illa forma, quod obiter definiuit Nicolaus. Vnde hoc secundum non dixit vti Pontifex, sed vti Doctor priuatus ex quadam abundantia.

Bellarm. Suarez. Vasquez.

Hæc solutio mihi non satisfacit, quia Nicolaus vtrumque dixit principaliter. Imò vt quæstioni responderet vsus est illa ratione à forma sacramenti petita recurrendo ad illam vt quæstionem resolueret, quod non est obiter dicere: ratio enim quæ affertur fundata in forma baptismi capitalis est. Præterea non possumus distinguere in eodem decreto Papæ ad decidẽdam quæstionem prolato duas partes, vnam in qua Pontifex vti priuatus Doctor loquatur, alteram in qua loquatur vti Pontifex. Tandem quia Pontifex definiuit baptismum illum esse verum sub forma vera, & hanc statuit esse in nomine IESV Christi, hoc autem ad doctrinam spectat, & ad Pontificem pertinet. Non enim erat quæstio ex parte Ministri baptizantis cum quilibet mini-

ster ad baptismum sufficiat dummodo formam legitimam seruet cum intentione. Voluit autem Nicolaus vt in nomine IESV Christi sufficiens forma haberetur.

Marsilius

Secundò respondetur cum Marsilio in 4. dist. 2. q. 3. art. 3. conclusione 2. ex dispensatione, & reuelatione in eo casu definisse Nicolaum illum baptismum validam formam habuisse. Hanc tamen responsionem impugnat Henriquez lib. 2. de baptis. cap. 10. & Vasquez c. 4. n. 24. Est quippe libera, & sine fundamento, præterea non soluit difficultatem, quia si illa forma ex se non erat per se valida non potuit ex reuelatione valorem accipere.

Henriq. Vasquez.

Tertiò dicitur Nicolaum in eo sensu loquutum, quo loci Actuum Apostolorum, quorum sensus est in nomine IESV Christi, idest sub ea forma quam Christus instituerat, idest in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel in eo sensu vt loco personæ Filij poneretur nomen IESV Christi facta semper mentione trium Personarum. Hæc responsio bona est, si tamen est vera, remouet enim errorem à Pontifice, eamque id circo Suarez sect. 4. n. 27. piam, & probabilem vocat: eam tamen refutat Vasquez disp. 143. c. 4. num. 27. & præstringit Suarez tacito nomine. Verum quidem est Suarez dixisse responsionem esse non nihil coactam; & quidem est inepta, nam vt optimè arguit Vasquez, Nicolaus distinguit duos modos baptizandi, vnum in inuocatione Trinitatis, alterum in inuocatione solius Christi, & dicit cū Ambr. valere: quæ distinctio locum non haberet si in forma habente nomen Christi includeretur inuocatio Personarum. Deindè quia Nicolaus secutus est sensum Ambrosij, qui de solius Christi mentione loquitur tamquam vnius dumtaxat Personæ. Præterea multi sunt Autores qui tenent in Actibus Apostolorum de Baptismo in solo Christi nomine collato agi, & putant eo tempore licitum fuisse, pro qua sententia citat Vasquez, Ambrosium, & Magistrū, & Adrianum, & Bedam, & Vgonem de Sancto Victore, & fuit sententia Antiquorum scholasticorum duce D.Thom. q. 66. art. 6. ad 1. Hos autem imitatus est Nicolaus. Vnde non potuit eo modo explicari, quo vult tertia solutio.

Suarez. Vasq.

D.Thom

Quartò. Respondetur Nicolaum sensisse Baptismum à Iudæo collatum in nomine Christi validum esse, nec ob id posse erroris conuinci, sensit enim illum, qui baptizat in nomine Iesu Christi sufficienter exprimere Trinitatem, quia cum Iesus Christus sit Deus, & homo, vti homo incarnatus est de Spiritu Sancto, & vti Christus vnctus est diuinitate à Patre, ac proinde exprimit omnes personas, vnde obseruo in Actibus Apostolorum poni in nomine IESV Christi, quamuis aliquando ponatur nomen IESV, semper enim intelligitur vnctus à Patre, & formatus à Spiritu Sancto, & hoc sensu loquitur Nicolaus, quicquid sit de loco Ambrosij, & Bernardi, qui significant in nomine Spiritus Sancti, & Dei, & crucis collatum baptismum valere, nam de his formis non loquitur Nicolaus.

Videndum tamen est vtrum hæc responsio tuta sit. Bellarminus ait sententiam tenentem valere baptismum in nomine Christi post illa tempora Apostolorum esse falsam, non hæreticam: ita disertè lib. 4. c. 12. §. respondeo Nicolaum. Cum Bellarmino sentit Henriquez lib. 2. cap. 10. & ambo soluunt argumenta opposita: eiusdem sententiæ est Cano lib. 6. cap. 8. Suarez consentit disput. 21. sect. 3. ad finem, vbi vocat minus probabilem: Vasquez, & si veram dicat oppositam, non damnat

Bellarm. Henriq. Cano. Suarez.

nat

nat tamen Nicolai sententiam.

Vltima solutio nititur ratione Cani, qua probabilem reddit sententiam Nicolai. Obseruat enim Nicolaum responsum illud Bulgaris dedisse apud quos prædicabatur Euangelium, & quorum Ecclesia primitiua tunc erat. Vnde sicut in primitiua Ecclesia, tempore Apostolorum valuit Baptismus collatus in nomine IESV Christi per particularem dispensationem, quæ est communis veterum Theologorum sententia, ita etiam iudicauit Nicolaus valiturum respectu primitiuę Ecclesiæ Bulgarorum, & quidem Glossa in cap. A quodam sic ait: *Dico quod non debet quis baptizari in nomine Christi, si tamen baptizetur, valet baptismus.* Quare cũ ita iudicet, & aduertentia Cani non improbabilem reddat Nicolai sententiam, videtur posse sustineri sine nota erroris Nicolai decretum dicentis baptismum in eo casu validũ esse in nomine Christi collatum, illo tempore quo durabat inter Bulgaros noua Ecclesia. Ex quo non sequitur baptismum sub illa forma validum esse per se, sed tantum per dispensationem in eo casu valuisse. Et vti non sequitur ex eo quod tempore Apostolorum ille Baptismus valuit, postea item in Ecclesia valuisse, ita etiam ex casu Nicolai, non est inferendum in alijs casibus esse valiturum.

Glossa.

Hoc modo soluuntur omnia argumenta allata contra Nicolaum ex Decretis Pelagij can. Multi. de consecrat. dist. 5. & Zachariæ can. in Synodo ibidem, & ex Concilio Anglicano ab eodem Zacharia citato, & approbato, vbi exigitur expressio totius Trinitatis. Nam hi omnes loquuntur more vulgari, & de iure ordinario, non autem in casu posito à Nicolao in primitiua Ecclesia Bulgarorum, vbi licebat, sicut in Actis Apostolorum licuit dispensatio Dei; saltem non videtur hæc solutio reprobanda.

Quod attinet ad Stephanum VI. verè VII. præmittenda est historia. Formosus cum Episcopus esset Portuensis proscriptus, & degradatus fuit à Ioanne VIII. coactus iurare se numquam Episcopatum repetiturũ. Marinus Papa successor Ioannis reuocauit Formosum, & absoluit, qui Marino mortuo successit. Post Formosum Pontificatum obtinuit Stephanus VII. vulgo VI. hic omnia Formosi acta rescidit, & corpus defuncti exhumauit, & Pontificijs exutum insignibus tribus amputatis digitis in Tyberim proiecit, & ordinatos ab eo reordinauit, & habito ea de re Romæ Concilio à se Decreta confirmauit. Postea Romanus successor Stephani, & Ioannes IX. qui Theodoro viginti tantum dierum Papę successit acta Formosi approbarunt, & Stephani irritarunt, imo Ioannes semel in Romano Concilio, & iterum in Rauennate conciliabulum factum à Stephano proscripsit. Superueniens Sergius III. Stephani defensor condemnauit rursum Formosum, & Acta ipsius, & ordinatos ab ipso de nouo consecrauit. Post Sergium tempestas quieuit. Ex his apparet aliquos ex his errasse. Bellarminus lib. 4. cap. 12. concedit Stephanum, & Sergium errasse, sed errorem notat fuisse in rebus facti, qua ratione Pontifices, inquit, errare possunt. Sed hic etiam inuoluitur error iuris. Nam reordinare ordinatos à Formoso, qui verè Pontifex, & Episcopus erat, non potuit fieri sine errore iuris. Bellarm.

Huic obiectioni, quæ grauis est. Respondent communiter Doctores nostri cum Bellarmino neutrum Pontificem errasse in doctrina, quia nullum ediderunt Decretum, atque adeo non errarunt docendo prauam doctrinam. Sed contra est, quod Ioannes IX. in legitimo Concilio ius- Bellarm.

iussit comburi acta conciliabuli Romani, quæ præsente Stephano Decreta fuerant. Ergo iam erant Decreta.

Respondeo igitur illa omnia facta esse ex odio, & mala voluntate, non ex errore intellectus: sciebant Stephanus, & Sergius Formosum adminus fuisse verum Episcopum, ac proinde ordines ab eo collatos validos esse, sed tanto in eum odio æstuabant, vt eos ira & rabies transuersos egerit. Nec id mirãdum est, ijs Pontificibus, cum ea tempora calamitosissima fuerint. Vnde vterque Pontifex Stephanus, & Sergius inuasores, & intrusi, & grassatores in eorum vita à Scriptoribus appellantur, erantque potius Pontifices tolerati, quam legitimè electi, quãquam post intrusionem veri Pontifices fuerint, & ab Ecclesia approbati. Quamuis etiam dici possit hos duos Pontifices excæcatos passione sibi persuasisse Formosum, nec verum Episcopum, nec Pontificem fuisse: ex vtraque autem solutione constat eos mala potius voluntate quam errore doctrinæ laborasse.

Sequitur Horrendum illud crimen cuius arguitur à Magdeburgensibus centuria 10. cap. 6. columna 294. Ioannes XIII. vel XIV. quem aiunt ingenti sacrilegio iussisse baptizari campanas. Legerunt nimirum in Euangelio baptismos vrceorum, & calicum, & transtulerunt illum baptismum ad campanas. Si hoc modo baptizatas volunt, non erat Sacramentum ille baptismus. Vt cumque sit, defuerunt verba formæ, sine qua non est baptismus. Benedicuntur quidem campanæ, & aqua lustrali asperguntur, sicut vestes, & vasa sacra, sed minimè baptizantur, nisi velint Magdeburgenses campanas esse cathecumenas ante baptismum, imo & contrahere originale peccatum à quo per baptismum liberari debuissent. Sed Magdeburgenses, quia sonare viderunt campanas, loqui putarunt, & consequenter rationales creaturas esse. Hac ratione tenentur dicere; & Asinos baptizandos esse, quia rudentes vocem emittunt. Illud saltem habemus, fœliciores esse apud nos campanas, quam infantes apud Anabaptistas, qui non baptizant infantes. Quid est hoc nisi desipere Magdeburgenses, & vt verius dicam insanire? Serio respondent Baronius, Bellarminius, Binius, ego cùm his hæreticis ludo, & delicias facio. (Magdeb.)

Syluestro II. Magdeburgenses, centuria 10. cap. 10. & Tilmanus Heshusius lib. 1. de Ecclesia cap. 9. opponunt fuisse Magum, & Necromanticum. Huius fabulæ Architectus fuit Benno qui se Cardinalem, & Archiepiscopum nominauit, & in Schismate Galerum purpureum obtinuit, & vixit tempore Gregorij VII. & Henrici IV. Imperatoris schismatici, teste Papirio Massono: eamque refert Martinus Polonus in Chronico, vnde Magdeburgenses hauserunt; aiuntque Syluestrum, pro Pontificatu obtinendo in templo Sanctæ Crucis in Hierosolymis animam suam Dœmonio pepigisse, qua propter ibidem fuisse postea à Diabolo laceratum. Si autem Necromanticus fuit, Diabolum coluit, & hæreticus extitit. (Tilman. Martialis Polonus.)

Respondet Bellarminus commẽtum hoc esse: nemo enim præter Benonem hanc historiam tradidit, quæ refutatur illo Epitaphio, quod legitur in eius sepulchro apud Sanctum Ioannem Lateranensem, quod affert Binius in vita Gregorij tomo 3. Concil. p. 2. Hæc enim funebris eius Laudatio fuit & composita dicitur à Sergio IV. Occasionem fabulæ dedit peritia Geometriæ, qua valuit teste Bellarmino, de qua etiam libros scripsit. Fuit etiam doctus Astrologiæ & Philosophiæ, vti narrat (Bellarm. Binius.)

Ditma-

Ditmar. Ditmarus. Infœlici enim hoc seculo, quo nullum deterius post Christum videtur fuisse, perinde habebatur esse Philosophum, & Mathematicum, ac Magicum, & Necromanticum. Vnde illū Benno impostor, Gregorij VII. prædecessores Magię accusat. Addo ex meo occasionem dedisse fabulæ, quod Syluester opera Othonis III. teste Aymonio Pontificatum obtinuit, quē sibi magnopere conciliarat dono mirabilis Horologij Magdeburgi dato quod ingenio planè Dedaleo composuit, quod narrat Ditmarus. Opus hoc igitur propter nouitatem visum est vulgo Magicum, & interuentu Diaboli inuentum, & constructum. Id maneat: Syluestrū, quamuis ante Pontificatum cum priuatus, & Gilbertus erat, vitijs abundasset, eumdem postquam Pontifex factus fuit, & Syluester dictus, cum illo nouo nomine singulare virtutis specimen præbuisse.

Aymon.

CAPVT VI.

Gregorius VII. Alexander III. Calestiuus III. Innocentius III. à calumnijs vindicantur.

NVllius Pontificis nomen magis execrantur Hæretici, quā Gregorij III. illum omnibus probris onerant, dicterijs impetunt, calumnijs onerant, Magum Necromanticum, seditiosum, Simoniacum, adulterum, ac demum Hæreticum vocant, vti videre est apud Magdeburgenses centuria 11. cap. 10. eumque non Gregorium, quo vti Pontifex, nec Hildebrandum, quo vti priuatus vsus est, nomine appellant, sed Hellebrant, quòd germanicè *titionem Inferni* sonat, impudenter vocant. Præter alia conuicia in eum iactata ab Heshusio, & Bibliandro. Hauserunt hæc ex Benone Schismatico eius temporis Cardinali, Electo à Clemente III. Antipapa, cuius omnino sublesta, & suspecta est Fides cum Schismatico Imperatori, & Pseudo Papæ adhæserit. Ex vita Gregorij, & Encomio facto in Electione illius quod habetur tomo 3. Concil. ante eius Epistolas, & ex omnium ferè eius ætatis authorum testimonio constat, Gregorium virū Sanctissimum, & eruditissimum fuisse, imo & multis miraculis viuum & mortuum claruisse. Multus est in hoc Pontifice vindicando Bellarminus lib. 4. cap. 13. Baronius, & alij cum Binio 3. tom. Concil. par. 2. qui eum ab omnibus notis liberant. Ego tantum ab hæresi quam ei affingunt, vindicare volo: hoc enim est nostri instituti.

Ceutur.

Bellarm. Baronius

Imponitur ei hæresis Berengarij qui negauit realem Christi præsentiam in Eucharistia, quæ toties ab Ecclesia reprobata, & ab eodem authore recantata fuit. Quam hoc sit falsum patet ex eodem Gregorio, qui ante Pontificatum hanc hæresim damnauit, & Leone IX. & Nicolao II. qui eamdem proscripserant semper communicauit, & in Concil. Turonensi semel Legatus, & iterum in Romano Pontifex condemnauit, vti affirmat Guitmundus lib. 2. de Eucharistia, qui item narrat in Romano Concilio sub Nicolao Pontifice Gregorium priuatum, cum cæteris congregatis illam hæresim anathematizasse. Itaque ista calumnia nullam habet speciem probabilitatis. Cum præsertim constet eum anno 6. Pontificatus sui damnasse per sententiam Berengarium, quam citat ad Verbum Vualdensis tomo 2. de Sacramentis cap. 43. Extant apud Binium Acta Concilij Romani celebratum præsente Gregorio Anno 1079. in quo agitur causa Berengarij, & hic conuincitur, & abiurat, & sub anathemate prohibetur pestiferam illam doctrinam,

Guitm.

Vvald.

dein-

deinceps tradere.

Aliud est irrefragabile huiusce veritatis argumentum nempe Gregorij Epistola 47. lib. 1. ad Mathildim data de Eucharistiæ Sacramento, vbi apertissimè cum Ambrosio Gregorio Magno, & Chrysostomo veritatem corporis, & sanguinis Christi confitetur. Vbi inter alia ista sunt verba. *Pro nobis iterum in his mysterijs immolatur, eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salute partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem Vnigeniti semper imitatur.*

Gregor. VII.

Alexand. III.

Alexandro III. duo obijciuntur primum alienum esse à lege, & consuetudine Christiana, vt in testamonio exigantur plures testes, quā tres, & præcepisse sub pœna excommunicationis, ne quis rescindat quę testamenta cum tribus tantum testibus fiunt, hoc autem contradicit practicæ totius orbis Christiani, in quo testamenta septem adhibitis testibus fieri solent. Hoc autem decreuit Alexander cap. cum esses de Testamentis. Secundum contra suos prædecessores statuisse matrimonium ratum, non posse dirimi, per aliud matrimonium, cum omnem alij senserint dirimi posse. Apparet hoc in cap. Licet de sponsaduorum. Vbi Alexander contradicit Cælestino.

Respondetur primum non esse errorem: potuit enim Alexander, vti princeps in statu Ecclesiæ temporali legem illam condere. Quod ita conducere ad suam Rempublicam iudicabat. Non tamen idcirco damnabat communem consuetudinem alijs in Regnis, & Prouincijs quę ius commune sequebantur, cui nihil sua constitutione detraxit. Quemadmodum neque Reges alij patrijs suis legibus derogant communi iuri, quod in alijs Regnis obseruatur, & hæc est Canonistarū interpretatio, & Bellarmini. Addo Alexandrum rectè dixisse illum morem exigendi septem testes in testamentis, itaut sine illis testamentum non valeat esse, nimis rigidum, & violentum, nec haberi in Sacris Scripturis, nec præcipi lege diuina. Imo illi visum, non est esse conforme rectæ rationi obligare homines ad certum illum testium numerum, & vltimas voluntates ad eas angustias redigere, quæ tum maximè liberæ esse debent.

Ad secundum respondetur, non quoties Pontifices, aut scribunt, aut loquuntur oracula fundere, nec ex Cathedra loqui, sed suos interdum sensus more Doctorum exponere. Itaque concedimus Alexandrum rectè definisse: Cælestinum autem locutum more Doctoris priuati, nec illud Decretum fecit animo definientis, & Ecclesiam obligandi. Vti enim Prophetæ, non semper diuino Spiritu afflabantur, sed opinio disputandis, & quid sentiret aperientis, nec semper prophetabant, ita nec Pontifices semper habent assistentiam Spiritus Sancti, nec est necesse vt quicquid dicunt definiētium more decernant, & tamquam Deus è Machina loquantur. Doctores interdum agunt, non Pontifices, nam quando Pontificio more decernunt, & ex Cathedra loquuntur, habent signa quædam manifesta, vnde hoc appareat nempe quando Bullas suas affigunt in valuis Sancti Petri, & in Acie Campi Floræ. His ergo tenemur. Itaque non contradicit Alexander Cœlestino, vti Papæ, sed vti doctori priuato.

Cælestinus III. accusatur, quod senserit matrimonium Catholicorū vno ad hæresim deficiente dissolui, & posse relictum à coniuge hæretico ad alias nuptias transire, quod est contra Concilium Tridentinum

sess. 24.

sess. 24 can. 5. vbi sic. *Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge, dissolui posse matrimonium, anathema sit*. Hoc ipsum docuerat Innocentius III. cap. Quanto de Diuortijs. Sensisse autem ita Cæ-
Alphons. à Castro. lestinum affirmat Alphonsus à Castro lib. 5. de Hæresibus cap. 4. &
Bellarm. fatetur Bellarminus cap. 14. & licet hodie in Decretalibus non reperiatur iste canon: fuisse tamen in antiquis ambo hi authores, & Henri-
Henriq. quez affirmant. Nec posse Cælestinum ab hæresi excusari affirmat idem Castro citatus.

Respondetur, concedendo ita definitum esse à Tridentino, & contrarium hæreticum esse, sed tamen negandum hæreticum fuisse Cælestinum, quia id temporis nihil erat ea de re definitum: ille enim antiquior est Innocentio, qui ei successit. Præterea Cælestinus hoc sensit tan-
Cælestin. quam priuatus Doctor, non docuit vti Pontifex vniuersalis; excusat tamen Henriquez Cælestinum tribus
Henriqu. modis lib. 11. de matrimon. cap. 8. verba Henriquez sunt. *Prima, vt prius non esset matrimonium per verba absoluta de præsenti, sed sponsalia, quæ per secundum matrimonium consummatum soluta sunt, vel secundo vt consuetudo, quæ id eo tempore permittebat, excusauerit ignorantes à culpa, & pœna: atque ita coniugatos esse relinquendos in sua bona fide, quod signi-*
Couar. *ficat Couar. 2. par. §. 3. num. 5. Vel tertio hic Pontifex agit in priuato casu in quo ipse, aut Episcopus ex tacita ipsius commissione dissoluit matrimonium primum ratum, quod licuit, vt permaneret in secundo consummato.* Et vero hæc est idonea solutio, si dicamus Cælestinum loqui de matrimonio rato cui successit consummatum. Tunc enim accedente dispensatione Papæ, valet hoc postremum Hoc enim probabile esse affirmant multi Doctores apud Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 14. num. 3. iuxta id quod ait Alexander 3. cap. *Licet* de Sanchez. sponsa duorum. *Aliquando ita fuisse à prædecessoribus suis iudicatum*, & Glossa cap. *Ex publico*. De conuersat. coniug. fine, & Hostiensis super Verbo *Consummatum*, & cap. *Finali*, de sponsa duorum. Imo Co- Couar. uar. 4. Decretal. 2. par. cap. 7. §. 3. num. 5. scribit ante illud cap. *Licet*. *Præferri posterius matrimonium consummatum priori rato*: quam sententiam verisimilem dicit Sanchez n. 4. Sanchez. Vnde apparet concordia duorum Pontificum. Nam Alexander agit de matrimonij dissolutione secundum se citra dispensationem. Cælestinus vero de matrimonio interueniente dispensatione.

Innocentij III. magnus error videtur fuisse sentientis legem veterem non esse abrogatam, sed hodie vigere, ac debere obseruari, quod patet quia in cap. Per venerabilem qui filij sint legitimi. *Sanè*, inquit, *cum Deuteronomium secunda lex interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur: vt quod ibi decernitur in testamento nouo debeat obseruari*. Hoc autem pugnat cum doctrina Diuina Actorum 15.

Respondetur manifestam esse Innocentij mentem, nec enim voluit seruari Deuteronomium, vti erat lex vetus, id enim patet: cum multa ibi præcepta sint ceremonialia, quæ in prima lege continebantur, quæ Innocentius nolebat obseruari. Igitur tantum voluit, vt ea quæ conueniebant cum lege gratiæ, quorum illæ erant figuræ custodirentur, non vti erant præcepta legis veteris, sed vti manebant in lege gratiæ, quemadmodum præcepta Decalogi hodie seruantur in lege Euangelica, cum tamen essent in lege Moysi: ea vero non seruantur, vti ius Mosaicum, sed vti ius naturale, & diuinum.

CAPVT VII.

De Nicolao Quarto, & Ioanne XXII.

INter Nicolaum IV. & Ioannem XXII. aperta videtur circa doctrinam contradictio. Etenim Nicolaus cap. exijt, de verborum significationibus in sexto, paulo post principium probans, & exponens regulam Sancti Francisci tria docet. Primum: regulam de paupertate profiteri solum vsum facti in omni re etiam vsu consumptibili abdicato omni iure, & dominio etiam communi. Secundum: hanc regulam, & formam paupertatis esse perfectissimam. Tertium: ita Christum, & verbo, & exemplo docuisse. Hæc autem doctrina apertè distinguit in omni re etiam vsu consumptibili dominium ab vsu rerum, ita vt possit solus vsus sine vllo iure dominioque consistere. At Ioannes XXII. hæc omnia negauit, tum in extra *ad Conditorem canonum*, tum in extra. *Cum inter nonnullos*, tum in extra. *Quia quorumdam*. De verborum significationibus, vbi negat posse nudum facti vsum sine vllo iure dominij reperiri, & hoc ait esse impossibile. Deinde negat esse perfectionem, imo affirmat non esse rem licitam omni prorsus dominio carere. Denique declarat hæresim esse dicere: Christum Dominum tale genus paupertatis docuisse, & obseruasse. Tria igitur sunt de quibus litigant, primum vtrum vsus facti sit separabilis ab omni iure? affirmante Nicolao, negante Ioanne. Secundum an paupertas nudo vsu facti contenta, sit sancta, & meritoria. In hoc autem Bellarminus ait videri negare Ioannem, & Nicolaum affirmare. Addit tamen neque Nicolaum id definijsse, neque Ioannem directè impugnasse. Tertium vtrum Christus hoc genus paupertatis docuerit, & seruarit? In hoc affirmat Bellarminus, Ioannem à Nicolao non dissentire, quia Nicolaus dixit aliquando Christum illam paupertatem obseruasse, aliquando aliam, quæ cum communi dominio, & iure stare solet. Ioannes autem, inquit, negauit Christum semper genus illud paupertatis professum fuisse. Itaque Ioannes dixit, non semper obseruatum à Christo, non negasse autem aliquando obseruatum: itaque sibi non contradicere. (Bellarm.)

Ego attentè lectis canonibus, & collata vtriusque sententia video Ioannem omnino improbare sententiam Nicolai, & vt hoc facere tuto possit, munire viam dicendo vnum Pontificem posse alterius dicta, & statuta reuocare, vti apertè habet cap. *Quia quorumdam* distinguens inter clauem scientiæ, & potentiæ, & reprobans illorum sensum qui dicunt, quod per clauem scientiæ definiunt Romani Pontifices adeo immutabiliter perseuerare, vt successores reuocare non possint, nec contrarium affirmare, at de ijs, quæ per clauem potestatis ordinant aliter esse: ex quo manifestè apparet Ioannem voluisse refutare à Nicolao prædecessore statuta. Vnde ait contra aduersarios; *concludere satagunt licet falsò nobis non licuisse declarare, vel statuere supradicta.* Ergo Ioannes affirmat posse successorem Pontificem reuocare statuta prædecessorum, idque postea obijcit Nicolao, quod ipse statuerit contra dictum Honorij, Gregorij, & Alexandri. Verum est tamen Ioannem hoc sensisse in ijs quæ non sunt ex Cathedra definita, sed in alijs, vti apparet ex his, quæ subiungit §. *Adhuc patet*. Illud etiam constat Ioannem fateri se non dissentire à Nicolao, idque manifestè patet ex eodem cap. *Quia quorundam* ad medium. (Ioannes XXII.)

dium. Ita enim exponit Nicolaum, vt sibi exponenti non contradicat. Condemnat autem eos qui dicunt Christum Dominum in Euangelio genus illud paupertatis obseruasse, quod sine vllo iure in nudo facti vsu consistit, & qui sua Decreta, & canones, in quibus hoc negabat, reprehendebant.

His positis ita concilio hos duos Pontifices: nimirum, Ioannem aliter intellexisse nomen illud dominij, & iuris, atque intellexit Nicolaus, & idcirco ab eo diuersa docuisse, nec tamen diuersa sensisse. Apparet hoc quia Ioannes nomine, vsus, intellexit vsum illicitum sine iure naturali vtendi re vsuali, quod ius spectat ad conscientiam, & rectam rationem. At vero Nicolaus intellexit de iure dominij ciuilis, & proprietatis, non autem de naturali in foro conscientiæ. Ioannesque illa ductus sententia rectè negabat licitum esse vsum nudum rei sine aliquo iure vtendi illa, cum hoc esset iniustum, & contra ius naturale vti re sine iure, quod sanè est verissimũ. Patet autem mens Ioannis ex eo, quod sæpè argumentatur: Si Christus, & eius Apostoli in ijs, quæ habuisse leguntur habuerunt tantum vsum facti, ex eo sequi vsum Christi, & Apostolorum iustum non fuisse, quod profectò, inquit, blasphemiam continet. Hoc autem argumentum facit in omnibus illis canonibus. *Ad conditorem*, & *Cum inter*, & *Quia quorumdam*, vti Glossa animaduertit. Quod autem in prædicta assertione adijcitur, quod per *abdicationem vsus prædicti proprietatis, is vsus facti ad sustentationem naturæ in Christo, & Apostolis, non conuincitur esse non iustus, sed tanto iustior, &c.* Affirmat Ioannes *impossibilitatem inducere, & errorem dictum eiusmodi continere*, quæ sunt verba Ioannis condemnantis illud adiectum ab Aduersarijs, & affert rationem, cur falsa sit illa additio, suorum Aduersariorum. *Impossibile enim*, inquit, *est actum manuum extrinsecum esse iustum, si exercens actum ipsum, nullum ius habeat illum exercendi; imo non iustus, seu iniustus necessario conuincitur talis vsus*. Hinc patet Ioannem accepisse ius in vsu, non pro dominio ciuili, & proprietatis, sed pro iure naturali, & conscientiæ, quo quis rectè, ac honestè re vtitur; & ideo negasse Christum, & Apostolos sine hoc iure vsum habuisse, quia existimauit iniustum esse vsum sine vllo iure. In quo sensu idem est iure vti, ac iuste vti; & contra perinde est, sine iure vti, & iniustè vti, ac proinde vti cum peccato, qua ratione peccaret Christus, & Apostoli, si rebus sine vllo iur, id est iniustè, vterentur. & in hoc sensu illam opinionem intellectam hæresim Ioannes dixit.

Nicolaus de alio iure iudicabat, & agebat, nempe de eo quod est dominium ciuile, & proprietatis, & statuebat posse vtentem illo iure carere sine culpa, & cum perfectione, & ita vsum fuisse Christum aliquando rebus sine proprietate. Quare nulla est inter hos duos Pontifices contradictio, cum inter se minimè de eodem iure litigassent. Authores nostros miror, non vidisse hanc distinctionem: patet quippè accuratè legenti; & quidem sine hac distinctione nõ videntur posse hi duo Pontifices conciliari: nam quod aiunt Nicolaum sensisse Christum interdum caruisse dominio, & nudum sine illo vsum habuisse, verum est; sed quod aiunt Ioannem eo sensu locutum, vt negaret semper ita se habuisse, id omnino falsum est intelligendo de vsu proprietatis, quia Ioannes numquam concessit Christum, & Apostolos nudum vsum sine vllo iure habuisse, quia existimauit hoc esse impossibile, & dato esse possibile, sensit esse peccatum, &

hoc argumento vtitur ad probandum vſum ſpoliatum omni iure in Chriſto non fuiſſe, ac proinde nunquam cōceſſit, Chriſtum doctrinam quam tradiderat Nicolaus, aut verbo, aut exemplo docuiſſe. Itaque hæc ratione quam expoſui difficultas tollitur dicendo; Nicolaum de vſu ciuili, & proprietatis: Ioannem vero de naturali,& conſcientiæ fuiſſe locutos.

Ioannes XXII. accuſatur,non ſolum ab Hæreticis, ſed etiã à quibuſdam noſtrorum:Adriano. q.de Confirmat.& Gerſone ſerm. de Paſchate tom. 4. & Ochamo in opere nonaginta trium dierum, & ab Eraſmo præfat. ad lib.5. Irenæi, de eo, quod negauit animas iuſtorum viſuras Deum ante reſurrectionem. Imo Caluinus lib. 4. inſtitut. cap.7.§.28. ei imponit ſenſiſſe animas eſſe mortales, & cum corpore interire,vſque ad reſurrectionem, quem errorem abiuraſse ſcribit à Rege Galliæ compulſum. Huic obiectioni ſatisfecimus in Controuerſia de Beatitudine cap.8.nunc breuiter dicimus quo ad primam partem:Ioannem in eam ſententiam propenſum fuiſse, ſed nihil tamen definijſse. Quod ſi contingeret definire id non fore hæreſim, quia nihil tunc de illa quæſtione definitum erat. Retractauit ille tamen ante mortem priuatam illam opinionem authore Ioanne Villano eius temporis Scriptore idoneo lib. 11.hiſtoriarum cap. 19. quod autem nihil definierit, quamuis de eo ſecum deliberaret, patet ex illa extrauagante Benedicti, quam refert Caſtro lib. 3. contra Hæreſes Verbo *Beatitudo*. Cæterum illud ſecundum:nimirum ſenſiſse eum animas mori cum corpore vſque ad diem iudicij, eſt manifeſta calumnia Caluini, vt ſuum tegeret errorem: nam cum ille ſentiat animas non videre Deum vſque ad diem Iudicij,impoſuit illum errorem Ioanni, vt ſuum tutius defenderet. Iam vero definitum eſt à Concilio Florentino animas iuſtorum, ſtatim poſt mortem frui viſione Dei, ac proinde eſse beatas.

Adrian. Gerſone. Ocham. Eraſmus. Caluinus Ioanne Villano. Caſtro.

CAPVT VIII.

De Ioanne XXIII. & Benedicto XIII. & Eugenio IV. & Innocentio VIII.

Circa Ioannem XXIII. Magna dubitatio eſse videtur: nam in multis locis Conſtantienſis Concilij arguitur hæreſis, & Schiſmatis vt omittam alia pleraque Simoniæ, & Auaritiæ, & prodigalitatis vitia. Loci in quibus arguitur hæreſis ſunt hi in citatione ei facta ſeſs. 7. apud Binium tom. 2. par. 3. pag. 584. *Criminibus*, inquit, *hæreſis,fautoriæ huiuſce præſentis ſchiſmatis*,& iterum hæc verba ibidem repetuntur ſeſs.9. pag. 862. illius receſsus à Concilio dicitur *nefandiſsimi ſchiſmatis nutritiuus, hæreſiſque & ſuſpicionis fidei ſenſitiuus*, ſeſs. 10. pag. 866. Guilielmus Cardinalis S. Marci ſurrexit, dicens, *quod in ſententia continetur, quod idem Ioannes Papa propter hæreſim ſuſpenderetur à Papatu*, ſeſs. 11. p. 898. rurſum de examine ſuper eius hæreſi faciendo mandatur, & in articulis criminalibus Ioannis refertur inter alia publica eſse eum notorium Simoniacum, pertinacem hæreticum, & tandem pag. 875. ſic habetur. *Dixit, & pertinaciter credidit vitam æternam non eſſe, & animam hominis cum corpore humano mori, & extingui ad inſtar animalium brutorum dixitque mortuum, ſemel, in nouiſſimo die minimè reſurrecturum contra articulum de reſurrectione mortuorum*. Concil. Conſt.

Bellarminus duobus modis reſpondet: primo, Ioannem vtcumque errarit, non fuiſse legitimum, & indu- Bellarm.

indubitatum Pontificem, cum eo tẽpore tres Pontifices eſsent. Gregorius XII. antea Angelus Corrarus Venetus. Benedictus XIII. dictus Petrus de Luna Aragonenſis, & hic Ioannes XXIII. dictus Balthaſar Coſſa Neapolitanus, atque adeo non opus eſse illum defendere. Verum hic modus reſpondendi, non placet, quia Ioannes XXIII. quando electus fuit, & quandiu depoſitus non fuit, verus Pontifex extitit. Succeſſit enim Alexandro V. de quo dubitari non poteſt fuiſse legitimum Pontificem. Huic autem ſubrogatus fuit concordi electione Cardinalium vtriuſque obedientiæ Ioannes XXIII. & receptus à tota Eccleſia loco Alexandri V. breui defuncti. Nec ei nocere poſsunt Gregorius XII. & Benedictus XIII. Qui iam erant exauthorati à tempore Alexandri. Præterea ab eodem Ioanne congregatum fuit Sigiſmundo Imperatore procurante Conſtantiẽſe Concilium cuius ipſe bullam conuocationis emiſit, quæ eſt initio Concilij pag. 846. & in eo ſæpe Papa appellatur, & pro legitimo habetur. Nihil autem magis declarat verum eius Pontificatum, quam ipſiuſmet depoſitio. Nam in examine, & in ſententia ſic cum illo agitur, vt appareat legitimam eius electionem fuiſse, & eſse in Eccleſia poteſtatem. Itaque prima ſolutio non ſatisfacit.

Secunda eſt: Ioannem, etſi alijs vitijs abundarit, hæreſeos certè immunem proiſus fuiſse, quamquam enim male audierit, ac eius criminis appellatus fuerit, non eſt tamen contra eum quidquam probatum. Quæ ſolutio veriſſima eſt. Idque probant loca Concilij: nam ſeſs. 9. in exemplo citationis contra ipſum prolatæ, non ipſe hæreticus dicitur: ſed eius receſsus à Concilio contra iuramentum, & ſtatuta, quod occaſionem dedit ſuſpicandi hæreticum eſse hominem, qui contra datam fidem, & Decreta Concilij ab ipſo recedebat, quo videbatur Eccleſiam contemnere. In eodem vero Concil. pag. 866. Accuſatio eius de hæreſi ſuſpenditur in alias ſeſſiones, quia minimè probabatur, & ita affirmauit Guilielmus Cardinalis Sancti Marci, & pag. 867. iterum eius receſsus damnatur hæreſeos, non autem eius perſona. Tandem in ſententia definitiua contra ipſum lata ſeſs. 12. pag. 868. numeratis eius criminibus nulla omninò fit mentio de hæreſi, neque in perſona, neque in receſsu. Ex quo apparet hæreſis crimine caruiſse, ac proinde illa, quæ ei ſunt de mortalitate animæ impoſita meras calumnias eſse, quę ei videntur affictæ, quod ille homo erat corruptis moribus, & auaritiæ, ac libidini deditus, incæſtuoſus cum vxore Fratris, ſtrupator Virginum, & Monialium corruptor: quod patet ex articulis ſeſs. 11. productis: vno verbo negandum Ioannem hæreſeos compertum eſse.

Obiecta Benedicto XIII. quæcumque illa ſint, non curamus, quia hic pſeudo Pontifex fuit, nec id eget probatione cum is Roberto Gebenenſi qui Clem. VII. dictus Antipapæ ſuffectus à factioſis Cardinalibus fuerit: vir tamen ſuperbus vſurpatum ſemel Pontificatum noluit dimittere, & cum ſe derelictum videret ab omnibus in ſuo ſchiſmate inter rupes paruæ inſulæ Peniſculæ, quo ſe receperat ijs obſtinatior vſque ad mortem obduruit; non ille tamen præter hoc Schiſma hæreſi aliqua infectus eſt. Nam quod noluit obedire Concilio, ideo fecit, quia putabat ſe eſse Papam, qui quando verus eſt obedire Conciliũ ei debet, non ipſe Concilio.

Eugenius IV. fuit declaratus Hæreticus à Concilio Baſileenſi ſeſs. 38. & ob id à Pontificatu deiectus, vt conſtat ex ibi lata ſententia, & ex

alia

alia seſſ. 41. & in Epiſtola Synodali ad Epiſtolam Gabrielis, quondam Papæ Eugenij. Sic enim inſcribitur pag. 139. & ſæpè alibi. Reſpondetur hoc Concilium, licet initio legitimum fuerit, & Oecumenicum, tale eſſe deſijſſe paulo poſt, quando Eugenius illud proſcripſit, & legatum ſuum reuocauit, & Ferrariæ aliud legitimum congregauit, quod poſtea Florentiam translatum Florentinum dictum, quare in Concilio Lateranenſi, ſub Leone X. celebrato vocatur Conciliabulum Schiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus authoritatis. Cæpit autem exauthorari ſeſſ. 2. Anno 1437. in hac enim decreuit Concilium eſſe ſupra Papam. Conſtat item teſtimonio

Pius II. Aeneæ Syluij, qui fuit poſtea Pius II. in Bulla retractationis erratum fuiſſe in eo Concilio contra Eugenium IV. cuius erroris in quo ipſe fuit, ſe pænitere teſtatur damnans Acta Concilij contra Eugenium facta, quem magnopere lau-

Nicol.V. dat, & verum fuiſſe Pontificem fatetur. Id etiam Nicolaus V. ſucceſſor Eugenij in ſua Bulla declarat, quæ habetur poſt ſeſſ. 45. Concilij pag. 96. Vbi teſtatur ab ijs, qui ſupererant Patribus in Baſileenſi, & poſtea in Lauſanenſi conuentu congregatis exauthorato Fœlice V. ante Amadæo Duce Sabaudiæ, ſe Nicolaum receptum fuiſſe Pontificem. De ceſſione autem Fœlicis extat celebre carmen.

Lux fulſit Mundo. Ceſſit Fælix Nicolao.

Obſeruo errorem in annis: nam in vita Nicolai V. pag. 732. dicitur ipſe electus pridie Nonas Martias Anni 1447. & in vita Eugenij dicitur mortuus eſſe Eugenius anno 1446. Kalendis Martij, & vacaſſe ſedem duodecim diebus. Vnde neceſſe eſt hoc anno eligi Nicolaum, ſed ſi ſedit annos octo vti creditur, mortuus eſt enim anno 1455. Kalendas Aprilis, non potuit eodem anno ſuccedere Eugenio, ac proinde eſt error in Eugenij annis.

Vltimus, qui accuſatur eſt Innocentius VIII. quia permiſit Noruegijs anno 1490. vt miſſam ſine calice celebrarent, vti narrat Volaterranus lib. 7. Geographiæ, & Onuphrius in Chronico anno 1490. & Genebrardus in Chronico, & alij, quod Claudius Sainctes repetitione decima de Euchariſtia cap. 3. tribuit Innocentio IV. per errorem. Aliqui etiam dicunt ab Alexandro VI. conceſſum priuilegium illud fuiſſe.

Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 14. Reſpondet tria. Bellarm. Primum. *Non edidiſſe Papam ea de re decretum: quo vniuerſæ Eccleſiæ declararet, licere ſine vino ſacrificium offerre. Itaque ſi errauit, erraſſe facto, non dogmate. Secundum eum non permiſiſſe loco vini liquorem alium conſecrari. Tantum conceſſiſſe, vt in altera tantum ſpecie ob extremam neceſſitatem conſecraretur. Tertium mirum eſſe quod ſuo tempore vinum non habuerint, cum hodie habeant, ac ſine eo ne communicare quidem velint.* Quæ omnes ſolutiones videntur ſupponere Pontificem diſpenſare potuiſſe. Et quidem prima non mihi ſatisfacit, quia etſi Innocentius ea de re non ediderit Decretum, tamen in concedenda illa facultate erraret circa doctrinam, ſi ea facultas errorem contineret. Eam quippe vti Pontifex dabat, & dando edocebat rem illam non eſſe de iure diuino: quæ ſi de hoc eſſet, error erat in eo facto diſpenſando inuolutus. Secundum quod ait, non eſſe errorem circa materiam Sacramenti verum eſt, ſed non excluditur alius error,

circa

circa integritatem Sacrificij, quod si natura sua postulat vtramque speciem, non potest in eo Papa dispensare. Itaque prius hoc est examinandum. Nam si ratio sacrificij sine vtraque specie nequit consistere, non potest dispensari à Pontifice. Tertium eamdem difficultatem patitur. Quid enim prodest carere vino ad tollendam necessitatem illius sacrificij, si vinum necessarium prorsus est ad rationem sacrificij? Melior ergo respondit Pater Vasquez dist. 223. de Eucharistia cap. 3. factum tollendo, & historiam negando: eiusque authores esse deceptos: nec enim super ratione, ac institutione Sacrificij, quod vtramque necessario speciem exigit, Pontifex dispensare potest. Probat autem Vasquez necessitatem vtriusque speciei ex Christi institutione adducto loco Tridentini Concilij cap. 1. sess. 21. vbi perspicuè ait Concilium. *Christum Dominum in vltima Cæna Sacramentum illud in vtraque specie instituisse*, & ipsamet differentia, quæ ibi traditur inter institutionem sacrificij, & communionem eiusdem, eam doctrinam confirmat. Ait enim non eadem necessitate sumi debere vtramque speciem, ac consecrari: ex quo deducitur, in Communione locum esse optioni, ita vel ita communicandi, non vero in Consecratione. Quam doctrinam secuti nos sumus in Appendice lib. 4. de Clauib. pag. 316. & 317. cum Suarez, & Lugo Cardinali, & alijs quos citauimus,

Vasquez. Concil. Trident. Suarez. Lugo.

eoque argumento historiam refutauimus. Et quanquam grauis author Henriquez lib. 8. cap. 13. & 44. eam conetur statuere, & defendere, certè non persuadet. Quare negandum prorsus est exemplum. Nec enim apud Noruegos vini vsus, aut tunc aut postea defuit. Aliud enim est regiones aliquas non ferre vinum, aliud eo prorsus carere, cum aliunde importari possit. Alioquin Anglia vino careret, quòd illud non producat, cum ea tamen multis, & nobilissimis vinis abundet. Itaque Cardinalis de Lugo illam historiam commentum esse existimat. lib. 4. de Euchar. c. 3.

Henriqu. Lugo Card.

Ad authores ego certè dicerem, eos fefellisse aliquam facultatem communicandi sub vna tantum specie Noruegis eam postulantibus ab Innocentio ob vini raritatem concessam, eumque morem; tunc fortasse in ijs Regionibus fuisse communicandi sub vtraque specie: à quo cum inualuisset, & in religionem transijsset liberari voluerunt: idque ijs concessisse Innocentium: atque adeo ea occasione deceptos fuisse illos authores sumendo communionem pro consecratione. Quod si cui mea hæc coniectura non placet: non eum cogo ad assentiendum. Video tamen aliquã errandi ansam in ea historia credenda, vel fingenda ijs authoribus datam fuisse. Vt cumque fuerit, ea fabula putanda, si narret in consecratione, sine altera specie vini ab Innocentio dispensatum.

SCHO-

SCHOLA VIII.

DE ECCLESIA CHRISTI

CAPVT PRIMVM

Quid sit Ecclesia, & vbi sit?

GRAECA vox est Ecclesia à verbo Græco *eccaleò*. Euoco. Hinc *euocati* dum in vnum conueniunt; & cætum efficiunt. Ecclesiam formant. Hac ratione dici posset Ecclesia à Calando, quasi *Calesia, à Calo* quod Latinè significat voco. Vnde *Calata comitia* apud Romanos idest *vocata* per classes. Verum cum Latini à Græcis verbum acceperint, ad eos est ethymologia referenda. Animaduertendum vero Ecclesiam nomine absoluto sacrum esse vocabulum & sanctum, & in bonam partem acceptum, atque adeò in sacris litteris pro cætu fidelium vsurpatum. Vno tantum loco
Act 19. excepto Act. 19. vbi de Ethnicorum conuentu dicitur: *Erat enim Ecclesia confusa*. At cum aliquo adiuncto in
Psal.25. vtramuis sumi partem posse. Psal.
Psal.88. 25. *Odiui Ecclesiam malignantium*. Et Psal. 88. *Ecclesia Sanctorum*. Porrò in deteriorem partem rarò, in meliorem frequenter accipitur. Præsertim in nouo Testamento. Ratio est quia in lege Gratiæ Ecclesia fuit à Christo per gratiam instituta, & per Christi Fidem formata: & à Synagoga discreta, quæ legis veteris, & Iudæorum Congregatio erat. Cur autem Ecclesia propria nouæ legis fuerit, Synagoga veteris, cum tamen in vtraque fuerint fideles, qui nonnisi per fidem, & gratiam Christi salutem æternam consequebantur, ea idonea ratio est, quia Hebræorum Congregatio fiebat ex vi potius sanguinis, & gentis, quàm ex vocatione Gratiæ: nam quotusque Iudæus natus erat in Synagoga erat. Aduenæ autem, & externi rarò in eam veniebant: imo alieni putabantur. Hinc illud. *No-* D.Paul.
tus in Iudæa Deus. In Israel magnum nomen eius. At vero Ecclesia Christi omninò erat Gratiæ opus, liberæ, & generalis ad omnes gentes recipiendas instituta, omnium æquè capax, nemine excluso. Ac proinde non in ea nati fideles, sed vocati vndecunque à Deo per Gratiam. Vnde fit vt passim in Epistolis Pauli *Fideles* Christiani *vocati* dicantur. Huc item pertinet quod Synagoga, idest *congregatio*, vox sit communis hominibus, & bestijs, quorum omnium est congregatio, quia populus ille carnalis erat, atque adeo in eo congregando carnis, & sanguinis ratio habebatur: cuius etiam sacerdotia hæreditate, & iure sanguinis veniebant: cum tamen Ecclesia solorũ hominum sit ratione præditorũ, nec ad bestias trahi possit. Vnde apparet ad spiritualem sensum pertinere. Obseruandum item Ecclesiam hominum esse, non Angelorum: non enim in

in litteris Sacris locis inuenitur in quo Ecclesia ad Angelos trahatur. Itaque non illorum propriè est Ecclesia, sed hominum. Et quidem iure: nam cum Ecclesia fuerit à Christo Domino Redemptore instituta, & sanguine suo comparata: Christus autem non sit pro Angelis mortuus, sed pro hominibus, quorum Redemptor, & saluator est iuxta communem Patrum, quæ Sacræ item videtur esse Scripturæ sententiam solos homines comprehendit. Qua ratione constat eam esse visibilem. Ex quo item deducitur alia causa Ethymologiæ Ecclesiæ, nimirum: quod ad illam homines auriti per prædicationem vocentur, ita vt interius per gratiam à Deo, exterius ab hominibus Euangelicis compellentur, & veniant ad Ecclesiam. Igitur de nomine constat.

Definitio huiusmodi est. *Ecclesia est Cætus hominum fidelium in Fide Christi, sub suo capite permanentium.* Dixi *Cætus*, quia singuli homines Ecclesia esse non possunt. *Hominum*, quia nec Angeli pertinent, ad Ecclesiam. Fidelium, quia Fides Christi est forma Ecclesiæ: quæ homines intra Ecclesiam ponit sub *suo Capite*. Nam Ecclesia iustum est corpus constans membris, & capite idoneo ad constitutionem illius: debet autem corpus esse visibile, & caput item visibile. Quemadmodum, & proximè significauimus, & paulo post dicemus.

Vvicleff. Caluini. Ioannes Hus. Pelag. Donatist. Hæc definitio excludit hæresim Vvicleffi, & Ioannis Hus, & Ioannis Caluini restringentium Ecclesiam ad solos Prædestinatos, & Pelagianorum ad iustos dumtaxat, & Donatistarum eam ad omnes iustos, & certos quosdam Peccatores minus sceleratos reuocantium: quibus cum ex parte sentiunt hodie Hæretici Confessionistæ, qui homines Peccatores ab Ecclesia excludunt: qua ratione necesse est vt nemo sit in Ecclesia: nam cum ij doceant omnes homines esse vitiatos ex corruptione Peccati Originalis, & nullum esse veniale peccatum, sequitur omnes homines etiam Fideles iustos non esse, ac proinde ab Ecclesia exterminari. Quare non minus errant nuperi Hæretici, quam antiqui excludendo peccatores: sed multo magis desipiunt in consequentia deducenda. Nam antiqui, nempe Pelagiani aliquos homines omnino iustos, & sine Peccato admittebant, & Donatistæ non omnes Peccatores ab Ecclesia excludebant, teste Augustino de vtrisque, & Cypriano de Donatistis, quemadmodum scribit ille lib. de hæres. cap. 88. & cap. 69. & lib. 3. contra Parmenian. 3. cap. 2. & hic lib. 4. Epist. 2. ac proinde Ecclesiam non tollebant. August. Cyprian.

(Confessionistæ, in the margin beside "Confessionistæ" above.)

Illud constat ea definitione manifestè Infideles non baptizatos excludi, cum Fide prorsus careant. An vero Catechumeni, & Hæretici, & Schismatici, ac excommunicati, & quatenus reijciantur? suo postea loco, cum de notis Ecclesia egerimus, dicemus.

Quod attinet ad aliam tituli partem. *Vbi sit Ecclesia*? Breuiter respondemus. Ecclesiam apud Catholicos esse, idest eos, qui Romanam, & Apostolicam doctrinam sequuntur, & agnoscunt; & Papam Vicarium Christi successorem Petri, eumque pro suo, & totius Corporis Ecclesiæ capite habent: ex hoc enim quæ sunt membra cognoscitur. De loco autem in quo sit Ecclesia ad notam tertiam, quæ est Catholica, tractabimus. Illud statuimus, qui extra hanc Ecclesiam sit, eum saluum esse non posse. De quo postea sermo redibit.

Nn CA-

CAPVT II.

Vtrum Ecclesia sit visibilis? Errores de eo, & obiectiones Hæreticorum.

DE militante Ecclesia instituitur quæstio. Varia sunt de ea Hæreticorum iudicia. Lutherus. Lutherus lib. de seruo arbitr. ait Ecclesiam non esse istam, quam videmus, & audimus Romanam, & Catholicam Papa, & Cardinalibus, & Episcopis, Clericis, & Monachisque, & Laicis constantem: sed pium quendam iustorum cætum vni cognitum Deo. In libro contra Catharin. scribit. *Ecclesiam spiritualem, & sola Fide perceptibilem.* Idem tradit lib. de abroganda Missa priuata par. 1. Magdeb. Magdeburgensium eadem fermè sententia est. Ad solos enim pios redigunt Ecclesiam. Ita cent. 1. lib. 1. cap. Melanct. 4. Philippus Melancthon in Examine Ordinand. titulo de Ecclesia concedit *Eam esse visibilem*. In locis loco 12. negat esse visibilem cum Luthero, & ad paucos illuminatos, & electos à Deo reducit. Cuius posterioris author est Brentius sententiæ in Confess. Vvitemberg. & in Prologeminis reprehendit Sotum quod sentiat Ecclesiam videri oculis, & monstrari digito posse. Caluini. Caluini incerta est, & anceps opinio lib. 4. instit. cap. 1. §. 2. visibilem ponit Ecclesiam. Sed §. 6. eamdem oculis subtrahit, & ait esse *nobis inuisibilem, Deo conspicuam*, inculcat §. 3. & in præfat. Instit. vbi ait. *Fremunt*, inquit, *nisi Ecclesia digito semper ostendatur.*

Argumenta eorum sunt. Primum. Ecclesiam esse, est de Fide. Sed Fides est inuisibilis, ergo & Ecclesia inuisibilis. Ineptè quidem. Vti si diceremus: Fama est fuisse Caluinum, sed fama, est vox frequens, & auditu perceptibilis, ergo & Caluinus est vox, quæ auditu percipitur. Rursum: libri nos docent fuisse Lutherum, sed libri sunt Chartacei, ergo Lutherus est Chartaceus. Verum arguo in re Sacra. Habuisse Canem Tobiam est de Fide: sed Fides est inuisibilis: ergo & Canis Tobiæ erat inuisibilis. Idem esto argumentum de Asinis Saulis, & de Mulo Absalonis. Ita Hæretici argumentantur. Aliud sanè est Fides, qua rem esse credo, aliud rem quam credo esse: quemadmodum aliud est oculis rem videre, aliud res quæ oculis videtur. Fide credimus multa inuisibilia, vti sunt Deus, & Angeli, & Animæ, & Gratia, & virtutes, & dona Spiritus Sancti, & multa visibilia, vti sunt Prophetæ, & Apostoli, & quæ in libris historiarum Sacræ Scripturæ continentur. Alioqui si quæ credimus Fide inuisibilia sunt, nihil corporeum credimus, atque adeo neque in Christum credimus, de quo dicitur: *In terris visus est*. Vide sis subtilitatem Brentij cum Soto expostulantis, quod docuit Ecclesiam esse visibilem: Brentius. *Vide*, inquit, *quod faciat Ecclesiam visibilem, & sensibus corporeis perspectam: Delendus igitur erit articulus Symboli Apostolorum Credo Ecclesiam Sanctam Catholicam, & reponendus. Video, & sentio Ecclesiam Sanctam Catholicam*. Papæ Bellum dialecticum. Perinde est credere, ac videre & sentire. Credebat ne in Christum Brentius, necne? Non negaret? Ego puto non credidisse. Non enim Fidem habent Hæretici. Sed accipio quod dat. Igitur credebat, & sentiebat Christum cum in eum credebat. Nam Christus haud dubiè homo est. Non videtur, nec sentitur Ecclesia, cum creditur; nec Fides mutat naturam rerum, quæ creduntur, nec illæ in Fidem mutantur. Fides est actus intellectus, quo rem extra positam credo. Quis ergo Fides transit in rem

rem, & res in Fidem? Ego intelligo lapidem. An cum intelligo tango lapidem? Eadem est argumentandi ratio. Si ex eo quod res creditur per fidem, fit inuisibilis, etiam ex eo, quod res intelligitur, fiet inuisibilis? Nihil ergo erit sensibile respectu intelligentis, sicut nihil est sensibile respectu credentis. At dicet Brentius cum ijs, qui sic argumentantur. Fidem esse obscuram, & non posse rem visibilem. At vero scientiam esse euidentem, & posse facere rem visibilem facere. Acutè sanè. Igitur ex actu Fidei mei intellectus transit obscuritas in rem quam credo: & ex actu mei intellectus transit euidentia in rem quam scio. Plane. At non vident obscuritatem, & euidentiam manere intra intellectum, cuius actus sunt immanentes inuariata re quæ existit immota, & immutata, terminando cognitionem in qua est iuxta rationes motiui, vel obscuritas, vel euidentia. Premo amplius. Hac ratione argumentandi: Non solus Deus est inuisibilis. Quod Fides nos docet. *Soli Deo immortali, & inuisibili*. Sed quicquid cognoscitur, & videtur est inuisibile cum in eas transeat conditio Fidei, & cognitionis, quæ sunt inuisibiles. Mira certè vis accidentiam, quæ mutant voce naturas! Puto enim Fidem, & scientiam, & opinionem esse accidentia, & tamen nō mutant res, & substantias. Vrgeo tamdem. Si quod scientia est euidens facit res visibiles, & quod Fides est obscura reddit inuisibiles, sequitur opiniones, & errores, qui non sunt euidentes, sicut scientiæ, efficere res de quibus opinamur, & in quibus erramus, omnino vti Fides inuisibiles. Igitur quæcumque cadunt sub opinionem, vel errorem, eorum nihil & videri, & sentiri potest. Quod si admittant hæretici isti belli argumentatores tollent de mundo omnia pene visibilia. Nam scientiam de paucissimis rebus habemus. Pudeat eos suæ argumentationis.

Secundum argumentum esto. Ecclesia est formata per Fidem, quemadmodum nos Catholici affirmamus. Sed Fides est inuisibilis, ergo Ecclesia est inuisibilis. Putidè sanè, & futiliter. Accipe. Lutherus, & Caluinus, & Brentius, adde Melancthonem, & Zuinglium, & Bezam, habuerunt animam rationalem. Sed anima rationalis est spiritualis, & inuisibilis; ergo hi omnes erant inuisibiles Argumentum constat. Nisi tu dubites de maiori. Nam posset quispiam dubitare: An ij animam habuerint? quod Epicuri de grege eos esse putasset, & An ijs anima pro sale esset data? Aut eorum ipsorum opinione ambigeret: An essent animæ immortales, & spirituales? & minorem, non admitteret cum Atheis Caluinianis; nonnullis, & pluribus Lutheranis. Tunc enim non curreret argumentum. At admisso eos homines, & anima spirituali præditos, vti sanè fuerunt, fuisse, colligit consequentia. Ex vi formæ hæreticæ argumentationis. Nam in quibus pars erat, & forma inuisibilis, erant ex integro inuisibiles. Quod si non audent concedere, neque concedere audebunt Ecclesiam; quod formam habeat tamquam animam fidem, idcirco totam, & ex omni parte esse inuisibilem. Non tota ergo Ecclesia Fides est. Sed forma eius est Fides. Cæterum componitur ex hominibus, Papa, Cardinalibus, Episcopis, Clericis, Monachis, Laicis, qui corpore constant, & corpus Ecclesiæ componunt, & vident, & videntur, & loquuntur, & audiunt, & sentiunt. Prædicant, & instituuntur. Concilia celebrant, Sacramenta conficiunt, & ministrant & recipiunt. Imo & ipsa Sacramenta constant materia sensibili, &

Nn 2 for-

forma sensibili, vt gratia, quæ per ea inuisibiliter confertur à signis sensibilibus separari non possit, vt vnum quodque sit inuisibilis Gratiæ visibilis forma.

Tertio obijciunt,& aliquanto melius. Quod Fide creditur, non est visibile. Sed Ecclesia creditur, ergo ea non est visibilis. Respondemus in hoc argumento inesse Sophisma: quod prorsus distinctione tollitur. Hac ratione. In re credita interuenit id quod est materiale, & id quod est formale. Nempe res obiecta, quæ existit, & videtur, & veritas de ea affirmata authoritate Diuina. Hoc secundum: nempe id quod creditur est inuisibile, & obscurum: non autem illud primum, quod terminat vltimò istum assensum Fidei, & non cadit sub Fidem. Applicemus distinctionem alijs exemplis, & obiectis rerum. In Christo Domino apparebat humanitas, & videbatur oculis, & tangebatur manibus; hoc non erat obiectum de Fide, sed aliud in ipso met obiecto inclusum, idest diuinitas vnio, & hypostatica ad Verbum, quod erat obiectum formale Fidei, & inuisibile: idque credebatur ob authoritatem diuinam. In Sacramento Eucharistiæ sunt species visibiles, & sensibiles,& est substantia corporis Christi, non creduntur illæ, ista creditur, quæ non est in eo Sacramento sensibilis. In Sacris Biblijs cernimus Chartam, & Characteres: non cernimus veritates contentas, ergo hæ sunt obiecta Fidei, non Characteres, & Charta. Ita in Ecclesia est illud corpus visibile hominum sacrorum, & Laicorum Fidelium: & est ratio Ecclesiæ sponsæ Christi vnita cum eo per Fidem: ille cætus non creditur, quia videtur: hæc vnio creditur, quia non videtur, & nititur authoritate Diuina. Instabis. Ipsummet esse visibile Ecclesiæ affirmari à nobis esse de Fide. Fatemur enim ipsammet Ecclesiam vnitam cum Christo esse istam, quæ videtur, constantem Fidelibus: duo enim credi iubemur, vnum vnionem cum Christo, alterum subiectum vnionis, quæ est ipsamet Ecclesia visibilis, de qua vidimus esse vnitam cum Christo.

Itaque duo sunt actus Fidei vnus, qui cadit supra hanc Ecclesiā de qua credimus esse vnitam Christo, & hæc Ecclesia est materialis, & visibilis: alius, qui cadit supra vnionem cum Christo, quæ est spiritualis, & inuisibilis. Respondeo: Id quod cerno in Ecclesia meis oculis non esse præcisè secundum se obiectum formale Fidei, nam is est cœtus hominum congregatorum: qui videtur oculis, & est similis alijs cœtibus congregatis in comitijs, & conuentibus non sacris, vnde est aliquid humanum, & sensibile: atque adeo præcisè non est adhuc Ecclesia: sed subiectum Ecclesiæ spiritualis, & inuisibilis, qua ratio accedit tanquam corpori forma. At vero forma ista, quæ dicitur Ecclesiæ, trahit secum vnionem illorum corporum per Fidem spiritualem, & inuisibilem, quæ coniungit, & perficit illas partes forma spirituali inducta. Hac ratione cadit illa Ecclesia sub Fidem: nam credo illud corpus ita compositum ex membris materialibus, & visibilibus esse Fide coniunctum, & perfectum: quæ ratio est omnino inuisibilis, & spiritualis. Vt compendio dicam. Ecclesia secum trahit formam inuisibilem Fidei, ceu Homo animam. Quare sicut Homo, non est solum corpus visibile, sed includit in se animam inuisibilem, ratione cuius habet formam in se inuisibilem; ita Ecclesia instar Hominis est compositum ex cætu visibili, & ex Fide inuisibili. Quemadmodum autem nihil obest anima, quin Homo dicatur visibilis ratione compartis, idest corporis,

imo simpliciter visibilis dicitur: non minus Ecclesia, quamuis componatur ex Fide inuisibili, & conuentu hominum visibili, propriè, & absolutè visibilis appellatur.

Lutherus. Caluinus. Quartò arguit Lutherus, & Caluinus, & gregales. Ecclesia defecit à Fide, & omnino perijt; ergo tunc desijt esse, & consequenter non apparuit. Assumptum probare conantur nonnullis exemplis, quæ nos superius in Schola de Iudice cōtrouersiarum adduximus, & postea adducemus, tractatu de infallibilitate Ecclesiæ. Sed nos & ea, & assumptum prorsus negamus: Vnde ruit argumentum. Quod noluit ferre Erasmus Rotherodamus, proponente illud sibi Luthero, quod adynaton iudicauit perire omnino Ecclesiam: ac ob id Luthero succensuit. Verum volo dare his Hæreticis, quod absurdissimum est assumptum: eodem eos telo retorto ferio, & conficio. Si ex eo quod esse desijt Ecclesia, & funditus perijt, desijt esse visibilis, signum est eam esse visibilem; dum est & manet. Patet quia vt probent Hæretici Ecclesiam non esse visibilem, assumunt eam non semper fuisse visibilem, cum per multum tempus perierit. Ergo tam est visibilis, vt necesse sit, non esse, vt non sit visibilis. Itaque ex eo non fuit visibilis quia non fuit.

Erasmus.

His sophismatis agunt aduersarij, quæ nullius momenti sunt. Adiungunt nonnullos Scripturę locos. Primus sit ex Psalm. 44. *Omnis gloria eius Filiæ regis ab intus*. Hic rem non continet.: cum tantum laudet virtutem intrinsecam, quæ gratia, & donis animæ continetur: quæ pars est præcipua, & forma Ecclesiæ, non excludens corpus externum. Imo ex eo quod dicat *ab intus* significatur, in ea esse quiddam exterius: qui enim dicit, intus, innuit illud alio externo quodam vasculo, vel receptaculo includi. Secundus cap. 3. Hierem. *Dabo legem meam in cordibus eorum*. Ibi lex occultatur, nec videtur. Et hic ineptus est ad rem probandam: lex quippe non est Ecclesia: sed fertur, & promulgatur in Ecclesia: præterea qui corda habent viuunt, & habent pectora, sedes cordium, & reliqua membra, atque adeo homines sunt visibiles. Tertius habetur Ioan. 4. *Spiritus est Deus, & qui adorant eum in Spiritu, & veritate oportet adorare*. Non capio istud argumentum: nam si vis est in eo, *quod Spiritus sit Deus*. Tollantur omnia corpora: & sint soli Angeli, & Animæ rationales. Quo quid ineptius? Si autem *ex Adoratione in spiritu, & veritate*, deducunt, non esse Ecclesiam visibilem, male deducunt: cū ex eo potius sequatur, eos qui adorant habere corpora, quibus adorare Deum exterius possent: vnde opus fuit moneri eos, vt in adorando spiritus rationem haberent, & veritatis, non corporis, & hypocrisis. Si enim solo Spiritu constarent adoratores, non erat opus ea animaduersione. Quartum adducunt ex Luc. 17. *Regnum Dei intra vos est*. Et hoc maximè nituntur. Sed hic non minus est futilis. *Nam Regnum Dei*, ibi non significat Ecclesiam, de qua loquimur. Sed iustitiam, & gratiam, & meritum ad gloriam. Dato autem significari Ecclesiam, nihil euincitur: nam quæ est illa demum Ecclesia, quæ intra nos est, vt singuli eam capiamus? Cū nos omnes in ea simus. Patres omnes, omnes Theologi, omnes docti, tum Orthodoxi, tum Heterodoxi disputando, inquirendo, respondendo vtuntur hoc modo loquendi. An & qui in Ecclesia sint? Aiunt nos in Ecclesia esse: non vero; quærunt. An Ecclesia sit in nobis? nec aiunt Ecclesiam esse in nobis. Quomodo ergo contradicunt modo loquendi Scripturæ: dicentes *Ecclesiam capi à nobis, & esse in nobis, &* in-

Psal. 44. Hier. 31. Ioan. 4. Luc. 17.

intra nos? Non loquitur igitur Christus de Ecclesia: intra quam, & in qua sumus. En quo recidunt argumenta hæreticorum? Certè me pudet interdum cum ijs argumentari. Tam putidè proponunt sua, tam ineptè soluunt nostra argumenta.

CAPVT III.

Ecclesia visibilis esse multis argumentis monstratur.

NIhil tam perspicuum, tamque manifestum, & in Scripturis, & in Patribus, nihil argumentis, & rationibus testatius. Sed hæreticis omnia susdeque sunt. Ex obscuris clara. Ex claris obscura fiunt: pro arbitratu fingunt sibi quæcumque certa, & incerta esse volunt. Scripturas paere, & lucere ex integro aiunt. Traditiones tollunt. Veritates patentes negant, & fumo inuoluunt. Esse visibilem Ecclesiam, vel cæci vident. Quid enim est illa, nisi corpus Fidelium congregatum, hominum videlicet cum suo Capite homine item copulatorum? At illi nolunt eam esse Ecclesiam, sed Chimeram faciunt. Sola vniuersalia Concilia eos abundè refellunt. Si ea admittunt, certè Ecclesia vniuersalis erat, vnita constans ex Episcopis, & Papa, vel per se, vel per Legatos, & vice sui homines, præsidente. Verum & multi negant cum Luthero Concilia, quidam nolunt ex Episcopis, & Papa fieri Ecclesiam, quòd volunt admitti omnes, tum laicos, tum fœminas, quasi ad connubia, non ad Concilia veniant. Omnes Papam Præsidem negant: atque vel totam Ecclesiam auferent, vt Papam, quem Cane peius, & augue oderunt è medio tollant. Quid his hominibus faciamus? Sed quoniam testimonijs Scripturæ moueri se dicunt. Afferamus quæ impellant. Numer. 20. Num. 20.
Sic: *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem*? Quam Ecclesiam, nisi Cætum Iudæorum? lib. 3. Reg. 8. *Benedixit omni Ecclesiæ Israel. Omnis enim Ecclesia Israel stabat*. Vbi obseruo non poni Synagogam, sed Ecclesiam, cum dicitur de populo visibili. Nam Synagoga interdum accommodatur rebus inuisibilibus, vti cum dicitur. *Deus stetit in Synagoga Deorum. Qua voce Deorum* possunt venire Angeli, & quæ non videntur creaturæ. Venio ad locos noui testamenti, quorum tanta vis est, vt numerus iniri ægrè possit. Demus perspicuos. Ille Matth. 17. patet: *Dic Ecclesiæ*. Ergo audit Ecclesia, & sentit. Additur. *Si Ecclesiam non audierit*. Ergo loquitur Ecclesia: quod si loquitur, os, & caput habet, & auditur. Non igitur est insensibilis, nec inuisibilis. Actorum 15. *Hi quidem deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicem*. Homines erant, qui deducebantur, & deducebant. *Et ab Ecclesia suscepti sunt*, vti mox dicitur. Et cap. 18. *Ascendit Paulus, & salutauit Ecclesiam*. Salutabat, quam videbat, & illa salutantem videbat, & audiebat. Et cap. 20. *Attendite vobis, & vniuerso Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Grex cernitur, & cernit. Episcopi homines sunt, & homines ex quibus constat Ecclesia, regunt. Cum his Paulus loquebatur, cum dicebat. *Obedite Præpositis vestris*.

3. Reg 8. Matt. 17. Actor. 15. 18. 20.

Hæc testimonia perspicua sunt, & Ecclesiam nominatim ponunt. Sunt alia *Figurata*, quæ rem continent. Psalm. 18. dicit Dauid. *In Sole posuit tabernaculum suum*. Quod Augustinus exponit. *In manifestatione posuit Ecclesiam suam*, tract. 6. in Epistol. Ioann. & Epistol. 166. ad Donatistas. *Ipsa est Ecclesia in Sole posita, idest, in manifestatione omnibus nota vsque ad terminos terræ*.

Psal. 18. August.

re. Eadem Ecclesia comparatur monti magno, & edito Isaiæ 2. Danielis 2. Michææ 4. Interprete Hieronymo. Iam vero illud Christi: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita; neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum*, de Ecclesia intelligunt multi Patres. Ex quibus ita Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 16. *Non est*, inquit, *operta Ecclesia, quia non est sub modio, sed super candelabrum. Et de illa dictum est. Non potest ciuitas abscondi super montem posita*. Et vertit se ad Donatistas, & nos cum eo ad Caluinistas, & Lutheranos, perinde est enim, his verbis. *Sed Donatistis velut operta est, qui audiunt tam lucida, & manifesta, quæ illam toto orbe demonstrant, & malunt clausis oculis offendere in montem, quam in eum ascendere*. Et Epist. 170. ad Seuerinum. *Facile*, inquit, *tibi est attendere, & videre veritatem supra montem constitutam*. At Hæretici toto monte, ac cælo aberrant, & huic Lucernæ modium imponunt. Inuisibilem dicunt, quia cæci sunt. Qui enim Cæcis aliquid appareat? Omnia putant inuisibilia, quia nihil videre possunt. Christus mille modis voluit significare Ecclesiam suam esse visibilem, & ij omnibus eam modis abscondunt, ne videatur. Ille super Petram ædificatam dixit: vt extaret, & fundamentum, & ædificium visibile. Illi Petram conantur deijcere: Ille Ecclesiam sagenæ comparauit, quæ videtur, & ab hominibus oculatis iacitur: ij eam demergunt, ne appareat. Ille contulit conuiuio nuptiali in quo edunt conuiuæ vestibus idoneis induti. Illi ex conuiuio noctem, & ex conuiuis vmbras fecerunt. Ille ouili assimilauit, vbi vbi sunt oues, & Pastor, qui ijs præest, easque vocat, & ab ijs auditur, illi Lupos agunt, & oues abigunt, & lacerant, ne sint. Ille decem virginibus similem Ecclesiam dixit, quæ lampades ardentes portabant. Illi extinguunt lampades, ne Virgines videantur. Sane Ecclesiæ Sacramenta, Sacramentalia, Ceremoniæ, visibiles sunt. Ipsemet aditus, quo in Ecclesiam intramus visibilis est videlicet Baptismus quo tingimur, & lauamur. Christus sponsus Ecclesiæ, Deus est, & Homo, qui in terris visus est, ideo vt Ecclesiam ex hominibus componeret: Nam si inuisibilem vellet, non incarnaret, & cum Angelis suis maneret. Spiritus Sanctus, vt Ecclesiam, & doceret, & sanctificaret speciem assumpsit visibilem, tum Columbæ in Iordane, tum ignearum linguarum in Cœnaculo. Deus, qui natura est Spiritus, se corpori accommodauit, vt visibilis ipse Ecclesiam visibilem efficeret. Hæretici cum corpore constent, & anima, & sint visibiles, Ecclesiam similem Spiritui volunt reddere, & facere Ecclesiam inuisibilem. Nihil est in Scripturis frequentius nihil manifestius. Cur igitur non credunt Scripturis affirmantibus Ecclesiam? Recte Augustinus Epistol. 166. ad Donatistas. *In Scripturis*, inquit, *didicimus Christum. In Scripturis didicimus Ecclesiam. Ibi nouimus Christum ibi nouimus Ecclesiam: Si Christum ipsum tenetis: ipsam Ecclesiam quare non tenetis? Si in ipsum Christum quem legitis, & non videtis* (nempe post Ascensionem) *tamen propter Scripturarum veritatem creditis, quare Ecclesiam negatis, quã & legitis, & videtis?* Quid hic hæretici, non audiunt ista, quod non vident Ecclesiam, nec sunt in Ecclesia, in qua ista dixit, & scripsit Augustinus.

Hieron. Aug. August. (marginalia)

CA-

CAPVT IV.

De prima nota Ecclesiæ, quæ est vnitas.

ILlud non impiè modo, sed etiam præposterè fecerunt hæretici vt Ecclesiam, quæ vna Christi sponsa est dum in varias sectas abeunt discerpere, & lacerare perrexerint. Quicumque enim condiderunt sectas, eam ad se trahere voluerunt, & ad genium accommodare suum quo factum est, vt dum ad se quisque trahere vult Ecclesiam, scindat eã, & nullam habeat. Vnam quippe qui negat, totam Ecclesiam tollit. Quare diuinitus in Symbolo fidei appositus fuit articulus de Ecclesia. *Et vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*, vbi tamquã capitale ponit, vnam, à qua cætera sumantur, & pendeant.

Vna enim Ecclesia si probetur, veram prorsus esse constabit. Duobus autem esse potest altero si secum ita cohæreat, vt in plures secta non sit, altero si ab alijs sit diuersa. Rem declaro exemplo logico. Vnitas formalis naturæ communis reddit naturam in se vnam, & indiuisam in plures, & diuisam ab alijs naturis. Ita natura humana est vna secum, & indiuisa, & ab alijs naturis animalis diuisa, & distincta. Illa prima vnio. Hæc secunda vnitas aptè dicetur. Hæc secunda sequitur ex prima; nam ex eo, quod natura sit humana, & vna secum, alia diuersa, & distincta esse non potest. Quare absurdè Hæretici nostri temporis multas simul admittunt Ecclesias, quia putant in alijs saluari posse, solentque nos irridere, & reprehendere: quod affirmamus in nostra sola Ecclesia Romana, & Catholica æternæ salutis locum esse, & negamus extra illam quemquam saluari. Certè non magis extra Ecclesiam salus æterna, quàm extra Arcam Noe temporalis esse potuit. Primùm de vnione Ecclesiæ secum, & intra se agendum. Hæc stabit si vnum corpus, & vnum caput sit. Corpus fidelium, caput Papa. Hanc vnionem tollunt Hæretici, dum Papam negant: at negando conuincuntur. Nam eo ipso quod Schismata faciunt extra Ecclesiam sunt. Certè Tertullianus Optatus, & Augustinus ex Summis Pontificibus, quos ad suum singuli tempus enumerant, vnionem, & veritatem Ecclesię deduxerunt, quemadmodum & alias ante diximus, & postea dicemus. *Tertull. Optatus. August.*

Alter error est subtilior. Nempe duo esse Ecclesiæ capita: perinde enim est multiplicare capita, & vnitatem tollere. Quare Nouatores, qui omnino caput auferunt, crassiores, & obtusiores sunt, dum odio in Papam Romanum, nullum Papam esse volunt. Hi autem acutiores, & subtiliores sunt, ponendo duo capita; hac enim arte tacitè vnionem Ecclesiæ subruunt, & euertunt: cum admissis duobus capitibus monstrum Ecclesia sit, atque adeo nulla sit omnino, quæ vna est, & formosa sponsa Christi. Præterea adiecto alio capite non repugnaret addere plura, & Hydram efficere, & belluam Lærnæam, vel Bestiam Apocalypticam inuehere, quod hęretici Ecclesiæ nostræ falso imponunt cum ista Bellua in eorum Ecclesias quadret.

Author huius erroris fuit Marcus Antonius de Dominis, & Anonymus quidam Gallus, qui affirmarunt Petrum, & Paulum simul, & æquè Romanæ Ecclesiæ capita fuisse. Quem errorem latè refutauimus lib. 1. de Clauibus. Nunc sola traditione refutamus, quæ nullam aliam agnoscit Romanam Cathedram, nisi solius Petri, idque illius *Marcus Ant. de Dominis Anonym*

festum

festum quot annis celebratum confirmat. Imo & ipsa Cathedra vel muta clamat vnam se esse, & vnius tantum Sedem fuisse: nimirum Petri: & hæc de prima vnitate.

CAPVT V.

De Vnitate Ecclesiæ in ratione corporis mystici.

QVoniam de capite sæpè, & latè diximus, cùm de Papa egimus, de ipso Ecclesiæ corpore opus est dicere. Corpus Christi dici Ecclesiam constat. Similem corpori Christi ex cuius latere emanauit. Obseruandum primo Christum noluisse Ecclesiam assimulari sibi, vti erat compositum ex duabus naturis, & vna Persona, nec sibi viuo, vti constabat anima rationali, & corpore, & vti erat homo, & varias actiones animalis viuentis exercebat, sed corpori suo mortuo, vt Ecclesiæ suę vnitatem melius ostenderet. Nam Christus, vti compositum, erat Deus, & homo, atque adeo non vnius naturæ; vti homo viuus habebat duas partes animam, & corpus, & exercebat multas actiones diuersas animæ vegetantis, sentientis, & rationalis, ac proinde non tam erat vnus, quam corpus, vti mortuum per se sumptũ. Et quanquã illud cadauer non esset sola materia sine forma, tamen cum ea forma non esset viuens non videbatur tollere vnitatem, nec enim in corpore mortuo forma cadaueris attenditur, sed anima desideratur, & insensibilitas omne genus actionum tollit; vbi item est considerãdum Ecclesiam non fuisse ortam ex oculis, vel ex manibus, vel ex pedibus Christi, sed ex corde pectore per vulnus aperto, quia oculi, manus, & pedes sunt plures, Cor autem vnum tantum est, & vnitatem Ecclesiæ significat. Omnium vero fermè PP. doctrina est (inter quos Augustinus præcipuus) Ecclesiam ex latere Christi aperto cum aqua, & sanguine effluxisse.

Obseruandum secundò, sicut Petrus vnus est Princeps Ecclesiæ, ita & vnitatem Ecclesiæ cum Romana eius Ecclesia, & sede ita cohærere, vt ex vnione cum illa Catholicæ Ecclesiæ vnitas spectetur. Omnes quippe particulares Ecclesiæ ad hãc Romanam respiciunt, & cum ea ita cohærent, vt in vnum corpus coalescant. Vnde Ecclesia Romana, & Catholica perinde sunt. Hæc est communis PP. doctrina ex quibus sic Irenæus lib. 3. cap. 3. *Ad Romanam*, inquit, *Ecclesiam propter principaliorem potestatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam*, *idest omnes alias Ecclesias particulares per orbem dispersas*, & Cyprianus lib. 1. Epist. 3 *Ad hanc nauigare, & ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est à Schismaticis, & prophanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos ad quos perfidia habere non possit accessum*, & lib. 4. Epist. 8. loquens de Romana Cathedra *Scimus*, ait *hortatos nos esse vt Ecclesiæ Catholicæ matricem, & radicem agnoscerent*, & Ambros. de obitu Satyri fratris rogabat. *Si cum Episcopis Catholicis*, idem Romana Ecclesia *sentiret*, & Hieronymus Epist. ad Damas. *Ego Beatitudini tuæ, idest Cathedræ communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio*; & altera Epistola ad eumdem quæ inscribitur de hypostasi. *Ego clamito: Si quis Cathedræ Petri iungitur: meus est*. Tandem S. Augustinus Epistol. 162. De Cæciliano Episcopo loquens, *qui posset*, inquit, *non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, per com-*

Irenæus. Cyprian. Ambros. Hieron. August.

municatorias litteras esse coniunctum. Authoritatem PP. ipsa ab initio Ecclesiæ experientia ducta confirmat. Videmus enim omnes PP. omnes Patriarchas, dum Ecclesiæ Patriarchales steterunt, & omnes alias particulares Ecclesias cum Pontifice, & Ecclesia Romana semper fuisse copulatas. Hoc autem apparet ex ipsismet concilijs vniuersalibus, & particularibus recensitis. Nullum quippe Generale fuit, in quo nõ fuerit vel Legatus Romani Pontificis, vel ipse Romanus Pontifex. Quod si in aliquo defuit, vti fortè accidit in Constantinopolitano primo, illud certè statim cum Romano Pontifice coaluit medio Romano Concilio à Damaso celebrato, & professione fidei missa ad illud Concilium pro instructione PP. qui conuenerant Constantinopoli.

Primum huius veritatis argumẽtum sunt ipsimet Hæretici, & Schismatici, qui cum essent acuti, & sagaces, vt se tegerent, & alios fallerent ad Romanum Pontificem prouocabant, vt eo prætextu vsi se & doctrinam Catholicos esse monstrarent. Ita fecerunt Pelagius, & Cælestius hostes gratiæ, qui cum damnati essent à Concilio Palestino & alijs Africanis ad Innocentium Pontificem, & Zozimum appellarunt. Idem fecit Iulianus eorum discipulus, qui & Bonifacium Romanum Pontificem appellauit. Nestorius ad Cælestinum litteras misit, vt suam hæresim excusaret. Eutyches Leonis Magni Papæ patrocinium quæsiuit, vt se à damnatione liberaret. Sergius Monothelita Honorio Pontifici doctrinam suam exposuit, & alij Hæretici id conati sunt facere, & Schismatici, vt Pontificibus Romanis adhærere viderentur, & ea specie Catholicos se venditarent.

Pelagius. Cælestin. Nestor. Eutych. Sergius.

Secundum argumentum petitur ex firma vnione Ecclesiæ cum suo capite, cum tamen hæresis semper schismata fecerit; quod proprium hæreticorum sit, concordiam, & vnitatem dissoluere. Hinc est quod Christus non permisit ossa corporis sui frangi, nec vestem suam inconsutilem diuidi, quia tum illud corpus, tum hæc vestis fidem, & Ecclesiam suam significabant. Vnde Arius scindere vestem Christi visus fuit, vt per illam scissuram aditum ad hæresim faceret: quam in rem dixit Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 4. *Diabolum tentasse schismate, & dissensionibus Ecclesiam diuidere inductis placitis, sectisque contrarijs more scholarum dissentientium Philosophorum, vt Ecclesiæ vnitatem hac arte labefactaret. Est enim vera euangelica illa sententia: Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur*. Quare semper in Ecclesia seminauit hæreses inter schismata, quod videret zizania in hæreses pullulare. Animaduertit autem Augustinus lib. de Pastoribus cap. 8. *Ecclesiam esse vbique, & hæresim esse vbique*, cum eo tantum discrimine, quod Ecclesia est vna vbique vnione doctrinæ & fidei, & hæresis multiplex, & in varios errores diuisa. Quomodo enim Hydra desinet esse bellua multorum capitum, si cum ijs nata est?

August. Idem

Tertium argumentum sit: vnitatem Ecclesiæ declarat illud, quod eius statum, nec diuersa tempora vno in loco, nec diuersi loci in vno tempore Ecclesię cursum, ordinemque mutarunt. Sexdecim, & amplius sæcula numerantur ab initio Ecclesiæ Romanæ, & vti primum incepit ad hæc vsque tempora immobilis perseuerat: nam vna & eadem, & firma petra est. Obseruo autem Christum sedem, & Cathedram Petri petræ fundamentali comparasse, non ædificio, quia ędificium sæpe mutatur, & corruit, at fundamentum stat, & permanet. Non contulit fluuio, qui etsi idem videa-

tur

tur, diuersas tantum accipit, & trahit aquas; sed lapidi, qui semper vnus, & idem est, nec temporis iniurias sentit, immotus stat, non mobilis fit. Patet vero eandem esse doctrinam Ecclesiæ Catholicæ ex serie Conciliorum, idem esse regimen in successione Pontificum, eadē sacra in sacramentis, & cœremonijs, eandem vitæ rationem in præceptis Ecclesiæ, in cœlibatu cleri, in religiosa Monachorum, & Monialium consecratione. In Psalmodia, in abstinentia, & maceratione corporis: quæ omnia monstrant vnitatem tum inter se fidelium, tum cum summo Pontifice, cum obseruantia, & obedientia erga eundem. Et quidem præcipuum illud est, quod Ecclesia nostra semper excludit schismata, & hæreses. Imò & sectas, & nouitates, per quas solet intrare discordia, & amat, & colit vnionem. Omnia nobis Catholicis vna sunt, *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, vna administratio, vna doctrina, vna Ecclesia*. Nihil hanc nisi dissensio, & discordia schismatum, & hæresum oppugnat. Tandem probatur hæc vnitas ex subordinatione graduum vsque ad supremum caput cum debita proportione partium inter se. Nam seculares in foro externo, & conscientiæ obediunt Ecclesiasticis, eorumque præcepta, & monita seruant. Minores Clerici obediunt superioribus, & presbyteri simplices Parochis, Parochi Episcopis, Episcopi Papæ. Hic tanquam princeps, & caput eminet, & vniuersos cœteros ordines gubernat, ac dirigit. Omnia inter se membra, partesque consentiunt. Si quis hunc ordinem turbare vult punitur: si emendatur recipitur. Si minus, præscinditur, & proijcitur. Contra discordes anathemata dicuntur, rebelles vinculis, & alijs pœnis castigantur, vt vnitas, & pax Ecclesiæ seruetur. Dum fideles in Ecclesia sunt pax est & concordia, eademque consensio doctrinæ, & harmonia morum. Vbi membra auelluntur per schismata, & hæreses, mōstra fiunt diuersa, & horrida quæ & se conficiunt, & Ecclesiam vnde exierunt oppugnant. Hanc in rem optimè Cyprianus lib. 4. Epistolarum epist: 9. ad Florentium. *Ecclesia*, inquit, *est plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens.* Cyprian. Et Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Parmenianum. *Deserta matre Catholica impij filij dum foras excludunt, & se separant, vt vos facitis à radice matris Ecclesiæ, inuidiæ falcibus amputati rebelles abcedunt.* Optat. Mileuit. Hieronymum tandem audiamus Epist. 11. ad Ageruch. *Testimonium illud: erunt duo in carne vna Paulus edisserens ad Christum refert, & ad Ecclesiam: vt primus Adam in carne secundus in spiritu monogamus sit: sit vna Eua mater cunctorum viuentium, & vna Ecclesia parens omnium Christianorum. Sicut illam maledictus Lamech in duas diuisit vxores, sic hanc hæretici in plures Ecclesias lacerant, quæ iuxta Apocalypsim Ioannis Synagogæ magis diaboli appellandæ sunt, quam Christi conciliabula. Legimus in Carminum libro. Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta, vel octingentæ concubinæ, & adolescentulæ quarum non est numerus. Vna est Columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ electa genitrici suæ.* Hieron.

CAPVT VI.

Dissensio, & discordia Hæreticorum inter se vnitatem Ecclesiæ manifestat.

EX comparatione cum hæresi velut argumento à contrario vnitas Ecclesiæ apparebit, quomodo solent Philosophi ex contrarijs veritatem elicere. Primum argumentum sumitur ex multitudine hæ-

hæresum: quarum numerum ineunt ex Oriente Epiphanius, & Theodoretus, & ex Occidente Philastrius, & Augustinus. Ex quibus Theodoretus numerat 76. Augustinus 88. ad sua vsque tempora; nec tamen censentur omnes. Plures enim extiterunt: & quia, quanquã initio vnus esset author erroris, subinde crescebant, & veluti capita pullulabant. Nasci, & diuidi hereticos idem fuit. Simon Magus primus hæreticus teste Irenæo lib. 1. c. 21. genuit Menandrianos, Basilianos, Saturninianos. Marcion Lucianum, Apellem, & Seuerum peperit, vt Epiphanius tradit lib. 13. tom. Ex Montano Pepusiani Artirytæ, Phrygastæ extiterunt. Apud eundem lib. 2. tom. 1. Arius iuxta Ruffin. lib. 10. cap. 21. Arianos, & Semiarianos, Acacianos, Macedonianos, Eunomianos tulit; & Arianos singulis annis fidem mutasse dicit Hilarius ad Constantium, vbi ait. *Fidem non esse hominum, sed temporum*.

(Theodor. Philastr. August. — Irenæus — Epiphan. — Ruffin. — Hilar.)

Manichæorum sobolem proponit Augustinus lib. de hæres. c. 46. Eutychetem multitudine hæreseon totum Orientem occupasse; & infecisse scribit Euagrius lib. 3. & 4. Historiarum, & Damascen. lib. de centum hæresibus. Ad nostra tempora accedamus, vnde suum argumentum existet.

(August. — Augu. — Damasc.)

Hoc sumitur ex diuisione, & diuersitate errorum. Surrexit Lutherus anno 1517. Septennio post discessit ab eo Zuinglius, & sectam diuisit cum sacramentarijs. Biennio post hunc Anabaptistæ à Luthero, & Zuinglio noua inducta hæresi recesserunt. Paucos post annos Lutherani triginta quatuor sectas habuerunt, quas numerat Staphylus libello de concordia discipulorum Lutheri. Lutherum Caluinus sequutus est, & multas sectas Lutheranorum extinxit. Alias tamen fecit nouas, quod eius verbis probatur. Ait quippe in præfatione suarum institutionum *non esse mirum si ex sua religione, nouæ oriantur dissensiones, & sectæ contrariæ. Cum Christi*, inquit, *Ecclesia Apostolorum tempore Simonianos, & Nicolaitas pepererit*. Addit excusando, *Diabolum solere zizania inter frumenta spargere*, perinde ac religio sua frumentum esset, aliæ vero sectæ Zizania, cum tamen secta Caluini tota sit lolium, & auena. Deque ea illud Poetæ vsurpare possimus:

(Staphyl. — Caluin.)

Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ. (Virgil.)

Tam propria vero hæreticorum diuersitas est, vt omnes hæretici inter se pugnent, & digladientur Paganis similes, qui vel in ipsis religionibus, quas profitebantur, pugnantes inter se Deos habebant, vt videre est in Homero passim, & sæpè in Virgilio. Triuialis est Ouidij locus.

Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo (Ouid.)
Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Nihil frequentius fuit apud Gentiles Theologos, quorum primi fuerunt Poetæ qui Deos inter se belligerantes induxere, quam diuersitatem nominum, & affectuum profiteri, quod obseruat Augustinus serm. 11. de verbis Domini. Hoc sensu dixit Tertullianus. *Philosophos esse Patriarchas hæreticorum*, quia quemadmodum variæ, ac dissidentes hæreticorum scholę fuerunt, ita & Philosophi singuli sectas singulas instituerunt. Hinc Academici, Peripatetici, Stoici, Italici, Sceptici, Ephectici, Epicurei, quorum multi ex his nouas subinde sectas crearunt, quas diligenter numerat Cicero in Academicis, & lib. de natura Deorum, & August. 1. tom. tribus in libris academicorum. Comparat autem hæreticos Philosophis diuersa sentientibus Basilius

(August. — Tertull. — Cicero — August. — Basilius)

Theod. orat. 1. de opere sex dierum, & Theodoret. lib. de fide, & Augustinus lib. 18. de ciuit Dei c. 38.

Obseruandum est primò, hæreticos cum tot sint, & per tot annos varia doceant, nullum hactenus Concilium generale habuisse, quod argumento est non posse eos in vnum conuenire; quod idem schismaticis accidisse constat: Ex quo enim à Romana Ecclesia deficere ceperunt, quod fuit anno fermè 700. nullum generale Concilium congregarunt, cum ab eo tempore nos Catholici decem fermè generalia Concilia numeremus, idque prouidentię Dei est assignandum, nulla quippe re magis Ecclesiæ Catholicę nocere possent, quā si omnes aduersus eam in Generalē synodum conuenirent. Imò nihil magis heretici horrent, quam ista Concilia Oecumenica, & ideo fictè solent spargere Papæ odiosa esse Concilia, vt eo pretextu nos ab ijs congregandis deterreant, quod ex eo patet, quod sæpius vocati ad Tridentinum venire noluerunt, & datam pacis tesseram, qood signum erat vnionis, & charitatis recipere noluerunt. Ne quis autem objiciat synodum Smalchaldicam, synodum Desdrensem, synodum Dordracenam. Hæ quippe synodi non fuerunt vniuersales, sed particulares, quia illæ duæ primæ fuerunt Lutheranorum, Tertia Caluinistarum, omnia conciliabula instigante diabulo congregata.

Obseruandum est secundò. In Ecclesia Catholica ab initio semper fuisse litteras communionis, quæ Formatæ appellabantur, quibus inter se Catholici Præsules communicabant, seque mutuò agnoscebant, & à cœteris distinguebant. Inter hæreticos autem nunquam legimus similes fuisse, quod argumentum est apud eos nihil esse Catholicum, nihil consentiens; & proprium eorum esse sectis, & sensibus discrepare.

Obseruandum tertiò omnes penè hæreticorum sectas his temporibus celebriores magis inter se pugnare, quam cum ipsa fide Catholica: quod apparet ex Caluinistarum, & Lutheranorum inter se pugna: prius enim nobiscum Lutherani, quam cum Caluinistis consentient, cuius rei mihi testimonium quidam legatus Suecicus præbuit, qui narrauit voluisse hæreticos in Polonia inter se contra Catholicos conspirare, cumque Caluinistæ, & Lutherani in eo conuenirent, Caluinistæ Lutheranos inuitarunt, qui responderunt inuitantibus, prius se conuenturos cum Catholicis, quam cum Caluinistis, qua ratione conuentus, & coniuratio dissipata. Hac de re disertè, ac eruditè homo mei instituti, mihique vitæ rationibus, & officijs coniunctissimus Frater Laurentius à S. Paulo anteà Christinæ Augustæ in Lusitania orator, postea eiurata hæresi Catholicus, & Monachus cucullatus, & felicissimè Franciscani ordinis pauper, in aureis duobus quos de sua Conuersione scripsit libellis. Fr. Laur. a s. Paulo

CAPVT VII.

Argumenta Hæreticorum contra vnitatem Ecclesiæ proponuntur, & soluuntur.

PRimum argumentū esto sumptum ab exemplo Lini, & Cleti, & Clementis hoc modo formatum. Ecclesia Romana habuit multa capita, ergo non potest esse vna. Consequentia recta est, nam secundum Aristotelem, & Galenum iuxta numerum capitum corpora multiplicantur; ita vt illud quod nascitur cum duobus capitibus non sit vnum, sed duplex. Antecedens probatur eo exemplo. Constat quippe Linum, Cletum, & Clementem fuisse

fuisse simul Pontifices cum Petro. De Lino constat secundum Turrianum in cap. 27. constitut. Apostolicarum, & Metaphrastem 29. Iunij, & Nicephorum Callistum lib. 2. cap. 35. qui affirmant eum fuisse Episcopum. Damasus autem quem sequũtur Baron. & Binius affirmat viuente Petro, & Paulo Episcopatum gessisse. De Cleto idem prorsus dicendum, & expresse docet Nicephorus lib. 2. vbi sic: *dum adhuc viueret Petrus dedit Cleto claues Ecclesię Romanæ*. Et ita narrat Baron. anno 69. Christi, Petri autem 25. & Ciaconius in vita Cleti. Idem de Clemente dicendum, licet de hoc maior sit dubitatio. Ita Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontif. c. 6. & Baronius anno Christi 44. & 575. & Spondan. & Bin. in notis ad vitam Clementis.

Turrian. Metaph. Niceph. Calist. Damas. Baron. Ciacon. Bellarm. Spondan Binius

Respondetur primo eos non fuisse propriè Episcopos, sed Chorepiscopos, quos esse distinctos ab Episcopis apparet ex tertia epist. Damasi, & nos probauimus lib. 1. de Clauibus. Vnde corruit argumentum.

Respondetur secundò eos fuisse Episcopos tantum titulares, vti affirmant multi apud Suarium tom. 3. de Religione lib. 1. c. 16. qua ratione Romanæ Ecclesiæ proprij Episcopi non erant. Esse autem Episcopos titulares nihil officit vnitati Ecclesiæ, itaque nullum ius capitis in Ecclesiam Romanam arrogare sibi potuerunt. Verum quidem est singulos vnum post alium summos Pontifices creatos fuisse.

Suar.

Secundum sit: Ecclesia Romana habuit caput hæreticum; imò duo capita hæretica, ergo non potuit esse vna cum Christo, neque cũ eius corpore. Antecedens probatur tempore Marcellini qui Christum negauit, & tempore Liberij, & Fœlicis, qui fuerunt hæretici Ariani, & simul Ecclesiam gubernarunt. Respondetur negando assumptum, nec enim Marcellinus hæreticus fuit, sed tantum ex imbecillitate ore tenus negauit Christum retenta fide in corde. Nec Liberius, & Fœlix quãdo fuerunt Pontifices hæretici extiterunt, ita Deo Ecclesiam gubernante, vt quandiu Liberius egit cum Arianis Fœlix ad Fidem Catholicam reuersus Pontifex fuerit, eo autem mortuo Liberius facti pœnitens, & Romam reuersus suo Pontificatu fuerit restitutus, quod notant Authores in vitis eorum.

Tertium. Vbi sunt schismata inter veros, & proprios Pastores Ecclesiæ, ibi vnitas illius Ecclesiæ esse non potest, sed ita se habuit res in Ecclesia Romana, ergo hæc vnitate caruit. Maior, & conseq. tenent, Minor suadetur exemplo Cornelij, & Cypriani. Inter quos fuit maxima dissensio super baptismate hæreticorum ad fidem Catholicam venientium, volente Cypriano vt ij rebaptizarentur intra Ecclesiam Catholicam, quia existimabat baptismum extra illam non valere, contrarium sentiente Cornelio. Vnde epistolæ acres, & vehementes à Cypriano ad Cornelium, & ab hoc ad illum missæ. Ex quo factum est vt schisma foret inter Ecclesiam Africanam, & Romanam, & in multis Concilijs Africanis statuerentur baptismum collatum ab hæreticis nullum esse, quæ manifesta hæresis fuit. Respondetur concedendo fuisse hanc discordiam, & hanc hæresim in Cypriano, & in Ecclesia Africana, sed negando Ecclesiam fuisse diuisam à suo capite; quia vt inquit Augustinus etsi Cyprianus in eo esset errore, nunquam tamen fuit schismaticus. Peccabat enim ex ignorantia inuincibili, non ex defectu Charitatis, & vnitatis. Itaque etsi aliud sentiret intellectu, in corde idem cum Romana Ecclesia sentiebat, semper quippe eam cognouit matrem omnium Ecclesiarum, quod

Cyprian. August.

tamen hæretici nostri temporibus negant,ac proinde, & intellectu, & affectu à Romana Ecclesia discrepāt.

Quartum sit eadem Ecclesia Africana tempore Aurelij Carthaginensis defecit à Romana Ecclesia sub Innocentio I. & Bonifacio item primo, & tamen Ecclesia Africana fuit tunc temporis vera Ecclesia, ergo iam non est vna tantum, sed duplex esse potest. Consequentia bona est. Minor patet, quia viuebat eo tempore Augustinus de quo non possumus dubitare fuisse in Ecclesia Catholica. Maior autem ostenditur quia PP. Africani in sexto Concilio Carthaginensi restiterunt Bonifacio Papæ, & impediuerunt appellationes ad ipsum, quod perinde erat ac non recognoscere Episcopum vti superiorem. Vnde sequitur duas fuisse Ecclesias, quia de Romana dubitari nequit, de Carthaginensi autem constat veram fuisse. Respondetur falsum esse assumptum: quia Ecclesia Carthaginensis nunquam fuit diuisa à Romana, neque negauit ius appellandi ad summum Pontificem, sed tantum dubitauit de modo appellandi ad ipsum, quia non approbabat consuetudinem, quæ tunc erat mittendi in Africam ministros cum instructione sedis Apostolicæ, & authoritate iudicandi, & terminandi causas Ecclesiasticas inconsultis Prælatis Africanis, & præterea vsum admittendi Episcopos, & Clericos depositos, & priuatos à sede Apostolica. Itaque non erat controuersia de appellatione secundum se, sed de modo appellandi: neque schisma vllum fuit Ecclesiæ Africanæ, sed tantum desiderium componendi illa dissidia, quæ oriebantur ex nimia illa licentia ministrorum Pontificiorum, nimium sibi in appellationum causis arrogantium. Patet vero id ex libris Augustini ad Bonifacium, quos eius iudicio submittit, tamquam Præsulis Superioris in Cathedra Apostolica: & ex Epistola Cælestini I. in qua Augustinum, eiusque doctrinam mirifice commendat.

Concil. Cart. VI.

August.

Vltimum argumentum petitur ex multiplicitate capitum, vel eorum nullitate proximis sæculis. Primo quia Gregorius XII. qui prius fuit Angelus Corarus, & Benedictus XIII. qui prius fuit Petrus de Luna fuerunt simul Pontifices, & Ecclesiam Romanam in factiones, & Schismata diuiserunt, & tamen tunc temporis fuit Ecclesia. Ergo hæc stare potest cum Schismate. Secundo, quia paulo post his duobus Pontificibus additus fuit tertius dictus Ioannes XXIII. qui antea fuerat Balthasar Cossa, qui tres Ecclesiam gubernarunt, quæ tamen erat vera Ecclesia: igitur hæc cum multis capitibus stare potest, quod si non erat vera Ecclesia, ista defecit, & prorsus perijt.

Respondetur: vnum ex his verum fuisse Pontificem: nimirum Angelum Corarum, idest Gregorium XII. Verum quia ei se acriter opposuit Petrus de Luna, idem Benedictus XIII. non potuit ille gubernare Romanam Ecclesiam sine magnis turbis, & tumultibus. Vnde iudicarunt PP. expedire vt vterque iuri suo renuntiaret, & nouus Pontifex eligeretur, ad idque institutum fuit Concilium Pisanum, in quo creatus fuit Alexander V. qui verus Pontifex fuit, quia Gregorius iuri suo renunciauit. Quod vero attinet ad Ioannem XXIII. Ille, & alij duo ambigui Pontifices habiti sunt, & idcirco Concilium Constantiense congregatum fuit vt in eo illa ambiguitas tolleretur. Itaque omnes iure suo cedere sunt iussi, cuius Decreto Gregorius, & Ioannes paruerunt, obedire tamen noluit Benedictus XIII. Concilium igitur abrogauit omnibus Pontificatum, & pro bono Ecclesiæ Catholicæ Cardinalem

Concil. Pisan.

Otho-

Othonem Columnam Papam crearunt, qui Martinus V. fuit appellatus. Ex quo nihil colligitur contra vnitatem Ecclesiæ, imo ea magis confirmatur, quia non potuit pati pluralitatem capitum, & illam sustulit; nec quieuit, donec tamdem in Concilio Vniuersali diuersitate illa, & ambiguitate Pontificum sublata, vnum Pontificem, qui esset iustus, & legitimus, creauit. Et ita soluuntur omnia hereticorum argumenta.

CAPVT VIII.

Pro vnitate Ecclesiæ contra Hæreticorum discordiam Argumenta moralia.

PRimum. Hæretici dum fuerunt in Ecclesia vnum, & idem senserunt. Vbi ab Ecclesia exierunt, non modo cum Ecclesia, & alijs hæreticis, sed secum ipsi pugnarunt, & à seipsis discordarunt. Patet quia singuli hæretici malè sibi cohærent, & pugnantia sæpè docent, vt videre est in Luthero, cuius
Coclæus. Grauina. contradictiones numerantur, quas referunt Cochlæus, & Grauina. Legenti eius opera apparebit illum passim sibi contradicere, & vbi opinatur, quasi auribus lupum tenere.

Secundum. Hæretici similes sunt ijs, qui bella ciuilia patriæ suæ mouerunt, qui multo magis perniciosi sunt, quam hostes externi, sed eodem euentu, quo authores bellorum ciuilium, & se, & sectas suas euerterunt, quemadmodum accidit & Cinnæ, & Carboni, Mario, & Syllæ, & Catilinæ, & alijs pestibus Reipublicæ Romanæ, qui omnes tandem cum suis factionibus perierunt.

Tertium. Inter matrem Ecclesiam, & Hæresim contentio est similis eius, quæ fuit inter illas duas mulieres apud Regem Salomonem lib. l. 3. Reg.
3. Reg. cap. 4. quæ cum ambæ filios haberent, quorum vnus mortuus fuerat, & alter vixerat, earum vna mater mortui, filium alterius viuum surripuit, & in sinum transtulit suũ, reposito quem habebat mortuum in sinum alterius; cum altera mater infantis viui filium suum repeteret, & altera negaret, mota lis est, quæ ad Regem delata, sic est dirempta: vt Rex Salomon iuberet infantem diuidi, & dimidium illius singulis matribus dari. Probauit ea, quæ non erat mater, sententiam, & diuidi infantem voluit. Altera, quæ mater, erat noluit, quia ex diuisione mors infantis sequebatur. Ex hoc collegit Salomon, quæ nolebat diuidi, eam esse matrem, non esse illam, quæ diuidi volebat, & hanc tulit sententiam. Quæ integrum infantem vult, date illi infantem viuum. Sic res habet inter Ecclesiam, & Hæresim. Ecclesia Catholica mater populi Christiani est, heresis populi hæretici. Christianus populus viuit in Christo, Hæreticus moritur separatus à Christo. Ait tamen hæresis populum suum viuere, & populum Romanæ Ecclesiæ, & aufert infantem viuum, & reddit mortuum, & diuidi illum vult in varias partes, & sectas, quod tamen non vult Ecclesia. Atque hac ratione ostendit Ecclesia matrem se esse, quoniam diuisionem non vult: Hæresis nouercam se ostendit, quia diuisionem amat. Quicumque igitur prudens iudicabit vtra vera sit mater: Ecclesia ne quæ vult vnitatem, an hæresis, quæ vult diuisionem?

Quartum. De Protheo narrant fabulæ vatem, & Diuinum fuisse, Hic in formas varias mutari solitus nullam certam faciem retinebat. Nunc feram, nunc piscem, nunc ig-

ignem, nunc fluuium, modo arborem, modo saxum repræsentare vti scribit Virgilius lib. 4. Georgicon, vnde abijt in prouerbium, mutabilior Protheo, de homine vario, & inconstanti. Id autem obseruandum est, quod dum ille variabat, & nullius certe formæ tenax erat, nulla edebat oracula, nihil prorsus diuinabat, & portendebat: necesse itaque erat consistere, & certam formam sumere, & sibi reddi, vt redderet oracula, & diuinaret. Ita hæretici dum dissentiunt, dum discordant, dum variant, numquam verum dicent, neque euangelizabunt; cum ad se redierint, & antiquam Ecclesiæ faciem acceperint, & Catholici redditi fuerint, tum vera scribent & sentient, & Spiritum veritatis recuperabunt: vt autem eum recuperent ligari, & vinciri debent instar Prothei, vt vincti, & captiuati in obsequium fidei ad Diuina oracula admittantur, & rectè euangelizent amissa libertate opinandi, quæ illos cogit variè sentire: nisi fortè ligandi sint more insanorum, dum enim hæretici sunt, malè sani sunt.

Virgilius

Quintum. Dissensio, & discordia hæreticorum salus est Ecclesiæ, quando maximè inter se conspirant, & pugnant contra Ecclesiam vtendum est eorum discordia ad conseruationem. Quod probatur exemplo Pauli Actorum 23. Conuenerunt contra Paulum Sadducæi, & Pharisæi. Paulus vt se ab eorum manibus liberaret diuidere eos in factiones statuit, & fidem suam professus clamauit se credere resurrectionem, quam Sadducæi negabant, & Pharisæi ex aduerso fatebantur: eo pacto dissolutus est conuentus, & Paulus respirauit: *Facta est*, inquit textus *dissensio, & soluta est multitudo*. Sic accidit Ecclesiæ nostræ, cum aduersus eam coniurant Hæretici, dum secum dissentiunt, & pugnant inter se Ecclesia in tuto est. Vnde illorum discordia huius pax, & tranquillitas est. Quare timendum non est à coniuratione Hæreticorum, cum ipsi inter se non cohereant.

Act. 23.

Sextum. Dum nauis integra est nauigat. At vero cum hiat, & rimas agit, admittit aquam, & mergitur. Ita nauis Ecclesiæ integra, & vna consistit, Hæresis tota rimosa demergitur. Chrystallus est Ecclesia inuiolata, & lucida: Hæretici vitrea fracta, quæ nihil valent, & nihili fiunt. Gemmæ amittunt pretium cum franguntur. Omnia quæ intra naturam sunt vnitati student, eaque conseruantur; Hæretici præter naturam volunt schismate, & diuisione conseruari. Vna est Ecclesia, supra petram quæ vna est, fundatur. Hæresis locatur super arenam, quæ cum diuisa sit, destituit eam ac præcipitat.

Septimum. Ecclesia Catholica cum sit vniuersalis, Romana tamen dicitur vt vna esse monstretur. Tam enim amat vnitatem, vt nequis putet dispersam esse ex eo quod Catholica sit, & per totum orbem diffundatur, vni Sedi addici voluit in argumentum vnitatis: qua ratione vtrumque coniungit, & vnam esse, quod sit Romana, & Vniuersalem esse, quod sit Catholica. Generalis quippe esse potest, multiplex esse non potest.

Octauum. Religiosiores fuerunt milites, qui Christum crucifixerunt, quam Hæretici, qui dicunt se Christum adorare. Milites enim cum exteriores Christi vestes diuisissent in partes, interiorem tamen vestem inconsutilem scindere nefas duxerunt, eamque inuiolatam reliquerunt. Vestes illę exteriores sectas, & scientias prophanas significabant. Tunica illa interior Symbolum erat fidei, & Ecclesiæ. Licuit igitur & licet in alijs scientijs, & sectis habere Scholas, & factiones diuisas. At vero in Fide nefas est aliter quàm

reuelatum est credere. Hoc significarunt milites, contra quos Hæretici faciunt, qui fidei non habita ratione doctrinam in varias partes diuidunt, & de religione varie opinantur, & sectas ea diuisa diuersas instituunt.

CAPVT IX.

De Ecclesia vt est Sancta, quæ est secunda nota Ecclesiæ.

Circa Sanctitatem ecclesiæ varij fuerunt Hæreticorum errores. Primus, ecclesiam ita esse Sanctam, vt ex solis prædestinatis constet, & reliqui excludantur. Ita Vvaldenses, & Vvicleffus, & Ioannes Hus damnati in Concilio Constantiensi sess. 15. & 16. qui est error hodie proprius Caluinistarum, qui dicunt apud se ecclesiam esse, & omnes Caluinistas esse Prędestinatos.

Concil. Const.

Secundus error. Ita esse Sanctam vt solos fideles existentes in gratia, & charitate formatos complectatur, ita vt extra ecclesiam sit, qui in in peccato mortali est. In hoc errore fuerunt Cathari apud Augustinum hæres. 38. & Pelagiani apud eundem hæres. 88. In eodem sunt Lutherani, & ex parte olim fuerunt Nouatiani. Hæc propria fuit hæresis Donatistarum in Africa, qui non solum volebant, vt fideles mundi, & immaculati essent, sed etiam affirmabant, qui communicabant cum peccatoribus, eos omnes contaminari, & extra ecclesiam fieri. Fundamentum horum errorum fuit ipsa Sanctitas ecclesiæ, quæ dicitur sponsa Christi, & Columba Immaculata. Imo & Corpus Christi appellatur, quæ vocabula non conueniunt peccatoribus, nec ecclesiæ, si eos comprehendat?

August. Cathar. Pelagian Nouat. Donat.

Nihilominus hoc sensu Sancta dici ecclesia non potest: in qua multi non prædestinati, & peccatores comprehenduntur, vti patet ex locis euangelij, vbi ecclesia comparatur Sagenæ Missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, idest ex omni genere fidelium; tum iustorum, tum peccatorum, & vineæ, quæ fert vuas; & labruscas; idest Sanctos, & iniustos: & Choro decem Virginum partim prudentium, partim fatuarum, docentque communiter PP. August. tract. 6. in Ioannem, & in Psal. 47. & contra Donatistas passim, & Cyprianus lib. epist. 2. epist. 3. & lib. 4. epistola 2. & Hieronym. Dialogo contra Pelagianos, & Luciferianos adducens locum Arcæ Noe, in qua erant animalia munda, & immunda, & Gregor. homil. 11. & 12. & 38. in euangelia. Ita definitum est in Concilio Constantiensi sess. 15. & sumitur ex cap. Firmiter de summa Trinitate. *Igitur Sancta est Ecclesia propter fidem Christi, & omnes fideles complectitur:* Est enim fides Ostium gratiæ, & totius Sanctitatis initium; Vnde in Tridentino sess. 6. can. 28. Fideles peccatores, dicuntur verè Christiani. Quare ex omnibus fidelibus, siue prædestinati sint, siue non, siue sancti sint, siue peccatores, ecclesia componitur, ita vt forma ecclesiæ sit fides, materia sint ipsi homines, qui sunt fideles. Vnde soli Pagani, & Iudæi, & Mahometani ab ecclesia excluduntur. Quod omnino indubitatū est. Circa alios, graues, & curiosæ quæstiones sunt.

August. Cyprian. Hieron. Greg. Cap. Firmiter. Trident.

Prima vtrum Cathecumeni in ecclesia comprehendantur? Cano lib. 4. de locis Bellarm. lib. 3. de ecclesia cap. 3. Azor tom. 2. lib. 5. cap. 20. qu. 5. negant. Fundantur primo, quia sine baptismo non est ecclesia. Vnde Eugenius IV. in Con-

Cano. Bellarm. Azor.

Concil. Florent. Concilio Florentino vocat baptismum spiritualem ianuam. *Per ipsum enim*, inquit, *membra Christi, ac de corpore efficiuntur Ecclesiæ*. Secundo quia hæc videtur esse doctrina Pauli ad Ephes. 4. dum ait. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma*. Vbi fidem cum baptismate coniunxit, perinde ac fides sine baptismo Ecclesiam non constitueret. Tertio quia ecclesia est visibilis, ac proinde postulat fideles visibiliter Christianos, quod non fit nisi per baptismum re susceptum. Cathecumeni autem carent baptismo in re, quamuis in voto baptizati dicantur. Ergo quamuis sint fideles inuisibiliter ex vi voti, non sunt membra Ecclesiæ, quia non sunt visibiles.

Ephes. 4.

Castro. Suarez. Castro tamen lib. 1. de iusta hæreticorum punitione & Suarez de fide disp. 9. & alij affirmant. Nituntur doctrina PP. Dionysij lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 6. Vbi distinguendo gradus Ecclesiæ ponit inter eos Catechumenos. Fauet Augustinus tract. 4. in Ioannem, & lib. 4. de Baptismo cap. 21. & indicat Gregorius lib. 24. Moral. cap. 22. & lib. 35. cap. 7. Argumenta sunt. Primum, quia Catechumeni sunt fideles, & habent votum Baptismi, fideles autem in ecclesia sunt. Deinde Cathecumeni si moriantur in eo statu saluabuntur. Igitur fideles sunt, cum enim sint futuri in ecclesia triumphante, sine dubio sunt in militante. Confirmatur quia in lege naturæ, & Moysi cum Baptismus non esset, Ecclesia tamen erat, & homines in ea saluabantur. Ergo & Cathecumeni, licet baptismo careant, in Ecclesia sunt, & saluantur.

Dionys. August. Gregor.

Placet hæc sententia Castri, & Suarij, quia in cap. *Veniens* de Presbytero non baptizato dicitur, non per Fidei *Sacramentum tantum, sed etiam per fidem Sacramenti effici quempiam membrum Christi*, quod testimonium expressum est. Præterea Catechumeni si in gratia Dei moriantur transeunt ad ecclesiam Triumphantem: Ad hanc autem non datur transitus, nisi per ecclesiam militantem, ergo in ea erant Cathecumeni, quando sunt mortui. Nec argumenta contraria multum vrgent, præter illud de ecclesia visibili.

Respondetur huic Argumento Cathecumenos in Ecclesia visibili esse, quia multa faciunt pertinentia ad fidem Catholicam, quæ conspiciuntur ab alijs, vti sunt orationes, Psalmodiæ, & horæ canonicæ, quibus præparantur, quas omnes aspiciunt, & ex quibus indicant illos Christianos esse. Quod autem aiunt de Baptismo, satis est in voto per illa signa externa manifestato. Nec opus est Baptismo in re suscepto, quia si Baptismus sumatur pro Charactere, hic non est visibilis. Si pro actione externa lauandi cum materia, & forma, certum est Baptismum esse visibilem, sed hoc non tollit quominus illæ instructiones, & voces, & actiones Cathecumenorum sint. Itaque sentio hanc rationem satis esse. Obseruo tamen illud argumentum Suarij sumptum ex lege naturæ infirmum esse. Nam respondebunt Aduersarij se in illis non postulare Baptismum, sed Circumcisionem, & Sacramenta visibilia, quæ in illis legibus fuerunt, & Baptismum figurarunt.

Secunda quæstio est: vtrum Hæretici baptizati sint membra Ecclesiæ. Castro de iusta Hæreticorum punitione cap. 24. Caietan. opuscul. de Authorit. Papæ cap. 22. & 27. & opusc. 2. cap. 75. affirmant ea ratione, quia characterem habent, & quod verè exercent actus ordinationis, & consecrationis, si Episcopi, & Presbyteri sint. Præterea quia Baptismus est porta Ecclesiæ, & ipsi per Baptismum introierunt. Castro. Caietan.

Tandem quia recipiunt influxum à Christo, & ab Ecclesia. Confirmatur ex cap: *Quantus*. Vbi affertur Cyprianus, qui censet parabolam zizaniorum agri, de ecclesia intelligi. Zizania autem hæretici sunt vt eo loco interpretantur Hieronymus, & Chrysostomus, & alij.

Cyprian. Hieron. Chrysost.

Negatiua tamen sententia communis est propter authoritatem PP. & Pontificum, qui Hæreticos ab ecclesia excludunt. Afferamus aliquos grauiores. Cyprianum lib. 1. epistolarum epist. 3. & 6. & lib. 3. Epistol. 9. Hieronymum in Dialogo contra Luciferianos. Gregorium lib. 13. moral. cap. 15. & lib. 16. cap. 21. & Augustinum lib. 7. de baptismo cap. 10. Pontifices etiam docent Hæreticos extra ecclesiam esse, dum non credunt quæ debent, & redire ad ecclesiam dum ea credunt. Ita Xistus I. in sua de Decretali, & Fœlix I. Epist. 1. & Concil. Nicenum can. 18. & 19. & Scholastici pene omnes consentiunt cum D. Thom. 3. par. qu. 8. art. 3. & opuscul. 23. Azor tom. 2. lib. 5. qu. 5. Bellarmin. lib. 3. de ecclesia cap. 4. & Suarez de fide disp. 9. sect. 1. qui citat Tertullianum contra Marcionem, & Irenæum lib. 3. c. 3.

Cyprian. Hieron. Gregor. August. Xistus I. Fœlix I. Concil. Nicen. D. Thom. Azor. Bellarm. Suar. Tertull. Irenæus.

Probatur quia Hæreticus non habet formam Ecclesiæ, quæ est fides. Ergo non est in ecclesia. Probatur secundo, quia Hæreticus est præcisus, & proiectus extra ecclesiam, & nullum habet actum vitæ spiritualis. Notat autem D. Thomas in 3. dist. 13. qu. 2. Posse dari caput morale sine substantia, retentis tamen accidentibus, & influentia iurisdictionis in membra: quare mirum non est, quod isti Prælati Hæretici possint ordinare, & exercere alios actus iurisdictionis. Quod autem attinet ad characterem, quem illi retinent, respondet Suarez, non esse formam ecclesiæ, & probat ex eo, quia ante istum Characterem in vtraque lege naturæ, & Moysi fuit ecclesia, & habuit membra cum vero corpore.

D. Thom. Suarez.

Antequam respondeam excito illam quæstionem. Vtrum occultus hæreticus, & qui mentaliter tantum hæreticus est intra ecclesiam sit? Suarez disp. 9. sect. 1. cum Turrecremata lib. 4. Summæ par. 2. cap. 20. Negant. Ratio principalis est quia iste caret fide, & PP. dicunt occultum Hæreticum non esse vere Christianum, quod idem est ac dicere non esse ecclesiæ membrum. & ita videntur sentire PP. Athanas. serm. 7. contra Arianos. Cyprian. lib. 4. epistolarum epist. 2. Tertull. lib. de Pudicitia, Augustinus lib. 2. de gratia Christi cap. 1. & lib. 3. de Baptism. cap. 18. & lib. 4. cap. 10. & alibi. Mihi tamen alia mens est quam per conclusiones declaro.

Suarez. Turrecr. Athanas. Cyprian. Tertull. August.

Prima conclusio. Hæreticus mentalis, & occultus intra ecclesiam est, & in ecclesia censeri debet. Ita Petrus Soto prima parte defensorij cap. de ecclesia, & cap. de Concilijs. Hosius lib. 3. contra Prologomena Brentij. Driedo lib. 4. de dogmatibus cap. 2. par. 2. Canus lib. 4. cap. vltimo. Probatur primo, quia hic hæreticus habet omnia signa visibilis ecclesię, ergo in ea debet numerari. Assumptum probatur, quia Hæreticus mentalis, & occultus in foro externo nihil differt ab alijs Christianis, & pro tali reputatur. Probatur secundo, quia ille est subditus ecclesię, & ecclesia potest illum obligare preceptis, & punire tanquam subditum si ea violet. Tertio, quia hic non est propriè hæreticus: ergo intra ecclesiam est. Patet assumptum: quia hic non est contumax, neque pertinax, nec spernit vel contemnit ecclesiam. Ergo non habet Hæreticam formam, quę in contumacia consistit. Probatur quarto, quia si iste non est intra Ecclesiam propter solam perfidiam menta-

Petrus Soto. Hosius. Driedo. Canus.

talem, quę est inuisibilis, datur occasio Hæreticis existimandi ecclesiam nostram Catholicam non esse visibilem. Retorquebunt enim argumentum dicendum formam, qua illa constituitur esse Fidem inuisibilem. Confirmatur primo, quia heretici tolerati admittuntur ad Catholicam communionem à Concilio Constantiensi, & Basileensi, & ab ipsamet Ecclesia, & tamen Hæretici, & multi eorum publici sunt. Vnde sequitur defectum fidei satis non esse ad exclusionem ab Ecclesia; Vnde iterum sequitur in Ecclesia omnino esse eum, qui est in communione fidelium. Confirmatur secundo ab exemplo. Demus casum, vt quis vel per impossibile seruet fidem internam, & exterius adoret idola, & faciat omnes actus pagani, iste profecto non erit in communione fidelium, nec in ecclesia censebitur, ergo à contrario ille, qui amittit fidem internam, retentis omnibus actibus fidelium, eosque palam exercet erit in ecclesia, & fidelis reputabitur. Quare hac in re contra Suarium sentio.

Secunda conclusio. Heretici non tolerati, & publici non sunt propriè in ecclesia, non tamen ab ecclesia omnino excluduntur. Probatur, quia hi Heretici sunt baptizati, & venire solēt nomine Christianorum, cum habeant signum, & Characterem Christi. Deinde sunt in potestate Ecclesię, quę illos & excommunicare, & alijs pœnis punire potest. Quod si contra eos non procedit, id per accidens est, nempe quia partim sunt rebelles, & Ecclesia non potest eos damnare, partim quia non decet illos punire. Quemadmodum apparet in Regibus Hereticis, in quos ecclesia pręimbecillitate nonpotest animaduertere, & propter maiestatem regiam non decet illos punire. Itaque Heretici publici partim sunt intra Ecclesiam, quatenus sunt punibiles tāquam subditi, sunt extra ecclesiam, quatenus rebelles, & potentes quia Ecclesia non potest in illos animaduertere. Vt vno verbo dicam: subditi non sunt in actu secundo, sed in actu primo, & potestate. Verum est quod Ecclesia magna est domus, quę ad interiores ędes non admittit, vbi supellex est, sed extra domum eos in atrio continet.

Et quidem illud est magnum huius sententiæ argumentum, quod hæretici etiamsi præcisi ab Ecclesia sint, non modo faciunt verum baptismum, sed etiam veros actus ordinis exercent. Id autem facere non possūt nisi aliquo modo intra ecclesiam sint, & à Christo influxum accipiant à quo illa iurisdictio tanquam à fonte, & capite procedit. Quod autem PP. dicunt: Hæreticos recedere ab Ecclesia, & redire ad Ecclesiam, eo dicunt, vt significent nō esse intra gremium Ecclesiæ, sed extra illud, & in atrio. Vnde ad gremium redeunt, quando conuertuntur ad fidem. Aliter intelligi non possūt PP. si enim essent extra Ectra Ecclesiam, baptizarentur, & ordinarentur, quando redeunt ad illam, quod fieri nefas est. Hac ratione probatur mihi sententia Castri, & Caietani, & facile soluitur argumenta Suarij, & vtraque sententia conciliatur.

Tertia conclusio. De fide est Ecclesiam cōtinere homines fideles, & baptizatos, quanquā peccatores sint. Probatur, quia opposita sententia negans eos esse membra Ecclesiæ, est hæresis Donatistarum, qui in eo erāt errore, & tantum iustos admittebāt, cū doctrina conclusionis nostræ sit expressa in Euangelio, vt dictum est, & definita in Concilijs Africanis cōtra Donatistas, & à PP. communiter tradita. Vnde apparet hæresim esse Caluinistarum dicentium solos prædestinatos membra Ecclesiæ esse.

ſe. Quod ſi verum eſt, nullus Caluiniſta in Eccleſia eſt, nam niſi Caluiniſtæ eſſe deſint, & ſi in ſua ſecta moriantur, prædeſtinati non ſunt. Itaque hi, & Donatiſtæ, vt ſint Chriſtiani opus eſt, vt ab hoc errore diſcedant, & tunc in Chriſti Eccleſia cenſebuntur. Iam ſi Eccleſia ex ſolis iuſtis conſtaret, paucorum Eccleſia eſſet, imo ne hominum quidem eſſet, cum omnes homines peccatores ſint, & ideo eos Chriſtus redemerit, & in Eccleſiam ſuam reduxerit, nec ideo Eccleſiam pudebit illos recipere, cum eius caput Chriſtus eorum peccata ſuſceperit, & peccatoris perſonam geſſerit. Ideo ſe Medico comparauit, vt ſignificaret in Eccleſia ſua ægrotos, & infirmos habere, quibus ſuo ſanguine mederetur. Tandem ſi verum eſſet ſolos ſanctificatos, & iuſtos membra eſſe Eccleſiæ, non eſſet ea viſibilis, nec ſuos filios agnoſceret, cum in hac vita ſcire nequeat, qui ſint in gratia, & qui ſint in peccato. Præterea idem homo eſſet, & non eſſet in Eccleſia, eſſet dum eſt in gratia, nõ eſſet dum eſt in peccato.

Supereſt vna quæſtio, quomodo ſit Sancta Eccleſia, & quæ ſit forma ſanctitatis, per quam dicitur Sancta. Bagnes. Bellarm. Bagnes quæſt. 2. art. 10. & Bellarm. in Catechiſmo ſanctitatem iſtam à Sacramentis, quæ in Eccleſia ſunt, peti aiunt, & à Sanctis viris, qui in ea ſunt. Coninck Coninch de fide diſp. 14. dub. Caſt. Pal. dub. 10. Caſtro Palao to. 1. tractat. 4. Granad. diſp. 1. punct. 10. Granado tract. 10. diſp. 8. ſect. 2. ſolam Sacramentorum ſanctitatem poſtulant, homines Sanctos non requirunt. Sanchez. Quibus accedit Sanchez lib. 2. in Decalogum cap. 3. Alij dicunt Sanctam Eccleſiam appellari à ſanctitate capitis Chriſti, & Eccleſiæ cum eo coniunctione. Lugo. Qua de re Lugo Cardinalis diſp. 13. ſect. 4. Ipſum vide.

Mihi videntur duæ rationes eſſe cur Eccleſia Sancta appelletur. Prima eſt vnio cum capite Chriſto per fidẽ. Secunda ſanctificatio per ſacramenta, quæ in Eccleſia inueniuntur. Hæc enim duo ſunt ſatis, vt Eccleſia Sancta ſit. Quamuis enim daremus iuſtos in ea non inueniri Sancta eſſe non defineret. Homines autem Sanctos moraliter requiro, & tanquã effectus illius ſanctitatis. Has duas rationes tradidit Catechiſmus Pij V. Catech. Pontificis iuſſu factus, quas accepit ex D. Auguſtino: tradit enim illas his verbis: *Auguſtinus*, inquit, *in pſal.* 85. Auguſt. *ad illa verba, Cuſtodi animam meam, quia Sanctus ſum, ait, ſi Chriſtiani omnes, & fideles Chriſti in Chriſto baptizati ipſum induerunt, membra facti ſunt corporis eius, & ſi dicerent ſe Sanctos non eſſe capiti ipſi facerent iniuriam, cuius membra ſancta ſunt.* Addit Cathechiſmus: *Sola Eccleſia legitimum ſacrificij cultum habet, & ſalutarem Sacramentorum vſum, per quæ tamquam efficacia diuinæ gratiæ inſtrumenta Deus veram ſanctitatem efficit, vt quicumque verè Sancti ſunt extra hanc Eccleſiam eſſe non poſſint.* Patet igitur Eccleſiam eſſe ſanctam, & eo quidem ſanctam, quoniam corpus eſt Chriſti à quo ſãctificatur, cuiuſque ſanguine abluitur.

CAPVT IX.

Sanctitas Eccleſiæ moralibus argumentis oſtenditur.

PRimum ſit. Eccleſia noſtra Catholica Sancta Sanctos facit, & omnibus ſeculis ſanctos protulit. De primis ſeculis annuerunt multi. De recentioribus qui ambigunt, legant vitas ſanctorum ſcriptas à Lippomano, Surio, & ceteris, inuenient plurimos; ſaltem non negabunt hos tres Bernardum, Dominicum, & Franciſcum Sanctos fuiſſe. Nam hoc negare non eſt auſus Lutherus Lutherus lib. de captiuitate Babylonica cap. 2. 2. & Melanchthon in Apologia art. 1. Melanct. & 17.

& 17. De Diuo item Antonio, Bernardino, B. Clara, Catherina Senensi, & Theresia, & Francisco Xauerio Hæretici multi sentiunt fama sanctitatis claruisse. Nec mirum, si qui Sanctos PP. habuerunt Filij, ij similes parētibus euaserint. Quod si Confessores Sanctos fuisse hæretici negent, Martyres inficiari non possūt, qui mirabili constantia pro Romana, & Catholica fide immanes sunt cruciatus, & mortes perpessi: quorum numerus infinitus est. Quem ad Calculos reuocat P. Iacobus Granado de fide disp. 1. nu. 6. & summam efficit vndecim millionum.

Granad.

Secundum: ibi Sanctitas est vbi sunt instrumenta, & signa sanctitatis. Hæc autem sunt in nostra Ecclesia Catholica, ergo ea sancta est. Patet, quia apud Hæreticos paucissima Sacramenta sunt, cum Catholici septem profiteamur. Vnde quasi ex fontibus sanctitas Ecclesiæ manat. Adeo vt etiam matrimonium sanctum sit quod Sacramentum sit. Profitentur Catholici humilitatem, & paupertatem, Castitatem, & obedientiam, vincere conantur cum diuina gratia hostes animi, mundum carnem, & Diabolum. Mundus à solitarijs, & Monachis, imo & à Monialibus contemnitur, cum eo diuitiæ, & honores negliguntur. Caro frenatur voto continentiæ emisso, castigatur flagellis, premitur sacco, pungitur cilicio, ieiunijs, & alijs pœnis sanctè excogitatis affligitur, delitiæ, & illecebræ fugiuntur, & somnus interrumpitur vigilijs, noctes Hymnis, & Psalmis resonant, dies statis horis preces, & orationes accipiunt. Non erubescimus aperire conscientias nostras, & peccata, vel secreta, & enormia sacerdoti reuelare, eique obedire, & impositas ab eo salutares pœnitentias subire, offerimus Deo, & Sanctis Vota, & Donaria, & Anathemata, & oblationes, exercentur opera misericordiæ, & ijs opes impenduntur, frequentantur Ecclesiæ, ornantur altaria, viget cultus Diuinus, & animi salus modis omnibus procuratur, quod si inter Catholicos sunt imperfecti, & peccatores, etiam inter Apostolicos fuit Iudas, & inter septem Diaconos Nicolaus, à quo Nicolaitæ Hæretici nominati.

Tertium, sancta est mater Romana Ecclesia, tum doctrina, tum factis. Docet esse opera bona, & necessaria ad salutem affirmat, & posse nos mortales gratia Dei excitante, mouente, & adiuuante mereri apud Deum actibus nostris bonis fatemur. Nec sola fide contenti sumus. Imò opus esse virtutes adiungere ad salutem consequendam credimus. Itaque viua fides apud nos est, quæ cum sit sanctitas inchoata animatur Charitate, quæ perficit fidem. Ecclesia ergo nostra præter fidem sancta est, & vltra Charitatem sancta, quia infunditur gratia, & ipsismet peccatoribus adhibentur remedia vt sanctificentur. Peccato originali, baptismo: peccatis actualibus, Sacramento pœnitentiæ medemur. Venialium remissionem varijs modis tum internis, tum externis procuramus: dolemus, atterimur, cruciamur, lustrali aqua aspergimur, benedictiones Episcopales impetramus, indulgentias obtinemus, Iubilea postulamus, ijsque fruimur vt veniam consequamur. Nouimus nos peccatores esse, & misericordiam Dei imploramus; imo & aliorum nos precibus commēdamus, & sanctorum commemoratione vtimur, vt eorum Sanctitatis participes sanctificemur. In hoc argumento versatur doctè, & eleganter Cardinalis Lugo de fide disp. 1. sect. 6. & Hurtado disp. 1.

Lugo
Hurtado.

Quartum: omnes aliæ respublicæ, & sectæ admiserunt vitia turpia, eaque impunita reliquerunt: vsuras, adulteria, fornicationes, inglu-

gluuiem, ebrietatem, promiscuos vxorum concubitus, periuria, & latrocinia, & repudia. Ac ne barbaros numeremus. Plato in sua Republica communes omnibus fecit vxores. Lacedęmones permiserunt, imo imperarunt adolescentibus latrocinia. Romani probauerunt, & exercuerunt licet serò repudia, cum tamen essent inter barbaros opinione legũ, & virtutum venerabiles, cuiusmodi multa hodie permittunt Mahometani, & Greges Hæreticorum, quæ Christiana Respublica detestatur, & seuerissimè punit. Quare Marcus Aurelius Imperator in sua Epistola Christianorum pietatem commendat, & eorum precibus in siti, qua æstuabat, opem, & in prælio in quo laborabat, victoriam se impetrasse fatetur. Quæ in Epist. ab Eusebio lib. 4. histor. cap. 13. & Iustino Martyre in Apologia, & Tertulliano in Apologetico cap. 5. narrantur.

Marcus Aurelius

Eusebius Iustinus. Tertull.

Quintum. Hæreticorum sectæ nõ sunt Sanctæ, nec Sanctos Parentes, nec filios habent. Parentes illos hereticorum priscos vitiosos fuisse ex ipsorum vita, & moribus apparet. Si vnum excipias Pelagium, qui vti erat author subtilis hæresis, ita se finxit acutè benè moratum, & probum assumpto habitu virtutis. Omnes alijs vitij, & sceleribus sunt conspurcati. Verum & hic Pelagius superbia, quę omnium peccatorum caput est, & initium, famosus extitit. Imo & hæresim condidit superbissimam affirmans naturam sine gratia Dei sibi ad salutem sufficere. Fuit autem hoc vitium superbiæ omnibus Heresiarchis familiare, quod erat Diaboli cuius sunt filij proprium. Ita Diuus Augustinus lib. de Pastoribus cap. 8. *Hæreses*, inquit, *diuersis locis sunt diuersæ, sed vna mater superbia omnes genuit, sicut vna Mater Nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos*. Et quidem illi Philosophi, Patriarchæ Hereticorum, quamquam essent egregij simulatores sanctitatis vitijs abundarũt, vti scribit Atheneus lib. 13. c. 27. & ex nostris Theodoretus lib. de legibus & apertè D. Paulus ad Roman. 1. Arius, & Macedonius, & Eunomius, & Nestorius, & Eutyches, quàm scelesti fuerint ex ipsis Concilijs, & historia Ecclesiastica manifestè constat. Manichæos quanquã virtutis pallio scelera sua operirent, multis flagitijs coopertos fuisse scribit Augustinus lib. de moribus Manicheorum 2. & lib. Vnico de moribus Ecclesiæ. Elurus, Moggo, Seuerus, & Photius immanissimi, & sceleratissimi extiterunt, monstris, quam hominibus propiores.

Pelagian

August.

Athen. Theod. Roman.

August.

Veniamus ad nostri temporis hereticos. Primùm Lutherus adeo superbus fuit vt lib. contra Regem Angliæ se iactet de mirabili sua scientia, & doctrina, quo fastu turgidus ait se nihili facere mille Cyprianos, mille Augustinos, & mille Ecclesias. Se pro Sancto velle haberi, & coli, velint nolint homines; addit item eum se virum esse vt Reges, Principes, & Pontifices non sint digni, qui eius calceamenti corrigiam soluant. Egregius sanè Baptistæ imitator. Quam salax fuerit Catharina Bora sit testis: quàm Helluo, suæ comessationes, & compotationes, & crapulæ quæ eum tandem extinxerunt, testantur. Certe illius superbiam, & impudentiam ne sectatores quidem ferre potuerunt. Sic enim de illo Conradus Gesnerus in Bibliotheca Vniuersali: *Illud non est dissimulandum virum esse Lutherum vehementis ingenij, impatientem, & qui nisi per omnia sibi consentientes ferre nequeat*, & inf. *Dominus faxit, ne contentione, & impudentia obsit Lutherus Ecclesiæ suæ*. Ministri vero Tigurini in Responsione ad librum scriptum à Luthero contra Zuinglium sic aiunt. *Lutherus sua*

Lutherus

Conrad. Gesner.

quaerit, pertinax est. Insolentia nimium effertur, & in omnibus correptionibus eius plurimum maligni spiritus, quam minimum vero amici, & paterni animi deprehenditur.

De Caluino autem notissimum est eum praeposterae libidinis poenas publicè dedisse, & post latam sententiam liliata terga candentis ferri opera gestasse, ac ne combureretur aufugisse. Beza eius discipulus vtriusque Veneris mancipium fuisse traditur, & ipsemet in suis carminibus impudenter testatur se perditissimis amoribus deditum, ac id sibi gloriae ducit. Non est opus longius in his sordibus immorari, ne calami conspurcentur. Patent, ac nemo qui horum haeresiarcharum acta legat, non foetentis animi notas deprehendat. At discipuli Sancti fuerunt. Vtrum hoc verum fuerit, dicat Erasmus eorum prodromus, & amicus Epist. ad Vulturium scripta anno 1529. duodecimo fermè, quàm Lutherus apostatauit anno. Ita. *Circumspice populum istum euangelicum, & obserua num minus illi indulgeant luxui, libidini, & peccatis, quam faciant ij quos detestantur. Profer mihi quem istud Euangelium ex commensatione sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt deteriores.*

Erasmus.

Sextum. Haeretici omnes rationes & vias comparandae Sanctitatis sustulerunt. Sacramenta, Sacramentalia, sacrificia, vota, psalmodias, & meditationes, vigilias, flagella, ieiunia, cilicia exterminarunt. Continentiam, sobrietatem, modestiam, demissionem animi, paupertatem voluntariam, obedientiam, macerationes corporis exploserunt. Aras Imagines, Sacraria, Templa, Sepulchra, & monumenta Martirum euerterunt, lustrales fontes exsiccarunt, sacra lipsana combusserunt, breuiaria, litanias, precarios globulos abiecerunt, Iubilaea, Indulgentias, benedictiones Episcopales, & Sacerdotales irriserunt. Sacra omnis pessum dedere. Imo & ipsosmet sacros ordines extinxerunt, & locos omnes religiosos, ne quae rei Sacrae extaret memoria exciderunt, veriti ne si starent, vel muti eorum mores refutarent. Nihil reliquerunt intactum, nihil integrum, nihil sanctum, cum ipsa quoque pietatis vestigia aboleuerint. Quomodo ergo Sancti esse, & dici possunt, qui omnem Sanctitatis imaginem deleuerunt? Vbi Cellae Anachoritarum? Vbi coenobia Monachorum, vbi septa, & custodiae virginum. Vbi Gyneceea Viduarum. Vbi Gymnasia pudoris? Omnia in ganeas, in lustra, in popinas, in lupanaria versa lugent, & videre est in ijs, & ludere, & scortari Ganeones, Lurcones, & Nebulones. Cum igitur nulla sint instrumenta virtutum, sed vitiorum incitamenta, quid Sancti relinquitur apud illos, quorum ne Ecclesia quidem est?

Septimum verum, & perspicuum Sanctitatis Ecclesiae argumentum esto patratio miraculorum, quae certè ab omnibus nota percipitur; cum miracula sint supra naturae vires argumentum est eos, à quibus fiunt, iustos, & sanctos esse. Et quidem Ecclesia Catholica ab initio in miraculis fundata fuit, vt apparet in ijs quae Christus author illius édidit, quod expendit Augustinus lib. de vtilitate credendi cap. 16. Imo & ipse Christus cum Apostolos ad praedicandum misit, potestatem patrandi miracula fecit, idque in argumentum fidei transtulit, *in nomine meo Daemonia eijcient, serpentes tollent, si mortiferum quid biberint non eis nocebit*. Idem Petrum Vicarium in terris suum insignibus miraculis illustrauit, adeo vt sola vmbra sanaret. Paulum Praeconem fidei in

August.

Marc. vl.

Actis Apostolorum illustrem mira-cula fecerunt. Nemo Apostolorum ijs non claruit. Martyres fidei præcipui assertores, ac duces ea sæpe edidere miracula, vt multos ex ipsis tortoribus eorum admiratione ad Christum conuerterint. Ecclesia ex quo nata est per omnes adulta ætates eam semper notam ad nostra vsque tempora traxit. Nostri fuere Thaumaturgus, Martinus, Cuthbertus, Eduardus, Anselmus, Bernardus, Antonius, Xauerius, viua sanctitatis prodigia, qui mira patrando fidem nostram confirmarũt. Quare hoc vtitur argumento Augustinus lib. de vtilitate credendi cap. 17. & inter indicia veritatis Catholicæ ponit miracula. Quæ tanti momenti esse duxit, vt cum cap. 17. dixisset ea miracula, quæ olim fiebant, nunc, id est suo tempore, non fieri, quò magis noua apparerent, quod essent interrupta, conscientia ductus animaduertit lib. 1. retract. cap. 14. retractans, quod dixerat his verbis: *Adiunxi dicens: Cur inquis ista modo non fiunt? atque respondi, quia non mouerent nisi noua essent, si autem solita essent, mira non essent: hoc autem dixi, quia non tanta nec omnia modo, non quia nulla fiant etiam modo.* Itaque voluit miracula perseuerare. Eius autem discipulus Richardus lib. 1. de Trinitate cap. 2. aptè & cum energia: *Domine, si error est quod credimus, à te decepti sumus, ista enim in nobis ijs signis, & prodigijs firmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.* Et quidem tam probant Diuinitatem, & fidem Diuinitatis miracula, vt Diaboli ea sæpè tentare ausi sint, vt quamuis ea edere non possent, fucos tamen, & præstigias facerent, & falsa specie miraculorum cultum suum hominibus persuaderent.

Augustin.

Richardi.

Quamquam vero Caluinus in præfat. institutionis, & Magdeburgenses in singulis fermè centurijs eneruare fidem miraculorum nostrorum conentur, & Necromanticos Sanctos nostros appellent: ipsi demum conati sunt miracula patrare, quod crederent irrefragabile hoc esse Sanctitatis argumentum.

Octauum sumitur ex Sanctitate insolita, & prodigiosa Hæreticorum, & ex miraculis eorum. Fatemur enim apud Hæreticos nouum genus virtutis esse, & nouam gratiam miraculorum, quæ cuiusmodi sint diligenter expendendum. Et quidem nouum, & insolens sanctitatis genus nouatores excogitarunt numquam antea visum extra bona opera & sine gratia per extrinsecam tãtum condonationem, nulla forma inhærente animis, nullo habitu insidente, aptè sanè, & acutè, nam cum ij nullum actum virtutis admittant habitus excludere debuerunt. Itaque sicuti nominales Philosophi sublatis rebus vniuersalibus, & nominibus dumtaxat admissis, rerum veritatem abstulerunt: ita Nouatores solo nomine Sanctitatis contenti rem omnem virtutis sustulerunt, & sancti Nominales esse voluerunt. Præterea inusitatam formam virtutis in suas Ecclesias induxerunt, pestes vitiorum, quas nos Catholici abominamur, & fugimus. Pro Virginitate Impudicitiam, pro modestia impudentiam, pro sobrietate Crapulam, pro ieiunio commessationes, pro Vigilijs scortationes, pro temperantia ingluuiem, pro paupertate copias, pro demissione animi superbiam, pro patientia iracundiam, pro frugalitate luxum, pro Religione contemptum, pro pietate ferociam, pro votis libidines, pro religiosa professione effrenatam licentiam viuendi; neque ista calumnia est ijs à me imposita, sed vera à suis expressa confessio.

Audiant Andream Smidelinum concione 4. super cap. 20. Lucæ, quæ habetur apud Canisium lib. 1. cap. 4. de

Andreas Smidelin

Canisius.

de corruptelis Verbi Dei hæc de suis Lutheranis prædicantem. *Vt totus, ait, mundus agnoscat eos non esse Papistas, nec bonis operibus quicquam fidere, illorum etiam operum nullum exercent penitus. Ieiunij loco commessationibus, & perpotationibus nocte, dieque vacant, vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglubunt, & excoriant, precationes vertunt in iuramenta, blasphemias, & Diuini nominis execrationes, idque tam perditè, vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur. Demum pro humilitate passim superbia, elatio, atque hoc vniuersorum vitiorum genus ab illis Euangelicum datur institutum.* Hæc excucullatus Monachus, sed qui adhuc reliquias habitus memoria retinebat. Imo ne Lutherus quidem id negauit. Stemus illius quem authorem, & Principem suæ Ecclesiæ habent idonea authoritate. Illius hoc est in postilla Euangelij Dominicæ primæ Aduētus de sui Gregis bonitate luculentum testimonium. *Mundus, ait, in dies fit deterior, sunt nunc homines magis vindictæ cupidi, magis auari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti, & magis indisciplinati, multoque deteriores, quam olim fuerint in Papatu.* Hæc fuit reformatio Ecclesiæ Catholicæ ab illo Patriarcha Hæreticorum facta. Ij sunt hæretici, in quos quadrat illud: *Salutem ex inimicis nostris*: ij nobis etiam cum detrahere volunt confessione sua proficiunt. Itaque Nouatores è Virginibus prostibula, è Monialibus Meretrices, è pueris Catamitos, è Monachis Nebulones, è Presbyteris Sicarios fecere, cœnobia in stabula, templa in sterquilinia, Altaria in popinas, Aras in Haras conuerterunt. Deque his virtutibus gloriantur. Ij ferali incendio Ecclesiam corruperunt. Videmus vacuos religione populos, lustris, & ganeis Ciuitates fumantes, de quibus illud possis dicere: *Campos vbi Troia fuit.* Et rursum: *Sunt sordes vbi Missa fuit*; nempe missa omnia sacra fecerunt.

Lutherus

Similia virtutibus suis miracula patrarunt. Primus Lutherus ausus est miraculum edere, eoque doctrinam suam confirmare. Narrat Staphilus testis oculatus voluisse illum ex puella energumena diabolum eijcere: facilius immitteret. Comparauit se ad miraculum; parum abfuit, quin ipse à diabolo interficeretur. Non poterat eijci Diabolus à Luthero; nec enim vnus ab altero diabolo expellitur: digito Dei opus erat, qualem Lutherus non habebat.

Staphilus

Nihil hic Lutherus profecit, sed aliàs magis profecisse scribitur, ac in re multo difficiliori, & Luthero digna. Nesenum in Albi casu infelici submersum, & in ripam extractum Lutherus suscitare aggreditur, Elisæum imitatur, applicat se cadaueri, inspirat halitum, & verba miscet, sed frustra, mortuus enim vti erat frigidus mansit. Sed quod in alio non potuit efficere, id in cadauere suo præstitit. Decessit Lutherus vigente hyeme. Illius cadauer arca stannea exceptum Vvitembergam delatum, cumque & tempus, & locus conditum cadauer adhuc recens immune à putredine, & pure seruare aliquādiu debuissent, præter naturam tamen fœtor ex eo tantus euasit, vt baiuli ferre nequiuerint, atque adeo corpus in medio itinere reliquerint, insigni miraculo attoniti, quomodo ille naturam frigoris stannique vicisset. Ita narrat Cochlæus in Additione ad Lutherum.

Coclæus.

Grandius fuit Caluini miraculum: refert illud Hieronymus Bolsecus in eius vita, qui nisi esset author idoneus rem tantam nemo crederet. Brulęus quidam Ostuni natus, vir pauper paupere cum vxore miseram

Bolsæcus

degebat vitam. Huic Caluinus sæpè viuendi subsidia ministrabat. Vt eos hoc beneficio deuinxit illam mercedem exegit, vt secum de edendo miraculo conspirarent. Silentio, & fide summa patrandum erat. Conuenit vt Brulæus se mortuum fingeret, & vxor Caluinum rogaret vt maritum ad vitam reduceret. Actum ita. Stata die Caluinus magna Discipulorum caterua comitante in forum exijt: Ibique in magna frequētiā illum vxor sparsis capillis, & magnis fletibus rogauit, vt coniugi suo recens mortuo vellet vitam afferre. Finxit Caluinus se inuitum ad rem tantam rogari. Aegrè visus est cōsentire, & trahentem sequi. Ventum Domum. Viso mortuo Caluinus preces effundit, precatur Deum, vt ad Euangelij sui confirmationem illum mortuum suscitaret. Mox ad loculum fidenter accedens contenta voce Brulæi nomen inclamauit, & addidit verba: surge à mortuis. Nihil ille ad hæc. Apprehendit Caluinus manum, frigentem reperit, mouit corpus, cadauer inuenit, diu expectantem sors delusit. Tunc vxor ad loculum & ipsa accessit, & amplexari dum vult maritum, cadauer amplexata est. Cohorruit, & vt mortuum vidit, in Caluinum inuehi cœpit. Impostorem vocat: rem totam aperit, & coniugis interfectorem appellat. Irrisus esset Caluinus, nisi euentus tam esset lacrymabilis. Aequum sanè fuit, vt qui præpostera vtebatur libidine, præpostera patraret miracula. Simile huic alterum ex Lutheri Schola discipulum edidisse prodigium refert Fœlicianus Ninguarda lib. contra Annam Burgiensem, & Lindanus, & Alanus Copus lib. 6. Dialogorum. Nam cum hic in finibus Poloniæ, & Hungariæ Matthæum quendā fictè ac ex composito mortuum reuocare ad vitam vellet, verè mortuum reddidit, probauitque hęresim non vitam afferre, sed mortem. Constat igitur verum esse in Nouatoribus nostri temporis, quod de sui temporis hęreticis grauiter dixit Tertullianus: *Probent se nouos Apostolos. Dicant Christum iterum descendisse, & dedisse eis virtutem eadem signa edendi. Nolo eorum virtutes proferre. Nisi quod agnosco maximam virtutem, cum qua Apostolos in peruersum æmulantur. Illi enim de mortuis suscitabant: Isti de viuis mortuos faciunt.* Videbatur cum hæc scriberet Tertullianus hæreticos nostros notare.

Ningu. Lindan. Alan. Copus. Tertull.

CAPVT XI.

De Ecclesia vti est Catholica.

Catholica Græca vox est. Vniuersalem, & per totum Orbem diffusam significat, non addictam loco, aut tempori, aut nationi, sed omnia tempora, & locos, & nationes complectentem, quod obseruat Vincentius Lyrinensis in Commonitorio, vbi dicit: *eos esse Catholicos, qui tenent id quod semper, quod vbique ab omnibus creditum est.* Talem Deus voluit esse Ecclesiam suam omnino Synagogę contrariam quæ tempus habuit determinatum, à Moyse vsque ad Christum, Populum certum Iudaicum, locum limitatum Iudæam, vt ait Dauid, *notus in Iudæa Deus.* Igitur Ecclesia Catholica omnia tempora complectitur iuxta illud: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Omnes locos comprehendit, secundum illud. *Ite in mundum vniuersum.* Ad omnes nationes extenditur, vti patet ex illo. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ita Diuus Augustinus lib. de Vnitate Ecclesiæ cap. 6. & Beda in cap. 6. Canticorum, qui aiunt, vt Ecclesia sit Catholica requiri, vt omnia tem-

Lyrinen. D. Aug. Beda.

tempora, omnia loca, omnia prorsus hominum genera complectatur. De
Dan. 2. qua Daniel cap. 2. num. 44. *Suscitabit Deus Regnum, quod in æternum non dissipabitur*. Hæc nota Catholicæ, est germana, & Genuina
Optatus. Ecclesiæ. Eam Optatus, & Augusti-
August. nus contra Donatistas asserunt, qui Hæretici Ecclesiam ad paucos sectatores suos restringebant, & ad vnum angulum Africæ reducebant, quibus similes Lutherani, & Caluinistæ, qui solos se aiunt esse fideles,
Maldon. & prædestinatos, & apud se Ecclesiam esse iactant. Qua de re Maldonatus eleganter comm. in Matth. 13. n. 47.

Probatur Ecclesiam esse Catholicam primo, quia Christus quando misit discipulos suos ad fundandam Ecclesiam dixit: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Secundo, quia Ecclesia Christi Hierosolymis nata est eo tempore Pentecostes, quo in eam Vrbem totius Orbis nationes conuenerant. *Parthi, & Medi, & aliæ gentes ex omni natione, quæ sub cælo est*. Tertio quia Spiritus San-
Act. 2. ctus apparuit Apostolis specie ignis elementi omnium voracissimi, qui facile ardet, & diffunditur, & obuia quæque corripit, & fit incendium. Addidit formas linguarum, quæ dispertitæ diuersitatem gentium, quæ per linguas cognoscuntur, significant. Quarto quia Petro,
Act. 10. capiti, & Principi Ecclesiæ apparuit linteum de cælo delapsum quatuor initijs demissum, & explicato sinu expansum, vbi omnes animantes continebantur, & ad quatuor vsque Cæli plagas, & quatuor mundi partes dilatatum, vt in ea contentos populos adumbraret. Quinto Apostoli initio Ecclesiæ statim inter se Orbem diuiserunt, vt partiti inter se Prouincias Euangelium per totum Orbem propagarent. Adeo vt mirum sit tam breui Petrum Romæ, Iacobum in Hispania, Thomam in India, Matthæum in Aethiopia, Ioannem in Asia, & alios alibi fidem prædicasse, & Christi Ecclesiam propagasse. Sexto Apostoli cum essent Episcopi à Christo instituti nulli certæ Ecclesiæ addici voluerunt, præter Iacobum minorem, qui Hierosolymis mãsit, vt liberiores ad disseminandam fidem existerent. Itaque Petrus Antiochiæ, Alexandriæ, ac Romæ Ecclesias fundauit, vnica sede non contentus, quam si postea Romæ fixit, ideo fuit, quia Roma Vniuerso Orbi imperabat, & omnium mundi nationum compendium erat, quo significauit, quemadmodum Imperium Romanum per totam Vrbis Vniuersitatem diffusam fuerat, ita Ecclesiam Christi esse amplificandam, vt iuxta D. D. Leo.
Leonis authoritatem: *Roma latius præsideret Religione Diuina, quàm dominatione terrena*. Idem dixit Pro- Prosper.
sper carmine de ingratis.

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris.
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis,
Religione tenet.

Vt quidquid de Roma prophana dixit Maro ad Romam Sacram applicari possit.

Illa inclyta Roma, Virgil.
Imperium terris animos æquauit Olympo.
& Iterum
Romanos rerum Dominos, gentemque togatam.

Confirmatur, quia Paulus, qui propriè dictus Apostolus nullam determinatam Ecclesiam habuit, sed per omnes gentes fidem circumtulit, & Ecclesiam amplificauit, cuius amplificationis fundamentum, & signum Crucifixi Christi Crux fuit,

fuit, quæ in quatuor brachia explicata quatuor mundi partes in quibus infigenda erat declarauit. Itaque in Catholica Ecclesia impletur illud Psalmi 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, & illud Psalm.27. *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ*, & aliud Psalm. 9. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.*

Psalm. 2. Psal.27. Psalm. 9.

Hac igitur nota veluti argumento efficaci vtitur Augustinus lib. cõtra Epist. fundamenti cap.4. & serm. 131. & 151. de tempore, & in libris contra Cresconium.

Superest videndum, quomodo Ecclesia Catholica sit? Augustino Authore id sciemus. Ait hic in epist. 80. Hesychium, vt ecclesia sit Catholica non requiri, vt sit in omnibus hominibus totius mundi, sed satis esse, vt innotescat omnibus Prouincijs, & in omnibus fructificet, ita vt aliqui in ea fideles sint. Idque processu temporis vsque ad finem mundi. Nam donec istud fiat, non venient Dies Domini, vt habetur Matth.24. quod notat Driedo lib.4. cap. 2. par. 2. & Suarez disp. 9. sect. 2. Hac enim ratione fit vt ecclesia sit Vniuersalis, cum per totum Orbem diffundatur, & ad omnes nationes perueniat. Aliud est enim seruare fidem, aliud peruenire ad notitiam fidei. Seruare quippe fidem opus est hominum voluntarium, & liberum arbitrium cum gratia Dei: At vero habere notitiam fidei, non est in hominum potestate, sed ad gratiam, & prouidentiam Dei pertinet, qui reuelat fidem, & vocat ad ecclesiam. Quare vt hęc sit Catholica prouidere Deus debet, vt ad omnes gentes extendatur, & eas omnes secũdum aliquam partem comprehendat.

August. Driedo. Suarez.

Sed contra Hæretici obijciunt hoc modo perire ecclesiam, & extingui, quod ij maximé volunt, sed facilè occurritur dicendo ecclesiam non perire, sed procedere ab vna parte ad aliam deserendo interdum aliquas, & alias occupando. Quod satis est vt per totum Orbem diffundatur, cum tamen semper in Arce Romana, & in præcipuis Europę partibus consistat, ac perseueret; quod autem subeat mutationes, defectus, & incrementa, id proprium est ecclesiæ militantis, quę Lunę assimilatur cum qua paulatim crescet, donec totum impleat orbem, vti obseruat Maldonatus ex D. August. contra Donatistas. Esse autem immutabilem solius Ecclesię triumphantis proprietas est. Cursum ergo ecclesię Catholicę videamus, de quo Augustinus epistola 13. ad Bonifacium comitem: *Ecclesiam*, inquit, *toto orbe terrarum diffusam Vniuersarum Stripturarum testimonia consona voce proclamant*. Tempore Apostolorum totum penè Orbem occupauit, quibus cũ discipuli successissent magis ac magis amplificata est. Verè enim enim in Psalm.40. dicitur *pro patribus tuis nati sunt tibi filij*. Testis est huius ecclesię amplitudinis Irenęus antiquissimus Pater, qui lib. 1. cap. 3. refert, suo tempore per omnes, tunc cognitas prouincias ecclesiam esse dispersam. Idem de sua ętate testatur Tertullianus lib. contra Iudęos cap. 3. Idem de sua Cyprianus lib. de Vnitate ecclesię. Idem Athanasius lib. de humanitate Verbi. Idem Chrysostomus, & Hieronymus in cap. Matth. 24. eandem veritatem ex instituto probant Optatus contra Donatistas, & D. Augustinus epistola 78. & 80. & contra litteras Petiliani cap. 38. & lib. de Vnitate ecclesię.

Maldon. August. Irenæus. Tertull. Cyprian. Athanas. Chrysost. Hieron. Optatus. August.

Testantur Catholicę ecclesię amplitudinem Concilia Vniuersalia. Nam in Concilio Niceno subscribunt 318. Patres ex diuersis Europæ, Africę, Asiæ, Prouincijs congre-

gregati. Misit quippe Asia Maior duodecim Prouinciarum episcopos: Africa vndecim Prouinciarum, Europa quindecim. In Concilio Ephesino ex toto Orbe conuocati sunt episcopi, vt obseruat Binius in Notis, & patet ex ipsorum subscriptionibus. Idem in Chalcedonensi Cōcilio manifestè apparet; sed multò in Sexta Synodo manifestius, quo tempore iam erant quatuor Sedes Patriarchales institutæ. Nam omnes Patriarchæ in ea Synodo, & sequenti, vel per se, vel per Legatos adfuerunt: quorum quam latè pateret iurisdictio ex Elencho Patrum apparet. Certè Augustini tempore erant, qui crederent finem mundi aduentare, quod putabant Ecclesiam per totum Orbem iam esse diffusam, vti constat ex duabus epistolis 78. & 80. ad Hesychium, in quibus Augustinus fatetur etsi in Prouincijs Romano Imperio subiectis plantata ecclesia esset, & in alijs nonnullis extra Romanum Imperium, non tamen constare per totam Orbis Vniuersitatem esse dispersam. Huic amplificationi egregium testimonium reddit Theodoretus lib. de legibus, & Leo I. serm. 1. de Spiritu Sancto, & serm. 1. de Sanctis Petro, & Paulo. Iam vero Gregorio Magno Pontifice mirum in modum creuit ecclesia, quod eius nos docent epistolæ datæ ad episcopos, Orientis, Africæ, Hungariæ, Angliæ, Siciliæ, vt apparet ex epistola 42. & 60. 70. & 71. & ostendit Baron. ann. 59.

Binius. August. Theodor. Leo I. Gregor. Baronius

Maior fuit postea Bedæ ætate ecclesiæ amplitudo, vt ipse testatur cap. 6. in Cantica cant. tempore Adriani I. magnos sub Carolo Magno Catholica fides ad septentrionem progressus fecit: post aliquot sæcula affirmat Bernardus coram Rogerio Rege Siciliæ Romano Pontifici parere in Sacris Orientem, & Occidentem, idest Franciam, Hispaniam, Germaniam, Angliam, Iberos, & plurimas barbaras nationes. Patet ex eius lib. de consideratione ad Eugenium, & in lib. vitæ Bernardi secundo c. 7.

D. Bern.

Postea vix vno interiecto sæculo D. Francisci, & Dominici Religiones ecclesiam Catholicam maximè dilatarunt: laborante Dominico cōtra Albigenses, & Francisco in Mauros, & Paganos fidem proferente. Adeo vt in Syriam ipse penetrauerit, & suos ire iusserit, ac ex eorum sanguine in Mauritania fuso fructus perceperit.

Paulo post vnum sæculum aperiri cœpit à Lusitanis opera Henrici Infantis clausus hactenus ad Austrum Orbis, & paulatim in Africam, qua parte erat incognita, Crux illata, quæ procedente tempore Ioanne II. Rege in ecclesia Congana erecta fuit, & ad Populos procelloso capiti vicinos lustrato primo Benuini Regno progressa est. Quin etiam Aethiopes tunc Orientales ad ecclesiam missis cò Legatis à Lusitaniæ Regibus vocati.

Ex alia parte Rege Ferdinando Catholico nouus Orbis detectus à Christophoro Columbo, qui nouas in Insulis Regiones ecclesiæ peperit. Et paulo post exploratas Oriens ab Iasone Lusitano Vasco à Gama noua, & vasta Regna Christi patrimonio adiecit, & Americo Vespuccio Florentino in vastissimarum Regionum viscera penetrante America quarta pars Mundi, vel nouus Mundus ecclesiam recepit: & addita Brasilia Vniuersitatem, & Fidei, & Orbis compleuit. In eas plagas PP. Franciscani primum, deinde Dominicani. Postea Augustiniani fidem intulerunt. Nouis deinde detectis, & exploratis Prouincijs Societas IESV magno ecclesiæ bono nata Duce Apostolo Xauerio Euangelium per immensa Maria, & longissima terrarum spatia ad vltimos Orien-

Orientis terminos penetrauit: quos nec Liber, nec Alexander armis attigerant.

Et verso ad Occidentales Indias vultu, eò quoque Societas gressum direxit, & religioso eas passu peragrauit. Vbique aræ erectæ, templa condita, ecclesia amplificata. Aurea ad Auroræ ortus Chersonessus, Taprobane, Molucæ, Iapponia, ingentes Insulæ apertæ, quæ nemini antea externo patuerant. In clausas, & imperuias Sinarum Regiones, remotis obicibus, perfractis repagulis, euulsis, siue disiectis claustris defuncti in ipso aditu Xauerij Sanctissimi Apostoli beneficio, Societatis opera ecclesia penetrauit, & per cadentium Idolorum ruinas ingressa gloriosè de Tartareis hostibus triumphauit.

Ita authore Deo factum est, vt cum Lutherus, & Caluinus ad Septentrionem Christi ecclesiam ferino more deuastabant, & miseros populos à Romana ecclesia auertebãt, tunc ad Austrum, & Orientem, & Occidentales Indias noui Christi Apostoli Romanam ipsam ecclesiam inter numerosissimas gentes propagarent.

Tria hinc argumenta contra Hæreticorum sectas deduco. Primum eos ecclesiam contraxisse, & diminuisse, nostros autem Catholicos auxisse, & propagasse: ex quo illos non esse Catholicos apparet. Secundum Deum ad aperiendas nouas regiones, detegenda maria, nouum Orbem explorandum, non hæreticos, sed Catholicos ministros elegisse, quod ad eos hæreticos non pertineret ecclesiæ Catholicæ propagatio. Tertium hæreticos sectas suas non admodum propagasse, nec propagare potuisse. Nec enim aliud conabantur, nisi ecclesiæ nocere, ac detrahere, & sectas condere, quæ in alias sectas dissiliendo magis magisque conuentus eorum contraherent. Adijcio: Romanam ecclesiam pro omnibus etiam inimicis, & hostibus suis orare, & in Sacris totius anni solemnioribus publicas pro ijs orationes fundere, ac pro hæreticis, Iudæis, & Paganis nominatim Deũ rogare vt eos illuminet, & ad salutis viam perducat. Quod argumento est eam veram Matrem, & Catholicam esse, nec iniuriæ ab ijs acceptæ, sed pietatis, & officij sui rationem habere.

Tandem Sacra hęc de Propaganda Fide Congregatio integrum aduersus hæreticos, & iustum argumentum est, quæ non sine magna diuini numinis prouidentia instituta, & in Arce Romanæ ecclesiæ est erecta ad Religionem Catholicam per totam Orbis Vniuersitatem amplificandam. Accedit Collegium ex omnium penè nationum alumnis conflatum, vbi ex diuersis mundi partibus collecti iuuenes educentur, excolantur, erudiantur, vt bene instructi ad suos quique populos mittantur, & inter eos Catholicam doctrinam disseminent.

CAPVT XII.

Argumenta Hæreticorum proponuntur, & soluuntur.

PRimum: esse ecclesiam Catholicam non est perfectio, imo est imperfectio: ergo non est nota veræ Ecclesiæ. Probatur assumptum, quia Christus paucitatem laudauit, dum dixit. *Pauci vero Electi*. Vnde apparet non ex multitudine, sed ex paucitate notam ecclesiæ esse sumendam. Hoc argumento vtebantur olim Donatistæ, & hodie Caluinistæ, qui paucos se esse conspicientes illam notã ecclesiæ Catholicæ ferre non possunt. Respondetur hoc argumentum ineptum esse primo, quia in ecclesia non tantum sunt electi, id est iusti,

sed

sed etiam vocati, qui multi sunt, vti ait Christus, *multi sunt vocati*. Ecclesia autem constat ex fidelibus, qui comprehendunt iustos, & iniustos, electos, & vocatos. Secundo, quia confundit ecclesiam triumphantem cum militante de qua tantum loquimur. In eo enim distinguuntur, quod triumphans constat solum ex electis, & paucis, militans vero ex vocatis, & multis. Preterea retorquetur in Aduersarios argumentum, quia si pauciores admittendi sunt ad ecclesiam, & paucitas in laude ponitur, sequitur ecclesiam constare ex peioribus: nam sacrilegi sunt pauciores, quàm fures: Parricidæ pauciores sunt, quàm homicidæ: Adulteri pauciores sunt quàm fornicarij. Ergo ex Sacrilegis, Parricidis, & Adulteris constabit ecclesia. Et hac ratione concedimus Caluinistis, eos esse pauciores Catholicis, & eodem modo, quo Sacrilegi, Parricidæ, & Adulteri saluantur, omnino esse saluandos.

Secundum argumentum est. Gentilismus, & Mahometismus latius patet, quàm ecclesia. Ergo si hæc nota vera est, vterque erit Catholicus. Respondetur primo esse Catholicam supponere veram Religionem, & Fidem qualis non est Gentilismi, & Mahometismi, & ista nota non est vnica, sed comitatur alias, & cum ijs ecclesiam significat. Vnde non debemus destruere substantiam Fidei, & solam proprietatem asserere. Respondetur secundo Gentilismum, & Mahometismũ in locis, vbi est latius, patere, at non diffundi per totum orbem, vti Christianismus diffunditur, qui in omnes partes mundi extenditur. Nam Gentiles non sunt in Italia, nec in Gallia, nec in Hispania, nec in reliqua Europa. Idem est de Mahometanis, excepta ea, quam armis occuparunt post Florentinum Concilium Regione. At Christiani sunt in omnibus mundi partibus, & per eum totum disseminantur. Et hic est sẽsus in quo ecclesia dicitur Catholica. Addo Gentilismum inter Mahometanos vix esse, & Mahometismum in America minimè inueniri.

Tertium, Ecclesia Catholica Romana dicitur, & ad Romanos tãtum redacta est: ergo non est Catholica. Respondetur primo: Ecclesiam non eo sensu dici Romanam, quod extra Romam non sit, sed propter Cathedram, & Sedem, quam Pontifex habet Romæ. Vnde alia nota est esse Romanam, alia esse Catholicam. Hæc pertinet ad omnes gentes: illa vero ad notam qua dicitur Apostolica. Respondetur secundo, Romanam Ecclesiam perinde esse ac Catholicam, nam Romana fides est ea, quæ vbique est, & vbique prædicatur. Præterea sicut Romanum Imperium cum erat omnino temporale, & gentilicum per totum Orbem fundebatur, ita vt Generale haberetur, ita Romana Ecclesia iurisdictione, & religione spirituali per totum Orbem funditur, & Vniuersalis appellatur. Imo Prouidentia Dei fuit, vt Romæ Sedes Ecclesiæ poneretur, vt in qua fuit potestas, & Imperium seculare, ita & in ea esset Imperium, & potestas spiritualis cum iurisdictione vniuersali. Ac ita soluitur argumentum, imo & in aduersarios retorquetur.

Quartum, Iudæi sunt, etiam diffusi per totum Orbem: ergo eorum Synagoga erit Catholica. Ex quo apparet hanc notam esse futilem, nec idoneam. Respondetur primo, Iudæos non esse diffusos per totum Orbem, sed dispersos in supplicium, & pœnam, non enim crescunt vti fideles, nec alias gentes cõuertunt ad suam sectam, vti faciunt Catholici, qui in dies magis multiplicantur, & crescunt in millia. At Iudæi satis fecerint si conseruentur.

Respondetur secundò, Iudæorum non solum non esse Ecclesiam, sed nec etiam Synagogam, cum careant Rege, Templo, & Sacrificio. Nos autem loquimur de Ecclesia, qualem non habent Iudæi. Respondetur tertio, argumentum esse futile. Nam posset etiam quis argumētari: latrones vbique sunt: ergo latronum congregatio erit Ecclesia. Tandē ratio cur Deus voluit Iudæos per totum Orbem dispergi, ea fuit, quia teste Augustino ij debuerunt tanquam baiuli Scripturarum eas per totum Orbem circumferre, vt testimonia Christi Messiæ Christianis, & gentibus suppeditarent. August.

Quintum argumentum: Argumentari à loco, & tempore est ineptum, cum sit ab extrinseco materiam laudis assumere. Respondetur, locum, & tempus non esse per se laudes, & perfectiones, sed eas tamen supponere in subiecto, cui applicantur. Patet exemplo Dei, qui ab immensitate, & æternitate laudatur, quæ arguunt infinitam in Deo perfectionem. Ita res habet in extensione, & duratione Ecclesiæ. Nam quod ea per omnia loca, & tempora diffundatur ab eius perfectione oritur, quæ ex illis proprietatibus deprehenditur.

CAPVT XIII.

De nota vltima Ecclesiæ, quæ est Apostolica.

SVperest nota Apostolica, quæ est genuina, & significat Ecclesiam, ab ipsis Apostolis esse fundatam, imo, & supra Apostolos iuxta illud, *Supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*, de qua dicitur, *fundamenta eius in Montibus Sāctis*. Hanc notam protulit Tertull. lib. de præscriptionib. *Illa*, inquit, *vera Ecclesia sentitur, quæ ab Apostolis legitima fuisse deducitur*. Idem docet Irenæus lib. 3. cap. 3. & lib. 4. c. 63. Cyprianus lib. 1. epist. 6. Augustinus epist. 165. ad Generosum, & lib. 7. epist. fundamenti c. 4. Trifariam sumitur hæc nota Apostolica. Primo, quòd ab Apostolis initiū doctrinæ, & fidei accepit. Nam Christus fuit Magister Apostolorum, Apostoli autem Ecclesiæ, quod apparet ex Actis. Constituta enim Ecclesia, & confirmata per Spiritum Sanctum. Petrus primus omnium prædicauit, & multa Iudæorum millia cōuertit, & primus baptizauit gentes. Per Apostolos augebatur credentium multitudo Act. 5. & fideles appellabantur Discipuli Act. 6. Hi autem Discipuli erant perseuerantes in doctrina Apostolorum Act. 2. Petrus Ecclesiam Antiochenam instituit, *vbi primum Discipuli appellati sunt Christiani*, Act. 11. Apostoli per totum Orbem prædicarunt fidem, & Ecclesias instituerunt, ex quibus Romana Apostolica Sedes à Petro appellata, & Ecclesiæ caput constituta.

Tertull. Irenæus. Cyprian. August. Actor. 5. Actor. 6. Act. 11.

Contra obijcies. Ecclesia debuit potius dici Christiana à Christo, quàm Apostolica à Petro, & Apostolis ergo illa nota Apostolica est inepta. Respondetur Christum ita voluisse, vt Ecclesia sua Apostolica potius ab Apostolis, quam à seipso Christiana diceretur. Optima ratione, quia Christus dum vixit, non instituit propriè Ecclesiam, sed mortuus eam in latere suo formauit, & ex vulnere lateris eduxit. Vnde æquius erat, vt Apostoli, qui erant viui, eius Ecclesiæ Fundatores appellarentur, přsertim cum tempore Christi viui duraret Synagoga, & post eum mortuum cum honore sepulta fuerit; & certo tempore fuit tantum mortua, non mortifera, ac proinde Ecclesia non esset sola, & vnica Sponsa Christi, qualis postea esse cępit tempore Petri, & Successo-

sorum eius, Sedem Apostolicam obtinentium.

Secundo sumitur Ecclesia vti est Apostolica eo sensu, quia traducitur ad nos per successionem personarũ ab Apostolis. Habet enim Ecclesia Catholica Episcopos, qui sunt successores, & imagines Apostolorum. Apparet præcipuè hæc veritas in Romana Ecclesia, quæ propriè Apostolica dicitur. Itaque ex PP. hoc argumento aduersus hæreticos vtuntur Irenæus lib. 3. c. 3. qui numerat Episcopos Romanos à Petro vsque ad Eleutherium. Tertull. lib. de præscriptionib. Eusebius in Chronico, Hieronym. & Prosper. Epiphanius hæresi 27. Optat. lib. 2. contra Parmenian. & Augustinus in epist. ad Generosum, & in Psal. contra partem Donati, quod supra attigimus dum Ecclesiã vniuersalem probauimus. Nunc audiamus Tertullian. & illius sententiam aduersus Nouatores conuertamus. *Cernant Hæretici origines Ecclesiarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem, vtrùm aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerint authorem, & antecessorem? Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert.* Hac nota omnino carent Nouatores, qui longè absunt ab illis SS. PP. qui probare suam fidem Ecclesiæ solebant adhærendo Romanæ Sedi tanquam Apostolicæ, cum Nouatorum nemo ei adhærere velit, seque ab illa separet, ac disiungat. Quo se ostendunt non esse Apostolicos, cum à Catholica, & Apostolica Ecclesia maximè abhorreant. Itaque neque cum Petro, neque cum Romanis Pontificibus, neque cum PP. sentiũt. Verum quomodo sentire cum ijs poterunt, si vel falsos habent Episcopos, vti Lutherani, vel nullos vti Caluinistæ? Quod si Episcopos non habent, nec Sacerdotes, nec Clericos habere possunt. Nullam ergo habent Ecclesiam. Nam vt ait Hieronymus lib. contra Luciferianos: *Ecclesia non est quæ Sacerdotes non habet.* Et Cyprianus negat lib. 4. ep. 9. Ecclesiam sine Pastoribus esse posse: *Cum Ecclesia*, inquit, *sit Plebs Episcopo adunata, & Ecclesia sit in Episcopo, & Episcopus in Ecclesia*: Non audet hoc Lutherus negare, imò in lib. de Ecclesia, & Concilijs ait: *Notam veræ Ecclesiæ esse veros habere Pastores.* Qua ratione ipse Ecclesiam non habuit, quia verus Pastor non fuit, sed fur, & latro, qui non per ostium intrauit, sed aliunde ascendit.

Opponunt tamen Hæretici se, & esse, & habere Pastores. Nam Lutherus fuit Episcopus Vvitembergensis, Zuuinglius Tigurinus, Oecolampadius Basileensis, Caluinus Geneuensis, & ita affirmat Brentius eos legitimè vocatos esse, & electos à Populis. Verum hoc negamus, & quærimus ex ipsis à quibus fuerunt ordinati? nec enim ab Episcopis consecrati sunt, igitur à suis, vel à seipsis ordinati; quomodo ergo Episcopi fuerunt? Nam aliud est eligi, aliud ordinari. Demus à seipsis ordinatos esse, & electos à populo, nulli Episcopi sunt, qui ordinati non sunt. Opus est enim consecratione ad episcopale munus exercendum. Certè ipsi fatentur ingenuè à nullo se Episcopo fuisse ordinatos. Igitur fateantur oportet se non esse Episcopos, vel affirment se esse nouos Episcopos, & non Ecclesiæ Apostolicæ, atque adeo nouantes, & nouatores, quod sufficit. Si autem Episcopi non fuerunt, quomodo ordinare potuerunt? Vnde deducitur caruisse tũ Sacerdotibus, tum sacrificijs. Quæ autem Ecclesia sine sacrificio esse potest? hoc vno argumento Iudæos conuincimus, quod careant Ecclesia, quia sunt

Irenæus. Tertull. Euseb. Hieron. Prosp. Epiph. Optat. August.

Hieron. Cyprian.

Lutherus

Brent.

sunt sine lege, & sine Sacerdote, & sine sacrificio.

Sed contra reponunt, quia Basileæ extat epitaphium in sepulchro Oecolampadij, in quo sic dicitur: *Oecolampadius primus huius Vrbis Episcopus*. Bellum argumentum? immò dicere debuit nouus episcopus: Nemo enim ante illum talis episcopus fuit. Sicut mortui sepeliunt mortuos suos, ita etiam mortui mortuis epitaphia inscribunt. Quare Nouatores similem sibi episcopum instituerunt, quibus item licuit esse Episcopis, qui enim episcopum consecrat episcopus esse debet. Vnde non fuit primus episcopus Oecolampadius, sed qui eum episcopum fecerunt priores eo episcopi fuerunt. Vnde illa vox, *Primus Episcopus* cum sit mendacium eradenda. In hoc genus episcoporum quadrat illa Cypriani sententia lib. 1. de singularitate Prælatorum, *ij sunt, qui se vltro apud temerarios conuenas, sine diuina dispositione præficiunt, qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine episcopatum dante Episcopi sibi nomen assumunt*. Addo ad eos confutandos. Dicant quomodo potuerunt esse episcopi illarum ecclesiarum si viuebant episcopi illarum? Respondent Hæretici eos iam non esse episcopos, quod erant cum ecclesia Catholica extincti. Sed quo authore hoc dicunt? quis eos damnauit? quis deposuit? præterea quamuis essent extincti, debuissent eos hæretici venerari, nam characterem adhuc retinebant. Debuissent imitari Paulum, qui post Iudaicam legem extinctam Ananiam tamen Sacerdotem veneratus est: Act. 23. At Hæretici Pauli similes esse nolunt, Sauli malunt.

Obijcit primo Caluinus lib. 4. institut. cap. 2. §. 2. & 3. perijsse episcoporum successionem in Africa, & Asia, & Aegypto: extinctos esse illos Patriarchas Constantinopolitanos, Alexandrinos, Antiochenos, Hierosolymitanos. Respondeo Caluinum non rectè argumentari. Primo, quia nos non volumus, vt ecclesia vbique tota simul sit, sed tantum, vt in capite semper sit, & membra successiuè acquirat, alioqui quomodo diffundetur per totũ Orbem? Deinde aduersus se argumentatur Caluinus cum ex defectu episcoporum inferat ecclesiæ defectum. Igitur admittit vbi non est successio Episcoporum Ecclesiam non esse, ac proinde fateri tenetur inter suos non esse Ecclesiam cum Episcopis careant. Tertio, quia non sequitur in ijs Ecclesijs, quæ sunt euersæ non sunt Episcopi: ergo non sunt in reliqua Ecclesia Episcopi. Quæ consequentia falsa est, nam in maxima parte Europæ Episcopi sunt. Tandem, quia successio Apostolica, quæ est germana Ecclesiæ nota in Sede Apostolica Romana inuenitur, in qua numquam Papę successores Petri defuerunt. Addo vltimo, quod illi Patriarchæ defuerint id ex alio fine diuinæ prouidentiæ factum esse: nempe ne quis putaret illos Patriarchas ecclesiæ capita esse: vti quidam eorum iactabant: id ergo prouidit Deus permittendo, vt deficerent, cum tamen Romanus Pontifex numquam defecerit.

Arguit idem Caluinus secundo, in Græca ecclesia conseruari adhuc successionem Episcoporum minimè interruptam: Nam hodie Schismatici suos Episcopos habent, & tamen ex his non constat vera ecclesia: Ergo successio episcoporum, non est nota ecclesiæ veræ, & Apostolicæ. Respondetur Caluinum non posse ostendere hanc successionem continuatam in ecclesia Græca, quæ vel eodem teste Caluino toties est interrupta: hoc enim ille supe-

ſuperiori argumento, tamquam certum aſſumpſit. Si enim in Aſia, & Africa, & Aegypto Patriarchæ Antiochiæ, Hieroſolymæ, Alexandriæ defuerunt etiam cum ijs alij Epiſcopi defuerunt.

Dicet tamen Caluinus loqui ſe de eccleſia Byzantina. Verum non probabit eccleſiam Byzantinam à principio Patriarchalem fuiſſe, nec enim id auſa eſt tentare: niſi poſt Conſtantinum, nec obtinuit niſi tẽpore Iuſtiniani Imperatoris multis ſæculis poſt fundatam eccleſiam. Deinceps verò multi Patriarchæ Conſtantinopolitani fuerunt Schiſmatici, ac hæretici.

Arguit tertio Caluinus, Brentius, & communiter alij Nouatores obijciendo ambitionem Catholicorum, quod epiſcopatus quærant, & ad eos obtinendos artes omnes adhibeant, & illicita multa tentent, & præſtent, & quod multi indigni promoueantur, & digni excludantur, & ſint ſæpè epiſcopatus venales. Hæc obiectio facilè refutatur: eſt enim magis contra epiſcopos, quàm contra epiſcopatus: Arguit hominum vitia, non rerum. An ideo Sacerdotia, & Magiſtratus abolendi ſunt, quod multi ad eos obrepunt, & gratia, vel beneuolentia, vel alijs artibus conſequuntur? Si verum hoc eſt, pauci item apud hæreticos honores erunt, qui non ſint abolendi. Puto enim ſæpè eos gratiæ potentium, & pecunijs diuitum dari. Itaque ineptè argumentantur ex culpis humanis ad eccleſiaſticas dignitates. Verum nego Caluino, & Brentio eligi indignos. Fermè quippe ſemper eliguntur digni, idque patet ex eo quod antecedit examen doctrinæ, quod omnes ſubeunt, & diligens inquiſitio de moribus, & ſanguine, ne quis vel imperitus, vel ſceleratus, vel de fide ſuſpectus eligatur. Id conſtat neminem Iudæum, nec hæreticum ad id munus aſſumi. Neque Caluinus, aut Brentius, aut illorum ſimiles aſſumerentur. Præterea non eſt crimini dandum epiſcopatum deſiderare. Nam qui eum deſiderat bonum opus deſiderat, nec eſt male ſuſpicandum de ijs, qui illum deſiderant, & quærunt. Tandem multi ſunt Catholici, qui non modo non ambiunt epiſcopatus, ſed eos etiam oblatos recuſant ſtudio humilitatis, & reuerentiæ. Imò non paucæ Religioſæ familiæ votum emittunt de non admittendis epiſcopatibus, & alijs ſacris honoribus, vti ſunt Ieſuitæ, & Carmelitæ Excalceati, quare nulla eſt in hac obiectione difficultas.

Quod attinet ad aliam partem de ſenſu vocis *Apoſtolica* relato ad doctrinam, & ſucceſſionem in Cathedra Apoſtolorum euidens illa eſt nota eccleſiæ noſtræ Catholicæ, quæ in Romana Sede perpetuæ, & numquam interruptæ ſucceſſionis argumentum habet. Nam à Petro huc vſque tot ſæculorum decurſu Pontificum legitima ſeries ſuo ordine ſemper fluxit, & ſtetit. Hoc verò argumentum iam ſupra verſauimus adductis locis PP. præcipuè Africanorum, qui eam ſeriem in ſignum Catholicæ Doctrinæ, & Cathedræ Apoſtolicæ attulerunt. Ex quibus vnum tantũ citare volo Epiphaniũ hæreſ. 27. qui enumeratis ordine ſuo Romanis Pontificibus hanc veritatem confirmat. Id vnum obſeruandum cùm in Vrbe Romana, tot perſecutiones aduerſus Chriſtianam Religionem motæ ſint, & tot Pontifices Martyrium ſubierint, tot Barbari eam vrbem deformarint, vaſtarint, incenderint, numquam ſucceſſionem Romanorum Pontificum defuiſſe, quod manifeſtum eſt illius argumentum, & Romanam Sedem veram eſſe Sedem Apoſtolicam

Ephiph.

licam

licam in Christo, & Petro fundatam, de quo verè dictũ sit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam. Imo ne ipsa quidem inferorum Arcana, & penetralia, qui sunt hæretici aduersus eam præualere potuerunt, licet tot artibus, & machinis eam oppugnarint. Stetit, stabitque Arx Romana, donec erit Orbis, & hominum genus durabit. Imo, & mundo iam finito æternùm triumphabit in superis.

Addam hic Corollarium propter Caluinum: Etsi verum sit Sedes illas Patriarchales Orientalis ecclesiæ desijsse, non tamen destitisse Romanos Pontifices ab ijs & sustinendis, & quoad eius fieri potuit conseruandis, institutis pro iure Apostolico Patriarchis, qui si minus eas re administrarent, certè titulo dignitatem præ se ferrent. Imo Paulus Papa III. Romæ missum ad se Ioannem Bermudium, quem Magistrum Ioannem appellabant, ac vnus è socijs Legati Lusitani, Roderici Limij fuerat, cum litteris ab Imperatore Aethiopicæ gentis Claudio, Romanam Fidem profitente Patriarcham Alexandrinum instituit, eumque eo titulo, & insignibus ornauit, & in Lusitaniam ad Regem Ioannem III. misit, qui pro suo singulari erga Romanam Fidem, & Sedem studio magnis muneribus, & honoribus auctum ad Indos vnde venerat remisit. Quò ille reuersus, inde in Aethiopiam transijt, ibique aliquandiu fuit, sed quod ab Imperatore Claudio malè acceptus nihil profecit, re confecta, in Lusitaniam redijt, & Vlisippone obijt, & ad S. Sebastiani, à Lapidicina dicunt, sepultus est: Ephitaphio id munus, *Patriarchæ Alexandrini* testante. Quemadmodum eruditus vir Georgius Cardosius in suo Agiologio Lusitano tradidit. A quo id acceptum in suam historiam Aethiopicam cum eius à quo acceperat insigni laude, P. Balthasar Tellius transtulit. Is, inquam, Tellius, qui cum in omni doctrinarum, & virtutum genere in Societate IESV floruisset, illius postea in Lusitania Prouincialis fuit, & historiam eiusdem Prouinciæ in duos tomos diuisam scripsit, & adiecit tertium de Aethiopia, omnes lingua vernacula (cum Latinissime posset) ad vtilitatem, & gloriam Lusitanicæ gentis editos suo idest candido, & eleganti stilo, quos ego summa cum voluptate legere soleo, memor eiusdem me instituti olim, & studiorum socium, & æqualem, quo nomine gloriari debeo, fuisse. Nihil interim ego de Patriarchis Aethiopiæ dixero, quod meum nunc non est, nisi de illis, quatuor præcipuis contra Caluinum agere. Aliàs de ijs scripturus cum & tempus, & locus tulerit.

Bermud. in libro à se scripto

Cardosius in Agiol. Lusit. p. 2.

Tellez in sua Hist. Aethiop. lib. 2. cap. 6. & 26.

SCHO-

SCHOLA IX. DE MONARCHIA, ET HIERARCHIA ECCLESIAE.

CAPVT PRIMVM.

Non esse Monarchiam Ecclesiæ, quibus argumentis probare conentur Hæretici.

DE Causa negandi constat. Ea est odium Papæ. Timent quippe, ne si ecclesia Monarchia sit, eius Monarcha sit Papa: quem malunt non modo Monarcham non esse, sed ne hominem quidem esse. Ideo bestiam Apocalypticam dicunt, & Belluino more ratiocinantur. Igitur Caluinus lib. 4. instit. cap. 6. & 20. Illyricus Cent. 1. lib. 2. cap. 7. Brentius in Prologom. aduers. Sotum Monarchiam Ecclesiasticam his argumentis reijciunt.

Caluinus
Illyricus.
Brentius.

Primum. Monarchia est Regimen minus perfectum Aristocratia, imo & Democratia. Sed ecclesia regenda est modo perfectiori: ergo non Monarchico: atque adeo Monarchia non est. Propositionem in qua vis est argumẽti, ostendit ratione, & exemplis. Ratio ea est. Quia Monarchia sæpè degenerat in tyrannidem, qua nihil est in regimine peius: nec locum relinquit alijs ascendendi ad regimen. Ex quo desperatio, & discordia oritur, & pernicies totius Reipublicæ.

Secundo. Suauius, & mitius est regimen Aristocraticum, & Democraticum, quàm Monarchicum. Tale debet esse regimen ecclesiæ, quæ est Corpus Christi. Igitur non debet esse Monarchicum. Maior suadetur, quia quando vnus gubernat, sibi attendit, & consulit, nec cæteros admodum curat. Itaque facile eos opprimit oneribus, legibus, & tributis: quemadmodum apparet ex lib. 1. Regum 8. Vbi iniuriæ Regum iura appellantur, quod hi ex iure iniuriam faciunt: At vero 1. 1. Reg.

ro quando vel Optimates, vel Populares Aristocraticè, & Democraticè gubernant, magis consulunt alijs ex quorum numero sunt, & à quibus in electione, & administratione dependent. Spe aluntur metuque ipso, ne si alios vexent ab eis lædantur in officio continentur.

Exempla multa sunt. Tum contra Monarchiam, tum pro Aristocratia, & Democratia. Contra Monarchiam afferunt ex Scriptura Saulis iniuriam, Roboami impotentiam, Ieroboami sæuitiam, Achabi immanitatem, & omnium ferme Regum Israel mores prauos, infelices exitus. Ex Historijs profanis adducunt: Tarquinij superbiam, Iulij Cæsaris perfidiam, versutiam Tiberij, vim Claudij crudelitatem Neronis, libidinem Caracallæ, luxum Heliogabali, Dionysij sordes Phalaridis tormenta. Mezentij supplicia. Regij dominatus apud Romanis odium.

Pro Aristocratia multa proferunt exempla Rerum publicarum, quæ magna Imperij laude floruerunt, Atheniensium, Lacedæmoniorum. Sed præcipuè Romanorum, quæ dum stetit fœlicissima fuit. Cum esse desijt, Romana virtus, & fortuna perijt, ingruente cum Imperatoribus vitiorum, & sordium labe. Adijciunt Venetorum egregiam Rempublicam, nec Genuensium laudant. Hollandorum extollunt. Confirmant studijs priscorum Heroum Romanorum Catonis, Bruti, Cassij, Ciceronis, & cæterorum Patriæ amantium, & optimorum ciuium: qui tam Reipublicæ studuerunt, vt Reges maximè oderint, & aut eos interfecerint, aut occisores laudauerint.

Veniunt ad argumenta sacratiora. Ex quibus primum esto. In sacris litteris nullum est pro Monarchia Sacra argumentum. Inter Angelos multi sunt Principes: idest *septem qui astant ante Deum.* Patriarchæ duodecim fuerunt. Moyses, & Aaron præfuerunt populo Israelitico. Summum Sacerdotium duas Familias habuit. Eleazari, & Ithamaris. Macchabæi Fratres multi. Quin & in ipso mundi exordio Deus non vnum, sed duo Luminaria magna condidit, vt præessent. Multos orbes Cœlestes fecit, & pro numero eorum intelligentias. Hoc autem declarauit Aristocraticam administrandi formam Monarchiæ anteponendam.

Secundo. Dominium Regium improbauit Deus per Samuelem, quando iratus est populo Iudaico petenti Reges dicens. *Non te abiecerunt, sed me.* Et postea per os Prophetæ, exposuit mala, quæ ex Regia dominatione oriuntur. Reg. 8.

Tertio. In ecclesia sua Christus Apostolos suos, & fundamenta posuit, & Pastores: pari dignitate, æquali potestate. *Posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act. 20.

Quarto. In Concilijs, & est, & repræsentatur ecclesia: ibi vero non vnus, sed multi ex vniuersis, quoad eius fieri possit Prouincijs congregantur.

Quinto. Ex ambitione Summi Pontificis Romani magna sæpè Ecclesia illata damna. Hinc bella, Schismaticorum Imperatorum, & Regum. Hinc Antipapæ. Hinc Hæresiarchæ: quos omnes Papa importunè excitauit.

Sexta. A ratione. Ecclesia Catholica longe lateque per orbem diffusa ab vno tantum capite regi nequit. Igitur Monarchia esse non potest. Antecedentis veritas suadetur exẽplo Imperij Romani, quod post summam amplitudinem magnitudine labauit, & laborauit sua.

Hæc sunt hæreticorum contra Monarchiam ecclesiæ generatim sumptam argumenta. Alia impugnant formam regiminis, excludendo

do Papam, negando illum Caput esse: & solum Christum esse affirmando. Qua ratione tollitur Monarchia ecclesiæ visibilis. Hanc hæresim statuit, & multis probat Marcus Antonius de Dominis. Cuius sophismata videri possunt in P. Becano. Nos de eo sæpius, cum de Romano Pontifice lib. de Clauibus, & tessera Pontificia, & latè tractauimus.

Mar. Antonius de Dominis. Becanus.

CAPVT II.

Solutis Argumentis adductis viasternitur ad Monarchiam Ecclesiæ statuendam.

NVsquam putidiora, & absurdiora posuere argumenta hæretici. Id ex solutione constabit.

Caluinus

In primo assumit Caluinus, quod & Philosophorum Principes negarunt, & ius gentium consuetudoque humana refellit. Monarchiam præstare Aristocratiæ, & Democratiæ docuit Plato in Polit. & Aristot. 8. Ethic. cap. 10. Seneca lib. 2. de benefic. Plutarch. in opuscul. de Monarch. & in Solone, Philo Hebr. lib. de Confus. Linguar. Cæteros in caput sequens reseruamus. Nunc ad probationes illius assumpti Caluiniani respondeamus. Monarchiã degenerare in tyrannidem admittimus: Sed eo Caluinum refutamus. Nam quanto maius est vitium, quod virtuti opponitur tanto maior est virtus opposita. Hinc maximum Peccatum est odium Dei, quod summa virtus sit Charitas. Sed ne elabatur Caluinus, dicens, odium non nasci ex Charitate degenerante in illud, sed ex voluntate mala peccatoris, respondemus, nec etiam Monarchiam degenerare ex natura sua in tyrannidem, sed ex praua voluntate Regentis: imo Caluinus opinor, quando ex Catholico factus est hæreticus, non vitium illud Fidei, sed hominis fuit. An non videt Caluinus delicatiora poma, cum putrescunt amariora fieri: nemo tamen ob id improbat poma, cum sana sunt. Nec ego sanè existimo, quia melopepones, & pyra, & mala aurea cum corrumpuntur amara fiunt, Caluinum ea sana esse reiecturum: Vno verbo, quod accidit vitio hominum, non est rebus ipsis imputandum.

Plato. Aristot. Seneca. Plutarch. Philo.

Alia ratio sumpta ex eo, quod vno Imperante alijs non datur imperandi locus, congrua est Caluino superbo, qui voluit imperare, non obedire: atque idcirco hæreticus euasit, ne pareret. Nos Christiani, qui demissionem animi, & obedientiam profitemur, malumus cum Christo obedire, quam imperare. Itaque illa desperatio, illa & ira, & discordia, quam fingit Caluinus eius ingenio est accommodata. Præterea ex Aristocratia sequitur non minus malum oblata spe imperãdi: nam dum quisque vult imperare in alios insurgit, eosque loco deijcere molitur, vt se intrudat. Ac vt quisque sua se æstimatione metitur, dignum se quouis honore putat, & si repulsam patiatur indignatur, & furit. Vnde dissensiones, inuidia, odiumque, & coniuratio existit. Quibus obuiam itur in Monarchia, quando vni tantum locus est imperandi: præsertim si Rex iure hæreditario sit. Quod si electione fit, minor est ratio indignationis: facilius enim patiuntur homines vnum sibi, quam plures alios præferri. Hinc patet Calnini ratiunculas, non rationes esse.

Ad secundum respondetur negãdo maiorem, non enim suauius est, aut mollius multorum imperium, quam vnius. Quoniam difficilius, & durius iugum multiplex, quam simplex: & plurium naturas, & ingeni-

nia ferre, quam vnius. Nam quod attinet onera, & tributa, plura, & maiora sunt, quæ regimen plurium importat: cum ea quæ imponuntur Reipub. causa, eadem, & paria esse debeant, quæ ad priuatas rationes spectant plura sunt, quæ plures intrudunt. Præsertim cum graue, ac molestum sit ad tot tamque diuersos genios se fingere, & accommodare. Illud item fallit: magis consuli alijs cum multi gubernant: nam multò certè minus consulitur Reipub. dum quisque in suos magnam redituum, & bonorum communium partem corriuat. Nec spes ascendendi ad culmen alit alios, sed ambitione inflammat: nec metus continet proiectos ad audendum, & obtinendum principatum.

Exempla infirmantur illa ratione: nòn esse vitia principatus Principum delicta. Alioqui cum homines simus quorum est peccare, omnia humanarum rerum fastigia inquinabuntur. Deinde admissis exemplis alia proferimus Regum optimorum. Sauli Dauidem opponimus. Roboamo Iosaphat. Ieroboamo Ezechiam, Achabo Iosiam. Tarquinio vni, sex alios Romanorum Reges. Iulio Cæsari Augustum, Tiberio Titum, Caligulæ Traianum, Claudio Antoninum, Neroni Marcum Aurelium, Caracallæ Alexandrum, Heliogabalo Constantinum, Dionysio Hieronem, Phalaridi Dionem, Mezentio Syluium. Catones, Bruti, Cassij, Cicerones tyrannos, non Principes oderunt. Nam ijdem laudarunt Cincinnatos, Camillos, Fabios, Papyrios, Mamercos, & alios Dictatores, qui Regum instar erant, imo Regibus, dum illud munus exercebant, superiores. Quorum Imperij numquam Romanos pœnituit.

Quod attinet ad Rempublicarum laudes eas, dum nō officiunt Monarchiæ, concedimus. Verum iniquissimum est ijs obiectis Monarchiam vituperare. Athenis magni, & Spartæ Reges fuere, Ericthei, & Inachi, & Codri, Athenas condecorarunt, Agides, Lysandri, & Agesilai Lacedæmoniam honestarunt. Romana Respub. multum habuit Monarchici regiminis: nam quamuis duo essent Consules penes vnum fasces erant: & alter domi ius dicebat, alter foris plerumque bellabat. Quod si ambo belligerabant partiebantur munia, & veluti solitarij agebant. Certè in arduis ad Dictatorem prouocabant, eique summam Reipubl. credebant. Rempub. Venetam admiramur, & Genuensem veneramur, Hollandorum non contemnimus. Verum si cum Regnis Europę comparentur, ijs sanè magnitudine, & gloria rerum gestarum concedent. Præterea illæ ipsæ Respublicę suum Ducem habent, cui alij Senatores assurgunt, & cedunt, atque adeo Monarchicum regimen imitantur.

CAPVT III.

Reliqua Sacra, quæ dicunt, argumenta diluuntur.

PRimum assumit omnino falsum. Patet ex obiectis exemplis. Angelorum Princeps est Michael, & illorum septem Principum primus. Id à Ioanne in Apocalip. docemur. Apoc. 10. Dum ait. *Michael, & Angeli eius.* Imperat, qui Angelos habet: significat Daniel ore Angeli vnius è Principibus, cui in adiutorium Michael venit. Patriarcharum numerus nihil ad rem. Toti Israeli imperauit Moyses, post Moysen Iosue, post Iosue Othoniel, secuti alij vsque ad Samuelem. Postea fuere Reges: vsque ad Esdram. Post Esdram, & Nehemiam venere Duces, quibus successere Machabæi. Illud falsum: Moysen, & Aaron ambos æquali potestate præfuisse, cum

cum

constet Moysem præstitisse, & præfuisse. Iam vero duas esse familias sacerdotales rem non continet. Nam non duo, ex duabus familijs Pontificatum gesserunt, sed vnus tantum ex alterutra. An vero contigerit duos fuisse simul Pontifices, id alterius otij est, alias eam quæstionem tractauimus. Vtcumque sit: semel id tantum euenisse constat.

Machabæorum exemplum retorquetur: nam cum multi fratres essent, non omnes, sed vnus post alium singuli imperarunt: & quidem Ionathas, & Simon regio more, ac insignibus regijs. Sol, & Luna duo luminaria sunt: sed non simul lucent. Vni diem: alteri noctem assignauit Deus, ne vnà viderentur dominari. Quin Sol verè vnus, & Princeps est Lunæ, & syderum. Hic hæreticos refutat.

Admisso multos esse Cælestes Orbes, & multas pro eorum numero intelligentias: Vnus tamen cæteros continet, ac coercet: & huius intelligentia Suprema est, & reliquis præest: & ad impulsum primi mobiles rapit vniuersos. Quare nullum exemplum fauet Aristocratiæ: Omnia Monarchiam persuadent.

Secundum diluitur dicendo Deũ reprehendisse Populum, non quia Monarchiam petebant, sed quia spreto Iudicum regimine Reges flagitabant. Vtrumq; autem erat Monarchicum. Sed iudicibus Deus aderat, & assistebat præsertim Samueli, ac proinde negligendo iudices, & optando Reges iniuriam Deo inferebant. Hinc illa vox. *Non te abiecerunt sed me*. Quibus significatur Monarchia. *Nam Te & Me* singularia sunt. Non ergo Aristocratiam præferebant, sed Regiam Monarchiam iudicum Monarchiæ anteponebant. In quo errabat populus cum Reges minus essent vtiles, quam fuerant iudices, futuri, cum præuideret Deus eos in tyrannos abituros: & ideo eos deterrere voluit, ne Monarchiam iudicum repudiarent. 1. Reg. 7.

Tertio satisfit dicendo Apostolos habuisse quidem æqualem à Christo delegatam potestatem: sed non æqualem sub ordinationem. Nam Petrus erat Caput, & Pastor: cui omnes hac ratione sub ordinati erãt. Erant quippe illius oues: ac in Petro erat iurisdictio ordinaria, in alijs delegata, quemadmodum nos diximus lib. 1. de Clauibus. Quod autem affertur ex Paulo. *Posuit nos Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Nihil officit Monarchiæ. Regunt enim Episcopi præpositi suis quisque Ecclesijs: At subordinantur, & sub ordinantur, & subduntur Romani episcopi Pastori, & Capiti Ecclesiæ Vniuersalis. Vnde ij regunt Ecclesiam, & reguntur à Principe Ecclesiæ. Actor. 2

Quartum soluitur concedendo: In Concilijs Oecumenicis esse in Episcopis coniunctis nomine totius. Ecclesiæ ipsammet Ecclesiam: sed negando eam esse Aristocraticam, cum in Concilijs Oecumenicis Papa, vel per se, vel per Legatos suos Patriarchis, & Episcopis omnibus præsederit: quemadmodum late in materia de Concilijs ostendimus.

Quinto respondetur crambem eam sæpè iteratam ab Hæreticis vitia Paparum Cathedræ affingentium. Demus ea esse vera. Peccarunt hominis contra regimen. At regimen ex se optimum, non peccauit. Caluinus, Brentius, & Illyricus, imo & Lutherus negant Cathedras suas errasse: non audent tamen negare se Peccatores esse. Quod ergo ij falsò de Cathedris iactant discernendo eas à Personis sinant nos verè de Ecclesiastica Monarchia prædicare. Illud eos monemus multò minus ijs Pontificos nostros ambitiosos esse: nam hi

expectarunt, dum à Cardinalibus, & Ecclesia eligerentur, & eorum consilio gubernant Ecclesiam. At verò illi sponte, & arbitrio ab Ecclesia Matre defecerunt, & Cathedras posuerunt, & sectas condiderunt. Quod attinet Antipapas, non ijs causam Pontifices dederunt, sed propria vniuscuiusque ambitio, & superbia, & quorundam Principum impotentia, qui eos in odium Pontificum in Cathedram intruserunt. Sed multo ijs sunt Hæretici peiores qui non schismata solum, sed etiam hæreses inuexerunt, & cum Matre Ecclesia bellum gesserunt, & gerunt. Antipapæ multi ad meliorem se frugem receperunt, & se Papis à quibus defecerant subdiderunt. Hæresiarchæ, indomita ceruice Pontificibus resistunt, & Antichristi in Apostasia perseuerarunt, & perseuerant. Ecclesiæ iudicia contemnunt, & impunè grassantur.

Ad sextum, & vltimum respondemus Ecclesiam Catholicam per totũ Orbem diffusam Corpus Christi esse, atque adeo sub vno Capite esse debere, cuius virtus cum sit spiritualis, & à Christo accepta, & & in Vicarium suum Pontificem tranlata ad totum Corpus peruenire, illudque permeare potest, nec solus Papa gubernat ecclesiam, sed per Episcopos, & Nuntios, & alios Pastores, & Doctores, qui singulis Prouincijs, & Diæcesibus ex veteri Ecclesiæ instituto præsunt. Exemplum Imperij Romani retorquetur: nec enim ob id defecit, quod magnum erat, sed quod ciuiles discordiæ ortæ domi euerterunt Rempublicam, & emanantes foras Imperium dissiparunt: & pulcherrimum illud corpus discerpserunt. Verè enim ille cecinit.

Teritur bellis ciuilibus ætas. Horat.
Suis & ipsa Roma viribus ruit.

Id Hæretici conati sunt, inducendo hæreses in Ecclesiam, & contra illam conspirando, sed nihil profecerunt, quod statim ab Ecclesia sunt eiecti, & precisi, & à germano corpore auulsi alio secum pestem, & venenum deduxerunt. Seruauit Deus Ecclesiam suam, & integram, & liberam ab illa pestilentia, & contagione. *Portæ Inferi non præualebunt aduersus eam.* Matt. 16.

CAPVT IV.

Ecclesiæ Monarchia esse à Christo instituta ostenditur.

ECclesiam Regnum Christi in Scripturis appellari constat. Lucæ 1. *Regni eius non erit finis.* Daniel. 2. *Suscitabit Deus Cæli Regnum, quod non dissipabitur.* Eius Christus est Rex. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Psalm. 2. Hoc satis esset ad Monarchiam Ecclesiæ probandam, Cuius & Rex sit, & quæ Regnum sit; verùm, quia Caluinus negat Ecclesiam eiusmodi esse, diligentius id probandum.

Primò. Ecclesia est vna. Ergo ab vno Regi debet. Assumptum patet. Est enim Christi sponsa: *Vna Electa, vna Columba.* Cant. Idque nos paulo post cum de notis agemus, monstrabimus. Consequentiam negabit Caluinus: quippe quod potest esse vna, & Aristocraticè gubernari, quemadmodum Respublicæ. Probemus igitur ab vno esse Regendam. Primum est vna more sponsæ. Hæc autem plurium esse nequit. Est enim virgo, & certe vt ait Paulus, Christo exhibenda. Comparatur Soli, qui est vnus, & Lunæ quæ est vna. Qui ergo plura capita habitura? Secundum, formatur

tur per vnam Fidem, quæ omnino vna est. Hanc vero vnus magister docere debet, non multiplex: ne in sectas abeat doctrina. Tertium. Caput inuisibile est vnum, idest Christus, ergo & Caput visibile vnum erit: vt caput capiti respondeat. Nimirum Pontifex Christo Domino.

Probatur secundo. Testimonijs Euangelij ex quibus constat Soli Petro commissa fuisse Ecclesiam, & Claues, & oues: quæ nos accuratè expendimus in libro 1. de Clauibus disp. 2. Breui dicimus: Illud
Matth. Luc. Ioan. *Tu es Petrus. Tibi dabo. Pasce oues. Fides tua. Confirma Fratres tuos*, vni dicta sunt: nec opus cætera ibi adducta repetere: cum omnia minutè, & exactè expensa, & ad institutum accommodata sint, & obiectiones Hæreticorum solutæ, imo & retortæ.

Tertio. Ostenditur ex eo quod de vno Capite Petro, excluso duplici Petri, & Pauli, ibi etiam contra Marcum Antonium de Dominis, & AnonymumGallum monstrauimus. (Marcus Ant. de Dominis) Reiecimus quippe ea duo Capita, ne monstrum esset Ecclesia. Vnde est illud argumentum: Si Ecclesię non esset Monarchia, & multa Capita haberet, certè vnum ex ijs Paulus esset: sed Paulus non fuit: ergo nullum aliud fuit præter vnum Petrum. Minorem ibi nos operosissima disputatione probauimus. Diatriba ea de re instituta.

Quarto. Patres quando volunt ostendere veritatem, & vnitatem Ecclesiæ nostræ vtuntur serie summorum Pontificum: ac per eorum successionem probant Ecclesiæ perpetuitatem, & veritatem. At Pontifices Romani sibi succedentes fuerè solitarij, vnus post alium: ergo Ecclesia ab ijs solis gubernata fuit, & Monarchia fuit; & hodie est, ac deinceps erit. Patres qui eam successionem Pontificum adducunt, sunt Tertull. contra Marcion. Optatus Mileuitan. contr. Parmenian. & Augustin. lib. 2. contra Litter. Petiliani, & lib. 1. contra Epist. Parmenian. & contra Faust. & in Psal. contra part. Donati, & lib. de vtilit. credendi ad Honorat. & lib. 1. contra Epist. Fundam. & Epist. 163. ad generosum. (Tertull. Opt. Mileuitan. August.)

Quinto. Ecclesia in Euangelio appellatur Regnum Cælorum. Hinc patet esse Monarchiam. Tum ex eo, quod Regnum dicitur. Tum quod Cęlorum dicitur: nam in Cælo vnus Deus imperat.

Sexto. Ecclesia est ouile, Christiani omnes Grex. De quo Christus Ioan. 10. *Erit vnum ouile, & vnus Pastor*. Vnde apparet quòd vnque, & vndecunque veniant, semper fore vnum ouile, & vnum Pastorem, quod Monarchia sit Ecclesia. (Ioan. 10.)

Septimo. Ecclesia comparatur Arcæ Noe, quam hic vnus rexit, & duxit; quod si nauis est, quemadmodum Patres vocant, vnus est nauis gubernator.

Octauo. Illæ decem Virgines, quibus Regnum Cælorum, idest ecclesia assimilatur, cum plures sint ad sponsum, & sponsam veniunt, qui cum sint duo, postea solius sponsi mentio fit, & ille in reliqua Parabola solus ponitur. *Venit sponsus. Intrauerunt cum eo: Domine Domine*. Itaque ad vnum numeri alij terminantur.

Nono. Synagoga instituto Aarone Pontifice ab vno Summo Pontifice, siue Sacerdote administrata fuit, quod si semel tempore Salomonis regnare incipientis visa est habuisse duos Sadoch, & Abiatharem, id præter institutum, & casu fuit. Aut certè vti nos aliàs ostendimus non fuit.

Decimo. Inter Angelos in via fuit olim Monarchia, & hodie in Cælo est Monarchia. Igitur & in Ec-

Ecclesia Christi, quę Angelicum regimen imitari debet eadem est ratio regiminis. Assumptum patet. Nam Lucifer communi sententia Patrum caput, & Princeps Angelorum fuit, cui postea Michael successit. De quo dicitur Apocal. 12. Michael, & Angeli eius. *Apocal.*

Vltima ratio est in argumentum deducta. Ecclesia debet sortiri perfectiorem regiminis formam: ea est Monarchica, ergo hanc sortita est. Propositio constat. Assumptio probatur primo authoritate, quam innuimus principio adductis Philosophis: nunc sacros Authores afferamus. Ita Iustinus in Parenet. ad Gentes. Athanas. orat. aduers. Idola. Cyprian. de Idolor. vanit. D.Th. 1. p. q. 103. ar. 3. & lib. 4. cont. Gent. cap. 76. *Iustinus. Athanas. D.Thom*

Secundo probatur non paucis argumentis, quibus nunc abstineo; non enim id ago, à Politicis, & quædam affert Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice initio, vbi qua solet eruditione hac de re disputat. *Bellarm.* Ego vna ratione probare volo, quæ mea est: vt aliquid de meo penu adijciam. Quod bonum cætera comprehendit, & continet bona, id est alijs melius, & præstabilius. Ita se habet Bonum Monarchiæ præ Aristocratia, & Democratia, ergo est illis præstantius. Maior est certa. Minor suadetur: quia Monarchia non excludit alias formas, imo eas admittit, & amplectitur: & in vsum deducit. Nam Imperator, vel Rex, vel Princeps Monarcha adhibere potest, & solet alios Ministros, quos præfuit certis quibusdam muneribus, & officijs, & eorum opera vtitur ad gerendam Rempublicam. Ex his autem quidam sunt optimates, quidam populares. In illis est Aristocratia: in his Democratia. Ecquis enim Monarcha nō adsciscit sibi Consiliarios, instituit Proreges in Prouincijs, Prætores in ciuitatibus, Quæstores ac Aediles in oppidis, & cæteros Magistratus, Populares, Tribunitios, & similes, ita vt Monarchia illos omnes complectatur, & contineat? & tanquam membra sibi applicet, & adiungat? Qua certè ratione quicquid in ijs est vtile, & consentaneum ad Repub. administrationem colligit, & in commune confert. Hoc autem præstare nequit Aristocratia, nec Democratia, quæ Monarchiam excludunt, cùm multas partes, & diuersas requirant, quæ cum vna, & simplici forma regiminis minimè possunt consistere. Constat enim vnum, quod simplex non est, posse sub se multas partes continere, quæ in vnam politicam formam coeant, & ad vnum caput reuocentur: quemadmodum apparet in societatibus hominum, tum Sacris, tum profanis: quæ vni capiti subijciuntur. Itaque multitudo soluit, exludítque vnitatem, at vnitas admittit sub se, continetque multitudinem. Est quippe multitudo recessus ab vnitate. Probata igitur minori tenet consequentia; atque adeo sequitur Monarchiæ regimen multo esse Aristocratia, & Democratia Bonum, & melius, & præstabilius. Ita Ecclesiam gubernari, vt has item duas regiminis formas comprehendat docet S. Thomas 4. contra gentes cap. 76. & Ioannes de Turrecrem. lib. 2. de Ecclesia cap. 2. & Nicolaus Sander. in suo de visibili Monarchia opere, & Bellarmin. lib. 1. de Roman. Pontifice cap. 6. 8. & 9. *D.Thom. Turrecr. Sander.* Cætera quæ afferri possunt argumenta proximo capite cum obiecta soluimus obiter tetigimus. Vnum omittere non possum, deductum ex duobus Canonibus altero Concilij Niceni, altero Concilij Chalcedonensis, & ex his ambobus inter se commissis conflatum. *Concil. Nicen. Concil. Chalced.* Igitur Canone Sexto Concilij Niceni dicitur; vt Patriarcha Alexandrinus, & Antiochenus

suas

suas regant Prouincias, sicut Romano Pontifici consuetudo est. Vtcumque Canon intelligatur, & exponatur: De hoc enim non agimus. In materia de Concilijs dicemus. Accipio quod facit in rem meam. Hic Patriarchis suæ Sedes, & Diœceses assignantur, quibus præsint, quas moderentur: idque ad Aristocratiam pertinet. Patriarchæ, opinor Sacræ Ecclesiæ Optimates sunt. At in Concilio Calcedonensi Can. 16. adponitur illud. *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*. Et continuat, quod erat in Canone Niceno. *Mos autem perduret in Aegypto, vel Libya, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus, &c.* Et pertinet ad regimen Patriarcharum. Vnde deducitur Aristocratiam, subiungi Monarchiæ, dum illis Patriarchis præponitur Romanus Pontifex: qui Monarcha Ecclesiæ cum sit, eius Primatus declaratur: deinde afferuntur Patriarchæ Romano Pontifici inferiores, qui suis præsint Prouincijs, Optimatum more ad Aristocratiam, vt hæc intra Monarchiam contineatur.

CAPVT V.

Monarchiæ Ecclesiasticæ specimen, & vsus proponitur.

VT appareat verum nos dixisse in Monarchia Ecclesiæ omne bonum, quod ex triplici illa regiminis forma oritur, contineri: ita vt nihil Aristocratiæ, nihil item Democratiæ in ea quisquam desideret, operæ pretium erit hoc ipsum exemplo monstrare. Igitur in Ecclesia nostra Catholica, quemadmodum paulo post distinctius aperiemus, varij sunt gradus, & ordines ita diuisi, ordinatique inter se, vt cum diuersitate nexum, cum multitudine ordinem suum, & modum teneant, & omnes tamquam partes in vnum corpus coeant, & coniuncta cum suo tamdem capite coalescant. Laici fideles, in quibus sũt viri, & fœminæ instar plebis se habent. Monachi, & Clerici de medio ad populum pertinent. Superiores, & Abbates, Archidiaconi, & Archipresbyteri, & ceteræ dignitates, vti vocantur, Minores quidam Magistratus sunt. Episcopi maiores, Cardinales Senatum agunt, & Summo Pontifici adsunt. Qui tamquam omnium caput eminet, & ad quem omnes referuntur, & à quo pendent. Igitur ab hoc incipit, & ad hoc desinit Monarchia Ecclesiæ inclusa Aristocratia, & Democratia. Ex plebe laica in Ecclesia sunt, quibus commendantur munia quædam pia, & Sancta, quæ citra Sacros ordines exerceri possunt: huiusmodi sunt Sodalitia (Confraternitates vocant,) religione ac pietate plena, quæ ab ijs reguntur, & administrantur, vt in his appareat Democratia, cuius ne fœminæ quidem expertes sunt. Habent quippe suos cœtus, & conuentus pios, quos celebrant in Ecclesijs, & certis domibus, extra Monialium claustra in idoneis Gynæceis. Non longe ab his absunt Clerici ordinarij, & Monachi, quorum Præfecti, & Superiores, citra ordinem, & dignitatem insignem ad populare regimen spectant. Incipiunt iam caput attollere Generales, & Abbates, inter Monachos, & Honestates Ecclesiarum Cathedralium, & ad Optimates pertinere. Episcopi haud dubiè Optimates sunt. Extant Archiepiscopi, & Primates, & Patriarchæ. Quorum est in Ecclesiastica Republica forma Aristocratica. Altius eminet Collegium Cardinalium, quod Pontificem circunstat, & Senatum Purpureum circa illam repræsentat, & corpus quasi vnum Sacratioris consilij causa, cum suo capite format. Medij sunt inter Optimatum re-

regimen, & Monarchiam, Nam quod sunt plures Aristocratiam referunt, quod Papæ adsunt, & Senatores illius agunt, cum eo vno ita coalescunt, vt ad Monarchiam pertineant. Instituti quippe sunt, ad iuuandum, & consilio, & opera Summum Pontificem in administratione Ecclesiæ, ác ex officio tenentur, & consulere, & assistere cap. *Fundamenta*. §. *Decet*. De Electione lib. 6. quos ideo eleganter Baldus num. 3. *Stellas fixas* esse dixit, *quę non mouentur, nisi motu orbis*. Vnde Coadiutores Papæ proprio nomine appellantur cap. *Per venerabile*. §. *Rationibus*, quod *eorum Concilio Vniuersalis Ecclesiæ administratio nitatur*, vti habetur in Concilio Tridentino cap. 1. de Reform. post cap. 22. §. *Quæ vero*, sess. 25. At propterea *eorum sit sollicitudo omnium Ecclesiarum*, quemadmodum dicit Innocentius cap. *Bonæ memoriæ*. De postulat. Prælat. quos idcirco lectissimos esse vult, & monet Concilium Tridentinum sess. 24. de Reformat. cap. 1. quia nimirum ij ad omnia fermè maioris momenti negotia, quæ ad Romanam Sedem, & Christianæ Reipublicæ administrationem pertinent, consiliarij ante annos octingentos adhiberi soliti. Ita vt Episcopi instar oculorum Papæ, Cardinales mentium, in consulendo, & manuum in operando. Ac ita qui eorum Collegium attente inspiciat expressam in eo videbit, & iudicij, & prudentiæ, & virtutis imaginem, ad quam tamquam ad ideam cæteri omnis Ecclesiæ se gradus ordinesque conforment. Summus Pontifex est in fastigio, & in hominum quodam superumque confinio collocatur.

Vnum ad calcem animaduerto me non admittere, quod vulgo admitti video, Monarchiam mixtam ex Aristocratia, & Democratia: nec enim Aristocratia, & Democratia retinent formam, & rationem Principatus, cum in Monarchia includuntur, fiunt enim partes illius, & subijciuntur vni capiti, & Monarchæ: vnde amittunt naturam Principatus, atque adeo, nec formam, nec nomen Aristocratiæ, & Democratiæ proprium vendicant. Itaque vna & sola Monarchia in Ecclesiæ regimine inuenitur: mista quidem ex pluribus, & dignitatibus, & ordinibus, sed simplex in ratione regiminis, & Principatus, cum qui pro se singuli Principatus erant, vni Monarchiæ subdantur, & seruiant: quemadmodum cum Fluuij minores soli, & puri fluunt nomen suum alueumque seruant, at cum in maioris fluminis molem influunt, nomine amisso alueoque confuso, & extincto, cedunt, & à maioribus absorbentur.

CAPVT VI.

Proponitur Hierarchia Synagogæ, Figura Ecclesiæ Catholicæ.

QVoniam Synagoga vmbra fuit, & figura Ecclesię Christi, præmitti oportet illius imaginē, vt in ea adumbratam Ecclesiam videamus. Partes igitur seu ordines sacrorum legis veteris ministrorum exponamus. Ministri vel sunt ordinarij, vel extraordinarij? Illi statuto, & more eligi solent. Hi extra ordinem à Deo fiunt. Ordinarij olim erant Sacerdotes, & Leuitę ex tribu Leui, inter quos erat Pontifex Summus, vel Princeps Sacerdotum. Extraordinarij fuerunt Moyses, Prophetę, & Apostoli. Triplex fuit in Synagoga ministrorum genus. Summus Sacerdos. Inferiores Sacerdotes. Leuitę. Omnes autem erant ex tribu Leui deputata ad cultum Dei, vt patet ex lib. Numer. cap. 3. & 8. Horum electio erat hęreditaria Num. 3.

per

per successionem filiorum in locum parentum. Igitur Leuitæ, & Sacerdotes omnes certis quibusdam cæremonijs consecrabantur: Leuitæ purificabantur ad ministerium suum aqua lustrali, radebant capillos, lauabant corpus, & vestes, offerebant sacrificia pro peccatis: Quæ habentur cap. 8. lib. Num. Exodi cap. 29. Consecrabantur separati ab alijs. Offerebantur à Pontifice Deo ad ipsius cultum, qui Pontifex pro ipsis orabat lib. Num. cap. 8. Tunc admittebantur ad officium. Sacerdotum solemnior erat consecratio. Loti induebantur vestibus Sacris. Tingebantur in extremo auriculæ dextræ, & in pollice manus, ac pedis dextri sanguine arietis immolati: quo sanguine vestes aspergebantur, & oleo item vnctionis. Assumebant panem, & partem immolatæ victimæ, & leuabant coram Deo, vti constat Exodi 29. Hi erant ritus omnibus communes. Solus Pontifex Summus oleo vnctionis in capite vngebatur. Nemo ex alijs accedere audebat ad Sancta. Vnde grauis erat noxa, & grauiter à Deo punita, si quis alienus sacra tractabat. Ob id Core viuus absorptus, Ieroboamus manu arescente obstupefactus. Ozias lepra coopertus. Vt vera esset illa sententia Num. 3. prolata: *Externus qui administrandum accesserit, morietur.*

Num. 8. Exod. 29. Num. 3.

Muneris, & officij eç partes erant. Summus Sacerdos habebat quædam cum alijs communia, quædam sibi propria. Communia erant hæc, offerre victimas super altare holocausti, Leuitici primo, & tertio. In eodem altari ignem perpetuum, quasi vestali more accensum seruare Leuitici sexto. Bis quotidie thus adolere super altare thymiamatis: Exodi 30. Concinnare lucernas quę erant in Candelabro aureo iuxta altare thymiamatis bis in die infuso oleo. Exodi 28. & Leuitici 24. Ponere super mensam propositionis singulis sabbatis recentes, & calidos panes, & veteres auferre, & manducare, Exodi 28. & Leuitici 24. Immolare vaccam ruffam extra Castra: Numeri 19. Adiuuare forminas in casu zelo typiæ Numeri 5. Discernere inter lepram, & lepram Leuitici 13. Deutor. 17. Expiare, seu mundare leprosos, & puerperas menstruatas, & seminifluos Leuitici 12. Legem Dei interpretari, & docere Aggæi 2. & Malach. 2.

Leuit. Exod. Leuit. Exod. Deuter. Aggæ. Malach.

Summus Sacerdos habebat quatuor propria. Primum, semel in anno in solemnitate expiationis, siue purificationis introire in Sancta Sanctorum, & constituere publicam expiationem omnium peccatorum toto anno contractorum. Leuitici 16. Secundum consecrare Sacerdotes, & Leuitas iuxta ritum traditum Exodi 29. Numer. 8. & Leuitici 8. Quod officium ait D. Thomas 1.2. qu. 102. art. 1. ad 8. designabatur per Vnctionem capitis Pontificij: quod vnguentum à capite ad membra defluebat, iuxta illud Psalmi 132. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Tertium agere iudicem controuersiarum, & pronunciare vltimam sententiam, cui omnes tenebantur obedire sub pœna mortis Deut. 17. & Paralip. 19. Quartum, consulere Deum, & responsa ab eo accipere in causis grauissimis. Itaque Summi Sacerdotes erant veluti Tripodes vnde oracula fundebantur. Quando autem hoc munus obibant induebãtur Ephod. & expectabant responsum Dei. Quomodo vero illud acciperent incertum est. Nos aliquid supra diximus.

D. Thom.

Leuitarum minora erant ministeria. In tres familias diuisi. *Gersonitæ, Caathitæ, Merarite.* Horum Caathitæ prima obibant ministeria. Portabant Sanctuarium, & arcam, & sacra illius vasa, omnia inuoluta,

ta, ne qua parte illa tangerent. Subdebantur Eleazaro Aaronis Filio lib. Num. cap. 4. Gersonitæ deferebant cortinas, & vela, & operimenta Tabernaculi, & quæ ad altare pertinebant, & funiculos, & vasa ministerij omnia item operta. Meraritæ baiulabant tabulas Tabernaculi, columnas, & vestes illius, & paxillos, & funes. Sic in deserto, & vsque ad extrema Dauidis tempora, Dauid enim constituit Paralipo. 1. cap. 23. vt Leuitæ requiescerent ab ijs oneribus, & assisterent Summo Pontifici, & alijs Sacerdotibus in cultu domus Dei, & adessent in vestibulis, & exedris, & in loco purificationis, & Sanctuario, & in vniuersis ministerijs Templi. Et vlterius, *stent*, ait, *mane ad confitendum, & canendum Domino*, similiter ad vesperam, tam in *oblatione holocaustorum, quam in Sabbatis, & Calendis, & solemnitatibus reliquis*. Itaque Sacerdotes in Sacris intimis, & superioribus: Leuitæ in extimis, & inferioribus ministrabant. Hæc de ordinarijs ministris. — Paral. 1.

Extraordinarij erant, qui assumebantur à Deo liberè, quando & quomodo volebat certis euentibus, & temporibus. Huiusmodi fuerunt Moyses, Elias, Elisæus, & alij in lege veteri Prophetæ. Quos ne suspecti essent Deus prodigijs, & miraculis, & futurarum rerum prædictionibus illustrabat. Miraculis se prodidit à Deo missum Moyses, virga Dei in eius manu mira portenta operante. Elias item impetrato à cælo igne, & clauso cælo, & mox in pluuias aperto legitimum se ministrum esse probauit. Nec minus Eliseus suscitato filio hospitis fœminæ, & alijs miraculis Fidem fecit se à Deo missum esse Prophetam. Prædictionibus, tum ij, tum alij, ministerio suo fidem fecerunt. Fuit autem hoc signum proprium Prophetarum. Imo hoc ipsum eos distinguebat à falsis Prophetis, vti constat Deut. 18. & notat D. Hieronymus in cap. 37. Isaiæ super illud: *Tibi autem erit hoc signum*, & Rupertus Prol. in Osee. Augustinus autem acutè distinguit inter eos Ministros, qui mittuntur, & veniunt. Vt qui mittuntur Sancti sint, & veri Prophetæ, qui autem veniunt Pseudo Prophetæ: nam sine authoritate Dei se intrudunt, iuxta illud Hieremiæ 23. *Non mittebam Prophetas, & ipsi veniebant*. Id autem obseruat Augustinus lib. 16. contra Faustum cap. 12. & lib. 2. contra Aduersarium legis, & Prophetarum, & Beda, qui hanc ab Augustino sumptam doctrinam in suos transtulit Commentarios, atque hac ratione interpretantur locum Ioan. 10. *Omnes quotquot venerunt fures sunt, & latrones*. Nam ij, qui non sunt missi à Deo irrumpunt in ecclesiam, tamquam fures, & latrones, quia munus sibi indebitum, atque adeo alienum vendicant. Vnde rectè Isaias cap. 1. ad Deum: *Ecce ego*, inquit, *mitte me*, nolebat vltro venire ne latro videretur, sed mitti postulabat, vt Prophetam se esse testaretur. Vtitur autem Scriptura Verbo *Mittendi*, quoties Deum inducit Ministros suos eligentem, & destinantem. — S.Hier. Rupert. August. Hiere m. Beda. August. Isaiæ.

CAPVT VII.

De vocatione, & electione ministrorum.

MVtato cum lege Sacerdotio, & ad ordinem Melchisedechi per Christum æternum eius ordinis Sacerdotem translato, nouis Ministris opus fuit, qui non hæreditario sanguinis iure succederent, sed electi essent Superiorum arbitrio, & in ordine Spirituali repositi. Vt similes essent Summo Pontifici Christo à quo eliguntur, & Sacramen-

mentis ab eo ad salutem animi institutis; quæ ministrant. Hi ergo Ministri generali vocabulo Clerici appellantur à Clero, idest, sorte; Raban. vnde Rabanus. *Clericos*, inquit, *vel Clericos hinc appellatos authores nostri dicunt, quia Matthias sorte electus est, quem ab Apostolis legimus ordinatum, vel quia de sorte Domini sunt, vel quia Dominum partem habent*, Hieron. quod ante dixerat Hieronymus ad Nepotianum, vbi ait. *Clericus est, qui seruit Ecclesiæ*. Clerici ergo in gradus ordinesque distincti Hierarchiam constituunt. Eos autem gradus ex parte Sacerdotes, & Leuitæ adumbrarunt. Nam Principes Sacerdotum Papam nostrum: Sacerdotes minores, Episcopos, & Presbyteros. Cæteri Leuitæ Diaconos, & Subdiaconos, & inferiores Ministros minoribus initiatos ordinibus figurabant. De his agunt Concilia Concil Carth. præcipuè Chartaginense 2. cap. 2. & Gratian. sequentibus, & Gratianus in Decreto dist. 23. & Isidorus de ecclesiasticis Alcuinus officijs lib. 2. & Alcuinus Amalar. lib. de officijs diuinis. Amalarius, & reliqui de diuinis officijs Scriptores, qui habentur tom. Collectionis Hitorp. Hittorpij, qua de re nos in Sacramento ordinis satis diximus.

Ordo Clericalis in nouo Testamẽto post Christum, qui altius, & diuinius Sacerdos erat, incepit à Petro Rabanus teste Anacleto Epist. 1. & Rabano de inst. Cler. lib. 1. cap. 4. Nam illis verbis: *Tu es Petrus*, additis Clauibus ligandi, atque soluendi, quæ iurisdictionis Symbolum erant, Pastor fuit institutus. Imo & Petrum authorem fuisse Clericalis tonsuræ tradit idem ex multis cap. 3.

Huius moris ea fuit ratio, vt similitudinem Christi gestaret in capite, qui spinis coronatus est, quam coronam rasa summitas capitis, & circulus comarum circa frontem, & tempora attonsarum, repręsentaret. Decuit autem vt Clerici habitu, & professione à cæteris Laicis distinguantur, ideo & caput tonsura, & corpus nigro, & longo habitu insigne gerunt: præter eum qui Pontificum proprius ornatus est, de quo suo loco.

Est hic importuna Lutheri, & Caluini obiectio, Clerum, & Clericos insectantium. Lutherus ergo Lutherus lib. de abroganda Missa par. 1. & Caluinus lib. 4. Instit. cap. 4. par. 9. Caluinus aiunt, istam distinctionem ministrorum esse impiam, & contra Scripturam, quę Cleri nomine omnes fideles, atque adeo totam Ecclesiam intelligit; iuxta illud Petri Petr. 1. Epistol. 1. cap. 1. *Non dominantes in Cleris*, idest in Ecclesijs. Quæ obiectio si vera est, omnium Conciliorum, & Patrum doctrinam euertit, quæ vbique Clerum, & Clericos à Laicis distinguit. Verum hæc responsio non placet duabus ijs furijs, qui damnant Patres, & Concilia, & prouocant ad Scripturas. Sed quoniam non habent alium locum, quo nitantur eum illis tamquam Clauam eripiamus ex manibus. Respondeo igitur primo: *Dominari in Cleris*, intelligi de Clericis, non de Laicis. Nam cum de Episcopis sermo sit, referendus est ille dominatus ad Clericos, in quos proximè, & propriè Episcopi dominantur. Dominari quippe refertur ad eos, qui sunt eiusdem ordinis, & habent aliquem titulum dominandi. Itaque Cleri apud Petrum significant gradus Ecclesiasticos, & ita Hierony- Hieron. mus, & Oecumenius interpretan- Occum. tur. Quare nihil colligunt. Deinde dato significari populum, & gregem, nihil inde concludunt. Nam potest illa vox Cleri significare totam Ecclesiam, & partem Ecclesiæ selectam. Si enim ideo significat totam Ecclesiam, quia hæc distinguitur ab infidelibus, cur non poterit discernere fideles sacratiores, idest, Ecclesiasticos à Laicis? Nam to-

ta Christi Ecclesia *Sponsa* dicitur, sed hoc non tollit quominus animæ sanctæ sponsæ Christi appellentur. Præterea Synagoga olim sors Domini dicebatur, & tamen pars illius, id est Tribus Leuitica sors item dicta. Inter Caluinistas, & Lutheranos certi quidam homines sunt, qui sacri, & Ministri vocantur. Quo certe nomine non poterunt vocari, cũ alij fideles inter eos respectu aliarum sectarum sacri, & Ministri Dei appellentur. Alij sunt electi in Ecclesia Dei præter Caluinistas. Cur ergo suos illi vocant electos? Desinant electi appellari, quia omnes prædestinati electi appellantur.

In Ministris autem noui testamenti attenduntur tria. Primum electio. Secundum consecratio. Tertium missio. De electione quidam Hæretici, vt Vvicleffus, & Hus aiunt solius Dei esse Pastores eligere. Nonnulli vero, vt Lutherus, & Caluinus, tam propriam esse electionem populi dicunt, vt si aliter fiat nulla sit. Eos referunt Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 2. & Vasquez de Sacramento ordinis disp. 244. cap. 7. Extrema ista sunt, ac idcirco vitanda. Nam falsum est à solo Deo Ministros eligi propter eam, quam affert Vvicleffus rationem, qui à Deo eligi idcirco vult, quia necesse est eligi sanctos. Constat quippe Deum elegisse Saulem reprobum, & Christum elegisse Iudam, & Apostolos elegisse Nicolaum Heresiarcham. Præterea quomodo, si Ecclesia est visibilis, inuisibilis erit iuxta virtutem, & gratiam electio? aut quomodo constabit illam esse electionem diuinam nisi aliquo miraculo comprobetur? Tandem redarguitur hæc sententia, quia non Deus, sed Apostoli, qui homines erant, septem Diaconos elegerunt.

Lutherus Caluinus | Bellarm. Vasquez. | Vvicleff. | Act.

Secundæ Hæreticorum sententiæ duæ partes sunt. Prima affirmat, consensum Populi tam esse necessarium, vt sine illo electio nulla sit. Hæc est prorsus hæretica, & contra Concilium Tridentinum, sess. 23. cap. 4. & Can. 7. cuius hec sunt illo cap. 4. verba. *Docet Sacrosancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinum, nec populi, nec cuiusuis sæcularis potestatis & Magistratus consensum, siue votum siue authoritatem ita requiri, vt sine ea irrita sit ordinatio.* Et Can. 7. Id affirmantes anathematizat. Secunda pars quę affirmat olim interuenisse consensum populi in electione Episcoporum tuta est, & certa, & patet ex Epistolis Cypriani lib. epistol. 4. siue 68. & ex Epistola Concilij Niceni ad ecclesiam Alexandrinam, cuius meminet Theodoretus lib. 1. cap. 11. qua iubetur confirmari electio à Populo facta. Et ex alia simul Epistola Concilij Constantinopolitani 1. ad Damasum, & Ambrosium, quam idem Theodoretus refert lib. 1. cap. 9. Huius consuetudinis meminit Chrysostomus, lib. 3. de Sacerdotio, quamuis eam deploret, & ex alijs testimonijs apud Gratianum dist. 23. & 24. 62. & 68. Hoc autem manifestè patet ex electione Eradij, qui Augustino successit, qui locus est inuictus, ad hanc consuetudinem requirendi consensum populi probandam. Postea tamen abolita illa est in Concilijs posterioribus, quod erudite probat Bellarminus, & Vasquez citati, & Ieremias Patriarcha Constantinopolitanus. Durauit autem ille mos vsque ad tempora Gregorii Magni, vti constat ex lib. 7. Epistolarum cap. 69. alias epistola 30. Non est tamen negandum olim non fuisse generatim permissum populo in his electionibus se interponere. Nam in Concilio Laodiceno authore Vasquio, satis antiquo sub Liberio, vel minimum Damaso Can. 13. & refertur cap. *Non est permittendum* dist. 63.

Concil. Trident. | Cyprian. | Theod. | Ghrisost. | Gratian. | Bellarm. Vasquez. | Gregor. Magnus.

dist. 63. dicitur: aufertur hęc potestas vobis. Id est plebi.

Vnus est locus, quo vti possunt, Hæretici ad probandum electionem pastorum ad populum pertinere, nempe Cypriani epistola 4. vel 68. vbi ait. Plebem habere potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi, atque hoc ipsum ex diuina authoritate descendere. Huic loco respondet Bellarminus negando illam propriam esse electionem, & affirmando potestatem tantum esse ferendi testimoniũ de vita, & moribus eligendorum: Vasquez admittit de vero iure eligendi loqui Cyprianum. Ego medius inter vtrumque aliter interpretor Cyprianum. Ac primum suppono, vti proximè dixi, licuisse tunc populo Sacerdotes, & Episcopos, cum Superioribus suis pariter eligere. Quomodo autem dicat Cyprianus id ex diuina authoritate descendere, sic explicat Vasquez, ibi authoritatem accipi non immediatè à Deo, sed à Superioribus Episcopis, qui eam populo communicabant. Vel alio modo, ait Vasquez, quia exempla multa Scripturarum monstrant Populum aliquando Sacerdotes elegisse. Hoc supposito dico primo exempla Scripturarum nihil eiusmodi continere, & contradico Vasquez, cuius exempla refuto. Nam Eleazar Num. 20. electus fuit à Deo, non à Populo, imò non tam electus, quam successor Patris sui Aaronis. Matthias autem Actorum 1. minimè fuit electus à plebe, sed ab Apostolis cum Iosepho propositus, & electus à Deo per signum sortis singularis, quæ cecidit super Matthiam. Exemplum autem de septem Diaconis Actorum 6. retorquetur in Vasquez: nam ille cap. anteced. huius disp. 244. dixerat non fuisse à populo electos Diaconos, sed tantum ministros eleemosynarum, quæ pauperibus viduis distribuebantur, ac proinde ab Apostolis Diaconos electos esse, vti latius & manifestius docuerat idem Vasquez disp. 236. cap. 4. Dico secundo Cyprianum loqui de iure improprio eligẽdi primis illis temporibus plebi permisso. Quod ius huiusmodi erat. Episcopi electores eligebant Sacerdotes quos idoneos iudicabant, & electos coram populo proponebant, tunc si populus bene de illis existimabat, annuebat: si male, renuebat, & reijciebat. Sunt enim perspicua verba Cypriani, *Habet*, inquit, *plebs potestatem eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos reijciendi*. Vnde apparet hoc ius non esse primarium, & absolutum, sed secundarium, & restrictum. Non enim populus primo eligebat, sed iudicabat de electo iam ab Episcopo, atque vt vtilitati suæ consuleret, vel approbabat, vel reijciebat. Hinc patet responsio ad maiorem difficultatem, quæ est in illis verbis Cypriani, dum ait, *hoc ex diuina authoritate descendere*. Quoniam à iure diuino procedit, vt in sacris congrui, & conuenientes ministri eligantur. Imò ius naturale dictat, vt Pastores ouibus vtiles eligantur, in quo sanè ius habet grex sibi consulendi. Quare si qui proponuntur vtiles futuri sint, probari debent, si secus illo iure reprobari.

Cyprian. | Bellarm. | Vasquez. | Num. 20. | Actor 1. | Cyprian.

Sed contra est validum argumentum. Si hoc est de iure diuino, & naturali, non potuit populus illud amittere, imò semper debuit retinere. Vnde sequitur hodie electionem à populo fieri oportere, alioquin iniustitia committeretur.

Respondeo negando sequelam. Ratio est, quia ius illud naturale, & diuinum prouidendi Sacros Pastores populo, in eo fundatur, quod vtiles, & conuenientes eidem populo in sacris ministrandis esse debent. Hic autem finis retineri potest alio modo sine populi interuentu, nimirum quando electio fiat recte,

ctè, & conueniantur ab episcopis eligentibus ministros. Quo casu cessat necessitas consensus, & approbationis populi, cui alio modo sufficienter consulitur. Et hac ratione sequela eneruatur.

Superest tamen scire, cur in principio ecclesiæ ille interuentus populi in more positus fuit; & postea esse desijt?

Respondeo: principio fideles quietos, & modestos fuisse, & officium suum moderatè præstitisse; postea tamen cœpisse abuti illo iure, nimis sibi arrogando, & immoderate se gerendo, ac proinde infamando multos dignos, & nonnullos indignos promouendo. Patet hoc ex Chrysostomo istam insolentiam suo tempore deplorante lib. 3. de Sacerdotio paulũ à principio his verbis. *Vis & aliud pugnæ genus aperiam mille periculis plenum? ito iam hinc & publica festa spectato. Ea dico in quibus dignitatum ecclesiasticarum electiones de more fiunt, & tam multos videtis inibi criminationibus lacerare episcopum, quantá est tota illa subditorum multitudo.* Idcirco Laodicenum Concilium Can. 13. sic ait. *Quod non sit permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium prouehendi.* Quem Canonem citans Vasquez disp. 244. cap. 4. ait, illud Concilium celebratum fuisse sub fine Pontificatus Liberij, vel initio Pontificatus Damasi, quod non est omnino certum: sunt enim qui putent habitum fuisse, sub Syluestro, & ante Concilium Nicennm.

Chrysost.

Concil. Laodic.

Vasquez

Est aliud Decretum vetans cap. 8. *Non licet* distin. 63. sub nomine Martini Papæ. *Non licet, ait, populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promouentur.* Atque vt iure vetitum appareat, subiungitur. *Sed in iudicio Episcoporum sit, vt ipsi eum probent, si in sermone, & fide, & spirituali vita edoctus sit.* Quibus verbis significatur suppleri per iudicium episcoporum, consensum & approbationum populi. Quare finis obtinebatur, non iam per populi consensum, sed per episcopale iudicium.

Canon.

Vnde ad hæreticos, qui nos vrgent antiquis exemplis electionum interuentu populi factarum respondeo in forma. Priscis temporibus permissum catholicis paucis, & bonis, & modestè agentibus approbare electionem Sacerdotum, sed postea crescente populo, & turbas ciente, & arroganter se gerente, vt hæc mala euitarentur eum morem populis interdictum, & electorum ad solos episcopus redijsse, seruato semper fine boni communis, vt plebi consultum esset. Idcirco electio episcoporum circumspectè, ac ex iudicio Metropolitani, & episcoporum in vicinia gubernantium fieri solita, vt patet ex cap. *Episcopi* dist. 28. & cap. *Non sunt* dist. 61. & præcipuè cap. *Episcopus* dist. 25. dicitur. *Episcopus sine consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita vt Ciuium conniuentiam, & testimonium quærat.* Cap. autem proximo idest, *quando Episcopus* eadem distinct. iubetur vt præcedat examen doctrinæ, & morum, & patriæ, nec permittitur, nisi hoc præmisso presbyteros ordinari. Quod non solent facere hæretici; sed illi Sacerdotes non sunt, ac proinde hac sunt lege soluti.

c. Episc.
cap. Non sunt.
c. Episc.

Obijciunt secundo Nouatores. In Republica humana Reges, & Principes eliguntur à populis, cum tamen populi inferiores, & subditi, regibus, & Principibus sint. Ergo etiã Episcopi, & Pastores debent eligi à populo quamquam subditus sit.

Respondeo negando sequelam ob diuersam rationem: nam in Republica humana populi conferunt ius, & dominium in reges, ac Principes, quia est quid temporale, & hu-

humanum. Vnde licet populo reges, ac Principes eligere. At vero ius quod est in Episcopis ad gubernandum, & in Sacerdotibus ad ministrandum est supernaturale, & altius quam sit humana conditio. Ergo nequit à populis conferri. Et patet magis ex eo, quod omnis potestas iurisdictionis spiritualis fundatur in ordine, qui omnino sacer est; & confertur à Spiritu Sancto, estque Sacramentum. Deinde retorquetur argumentum, quia & si reges initio electi fuerint à populo, postea tamen ipsi absolutum sibi dominium vsurparunt, & hæreditarium fecerunt, vnde non iam per electionem fiunt, sed per successionem reges sunt, ita vt Populi eos non possint arbitrio suo eligere. Vnde deducitur. Si populi dominium, quod dederunt, non possunt reuocare, multo minus licere populo Sacrum illud ius, quod minimè dare potuerunt repetere potuisse. Minus est enim id, quod non dederunt relinquere, quam id quod dederunt amittere.

Quia tamen non acquiescunt hæretici oportet eos exemplis refutare. Præmisso Decreto Niceni Conc. 2. vbi sic Can. 2. *Omnem electionem, quæ fit à Magistratibus, Episcopis, vel presbyteri, vel Diaconi irritam manere. Oportet eum, qui est promouendus ad episcopatum ab episcopis eligi.* Primum sit exemplum ecclesiæ Alexandrinæ, de qua Hieronymus. *Alexandrini, inquit, à Marco Euangelista, vsque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos, Presbyteri vnum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum vocabant.* Nulla hic mentio populi. Secundum in eadem Ecclesia Athanasij, qui teste Ruffino lib. 10. cap. 9. scribit, Frumentium Indorum Episcopum creatum ad Indos misit, de quo nihil Indi cogitabant. Tertium Epiphanij à quo Paulinianus S. Hieronymi frater presbyter ordinatus est, & ad monasterium fratrum, vt ijs præesset missus, Monachis nihil scientibus. Quartum Gregorij Papæ, qui Sanctum Augustinum Episcopum Arelate ordinatum in Angliam ire iussit: authore Beda. Quintum Gregorij Secundi Papæ, qui Sanctum Bonifacium in Germaniam Episcopum expediuit, nec illius gentis suffragium, aut consensum expectauit.

Concil. Nicen. — Hieron. — Ruffino.

De consecratione constat. Latè nos de illa in materia de Sacramento ordinis. Nunc breui dicam. Consecratio nullatenus fit à Laico, quia cum careat sacro ordine nequit illud conferre. Probatur primo exemplo legis Moysis, in qua nemo Sacerdos consecrabatur à Laico. Ergo à fortiori in lege gratiæ. Probatur secundo ex praxi primitiuæ Ecclesiæ. Patet ex actis Apostolorum & Epistolis Pauli, in quibus legimus semper ab Episcopis consecrationes factas esse. Ita Paulus, & Barnabas, ab Episcopis Antiochiæ consecrantur. Ita presbyteri Lystris, Iconij, & Antiochiæ à Paulo & Barnaba consecrati sunt. Epistola 1. ad Timotheum cap. 4. constat ipsum Timotheum à cœtu Episcoporum consecratum esse Episcopum. *Noli inquit, negligere gratiam quæ in te est, per impositionem manuum Presbyterij.* Quo vocabulo intelligitur cœtus Episcoporum, qui sunt maiores presbyteri, vt interpretatur Chrysostomus, & Oecumenius & Theodoretus. Constat item ex alio loco Epistola 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionē manuum mearum.* Vnde in illo cœtu Episcoporum Paulus erat. Igitur Minister ordinationis est Episcopus. Loquor autem de ordinario Ministro, nam de extraordinario, & ex commissione alibi diximus.

1. Tim. 4. — Chrysost. Theodor. Oecum. — 1. Tim. 4.

Contra hæreticos illud pro loco ad-

Caluinus aduertimus Caluinum fateri lib. 4. instit. cap. 3. par. 16. impositionem manuum à tempore Apostolorum in vsu perpetuo ecclesiæ fuisse. Quare ille vult vt ministri suæ sectæ non nisi à ministris ordinentur. Sed iam superius aduertimus eum sibi non constare: Si enim Laicos à Clericis non distinguit, quomodo negat ministros à laicis ordinari posse? Quod autem apud ipsum, & Lutherum veri ministri non sint, patet ex eo, quia verè consecrati non sunt: nam à nostris Catholicis non sunt ordinati, à suis ordinati non sunt. Igitur carent ordinatione. Refutantur autem aptissimè testimonio Hieronymi. Hieron. *Hilarius*, inquit, *cum Diaconus de Ecclesia recesserit, neque ecclesiam efficere potest episcopus, & Presbyteros non habens, neque baptisma, sine Eucharistia tradere. Et cum iam homo mortuus sit, cum homine pariter interijt & secta, quia post se nullum Clericum Diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est, quæ non habet Sacerdotes.* Videtur Hieronymus iam tum de Caluino cogitasse? Sed in eo Hilario inerat Caluinus: nam noui hæretici nihilo nisi tempore ab antiquis differunt.

Restat missio Clericorum. Missio autem est, quæ alio nomine vocatur potestas iurisdictionis, & à potestate ordinis distinguitur. Qua de re in materia de Sacramentis. Pauca nunc. Igitur missio ministrorum tunc fit, quando Episcopo oues, Parocho plebes, Prælato subditi, Missionario Populi assignantur: quos ex officio pascant, regant, moderentur, instituant, & Sacramentis muniant. Hac ratione missi sunt Apostoli à Christo: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et rursus: *euntes in mundum vniuersũ.* Hoc modo in principio ecclesiæ Dionysius Areopagita in Gallias, Eugenius in Hispanias, & Patritius in Hiberniam, Augustinus in Angliam, Bonifacius in Germaniam, & extremis temporibus Xauerius in Orientem. Nuncius, Occiedus, & Alphonsus Mendez Patriarchæ in Aethyopiam missi sunt, & quotannis à Sede Apostolica, à Cardinalibus, & Episcopis mittuntur ij, qui missionarij appellantur ad Prouincias totius mundi edocendas. Hoc autem munus mittendi ministros pertinet ad Principes, & Pastores Ecclesiæ, cuiusmodi sunt Episcopi, iuxta illud Pauli: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt constituas per Ciuitates presbyteros, sicut ego constitui tibi.* Porro in Supremo Capite est Suprema potestas mittendi maiores ministros, idest Episcopos, sicut horum est mittere minores, vt hoc ordine seruato rectè constet, & administretur ecclesia.

CAPVT VIII.

De differentijs Sacrorum Ministrorum. Et Hierarchia Ecclesiastica.

DE Ministris in ordine ad Sacramenta in propria materia dictum est, nunc de his prout constituunt Hierarchiam ecclesiasticam breui dicemus. Hæc Monarchica est, & varijs sub vno capite membris constat. Caput est Summus Pastor, cuius potestas in totam Hierarchiam funditur cum Vicarius Christi sit. Post eum eminent Cardinales, qui vnum cum eo corpus Sacrum, & domesticum efficiunt, & Senatum in Ecclesia constituunt. Deinde Legatus à latere succedit, postea Nuncius Apostolicus, quia representant personam Papæ. Sequuntur Patriarchæ, seu Primates, (perinde quippe sunt) tum Metropolitani, tum Episcopi. Post episcopos olim erãt Chorepiscopi: de quorum nos potestate latè, & accurate lib. 1. de Clauibus egimus. Hi tamen prorsus extincti. Sequuntur

tur Abbates partim consecrati habentes quasi Episcopalem iurisdictionem, partim non consecrati, qui multo sunt primis inferiores. Veniunt deinde Archidiaconus, seu Decanus, qui habet iurisdictionem in Capitulum ecclesiæ, & in Archipresbyteros. Est præterea Cantor maximus, qui in Choro ius habet, postea Magister Scholæ, vel Scholasticus, tandem Thesaurarius: quæ dignitates dicuntur. Canonicatus dignitas non est. Et quidem de episcopis, & Cardinalibus satis dictum est. De Legatis aduertimus in triplici differentia esse. Primus est Legatus à latere, qui semper est Cardinalis, & conferre potest omnia beneficia. Secundus est Legatus, natus, & habet amplam potestatem, & mox cum in sua dignitate creatur eo ipso Legatus est, qualis olim fuit Archiepiscopus Cantuariensis. Henriquez nominat illum, qui est in Regno Siciliæ. Tertius est ille, qui non ratione dignitatis, sed personæ destinatur ad temporalem causam Legatus, quando non est Cardinalis. Henriq.

Patriarcha est Princeps Patrum. Quinque numerantur ex antiquis. Romanus, qui est idem & Papa, & Patriarcharum Princeps. Secundus Alexandrinus. Tertius Antiochenus: quæ duæ Sedes vltra Romanam fundatæ sunt à Petro, & quamquam Antiochena prior fuerit, principalior tamen est Alexandrina, quia Petrus in ijs fundandis habuit rationem dignitatis Vrbium. Hæ duæ fuerunt erectæ ante Concilium Nicenum. Post hoc aliæ duæ institutæ: Hierosolymitana, quæ prius erat suffraganea Cæsariensis, & Constantinopolitana, quæ tandem post 500. annos à Christo nato Græcarum omnium Princeps fuit permissu Papæ Vigilij, & opera Iustiniani Imperatoris. Præest autem Patriarcha omnibus Archiepiscopis, & Episcopis suarum Prouinciarum. De horum Patriarcharum institutione, iure, dignitate, potestate diximus lib. 1. de Claub. Inter hos Patriarchas duo nomen Papæ habuerunt: Romanus, quod Pastor, & Pater Vniuersalis, propriè, & Antonomasticè Papa dictus. Secundùm illum Alexandrinus, Papa item appellatus. Antiochenus vnus Patriarchæ sibi nomen vindicauit. Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus Archiepiscopi nuncupari soliti. Ita Balsam. in medit. & Nilus doxapatr. & Petrus Antiochen. in Ep. ad Archiep. Gradens. Balsam. Nilus. Petr. Antioch.

Metropolitanus ille est, qui in suo Regno, vel Prouincia præest omnibus Episcopis in casibus à iure expressis, idest, in causa criminali, aut ciuili circa ipsos Episcopos suffraganeos, quas potest decidere, non potest tamen eos deponere. Accipit appellationes subditorũ, quando à suffraganeis ad se prouocant, & de nouo iure visitat Diœceses suffraganeorum, eosque dum visitat, potest absoluere à peccatis, & censuris; est enim tamquam ordinarius. Celebrat item Concilium Prouinciale etiam inuito Primate. De alijs diximus in libro de Clauibus ad Sacramentum Ordinis.

De his satis: quoniam in Sacramento ordinis accuratè hæc omnia opinor tractauimus. Pro coronide quæritur: Vtrum olim in Oriente fuerint plures Patriarchæ? Nam Canone 36. Concilij Niceni Arabico decernitur, *ne Aethiopes eligant sibi Patriarcham, & permittitur ijs eligere Prælatum instar Patriarchæ*. Et postea tempore Iustini Imperatoris anno 523. Patriarcha Catholicus in Aethiopiam ab eodem Iustino missus Rege Kalebo, seu Eleesbano; quemadmodum refert Baronius tomo 7. ad eum annum. Quod attinet

net ad Canonem illum Arabicum diu est, quod ego de ijs ambigo: ac eo magis, quod video Athanasium Alexandrinum Episcopum illum Magnum, cum iam Patriarcha esset, misisse in Aethiopiam authoritate propria, Frumentium Episcopum de quo Ruffinus lib. 1. histor. cap. 9. ad Indos missum scribit. Indos autem eos esse vltra, siue supra Aegyptum, Aethiopes, constat ex eorum libris, quorum testimonia citat P. Balthasar Tellez lib. 1. suæ histor. cap. 29. Quem Episcopum tantum, non Patriarcham fuisse apparet. De illo à Iustino Aethiopibus præposito non admodum constat Patriarchatu functum. Duo pro comperto habeo. Vnum Episcopos Aethiopiæ semper à Patriarcha Alexandrino electos, & missos, cum etiamnum eos inde accipiant. Alterum eos omnes, si illum Iustini excipias fuisse Schismaticos, & hæreticos Eutychianos, & Monothelitas. Rege Ioanne II. & pio æquè, & forti & prudenti de illa gente ad fidem Catholicam reuocanda agi cœptum: idque Regi Emmanueli pro sua religione singulari antiquissimum fuit. Sed nihil profectum, donec Rege Ioanne III. eorumdem studiorum æmulo, ope S. Ignatij effectum, vt Societatis IESV Patres eò missi viam ad Patriarcham munirent. Is primus fuit P. Ioan. Nonnius Barretus vir natalibus iuxtà, & virtutibus illustris, creatus à Iulio III. Pontifice Anno 1554. Successor ei destinatus P. Andreas Ouiedus, *insigni vir*, vt ait Henriquez lib. 10. cap. 2. *Sanctitate*, Nicenus episcopus, vterque eiusdem Societatis IESV authore Deo ad fidem tuendam, & & propagandam institute. Horum Barretus, cum Goam appulisset, & Ouiedo cum socijs in Aethiopiam præmisso clausos sibi ad eam aditus comperisset, tamdiu Goæ fuit donec obijt dolore magis, quam morbo confectus. Ouiedus eam suscepit, gessitque Prouinciam, in summa difficultate rerum, & temporum, adeo vt odio, & inuidia Schismaticorum coactus fuerit victum, sibi labore, & industria parare, & propria manu arare terram, & sementem iacere, segetem metere, verso in ligonem, & falcem baculo, gaudente terra vomere sacrato, Patriarchali aratore. Sudabat ille supra Nili aquas, ac ex eo crescebat dolor, quod innata ijs benignitas nihil sibi ad agriculturam proficeret, & semini iacto lacrymas cogeretur impendere. Eo breui mortuo diu Patriarchatus vacauit. Donec anno 1623. tertius Patriarcha Alphonsus Mendez, summus in omni genere doctrinarum vir, & vltra doctrinam pietate excellens, consecratus, & missus, successore designato P. Iacobo Secco eiusdem Societate instituti, & litterarum, & virtutum gloria æquali, Episcopo Niceno: quos ego Conimbricæ in Collegio illo primario, & Principe Societatis noui, & singulari studio, & obseruantia colui, & multa ex ijs, & præclara, tum scientiæ, tum pietatis documenta puer cepi, quæ numquam exciderunt: quin hodie senex animum, & mentem ipsa cogitatione hominum illorum excellentium soleo conformare. Huius eximij Patriarchæ, vti fœlix aditus, ita infœlix ex Aethiopia exitus fuit. Exceptus ab Imperatore humaniter, & ab eodem, populoque Patriarchæ loco habitus, iuramento Fidei, & obseruantiæ erga Romanum Pontificem (is erat Vrbanus VIII.) exacto: quo præstito nouem fermè annos strenuè, quà voce, quà scriptis, quà exemplis rem Catholicam promouit, sed postea Abunæ, (is Schismaticus Episcopus ab Alexandrino Patriarcha, ei genti præpositus est)

ope-

Ruffin. Tellez.

opera Aethiopia pulsus, & Goam remissus: vbi cum diu Sanctè vixisset ipso anniuersario Sanctorũ Petri, & Pauli die anni salutaris 1656. felicissimè decessit. Cuius elogium Tellez in sua Hist. Aeth. sub finem posuit.

CAPVT IX.

De Fæminis an pertineant ad Hierarchiam?

Controuersia est de fœminis, an hæ quoque pertineant ad Hierarchiam Ecclesiasticam? Nã Cataphryge olim mulieres ordinabant in Diaconos. Pepusiani autem etiam in Sacerdotes, & Episcopos; quod patet ex Epiphanio, & Augustino. Postea ad annos ferme quingentos, & 50. Acephali fœminas consecrarunt Diaconissas, testante Sigeberto in Chronico anno 526. Ex nostris authoribus Paludanus, & Almainus dixerunt mulieres primam tonsuram posse accipere. Fundantur in eo, quod prima tonsura ordo non est.

Epiphan. Auguſt. Sigebert. Palud. Almain.

Argumentantur Hæretici, hoc modo; apud PP. & Concilia reperiuntur mulieres Diaconissæ, & Presbyteræ, & Episcopissæ. Ergo eę ordinabantur, & illa munera exercebant. De Diaconis patet in Clemente Romano lib. 8. Constit. cap. 19. 20. alias 26. vbi Clem. Romanus ait: *De Diaconissa verò constituo, vt manus ei Episcopi imponatur præsentibus Presbyteris, & Diaconis.* Perspicuè apparet eius consecratio. De hac item meminit Tertullianus lib. de exhort. ad Castit. cap. vlt. nu. 72. vbi ait: *Quantæ igitur & quę in Ecclesia ordinari solent, quæ Deo nubere maluerunt?* Idem habet lib. ad Vxorem cap. 7. num. 43. & lib. de velandis Virginibus cap. 6. num. 73. Ex quo patet eas solere ordinari. Sunt de hac re duo insignes loci, alter in Concilio Chalcedonensi Act. 18. can. 18. vbi dicitur. *Diaconissam non debere ante annum 40. ordinari.* Alter in Sexta Synodo in Trullo, vbi Patres idem decernunt Can. 14. Præterea Theophylactus in cap. Matth. 19. ad illa verba: *Qui reliquerit patrem, vel matrem,* mulierum presbyterarum meminit. Quamuis autem hi loci non essent, est in Paulo perspicuum testimoniũ ad Rom. 16. *Commendo Phæben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris.* Vbi græcè legitur: *Existentem Diaconissam Cenchris.*

Clem. R. Tertull. Concil. Chalced. Sexta Synod. Theoph. Rom. 16.

Confirmatur hæc eadem consuetudo ex Concilijs, in quibus manifesta fit mentio abrogationis istius consecrationis fœminarum. Teste quippe Pamelio in Tertullianum Scholio 72. de exhort. ad Cast. Tertulliani, Concilium Nicænum can. 19. abrogauit istas Clericas. Veruntamen iste textus nihil ad rem continet, quia in eo Canone deponuntur omnes Clerici, & Clericæ Paulinianistarum Hæreticorum, qui veras ordinationes non habebant, imo & vero baptismo carebant, vt aduertit Balsamon, & ex eo Vasqu. disp. 248. cap. 3. Quod mirum est Pamelium non vidisse. Itaque iste textus nil fauet confirmationi huius argumenti, licet in eo videatur fauere, quod eó modo quo Clerici deponuntur, & illæ Clericæ deponantur. Quod signum est, vtrorumque aliquam ordinationem fuisse. Constat ergo de abrogatione ordinationis huius ex Concilio Laodiceno Can. 19., & refertur cap. *Mulieres* dist. 32. vbi dicitur. *Quod nemo patiatur eas, quæ dicuntur Presbyteræ, vel præsidentes Ecclesijs ordinari.* Præsidentes intelligit Diaconissas, quæ Latinè *Matricularia* dicebãtur, seù *Matricuriæ*, quod instar matrum haberent curam aliarum mulierum, quæ in Templo versabantur. Vnde colligitur eas ordinatas esse, quandoquidem cauetur, ne deinceps or-

Pamel. Concil. Nicen. Balsam. Vasquez. Concil. Laodic. c. Mulieres.

 di-

Concil. Arausic. dinentur: quod etiam vetatur in Arausicano I. sub Papa Fœlice IV. Non autem sub Leone I. in quo deceptus est Vasquez: nam in Can. 26. Vasquez. huius Concilij, qui refertur cap. *Viduitatis seruandæ* dist. 20. qu. 1. prohibetur ordinari Diaconissas. Quæ Epaun. lex in Epaunensi Concilio cap. 23. renouatur. Accedit testimonium Epiphan. Ephiphanij hæresi 79. vbi ait. *Et quidem Diaconissarum ordo.* Et infra: *Obseruandum est autem, quod Diaconissis solum indiguit Ecclesiasticus ordo.* Quo verbo manifestè significari videtur consecratio, & ordinatio earum. Ordo autem Sacramentum est, atque adeo Diaconissæ per ordinationem Sacramentum accipere videbantur.

Accedit aliud argumentum pro sententia Hæreticorum petitum ex ætate, quæ requirebatur ad ordinationem illarum, qui erat annus Concil. Calced. 40. quem annum illis statuit Concilium Chalcedonense, & Synodus Synodus Trullan. Trullana, & Concilium Vvormatiense Concil. Vvorm. Can. 18. & habetur Collatione 9. in Authentica de Sanctissimis Episcopis §. *Clericos autem*, quæ collatio refertur §. Post legem *nulla*, Codice de Episcopis, & Clericis, vt Balsam. Balsamon obseruat in Com. titul. 1. Phot. cap. 28. Nomocanonis Photij, qui est in 6. tomo Bibliothecæ veterum Patrum. Imo videtur exigi annus 60. iuxta doctrinam D. Pauli Epistola ad Timotheum cap. 1. *Vidua non eligatur, nisi 60. annorum.* Pamelius Et ita intelligit Pamelius, & ex Pauli doctrina statuit Iustinianus Impe- Iustinus. rator in lege 9. quæ incipit. *Nulla*, Codice de episcopis, & Clericis, vbi requirit 60. ætatem.

Hac in re constat olim istud genus sacrarum mulierum, vt ita dicam, in Ecclesia fuisse. Quomodo autem consecratæ, & ordinatæ essent, ex supradictis visum est, & mox item videbimus: nam Clemens Ro- Clem. R. manus lib. 2. cap. 36. ait: *Diaconissam ita venerandam esse, vt repræsentet nobis Spiritum Sanctum.* Vel vt aliter legitur: *In figura Spiritus Sancti.* Additque *nihilque ea agat, neque loquatur absque Diacono, sicut neque Spiritus Sanctus quidquam priuatim agit, aut loquitur.* Quæ verba videntur ordinationem Ecclesiasticam similem Diaconatui continere. Vnde Epiphanius hæresi 79. *Ministrarum*, ait, *Diaconissarum appellatus est ordo in Ecclesia.* Quo nihil clarius. Epiphan

Respondeo tamen nullum gradum veri ordinis ecclesiastici, qui sacer sit, & in ordine ad aliquod Sacramentum, vel Sacrificium mulieres vnquam habuisse. Patet ex regula generali, quod fœmina ordinis incapax sit, quam afferunt, & probant Henriquez lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 21. Vasquez Henriq. Vasqu. disp. 246. cap. 1. dicuntur autem ordinatæ, vel consecratæ lato modo, quia assistebant sacris, & certa quædam munia in ecclesijs obibant, vti obseruat Bellarminus lib. 1. de Bellarm. Clericis cap. 11. Non enim omnis consecratio est ordinatio in Sacris, cum Virgines Sanctimoniales, & Abbatissæ benedicantur, & consecrentur, nec tamen ideo ordinentur. Imo etiã viri dicebãtur ordinari, quia ad certam quædam opera ecclesiastica deputabantur, quæ non indigebant ordine sacro. Erant enim quidam homines, qui Laborantes vocabantur, & lauabant, & vestiebant, & sepeliebant mortuos. Quorum Ordo appellatus est ab Epiphanio Epiphan. hæresi 39. quin & Monachi, apud Dionysium & apud Hieronymũ ordinari dicuntur, vti obseruant Vas- Dionys. quez, & Bellarminus citati. Vnde concludit Henriquez. *Diaconissã aut presbytera propter officium quoddã dicebatur, non propter ordinem.* Idem tradit Castro, & disertè Baronius Castro. ad annum 34. nu. 288. & 289. Quæ Baronius autem essent ista officia mulierum

Cle-

Vasquez. Baronius. Clericarum, diligēter numerat idem Baronius ex Clemente Roman. Ego breuiter dico. Primum instruere alias fœminas de ijs rebus, quas cum Diaconis, & Presbyteris tractare debebant: & hoc erat munus commune omnibus. Secundum, custodire portas ecclesiæ per quas intrabant mulieres, dum Ostiarij custodiebant alias portas, per quas ingrediebantur viri. Tertium, abstergere frontem mulierum, quę baptizabātur ab oleo, quo erant inunctæ, & suscipere easdem baptizatas. Quartum, mitti ab episcopo ad domos mulierum, cūm opus erat, visitandas: non enim decębat hoc per viros fieri.

Præter hoc est aliud officium in Epiphan. Epiphanio obscurè positum, dum sic ait: *Reuerentiæ gratia muliebris generis, aut propter horam balnei, aut visibilis, affectionis, aut laboris, & quando nudatum fuerit corpus mulieris, vt ne à viris sacrificantibus conspiciatur, sed administrante muliere, cui præcipitur à Sacerdote, vt curam gerat ad tempus indigentis mulieris in tempore denudationis corporis ipsius ita vt ordo bonæ disciplinæ, &c.* Pamel. Tertull. Pamelius in librum Tertull. de exhort. ad Cast. Scholio 72. has mulieres lauare corpora aliarum baptizandarum solitas dicit, quia mos erat ante baptismum lauari, tum fœminas, tum viros, & ita intelligit Epiphanium. Medina. Medina lib. 4. de Cont. 6. cap. 3. locum interpretatur de mulieribus deputatis ad inspicienda corpora Virginum suspectarum, de quarum virginitate dubitabatur, Epiphanius manifestè dicit *inspectionem corporis*. Neutra mihi placet sententia. Non prima, non quia vera non sit, sed quod non est ad mentem Epiphanij in eo loco accōmodata, qui non agit de fœminis baptizandis, sed de alijs ministerijs. Non secunda, quia illud non erat officium dignum mulieribus sacris, nec decens illas, nec fieri solebat in Ecclesia. Nam illud erat officium proprium obstetricum, & nutricum, non autem Diaconissarum Sacrarum.

Itaque puto Epiphanium loqui de ijs mulieribus, quæ in monasterijs, & locis Sacris destinatis ad Xenodochia, & curationes pauperum fœminarū, assidebant fœminis ęgrotantibus, & ex charitatis officio ijs ministrabant, deducendo illas ad balnea, cum opus erat, denudando eas ad lauacrum, & inducendo eas in lectum, & ibi exercebant ministeria, quæ non decebat exhiberi à viris sacris: illud enim est, sacrificantibus, idest, sacrificare solitis: quod etiamnum hodie in nostris, quæ Romæ sunt, Xenodochijs fieri videmus, & apud Gallos Parisijs in loco illo celeberrimo Hostel de Dieu appellato, à religiosis fœminis fit, quæ summa charitate, & accuratione infirmis ministrant; nisi quod illæ religiosæ fœminæ, non solum mulieribus, sed etiam viris seruiunt, quod candori dandum est Gallico. Hanc esse puto germanam loci Epiphanij mentem, quam à me prius conceptam reperi in Vasquez disp. 248. c. 3. expressam, à quo sic locus intelligitur. Vasquez

Caruisse vero illas Diaconissas, & Presbyteras omni sacra ordinatione, & nihil sacrum circa altare operari potuisse, constat ex eodem Epiphanio, vbi sic: *Ministrarum quidem Diaconissarum appellatarum ordo est est in Ecclesia, non ad sacrificandum, neque vt quidquam agere permittantur*, idest, quidquam sacrum, & ad ordinem spectans. Hæc est sententia D. Thomæ in 4. dist. 28. qu. 2. art. 1. quæstiuncula 1. in corpore, vbi concedit fœminas profetasse, & negat sacrificasse, quia ordinis capaces non erant. Ac ita sentit Bonauentura, & Richardus ibi. Verum quidem est, hos authores ijs locis Epiphan. D.Thom Bonau. Richard.

cis

cis affirmare mulierem Diaconissam, ideo dictam, quia Diacono similis erat in munere, nempe quia legebat Euangelium iussu Abbatissæ in Monasterio Monialium; quod addi potest ijs, quæ supra numerauimus officijs Diaconissarum. Presbyteris autem fœminis nullum munus assignat Sanctus Thomas, sed tantum ait esse mulieres seniores, & viduas, quia nomen Presbyteræ id sonat. Scotus in 4. qu. 2. & Argentina art. 3. Conclusione 2. de Diaconissis consentiunt. De Presbytera addunt eam esse, quæ in Latina Ecclesia perfecta vidua, & honesta matrona erat, vti Abbatissa. In ecclesia autem Græca vxor Sacerdotis, quo cum prius habitauerat, Presbytera dicebatur. Atque vt res tota perspicua maneat, scire oportet viduas olim ex doctrina Pauli in duplici esse differentia. Alias quæ orbatæ maritis, familias tamen habebant, & liberos, quos educarent. Alias quæ orbatæ maritis, & liberis carerent, quas verè viduas Paulus dicit 1. ad Timoth. 8. & *desolatas* appellat. Primis iubet Paulus, vt discant regere domos suas, & liberos instituere. Secundis imperat, vt sperent in Deum, & instent obsecrationibus. Has vltimę conditionis viduas constat, statum quemdam perfectionis similem Virginum sanctimonialium professas esse. Itaque emittebant votum continentiæ, & seruiebant Deo, siue in Monasterijs, siue in domibus suis priuatis, alebantur eleemosynis, & collectis ecclesiarum. Patet ex Paulo citato. *Si quis fidelis habet viduas subministret illis, & non grauetur Ecclesia, vt ijs, quæ veræ viduæ sunt sufficiat.* Vbi etiam proponit, & distinguit ea duo genera viduarum, quarum primæ nō sint solæ, cum habeant, qui eas alant. Secundæ non habeant, ac proinde ab Ecclesia sustententur.

D.Thom. Scotus, Argentin. 1.Tim.1.

Quod autem istæ profiterentur statum castitatis; & perfectionis patet ex loco Pauli: *Habentes, ait, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Hic enim intelligunt primam Fidem Chrysostomus Homilia 18. & Teophylactus, & Concilium Chartaginense Quartū, cui interfuit Augustinus. Nam ex defectione illarum ab instituto colligitur eas profiteri solitas statum castitatis, & perfectionis. Quod etiam tradit Basilius Epistola ad Amphylochium Canone 18. vbi ait, *viduam non seruantem continentiam grauissimo iudicio subiectam esse, vt quæ Fidem in Christum irritā fecerit.* Quam fidem interpretatur Balsamon. *Votum castitatis.* Quod autem illarum quædam viuerent in Monasterijs tradit Chrysostomus. Homilia 30. Sed quoniam non nullæ adolescentulæ deficiebant à professione, Paulus ordinauit, vt viduæ non minus, quam annorum 60. eligerentur, vti Chrysostomus: *Ne cooptarentur, vel in album referrentur.*

Chrysost. Theoph. Concil. Carthag. Basilius. Chrysost. Chrysost.

Alia ratione confundunt aliqui has viduas, cum Diaconissis, & Presbyterissis, cum eas deberent distinguere. Nam illæ viduæ non idcirco erant ad aliquod Sacrum ministerium deputatæ, sed tantum ad statum illum perfectionis euehectæ, in quo & starent, & alerentur. Illud tamen constat ex his, multas ad hoc eligi, si tamen Virgines eligendæ deficerent. Itaque nec omnes viduæ, nec solæ eligebantur, quæ duo aduertit Vasquez disput. 245. cap. 3. num. 27. Monstremus autem hæc duo, & ex viduis, & Virginibus Diaconissas extitisse. De viduis Concilium Epaunense Canone 21. Sic: *Viduarum consecrationem, quas Diaconas vocant, ab omni regione nostra penitus ablegamus.* Et clarissimè Epiphanius hæresi 79. *Diaconissis, ait, indi-*

Vasquez. Concil. Epaun.

indiget Ecclesiasticus ordo, viduasque eas nominauit, & ex his adhuc seniores aniculas; numquam tamen Presbyteras, aut sacrificulas instituit. Fuisse autem illas Virgines; imò & præcipuè ex his Diaconissas eligi, patet imprimis ex eo, quòd viduæ non poterant eligi ante sexagesimũ annũ: Diaconissæ autem eligebantur annorum quadraginta. Igitur hæ Virgines erant. Mentio huius ætatis fit in Concilio Chalcedonensi Actione 18. Canone 18. & in Trullana Synodo. Canone 14. Est autem manifesta probatio apud Clementem Romanum lib. 6. Constitution. cap. 17. in fine: ex quo patet eligi solere Diaconissas Virgines pudicas. Quòd si Virgo non esset, tum viduam in eius locum eligi oportere. Imò lib. 3. Constitution. cap. 7. sub finem, inquit: *Viduas igitur oportet esse honestas, graues, obedientes, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, imo etiam Diaconissis.* Vnde deducitur, nec omnes viduas esse Diaconissas, nec omnes Diaconissas viduas esse, quæ secunda pars significatur, quod dicitur etiam Diaconissis subiectas esse oportere.

Concil. Chalced.

Clem. R.

Quæstio autem est, vtrum certa ætas constituta fuerit pro Diaconissis, tum viduis, tum Virginibus? Qua de re multi ambigunt. Mihi illud videtur. Pro viduis determinatam ætatem à Paulo constitutam, idest, annorum sexaginta esse constitutam. Si enim vidua ad perfectum viduitatis statum, nisi sexaginta eligi non poterat, quomodo Diaconissa ante eum annum eligeretur? Virginum autem ætatem variam fuisse comperio. Nam in Concilio Chalcedonensi statuitur annus quadragesimus. In Nomocanone Photij videtur assignari annus iustus trigesimusquintus. Balsamon tamẽ ibi 40. annos requirit. Videtur tamen Olympia nobilis fœmina Virgo ordinata fuisse à Nectario antecessore Chrysostomi Diaconissa 30. vel ante ætatis anno, vti apparet ex Niceph. lib. 13. cap. 24.

Concil. Chalced.

Niceph.

Hæc quoad primũ statum Diaconissarum, & Presbyterarum, qui saccr quodammodo visus, & habitus fuit. Non solum autem hic reperitur, sed alius etiam præter eum status mulierum, quæ alio sensu Diaconissæ, & Presbyteræ, & Episcopę sunt appellatæ. Nimirum illæ, quæ vxores erant Diaconorum, & Presbyterorum, & Episcoporum, postquam hi sacros huiusmodi ordines accipiebant. Tunc enim eorum vxores sororum loco manebant facta separatione à thoro; ac de nomine maritorum dicebãtur, Diaconę, Presbyteræ, Episcopæ. Liquet ex modo loquendi Conciliorum. Nam Synodus Turonica 2. cum vetuisset Can. 13. ne ordinatus episcopus consuetudine vxoris vteretur, quam vti sororem habere debuisset, subiungit Can. 14. *Episcopum Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierũ.* Perspicuè ponit Episcopam, & vxorem Episcopi ante episcopatum eam fuisse significat, quamquam ista, quod prius mortua erat, Episcopa non fuerat. Quæ si fuisset viua Episcopa diceretur. Indicat autem Concilium morem, quo ista Episcopa comitabatur coniugem Episcopum, cum turba muliebri illam sequente, quæ permittebatur Episcopo vxorẽ habenti, minimè autem Episcopo carenti vxore. Acerbè enim vetuerat Nicenum Concil. ne quæ fœminæ suspectæ in domo Episcopi habitarent.

Synod. Turon.

Concil. Nicen.

Est aliud testimonium Concilij Antisiodorẽsis tempore Papæ Deus dedit, vbi Can. 21. sic habetur. *Non licet Presbytero in lecto post acceptam benedictionem cum Presbytera sua dormire, neque in peccato carnali commisceri, neque Diacono, neque Subdiacono, idest, cum Diaconissa, vel Subdiaconissa sua.* Quare istæ fœminę vxores

Concil. Antisiod.

post

post ordinationes, coniugum suorũ votum castitatis emittere solebant: Vti notat Medina,& cum eo Vasqu. disp.245.cap.vlt.n.49. Itaque idem Concil.Antisiodor. Can. 22. statuit, *non licere relictæ Presbyteri, nec Diaconi, nec Subdiaconi post eius mortem alteri nubere. Quod argumentum est eas votum emisisse.* Vnde Gregorius Magnus in Synodo Rom. quæ habetur post Librum Registri ante interrogationes Augustini Cantuariensis Episcopi Can.1. sic ait. *Si quis Presbyteram in coniugium duxerit anathema sit.* Quo loco deceptus est Pamelius Scholio 72. in lib. Tertull. de exhort. ad Cast. existimans Gregorium de Abbatissa, vel Priorissa Monialium loqui, quo nihil absurdius esse potuit.

Medina. Vasquez. Concil. Antisiod. Greg. M. Pamelius

In Græca Ecclesia vti supra dictũ est. Huiusmodi fœminæ vxores Sacrorum hominum, eo nomine ita appellatæ, quia manebant cum viris suis domi,& liberis operam dabant exceptis diebus Sacris, in quibus mysteria facturi erant. Notandum autem est episcopis apud Græcos, nunquam fuisse permissum vxorum vsum, vti patet ex Can.12.& 13. sextæ Synodi, vbi statuitur, *ne Episcopi post ordinationem suam habitent cum suis vxoribus.* Vnde putat Vasqu. has etiam inter Græcos castitatem vouisse. Sed quia id minimè constat ex eo, vel alio Concilio, non ausim affirmare. Illud constat in Græcia Sacris hominibus, præter Episcopos, vti suis vxoribus exceptis diebus mysteriorum licuisse. Ac ita patet tota quæstio de Diaconissis, quæ obscura est, ac impedita. Huius summa esto, illas pijs quibusdam officijs inseruire solitas, sed nullam veram ordinationem habuisse. Cætera ex Schola, quæ de continentia Clericali appellabitur, manifestè patebunt.

SCHO-

SCHOLA X.

DE TRADITIONIBVS ECCLESIAE.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Traditio, & quomodo ab Hæreticis impugnetur.

SACRA traditio eſt Verbum Dei non ſcripto, ſed viua voce, vel facto traditum à Chriſto, & Apoſtolis, & ab Eccleſia per eorum manus acceptum, & ad poſteros fideles tranſmiſſum: cuiuſmodi eſt in materia doctrinæ dignitas Matris Dei, & virginitas perpetua B.Mariæ. In materia Sacramentorum Baptiſmus infantium, & Chriſma in Cōfirmatione, & mixtio aquæ in calicis conſecratione. In materia morum, Ieiunium Quadrageſimæ, & quatuor temporum. Hoc ſenſu ſumitur à Patribus, & Catholicis. Irenæo lib.3.cap.2. Tertulliano lib. de corona militis, & Auguſtino epiſt.86. ad Caſulanum, qui omnes Traditionem à ſcripto diſtinguunt, & perinde eſſe ac Verbum Dei non ſcriptum, aiunt. Qua ſignificatione hæretici item accipiunt. Lutherus aduerſus Regem Angliæ, & in commentarijs ad Galat.& Caluin. in Antidoto, Brentius in prolegomenis, & Kemnitius in examine Tridentini, qui tamē ſolis ſcripturis doctrinā fidei, & morum contineri volunt, traditiones irrident, & damnant.

Irenæus. Tertull. Luther. Caluin. Brent. Kemnit.

Vtrum prȩter Scripturas ſunt traditiones, authenticæ, & neceſſario obſeruandæ: vetus, & nobilis quæſtio eſt, non recens à nouatoribus poſita, ſed iam à priſcis olim hæreticis agitata. Primi omnium Sadducæi teſte Ioſepho lib. 3. antiquit. cap. 18. nullas omnino præter ſcripturas traditiones recipiebant. Ariani, Macedoniani, Eunomiani in eadem hæreſi fuerunt. Ea ducti Ariani conſubſtantialitatem cum Patre Filij: Macedoniani, & Eunomiani diuinitatem Spiritus Sancti, Semiariani eſſentiam Perſonarum teſte Athanaſio contra Arian. & Baſilio lib. de Spiritu Sancto, & Nazianz. orat. 5. de Theologia impudenter negarunt. Secuti ſunt hos Pelagiani: quorum illa vox fuit apud Auguſtinum lib. de natura, & gratia cap.39. *Credamus, quod legimus, quod non legimus nefas credamus adſtruere*. Neſtoriani infitiantes Virginem Mariā eſſe Theotocon, ſiue Deiparam, quod hoc vocabulum in ſcripturis non eſſet. Ita Cyrill. contra Neſtor. & Acta Concilij

Ioſeph. Athanaſ. Baſilius. Nazianz. Auguſt. Cyrill.

Eutyches cilij Ephesini. Eutychetis illa vox impia audita est: *In qua scriptura iacent duæ naturæ?* Perinde ac in omni scriptura dormirent, cum in ijs minime loquerentur. Constat ex Actis Chalcedonensis Concilij Act. 1. Has pestes suscitauit tempore D. Bernardi, Henricus Tolosanus, & Petrus Abailardus. Et ante Lutherum Vvicleffus in supplemento Trialogi Authore Vvaldensi p. 5. cap. 1. Vvalden. à quo accepit Lutherus lib. aduersus Regem Angliæ, & in commentarijs Epistolæ ad Galatas, Caluinus, & alij citati.

Sed uti sunt varij, & versipelles hæretici, tum de re, tum de formis traditionum dissentiunt. Nam Lutherus, qui solet esse audacior, & Brentius omnem prorsus traditionem tollit, & scripturas solas adstruit. Caluinus, & Kemnitius traditiones nonnullas admittit ad vsũ ecclesiasticum pertinentes, non tamen necessario, sed liberè obseruandas. Kemnit. De his autem affirmat Kemnitius minimè constare, atque adeò incertas esse. Omnes in eo conueniunt, quod sola scriptura omnia necessaria ad fidem, & doctrinam morum continet, nec est opus traditione aliqua ad salutem.

Hæc hæresis authoritatis fumo se inuoluit, testimonia quippe fucata adhibet. Primum est Deuteron. 4. Deuter. & 12. *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo.* Secundum Ioannis 10. Ioann. *Scrutamini scripturas, quod vos putatis in ipsis vitam æternam habere.* Tertium Lucæ 16. Lucæ. *Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos.* Quartum ad Galat. 1. Galat. *Sed licet nos, aut Angelus de Cælo euãgelizet vobis præter quam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Timoth. Quintum: secũda ad Timotheum 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendũ, ad corripiendum, ad audiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Sextum Apocalyp. vlt. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super ipsum plagas &c.* Apocal. Adijciunt locos Euangelij, in quibus Christus traditiones Pharisæorum, quas ipsi vindicabant, reprehendit, præcepta diuinæ legis traditionibus illis opponens, quod apparet Matth. 5. vbi Pharisæis dicentibus. *Quare Discipuli tui transgrediuntur tradiones seniorum?* Respondit Christus: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei?* Quo sanè argumento tamquam Achille doctrinam Catholicam oppugnant. Kemnitius affert pro se Augustinum Kemnit. August. lib. 3. contra litteras Petiliani ita dicentem: *Si quis siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacumque alia re, quæ pertinet ad vitam, fidemque nostram, non dicam si nos, sed quod Paulus adiecit, si Angelus de Cælo vobis annuntiauerit, præterquamquod in scripturis legalibus, & euangelicis accepistis, anathema sit.* Eadem est Basilij commentatio in Summa morali Basilius. Summa 72. c. 1.

His testimonijs rationes addunt apud se formatas. Prima est iniuriam fieri scripturæ, si traditiones tãquam necessariæ inducantur, cum has exigi, sit illis detrahi. Sequitur enim quicquid traditionum additur, id in sacris Scripturis deesse: quod impium est dicere. Secunda traditiones fide humana niti, cum scripturæ fundentur in authoritate diuina. Non posse autem venire in locum authoritatis diuinæ authoritatem humanam. Assumptum dicunt patere: Nam traditio per manus hominum fit, & fide hominum tradentium, & accipientium nititur. Tertium ex traditionibus oriri occasionem intrudendi placita humana: conspirare quippe homines possunt ad fingendas traditiones, & pro diuinis introducendas, easque facilè pro scripturis venditandas. Vtuntur exemplo traditionũ Hebraicarum,

quæ

quæ inuentæ sunt ab Hebræis, & inuectæ præter scripturas sunt prolatæ, quemadmodum apparet in Talmud, qui ex ijs Hebræorum traditionibus compactus est, & plenus fabulis inuenitur. Itaque traditio sæpè fit superstitio. His fermè locis, & argumentis vtuntur Caluin. lib.4. instit. c.8. & in Antidoto sess.4. Tridentin. & Kemnitius in lib. contra Iesuitas, & in exam. Tridentin. & Hermanus Hemelmanus lib. de Tradit. & alij Sectarij.

Caluinus

Kemnit.

Herm.

Causæ cur ab Hæreticis impugnentur traditiones, quamuis hi dolo eas, & astu simulare velint, prorsus patent. Viderunt primum, traditiones esse manifestas, nec posse illas, aut eludere, aut torquere, aut obscurare, sicuti solent scripturas, ac proinde reos transgressionis fore si contemnerent. Igitur negare maluerunt ne ab ijs redarguerentur. Viderunt secundum, admissis traditionibus Ecclesiæ se iudicio esse submittendos, quod maximè horrent: coguntur enim Romanis Pontificibus obedire, quos Ecclesia Principes agnoscit, ne quid ergo in Ecclesia diuinum esse fateantur, quod venerentur, & colant, traditiones subducunt, vt soli scripturæ cedere videantur. Viderunt tertium, hisce traditionibus præcepta, & leges rectè, ac honestè viuendi contineri, quibus illi ligari nolunt: & quamquam hæc in scripturis item sint, cum scripta sint muta, & obscura, à mutis non reprehenduntur, & obscuris abutuntur, quod de traditionibus facere non possunt, cum clament, & appareant: igitur eas student tollere, & opprimere, vt genio suo indulgeant, & viuant. Summa esto: libertas sentiendi quæ volunt, & licentia viuendi, vt volunt. Audiamus hac de re Hormisdæ Papæ ad Possessorem epistola 67. Iudicium: *Hæreticis vna pertinacis cura propositi rationi velle imperare, non credere, contemptores authoritatum veterum, nouarum cupidi quæstionum, solam putantes scientiam, & rectam viam sentiendi propriam sententiam: eousque tumoris elati, vt ad arbitrium suum vtriusq; Orbis putent inclinandum esse iudicium, nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternæ si sua viderint nolle sententiæ cedere.*

Hormisd.

CAPVT II.

Traditionum veritas, & necessitas clarè ostenditur.

Traditionum certa omnino, & indubitata doctrina in scripturis contenta, à Christo, & Apostolis tradita, à Pontificibus stabilita, à Concilijs asserta, à PP. confirmata, & ipsamet traditione, & consensu fidelium per omnes ætates Ecclesiæ consecrata; vt nullo melius, & fortius argumẽto traditiones, quam ipsamet traditione probentur. Nihil est magis in scriptura expressum, nihil vehementius commendatur: patet ex locis Exodi 13. Deuter. 33. Iob. 8. Iudicium 6. & Psal. 43. & 77. & Ecclesiastici 8. quos locos affert Bellarm. de Verbo Dei non scripto lib.4. cap.1. & magna ex parte Beccanus in Analogia veteris Testamenti cap.1. q.7. Ego duo ex his testimonia seligo. Alterum Deuteron. 33. *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, Maiores tuos, & dicent tibi.* Alterum Psal. 77. *Quanta mandauit Patribus nostris nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera. Filij qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filijs suis.*

Bellarm.
Becan.

Deut.

Psal.

Noui testamenti locos diligentius inuestigo, & omnes produco. Primus est inuictus epist. 2. ad Thessalonicen. cap.2. *Fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Vbi apertè ponitur traditio

Thessal.

voce accepta, & æquiparatur scripturæ; idest epistolæ, ac proindè Verbum Dei non scriptum perindè est, ac Verbum Dei scriptum. Secundus, prima ad Corinth. 11. *Laudo vos, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea seruatis*, quæ præcepta de modo orandi, & sumendæ Eucharistiæ cum essent, numquam antea scripserat Apostolus: ergo voce ac exemplo tradiderat. Tertius ibidem: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. Acceperat à Christo non scribente, sed docente, & tradiderat verbis, non litteris. Confirmatur nouissima illa sententia: *Cætera cum venero disponam*. Sanè quæ disponenda erant non opus erat litteris mandare, sed verbis significare.

1. Cor. 11

Ibidem.

Omitto cæteros locos, & tantum affero duo testimonia Ioannis: primum habetur cap. 16. vbi Christus ait: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*. Dicere, non scribere se ait, quæ postea Apostolis inspirauit, non per scripturam, sed per afflatum Spiritus Sancti. Alterum est Ioannis vltimo. *Sunt autem, & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros*. Igitur illa, quæ scripta non sunt, gesta sacra erant, & diuina, & fidem merebantur non aliter, quam per traditionem.

Ioan. 16.

Ioan. vlt.

Patrum hæc est communis per omnes ætates sententia. Eorum Elenchum exhibet Coccius lib. 1. art. 32. tum Græcorum, tum Latinorum, quorum affert conceptas genuinis verbis sententias. Idem est Bellarmini institutum lib. 4. de Verbo Dei non scripto, & ante eos Stapletoni lib. 12. controuer. 7. Paucos, sed præcipuos affero. Irenæus lib. 3. c. 4. *Oportet*, inquit, *apprehendere veritatis traditionem, quid enim si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt ijs quibus committebant Ecclesias?* Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. *Dogmata*, ait, *quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus ex doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolica traditione in mysterio, idest, in occulto tradita recepimus*. Chrysostomus Or. 4. in Epistola ad Thessalon. *State, & tenete traditiones*, quæ sunt verba Pauli, sic ait: *Hinc est*, inquit, *perspicuum, quod non omnia per Epistolas tradiderunt, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque sunt fide digna: quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio, nihil quæras amplius*: quibus etiam verbis vtitur Theophylactus de more à Chrysostomo mutuatus.

Coccius

Bellarm.
Staplet.

Irenæus.

Basilius.

Chrysost.

Teophyl.

Accedit authoritas Imperatoria, quam forte magis reuereantur Hæretici. Nam Iustinianus Augustus cap. De summa Trinitate lib. 5. postremæ editionis sic ait: *Nos sequentes Sanctorum Apostolorum, & eorum, qui post eos in Sanctis Dei Ecclesijs conuersati sunt dogmata, iustum fore existimanimus cūctis manifestum facere, qualiter de fide, quæ in nobis est sentiamus, insistentes, & adhærentes traditioni, & confessioni Sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ*.

Iustinian.

Patres Latini magno consensu traditiones asserunt, & firmant. Primum Tertullianus lib. de corona militis cap. 2. 3. & 4. In quibus authoritatem traditionum vindicat, quarum affert exemplar. *Oblationes prò Defunctis, natalitia Sanctorum, & annuas in ijs missas, & frontes signo Crucis tritas*. His, & alijs productis. *Harum*, inquit, *& aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix*. Secundum Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7. & sermone 34. de qua-

Tertull.

Ambrof.

quadragesima, & Epistola 83. *Non mediocris*, ait, *esse Sapientiæ, diem celebritatis definire Paschatis, & Scriptura diuina nos instruit, & traditio maiorum*. Tertium Hieronymus Epistola 3. ad Lucinium, & lib. aduersus Luciferianos cap. 4. traditionis est author idoneus, quo in loco illa est sententia: *Etiamsi Scripturæ authoritas non subesset totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantur authoritatẽ sibi scriptæ legis vsurpant: veluti lauacro ter caput mergitare, die Dominico, & per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, & ieiunium soluere, multaque alia, quæ scripta non sunt rationabilis sibi obseruatio vindicauit*. Testimonia Augustini plurima sunt lib. 1. contra Cresconium cap. 33. & lib. 2. cap. 32. & lib. 4. contra Donatistas cap. 24. & alibi, & tota Epistola 86. ad Casulanum, quæ huius rei est solida confirmatio. Affero tamen verba lib. 1. ad Ianuarium cap. 1. *Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto Orbe terrarum obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri*. Similia sunt in Epistola ad Seleucianum 118. & lib. 9. confess. His Augustini testimonijs momentum addidit Imperator Augustus, Carolus Magnus, qui in Epistola ad Episcopos Hispaniæ sic ait: *Credamus, quæ docuerunt Apostolicæ Sedis Antistites. Traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungor, &c.*

Hieron.

Augustl.

Carol. M

Ipsi Hæretici ausi non sunt traditiones inficiari. Lutherus, sic in disp. Lypsica. *Submitto*, inquit, *me iudicio, & determinationi Sanctæ Ecclesiæ, & omnibus melius sentientibus*. & Epistola ad Marchionem Brandeburgensem, quæ extat to. 2. fol. 243. *Periculosum*, inquit, *& horrendum est quicquam audire, vel credere, quod aduersetur vnanimi testimonio fidei, & doctrinæ Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, quam illa inde ab initio per annos plusquam mille quingentos vnanimiter seruauit*. Consentit Caluinus contra Pighium de libero arbitrio: *Non difficulter*, ait, *inter me, & Pighium in hac de traditionibus contentione conuenire posset, modo Ecclesiæ traditionem ex certo, & perpetuo Sanctorum, & Orthodoxorum consensu demonstraret. Deinde si traditionibus simpliciter, & candidè vteretur*, ad veram, & germanam Ecclesiæ doctrinam comprobandam. Tertius esto Philippus Melancthon, tum in Epistola ad Tridentinum de locis veterum Theologorum, tum lib. de Cœna Domini, tum epistola ad Ioannem Crantorem medicum Vratislauiensem: *Existimo*, ait, *ad confirmandas mentes consensum vetustatis plurimum valere. Optimi Magistri, atque Duces nobis esse possunt Irenæus, Tertullianus, Augustinus, qui plurima huius generis posteritati reliquerunt*. Hæc Hæretici, & Principes Hæreticorum.

Lutherus

Caluinus

Melanct.

Venio ad rationes. Prima sit veluti à priori. Traditio fons est, & fuit authoritatis diuinæ, & capax illius est. Igitur comes Scripturæ esse potest, ac debet ad faciendam Fidem Diuinam. Assumptum patet, quia vox viua, & facta diuina ante vocem scriptam fuerunt. Imo & vox Dei prius significauit ea, quæ scriptis traduntur. Constat enim Deum Prophetis olim, quæ scriberent voce dictasse, quin etiam Christus totam suam doctrinam sine vlla Scriptura viua voce docendo, non calamo scribendo Apostolis tradidit & exposuit, cum Scripturæ nullius per se author fuerit, quod Augustinus obseruat in lib. de consensu Euangelistarum. Eadem ratio ad traditionem quæ fit per gesta accommoda-

August.

modari potest: nam Deus interdum factis Prophetas docuit, nosque per eorum facta docere voluit, vti per Arcam Noe, & Rubum Moysis, & Catenas Ieremiæ, & linteum Petri. Et quidem gesta Christi Domini erant documenta fidei, & morum, idque apparet ex eo loco Ioannis 13. vbi absoluta lotione pedum ait Christus. *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum Ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Quare Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 29. ait: *Apostolicum est etiam non scriptis traditionibus inhærere.* Et Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. *Multa non inueniuntur in litteris Apostolorum, neque in Concilijs, & tamen per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, quæ non nisi ab Apostolis tradita, & commendata creduntur.*

Ioan. 13.

Basilius.

August.

Secunda, traditio ante omnem Scripturam sola regula fidei extitit, quæ homines ad æternam salutem instituit, & perduxit. Igitur ea secundum se authoritatem diuinam continet, & Scripturæ nihil detrahit, nec illi Scriptura. Imo ambæ se comitantur, & iuuant. Propositum constat ex eo, quod Sancti illi Patres ante diluuium, & post diluuium, vsque ad Moysen, bis mille circiter annos sola traditione contenti sine vllo vsu scripturarum sanctè vixerunt, & habuerunt eundem Spiritum fidei, quem PP. & Sancti post Moysen professi sunt admisso iam vsu scripturarum. Iuxta illud Apostoli 2. ad Corinth. 4. *Habentes eumdem Spiritum fidei*, quæ interprete Augustino lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 21. & lib. 2. de peccato Originali cap. 26. erat fides Christi mediatoris. Confirmatur quia Scripturæ paulatim scriptæ, & traditæ sunt, & interim dum deerant partes scribendæ per traditionem supplebantur: Ergo & hodie post Scripturas traditiones esse possunt, & debent.

Corinth.

August.

Tertia ratio. Ipsæ met Scripturæ, quibus solis omnia, exclusa traditione, credunt hæretici non ab alia Scriptura, sed à traditione Ecclesię nobis sunt commendatæ. Igitur magna est fides traditionum per quas scripturæ authoritatem publicam habent. Assumptum liquet, nec enim aliter iustus canon scripturarũ, nisi per traditionem Ecclesiæ comprobatur vti nos diximus, & hęretici fateri coguntur, qui priuato spiritui magnam partem canonis scripturarum attribuunt, cui nos opponimus communem Ecclesiæ spiritum traditione expressum, & confirmatum.

Quarta ratio. Multi, & olim fuerunt, & hodie sunt viri, & fœminæ sanctissimæ, qui nulla scriptura visa, vel audita Catholicam fidem tenent, & legem Christi exactè seruant ex sola traditione maiorum. Cuiusmodi sunt Eremitæ, & sanctimoniales, & rustici, qui ne legere quidem sciunt, sciunt tamen fidei documenta, & præcepta morum, eaque ad vnguem obseruant, & salutem consequuntur. Confirmatur, quia Christus Dominus mittens Apostolos ad docendas gentes tantum dixit. *Euntes prædicate Euangelium, non autem scribite.* Quare optime Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 39. *Homo*, inquit, *fide, spe, & Charitate subnixus, eaque inconcussa retinens, non indiget Scriptura nisi ad alios instruendos. Itaque multi etiam in solitudine sine codicibus viuunt.* August.

Quinta ratio probabilis ab exemplis, quæ etsi humana sint apta sunt tamen ad faciendam fidem. In omni Republica bene instituta non solum sunt leges scriptę, sed consuetudines etiam, moresque non scripti vsu hominum introducti, & confirmati, quorum eadem quæ legum vis est, Imo & multæ olim Respublicæ optimè institutæ,

& ad-

& administratæ non scriptis legibus, sed traditis præceptis, & iure per traditionem accepto, non litteris mandato vsæ fuerunt. Cuiusmodi fuit Lacedæmoniorum, quibus Lycurgus nullam omnino scriptam legem dare voluit Plutarcho in eius vita authore. Præterea Atheniensium ius diuisum fuit à Pericle in scriptum, & non scriptum apud Thucididem, & vtrumque custodiri iussum. Aristotel. lib. polit. cap. 11. & lib. 5. Ethic. cap. 4. docet arbitrium iudicis ore prolatum pro lege esse, quin & illud animatum dicit, legem vero mortuam vocat. Idē placuit Ciceroni I. de legibus, qui quoniam magni fit ab hæreticis, eius verba afferre volo. *Igitur constituendi iuris ab illa summa lege capiamus exordium, quæ sæculis quam pluribus nata est, quàm scripta lex vlla, aut quàm omnino Ciuitas constituta.* Id autem est simile vero, quod proximè posuimus de Patrum ante diluuium, & ante Moysen iure, atque doctrina. Prosequitur idem Cicer. *gerendi sunt mores, nec scriptis omnia sancienda.* Qua quidem aurea sententia frenanda sunt hæreticorum ora. *Tandem lex*, ait, Cicero *est recta ratio imperandi, atque prohibendi, quam qui ignorat is est iniustus, siue est illa scripta vspiam, siue nusquam.* Itaque non vult Cicero omnem scribi legem. Imo vult necesse esse non scribi. Est enim, vt idem ait pro Milone non scripta, sed nata lex.

Plutarch. Thucid. Aristotel. Cicero

Accedit, quod Pythagoras, & Socrates multa cum docuissent, nihil tamen scripserunt teste Augustino lib. 1. de consensu Euangelistar. cap. 2. Eorum autem tanta authoritas fuit, vt dixisse eos satis fuerit ad disciplinam. Vnde illa vox Pythagoreorum. Magister dixit. Pudeat hereticos minus eos Christo Magistro tribuere, qui Verbum Dei erat, quam suo præceptori Philosophos, qui homo cum esset nihil diuinum docere potuit. Eadem veritas suadetur exemplo iuris ciuilis, quod statuit eiusdem authoritatis censeri legem scriptam, & consuetudinem, non scriptam. Ita L. diuturna, ff. de legibus. Consentit ius Canonicum dist. 1. consuetudo. De hac re eleganter Maldonatus commentarijs in Matth. cap. 15. & in Ioannem cap. 5.

August. Maldon.

CAPVT III.

Ex ipsamet Hæreticorum doctrina aduersus ipsos traditiones probantur.

TRaditores impugnando traditiones nostras Catholicas hęretici sunt: à se quippe ipsi impugnādo deficiunt. Idem proprijs argumentis ostendo, ac tela intorta retorqueo. Aiunt nos scripturam auferre, & traditiones pro scripturis obtrudere: aio illos idem omnino agere, ac nego nos id facere. Sed hoc alias. Obijciunt nobis cum Arianis vocem *homousion*, & *consubstantialitatem*, quod non sit hoc in scriptura vocabulum, irrident. Nos ijs obiectamus *homiusion*; & inæqualitatem naturæ, quod neque re, neque voce in scripturis sit impugnamus. Negant B. Mariam Virginem esse Theotocon, idem Deiparam, & fictæ traditioni vocem imputant. Nos inficiamur esse hominis tantum Matrem, & non Deiparam, & id affirmare traditioni assignamus. Rogant nos Eutychiani in qua scriptura iacent duæ naturæ? Nos inuicem ex ijs quærimus. Vnde vna sola exurgit? Nempe ex traditione. Sabelliani tollunt coessentiam Personarum, quia scripta non est. Ponunt autem diuersitatem essentiæ, quæ nusquam est, quæ nuspiam scribitur. Itaque nos ijs non coessentiam exprobamus.

Densius, & fortiunt agunt. Qua autho-

authoritate Lutherus, & Caluinus imputatiuam iustitiam, & specialem fiduciam, & apprehensionem meritorum Christi induxerunt? Traditionis. Qua fide deprauationem illam tristissimam, & infectionam naturæ infelicissimam, & impossibilitatem ad bene operandum ex peccato Originali ortam Lutherus, & Caluinus intrudunt? Quo testimonio coniunctionem panis, & corporis Christi in Eucharistia posuit Lutherus? Quo iure canalem circa præsentiam Christi in eadem Eucharistia Caluinus? quo Energiam Zuinglius? quo Metonymiam Melancthon? quo pignus, & Arrhabonem Oecolampadius inuexerunt? Traditione non scriptura. Vnde famosa illa Vbiquitas Brentij, & Andreæ Smidelini nisi ex nefaria traditione manauit? quod si negent Vbiquitatem à se appellari: illo eam tamen nomine ab ijs appellatam esse affirmat Melancthon.

Hæc omnia, & alia huiusmodi Nouatores ab antiquis hæreticis per manus tradita acceperunt, à quibus illud etiam Catholicis obijcitur multa inuehere, quæ in Scripturis non sunt, quibus item Catholici respondebant idem prorsus, & illos agere, vti videre est apud Augustinum lib. 1. contra Maximinum Arianum, qui dicebat Catholicos docere doctrinas, & mandata hominum, se vero voces, quæ extra scripturam sunt nullo casu suscipere. Cui Augustinus respondit obiecta voce Ingeniti, quam in Patre admittebant Ariani, cum in scriptura tamen non esset. Quibus similes erant Donatistæ, qui Monachos insectabantur, quod nomen Monachi excluderent, tamquam abhorrens, quos Augustinus refellit Monachos laudando, & nomen recipiendo tract. in Psalm. 132. Imo noto quod genere traditionis insolentis antiquas traditiones Hæretici sustulerunt. Ita multa Sacramenta, omnes sacros ordines, & ritus circa eos, & ceremonias. Ita sacrificium salutare. Ita imagines, templa, & aras euerterunt. Ita sepulchra Martyrum, Monasteria religiosorum, cænobia Monialium, Gynæcea viduarum exciderunt. Ita Religiosum statum extirparunt, professos, & sanctimoniales votis absoluerunt, & matrimonij vinculo colligarunt. Ita obseruationes quadragesimæ, Ieiunia quatuor temporum, Horas Canonicas, Litanias & preces Ecclesiasticas aboleuerũt. Ita omnem Religionem cultumque Diuinum funditus abstulerunt. Vi nimirum traditionis Hæreticæ, & impudentis. Nos Catholici hæc omnia partim ex scripturis, partim ex Apostolicis traditionibus accepimus. Itaque omnes traditione vtimur, sed genere traditionis differimus. Nostra est traditio. Illorum autem proditio est.

Augu∫t.

Idem.

Aliud Argumentum esto. Agrestes, & alij Hæretici simplices, qui litteras nesciunt, quà tamdem ratione legem suam, & ritus obseruant? Certè non ex scripturis, cum nec legere sciant, nec intelligant. Igitur traditione, & verbo ab hæreticis prolato, non scripto. Cumque ipsi verbum hoc suum verbum Dei esse dicant, sequitur admitti ab ijs Verbum Dei non scriptum, atque adeo traditionem.

Vlterius vrgetur. Hæretici habent suas quique sectas, & doctrinas, at qui hæ non possunt esse sacrarum scripturarum. Ergo sunt relictæ ex traditionibus. Assumptum patet. Assumptio probatur, quia si essent ex scripturis, non essent cõtrariæ, & inter se diuersæ, sed vna omnium essent sententia, & fides. Constat autem tot esse Religiones, quot sectas, easque manifestas hæreses, quæ ex fonte traditionis acceptæ oriuntur.

Argumentor præterea ad hominem

nem. Qua scriptura nobis probant Lutherum, & Caluinum Magistros suos extitisse? Vnde nouerunt illorum documenta? Cur eorum doctrinam, & præcepta custodiunt? certe non ex scriptura. Id ergo traditione acceperunt. Non enim possunt probare Lutherum, & Caluinum Doctores, & pastores esse, nec doctrinam eorum Euangelicam. Tandem probo exemplo. Antiqui iusti Hebræi abundarunt traditionibus. Credebant enim peccatum Originale contrahi à fœminis, & indigere aliquo Sacramento ad iustificationem; neutrum autem constat ex scriptura, sed ex traditione constabat. Deinde admittebant quædam sacrificia à Deo instituta pro expiatione peccatorum, quæ non propria virtute, sed virtute sanguinis Christi sanctificabant. Hoc vero ex traditione acceperunt. Quare nisi Deus mẽtem in melius vertat, posteri hæreses eorum, per manus accipient. Nec enim opinor locis scripturæ possunt probare Lutherum, & Caluinum Doctores, & Pastores esse, nec doctrinam eorum Euangelicam. Quid? quod nulla est gens, quę minus iure, ac legibus gubernetur, quam ista hæreticorum. Sua semper placita intrudunt, suis institutis, ac moribus viuunt, à Regibus, & Principibus deficiunt, pacem, & concordiam turbant, commune otium, & tranquillitatem oderunt. An hæc ex scripturis didicerunt? minime quidem. Igitur ex traditione, præpostera tamen, & priuata; atque adeo hæretica, & insolenti.

Nouum mihi adhuc contra eos superest argumentum. Hæretici homines sunt veteris testamenti amãtes, & hebraicæ veritatis, vt aiunt, religiosi cultores. Tenentur igitur hoc nomine ad traditiones accipiẽdas, & obseruandas. Et quidem inficiari nequeũt multas fuisse apud hæbreos veras, & salutares, & necessarias ad salutẽ traditiones. Quid enim certius, quam peccatum originale contrahi item à femellis, easque indigere aliquo Sacramento ad iustificationem: Neutrum autem in scripturis patet, sed vtrumque traditione acceptum. Præterea indubitatum erat quædam sacrificia instituta esse à Deo pro expiatione peccatorum. Ea tamen nihil ad gratiam proficere, nisi ex virtute sanguinis Christi, de fide erat: vnde quando fiebant, hac fide fieri necesse erat. Quæ fides non scriptura aliqua veteris testamenti, sed sola diuina traditione nitebatur. Locum autem scripturæ nullum dabunt, in quo huiusmodi duæ veritates tradantur. Hæc negare non possunt hæretici. Cur igitur Hebræos, non imitantur? Insuper Pharisæos multa ex traditione obseruasse narrant Euangelistæ: cum tamen Pharisæi, & profiterentur, & iactarent scientiam scripturarum, vti hæretici solent. Celebris est lauandi manus traditio apud Matth. cap. 15. & Marci 7. cuius omissionem Christi discipulis exprobabant. Hinc illæ Hydriæ 6. Ioan. 1. secundum purificationem Iudæorum. Baptismata calicum, & vrceorum apud eosdem frequentia. Marci 7. *Vsitata* ieiunia, quæ quia non videbant fieri ab Apostolis, cum fierent à discipulis Ioannis, fremebant in Christum, quare discipuli tui non ieiunant? Matth. 11. Lucæ 8. Celebratæ decimæ mentæ, & anethi, & cymini, & omnis oleris Matth. 23. quas nunquam scriptura præcepit. Vti de his diserte tradit D. Thomas 2. 2. q. 87. art. 2. ad 3. Igitur ex consuetudine, & traditione istarum rerum decimæ soluebantur, quemadmodum ostendit Iansenius in concordia Euang. cap. 18. & Maldonatus in cap. 18. Lucæ, & Franciscus Lucas in cap. 23. Matth. Vnde ille Pharisæus gloriatur Lucæ 18. ieiuno bis

D. Thom.

Iansen. Maldon. Francisc. Lucas.

bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo. Huc pertinet illa improba traditio destituendi patrem, & matrem prætextu sacrificandi, de qua Christus Matth. 18. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*. Cum igitur nulli sint homines magis Pharisæis similes, quam hæretici, non debent in seruandis traditionibus ijs esse dissimiles: quod si sunt, à parentibus suis degenerant: à quibus ne degenerent, eos nos amicè monemus, & traditionum obseruantiam vehementer commendamus.

Matth.

CAPVT IV.

Respondetur Argumentis Hæreticorum, & Catholica sententia, necessaria quadam animaduersione firmatur.

TEstimonijs Scripturarum aduersus traditiones prolatis ab hæreticis, ita respondemus. Ad 1. Deuter. *Non addetis ad Verbum, nec auferetis*. Primum dicimus, nihil concludere: nam nulla fit mentio de verbo scripto, cum eo loco verbum duntaxat reperiatur, non addito *scriptum*, vnde illud commune est ad vtrumque. Secundò dato loqui de verbo scripto, sensus est, præceptis diuinis ita obediendum esse, vti à Deo imposita sunt, vt nihil de ijs, addendo, vel detrahendo mutetur. Eo modo quo alibi dicitur, ne declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram, hoc est rectè ambulate. Ita hoc loco perinde est dicere, non addetis, nec auferetis, ac dicere, seruate legem exactè, ac vti ego iubeo. Ita respondet Bellarminus, & alij. Ego autem propriè, & aptè, opinor. Respondeo igitur Deum præcipere nihil addi, nec detrahi scripturæ arbitrio, & sensu nostro priuato, & vetare ne quid humanum diuinis misceamus. At vero verbum Dei, non scriptum, siue traditio, est quiddam diuinum, non humanum, vtpote acceptum à Deo, vel ab ijs, qui à Deo acceperunt. Quæ solutio idonea est, ac ex eo confirmatur, quia si Deus vetaret omnino, quidquam addi, sequeretur scripturam non posse vlterius augeri, nec crescere: quod est falsum. Constat enim multos postea sacros libros additos esse Pentatheuco. Verum Deus non prohibuit augeri verbum diuinum diuino, prohibuit augeri humano.

Deuter.

Bellarm.

Secundum Ioann. 5. *Scrutamini Scripturas*, etiam nihil colligit aduersus traditiones. Patet. Nam traditiones in Scripturis insunt, & ibi eas scrutantibus apparent. Imo eo iuuatur nostra sententia, quia cum in ijs claræ, & expressæ non sint, oportet inuestigare illas, vt appareant, quod nos Catholici facimus, qui eas inuenimus scrutantes locos proxime citatos, quod hæreticos fugit, quia nolunt altius scripturas intrare, quas si intrarent, penetrarentque, omnino traditiones inuenirent. Certe ille locus Pauli Epistola 2. ad Thessal. 2. traditiones continet, & quidem apertè, quod si negant hæretici, fauent negando, quia significant latere, atque adeo scrutandas esse scripturas, vt appareant. Itaque dum difficilem intelligentiam negando reddunt, significant traditiones in scripturis esse absconditas.

Ioan.

Paul.

Tertium Luc. 16. *Habent Moysen, & Prophetas audiant illos*, si quid probat, certe probat solius Moysi doctrina, & Prophetis contentos nos esse oportere; quod fieri nequit sine iniuria reliquorum librorum veteris, & omnium noui testamenti. Pretærea in Moyse, & Prophetis habentur traditiones. Eas enim nos probaui-

Luc.

bauimus ex cap. Deuter. 33. & Psal. 77. Quid? quod Abraham agebat de preceptis bene viuendi, quę certè satis expressa in lege, ac prophetis erant. Nec opus erat traditiones commemorare, cum non de distinguendis doctrinis, sed de tradendis preceptis ageretur.

Galat. Quartum. Pauli ad Galat. 1. fauet potius nobis, quam Hereticis. Quia euangelizare, verbis item fit presertim ab Angelo, de quo ibi sermo est, qui minime scribit: nec Paulus euangelizabat scripto, sed verbo predicando communiter, & si scribendo sępè doceret. Tandem illud pręter, significat contra, non vltra, cum Apostolus multa pręter ea, quę hactenus predicauerat, postea docuerit. Quare *prater* ponitur hoc sensu. Si quis contra, vel aliter, quam ego euangelizet, quod est contrarium docere iuxta interpret. Hier. & Chrys. ac imprimis August. qui tract. 89. in Ioan. ita exponit. *Non*, ait, *plusquam accepistis*, *sed præterquam quod accepistis*. Qui enim pretergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via. August.

Quintum ad Timoth. 2. cap. 3. *De scriptura diuinitus inspirata*, nihil hereticis prodest. Nam imprimis, non agit de toto corpore scripturarum, sed de doctrina cuiuslibet libri sacri, quę vtilis est ad ea omnia, quę Paulus memorat. Deinde dicit esse vtilem, quod nemo negat. Ad hoc nihil detrahit traditionibus. Denique quia in eadem scriptura includuntur traditiones, vti monstrant loci à nobis adducti. Itaque in ea commendatione scripturę traditiones quoque commendantur.

Sextum Apocalypsis rem hereticam non continet, quia Ioannes agit de reuelationibus sibi factis à Deo, quibus nihil addere homines poterant, quia horum non est reuelare diuina. Et quidem impudenter sibi quisquam arrogaret addere Apocalypsi sua priuata placita, & cogitationes, & pro reuelationibus haberi velle: id enim iure vetat Ioannes: non vetat autem quidquam diuinũ post eum librum scribere, vel dicere, cum ipsemet Ioannes, teste Kemnitio post Apocalip. scripserit Euangelium. Quare, vel hoc Magistro heretico authore, Ioannes scribendo Euangelium post Apocal. peccauit, vel certè non ita intelligendus est ille locus, vt heretici communiter exponunt. Kemnit.

Quod attinet ad locum Matth. cap. 18. vbi Pharisęi discipulis Christi traditionum contemptum exprobrant, easque videtur Christus non curare, imo & num. 6. vituperare, & contrarias pręcepto Dei dicere, quando eum Achillem putant heretici; lentius volo expendere, eoque nostram sententiam confirmare, quo appareat, ne Paride quidem ad eum superandum opus esse. Igitur traditio illa erat Pharisaica, & humana, & superstitiosa, lauandi suas sepius inter edendum manus, ne quid immunditię contraherent. Patet ex sententia Christi eodem c. 18. Matth. num. 6. docentes, inquit, doctrinas, & mandata hominum, inter quas erat ista lauatio manuum frequens, & importuna, quam Christus, nec seruabat, nec seruari à discipulis volebat, cum esset à pręcepto, & lege Dei aliena. Nos autem loquimur de traditionibus diuinis à Christo, & Apostolis acceptis, non de ijs quæ sunt inuentæ, & inductæ ab hominibus. Cuiusmodi erant illę, & multę alię Pharisæorum, quarum ij obseruationem anteponebant custodię legis, & pręceptorum Dei, vti apertè docet Christus apud Marcum cap. 7. de hac eadem lauandi consuetudine loquens: relinquentes, ait, mandatum Dei, tenetis traditionem hominum. Baptismata vrceorum, & ca- Matth.

licum, & alia similia ijs facitis multa, & dicebat illis: irritum facitis pręceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis. Apertè loquitur Christus de illo genere traditionum, quę sunt prorsus humanæ, & contrariæ legi Dei, vti apparet ex loco isto Marci, collato cum loco Matth. cap. 18. Erant autem istæ traditiones collectæ à Pharisæis, & coniectæ in librum, Deuterosésque appellabantur, vti diligenter Maldonatus in hunc locum Marci 7. & acutè obseruat, qui de huiusmodi lotione manuum sic ait num. 8. Erat consuetudo superstitione Pharisæorum inducta. Hoc igitur genus traditionum Pharisaicum: nemo Catholicus probat, ne dum inducit. Hæreticos, mirum est, non probare, cum ipsi multas habeant similes, quemadmodum nos supra diximus, nam ij simiæ Pharisæorum sunt. Est autem hic quiddam quo aptè Hæretici refellantur: id autem est. Pharisæos agnouisse traditiones esse idoneas, si seniorum essent; idcirco enim addiderunt, traditionem seniorum, quod existimarent multum fidei habituras, si seniorum essent. Hos autem Christus refutauit animaduertens esse humanas, & proprias Pharisæorum, disertè inquiens traditionem vestram, non seniorum, quasi distingueret inter vtrasque traditiones; & illas, Pharisæorum doctrinas, & mandata hominum, & contrarias diuinæ legis pręceptis significauit.

Maldon.

Longe aliæ sunt traditiones Catholicæ, de quibus dixit Paulus Epistola 2. ad Thessal. 2. Tenete traditiones. Sunt enim auctore Maldonato tria genera traditionum. Primum earum quas Deus tradidit, sed nemo scripsit, Ecclesia tamen obseruauit, & obseruatura est, vsque ad finem mundi. Cuiusmodi est baptismus infantium, quo Caluinistæ vtuntur, sed nullo Verbo Dei scripto probant. Hoc genus est omnino diuinum. Secundum est earum, quas Ecclesia per se instituit, sed spiritus diuini instinctu, & afflatu, vti diei Dominicæ solemnitas, quæ ab hæreticis Anglis nimis religiosè obseruatur: nec eam tamen in Scripturis inueniunt, vti ijs ego sæpè obieci. Et quadragesimę ieiunium ab vniuersa Ecclesia celebratum, quod seruare nolunt hæretici, quod genio, & ventri indulgent. Tertium earum, quæ à priuatis Ecclesijs, & Pastoribus sunt institutæ. Hę autem in duplici sunt differentia, quædam enim nihil detrahunt legi Dei: quædam detrahunt. Priores tolerantur, & laudabiliter vbi vigent tenentur. Posteriores vituperantur, & damnantur. Ex his posterioribus erant illæ Pharisæorum olim, & sunt hodie hæreticorum. Hæc ex Maldonato Matth. 18. num. 9. Quæ mihi valde probantur.

Paul.

Maldon

Rationes facile soluuntur. Prima dicendo traditionem, nihil detrahere scripturis, quemadmodum nec scripturas traditioni, imo se inuicem iuuare, & supplere, cum vtraque soror germana sit ab eodem Deo reuelante genita. Itaque primogenita veritas ante omnem scripturam fuit traditio, postea nata scriptura est, quæ traditionum doctrinam scriptam in lucem dedit, nō tamen omnes edidit, sed multas vti erant voce, & gestis acceptæ in suo robore reliquit, vti Sacramentum pro femellis in remedium peccati originalis in veteri testamento, & baptisma pro infantibus in nouo. Quare neutra detrahit alteri, sed alterà comitatur & fouet alteram.

Secunda diluitur negando traditiones de quibus loquimur esse humanas, cum sint diuinę, & authoritate diuina polleant, quam non tollit transmissio per manus hominum, nam hic nō attenditur transmissio, sed res transmissa: quemadmodum

modum ex eo, quod moneta regia, per manus hominum etiam latronũ transmittatur, pretium non amittit, quod item Sacrę scripturæ cõuenit, quę etiam manibus hominum scripta est, & per easdem ad posteros transmissa, imo & sæpè voce prædicata, cum tamen nihil de authoritate fideque deperdat.

Tertiæ respondetur concedendo posse quidem fieri, vt prætextu traditionum placita hominum, & superstitiones obrepant. Hoc autem nihil obstat traditionum veritati, vti nec item obstat scripturis, quod multi eas ad errores hæresesque detorqueant. Vtrumque autem facere solent hæretici suo arbitrio, & culpa, non autem vitio, vel traditionum, vel scripturarum. Itaque mala quæ accidunt ex hominum malitia, & fraude nocere non debent traditionibus, nec scripturis, alioqui nulla erunt bona, quod nullum fermè sit bonum, quo quidam homines non abutantur.

Ad exemplum de Thalmud, dicimus plenum id esse fabulis superstitiosis, nec rem id argumentum continere, vti paulo ante ex Maldonato ostendimus, adductis Pharisæorum, & aliorum illius populi Hebreorũ multis traditionibus ineptis, & superstitiosis, quas ij inuexerunt, & in libros coniecerunt, quæ vel auditu ipso offendunt religiosas aures. At vero traditiones Ecclesiæ Catholicæ, Diuinæ, & Sacræ sunt ab Apostolorum tempore deductæ, & auctoritate Ecclesiæ confirmatæ, nihilque in ijs, nisi certum & sanctum continetur. Hæreticæ autem traditiones moresque similes esse Thalmudicis sua ipsa insolentia, & absurditate probant, ac per se corruunt, & à se ipsis confutantur.

Aduertendum hic est Catholicos, quosdam authores minus hac in re cautè loqui solere, quod non satis perspexerint astutiam, & fraudem hæreticorum. Liberè enim dant, & fatentur verbum Dei scriptum, non omnem prorsus necessariam ad Fidem, & mores doctrinam continere, & affirmant traditionibus opus esse ad complenda illa documenta, quæ in scripturis desiderantur. Vnde hæretici ansam arripiunt calumniandi Catholicos, & impugnandi traditiones, quasi detrahant dignitati scripturæ, dum eam traditionum egenam, mancam, & imperfectam constituunt. Hoc quidem tametsi re ipsa verum sit, non est tamen apertè, & facile concedendum, sed dicendum scripturam sacram esse omnino idoneam, & sufficientem ad omnem institutionem fidei, religionis, & morum, cum in ea sit traditionum doctrina, quæ in Scripturis commendantur, vt apparet ex locis à nobis superius commemoratis. Quare traditiones in verbo Dei scripto contineri generatim affirmandum: non esse autem opus, vt singulæ illarum formæ, & species exprimantur, satis est, vt earum veritas commendetur, & in scripturis virtute contineatur. Ad cognoscendum autem, quæ sint traditiones diuinæ, & Apostolicæ non est necesse, vt ab ipsa scriptura doceamur, cum authoritate Ecclesiæ satis erudiamur: quemadmodum nec ipsemet Canon scripturarum, per scripturas, sed per traditiones, & authoritatem Ecclesiæ comprobatur. Igitur mutuo se iuuant, & comitantur traditiones, & scripturæ, cum scripturæ traditiones commendent, non tamen singulas indigitent, & traditiones singulas Scripturas ostendant, & in canonem redigant, ac ita vtrumque Verbum Dei scriptum, & non scriptum, alterum alterius foueat, & confirmet authoritatem. Summa esto: traditiones esse, quæ scripturis traduntur, & cum ijs vnũ corpus fidei efficiunt, atque adeo traditiones veritatem suam à Deo, au-

authoritatem à sacris Biblijs generatim, ab Ecclesia specialiter habere.

Ad calcem obseruo doctrinam traditionum stabilitam esse in Synodo Quinta Constantinopolitana Actione 10. & Synodo Septima alias Nicena II. Actione 1. Imo & in Concilio ipso Niceno traditam affirmat Theodoretus lib. 8. histor. cap. 8. Grauissimum autem est pro ijs testimonium Concilij Tridentini sess. 4. in ipso Decreto de Canonicis scripturis insertum. De his, & reliquis huc pertinentibus videndus Canus lib. 1. de locis, & Suarez de fide disp. 18. sect. 4. & lib. 1. contra Regem Angliæ cap. 4. & Stapletonus, qui omnia accuratissimè exposuit. Locum Tridentini Concilij operæ pretium erit afferre. Igitur sic in eo Decreto sess. 4.

Quinta Synod. Septima Synod.

Concil. Trident.

Sacrosancta, Oecumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, Præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, vt sublatis erroribus puritas ipsa Euangelij in Ecclesia conseruetur: quod promissum ante per Prophetas in scripturis sanctis, Dominus Noster Iesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgauit, deinde per suos Apostolos, tamquam fontem omnis, & salutaris veritatis, & morum disciplinæ omni Creaturæ prædicari iussit, perspiciensque hanc veritatem, & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos vsque peruenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quàm noui testamenti, cum vtriusque vnus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua succeßione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipit, & veneratur. Qui plura velit legat Anastasium Sinaytam in quæstionib. quæst. 154.

SCHO-

SCHOLA XI. DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit immunitas, & quid de ea sentiant Hæretici?

IMMVNITAS est negatio muneris. Id est oneris, quo sensu sumitur munus l. Munus ff. de verborum significationibus iuxta Paulum. Vnde immunitas definitur *priuilegium quo res, siue persona à communi aliqua obligatione, siue onere eximitur*: Ita definit Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 1. num. 1. Immunitatis subiecta sunt duo. Res vti Ecclesia; & Persona vti Clericus. Rem sequuntur, quæ in ea continentur, v. gr. vasa, & vestes Sacræ in Ecclesia. Personam bona, quæ possidet, qualia sunt ea, quæ à Clericis iure Ecclesiastico possidentur. Cum autem sit duplex potestas, Laica, & Ecclesiastica, & istæ sint distinctæ: hinc est vt Ecclesiastica sit exempta à laica per immunitatis priuilegium, quæ est communis Ecclesiæ doctrina. Suarez.

Hæretici negant hanc immunitatem Ecclesiasticam: quidam omnino, quidam ex parte. Omnino Petrus Martyr in cap. 16. ad Romanos. Brentius in Prologomenis. Melancthon in locis cap. de Magistratu. Ex parte Caluinus. Excipit enim causas merè Ecclesiasticas lib. 4. institut. cap. 11. §. 15. Sed fermè omnes recentiores Hæretici Protestantes cum Rege Iacobo omnem prorsus immunitatem tollunt. Ex antiquis Marsilius Patauinus, & Ioannes de Ianduno Ecclesiasticam Personarum immunitatem non agnouerunt. Dixerunt quippe ne Christum quidem Dominum à tributis soluendis exemptum fuisse, teste Turrecremata lib. 4. summæ de Ecclesia p. 2. c. 37. Petrus Martyr. Brentius. Melancth. Caluinus. Marsil. Iandun. Turrecremata.

Argumentantur primo locis scripturæ. Primus est Pauli ad Roman. cap. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, loquitur autem de sæcularibus, quia subiungit, *non enim sine causa gladium portat*, sic exponit Augustinus Epist. 54. ad Macedonium, & Basilius in constitutione Monastic. & Chrysostomus homilia 23. *Ostenditur*, inquit, *quod ista imperantur omnibus* Rom. 13. August. Basilius. Chrysost.

Eccle-

Ecclesiasticis, *& Monachis*, *& non tantum secularibus*. Consentiunt Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius. 2. Petri Epist. 1. cap. 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum*, *siue Regi tamquam præcellenti*, *siue ducibus tamquam ab eo missis.* Nulla hic fit mentio, nisi laicorum, Regis, & Ducum, & Rex appellatur præcellens. Hæc autem, aiunt, dicit Petrus Christi Vicarius. Accedit illa eiusdem sententia *Regem honorificate*, vbi hic est Papa? Certè nusquam. Tertius esto in Actibus Apostolorum cap. 25. vbi Paulus Cæsarem appellauit, tamquam Iudicem, & legitimum superiorem suum in causa criminali, quo testimonio sæpè vtitur Rex Angliæ Iacobus. Adiungitur argumentum negatiuum, quia nullum datur in Scripturis testimonium, quo ista immunitas probatur.

Theodor. Theoph. Oecum. 1. Petr. 1. Act. 25.

Argumentantur secundo legibus, & Decretis. Caluin. lib. 4. institut. cap. 11. §. 15. profert Epistolam Constantini Magni ad Nicomedienses relatam à Theodoreto lib. 1. historiarum cap. 20. in qua fatetur se amandasse in exilium Eusebium Episcopum Nicomediensem, & addit: *Si quis Episcoporum inconsultè tumultuatus sit, ministerio Dei, hoc est mea executione illius audacia coercebitur.*

Caluinus

Constantinum sequatur Iustinianus, qui Nouella 79. & 83. & 123. non eximit Clericos à causis criminalibus, easque vult cognosci à Pretore. Præterea in Codice, & Authenticis multæ sunt leges latæ, quæ Clericos obligant, & de rebus Ecclesiasticis, & Spiritualibus disponunt: specialiter autem Nouella 83. in delictis ciuilibus subdi iubet Clericos potestati sæculari.

Iustinian.

Hinc formatur Argumentum. Si Clericus esset immunis à laica iurisdictione, esset liber à Tributis, sed ad hæc tenetur. Ergo non est immunis à iurisdictione. Minor probatur cap. Si Tributum. 11. qu. 1. Vbi ex Ambrosio. *Si Tributum iubet Imperator non negamus. Agri Ecclesiæ soluunt Tributum*, & cap. Tributum 23. qu. 8. & cap. Sancitum est, ibidem. Probatur ex l. Placet Codice de Sacrosanctis Ecclesijs, quæ est Honorij, & Theodosij in lege 40. de Episcopis, & Clericis in Cod. Theodosiano. Vbi Clerici à tributis Ordinarijs non eximuntur: quam legem à Iustiniano assertam admittit Gratianus in cap. Generaliter §. Placet 16. qu. 1. & in ius Canonicum inseritur, & l. de iis C. de Episcopis, & Clericis & l. vltima Codice de exactoribus Tributorum lib. 10. & ibidem fatetur Glossa. Gratian.

Argumentantur exemplis, & quidem Summorum Pontificum, qui Imperatoribus obedierunt, & hoc ipsum testati sunt. Ac vt omittamus, quæ in materia de Concilijs, & de potestate temporali Papæ diximus, est testimonium Optati Mileuitani lib. 3. contra Parmenianum vbi sic. *Super Imperatorem non est, nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem.* Opt. Mil. Non minorem vim habet testimonium Gregorij Magni lib. 1. Epistolarum Epist. 9. Indict. 2. alias cap. 100. Greg. M. In qua Imperatorem Mauritium Dominum suum vocat, eiusque se famulum dicit, & legem ab eo missam vti subiectus iussioni accepit, & publicari fecit, testatus tamen, & questus eam esse iniustam, & addit *quæ debui exolui*, *qui & Imperatori obedientiam præbui*, *& de Deo quod sensi minimè tacui*. Leo I. in Epist. ad Theodosium initio Concilij Calcedonensis pag. 17. sic ait, *se studere*, *vt eius statutis pareatur*, quæ vox obedientis est. Leo I. Idem in alia Epist. pag. 27. petit ab eodem, vt sibi concedat celebrare Concilium in Italia. In vita Agathonis sic scribitur. *Hic accepit Diualem iussione Constantini*, *Hera-*

Heraclÿ, & Tiberÿ Augustorum inuitantium, & adhortantium, vt debeat Sacerdotes, vel missos suos dirigere in Regiam Vrbem. His igitur Agatho in Epist. 1. ad eosdem quæ habetur Act. 4. Synodi VI. sic ait. *Mansuetissimi rerum Domini, ÿs quæ per sacram vestram dudum præcepta sunt efficaciter promptam obedientiam orsus sum exhibere*; & iterum. *Nisi longus Prouinciarum ambitus tanti temporis relationem ingereret, hoc obedientia studiosa nostri famulatus impleret*. Hanc obedientiam profitetur alia Epist. quæ habetur in eadem actione pag. 44. in qua se & Episcopos appellat famulos Imperatoris, & pag. 47. *Satisfaciendum est*, inquit, *nostro exiguo famulatui apud Serenissimorum Dominorum nostrorum clementiam pro tarditate missarum Personarum*. Hinc est vt Anastasius Imperator Epist. ad Hormisdam posita tom. 2. Conciliorum pag. 575. dixerit. *Iniuriari, & increpari possumus, iuberi non possumus.*

Accedit vltimum Argumentum quod sumitur ex factis in electione, ac depositione Pontificum. Constat quippe Papas, vt argumentatur Rex Angliæ, sine assensu Imperatoris non eligi, nec sine consensu recipi. Quare opus fuit vt Pontifices Ecclesiam regendam capesserēt approbatione, & confirmatione Imperatorum. Idque tradit Platina, & fatentur nostri authores, & Suarez lib. 3. contra Regem Angliæ cap. 29. & apertè sumitur ex Gregorio Magno lib. 7. indict. 1. Epist. 1. in fine. Exercuerunt autem istam iurisdictionem Imperatores à Iustiniano, vsque ad Constantinum IV. & idem Doctor hoc deplorat expositione in Psalmum 5. Pœnitentialem, & notauit Baronius anno 590. num. 5. Patet autem ex cap. Agatho. distin. 63. cuius titulus est. *Electus in Romanum Pontificem non ordinetur, nisi eius Decretū Imperatori primum præsentetur*. Idque textus clarè significat, in quo insinuatur solitam dari certam pecuniæ summam pro ordinatione Pontificis facienda, quæ ibi relaxari dicitur. Ac ita Electus fuit Agatho Siculus, & Vitalianus Signiensis, *qui direxit responsales suos, cum Synodica Epistola iuxta consuetunem in regiam Vrbem ad Pÿssimos Principes significās de ordinatione sua*. Ac ita fatetur Glossa, quæ addit singulos episcopos dare solitos aliquid Imperatori pro sua electione, & habetur authentica de Sanctis Episcopis. Eadem continuatur cap. Adrianus, & cap. in Synodo, & duobus sequentibus. In quorum capitum Commentarijs Glossæ tradunt hoc ius eligendi, & confirmandi Papam concessum esse in Occidente Carolo Magno ab Adriano I. & Othoni I. à Leone VIII. Huc pertinet, quod multi Papæ fuerunt depositi ab Imperatoribus, quod etiam vrget Rex Angliæ. Nam Otho Imperator exauthorauit Ioannem XIII. & Henricus IV. Benedictum IX. & Syluestrum III. Hæc sunt argumenta hæreticorum, quæ oportet dissoluere antequam nostram, quę Catholica est, doctrinam proponamus.

(Margin: Plat. Suarez. Greg. M. Baronius Glossa.)

CAPVT II.

Respondetur propositis argumentis.

PRimum ex authoritate Pauli ad Roman. 3. ita soluit Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 29. Paulum loqui generaliter, & omnes subditos hortari ad obediendum superioribus quicumque illi sint, siue temporales, siue Spirituales, & vtitur testimonio Bernardi, qui Epist. 283. ad Conradum Imperatorem sic. *Lege. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, quam sententiam vos cupio custodire in exhibenda reuerentia Petri Vicario sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso ser-*

(Margin: Bellarm. Bernard.)

seruari Imperio. Sed, hęc solutio non omnino satisfacit, quia Patres vti diximus locum intelligunt de Principibus temporalibus, idque apparet ex verbis subiunctis, *non enim sine causa gladium portat*, & ex hoc ipso loco Bernardi colligitur, qui ex hoc testimonio tamquam argumento deducit obediendum esse Papę, quemadmodum obediri sibi volunt Imperatores, quo significat locum propriè de laico Principe intelligi: præterea modus loquendi Pauli indicat eum loqui de obedientia erga Principes sæculares, nec enim Paulus tunc videtur cogitasse de obedientia erga Petrum, vel Episcopos. Igitur aliter exponendus locus.

Damus Paulum iuxta sententiam Patrum loqui de Principibus laicis imo & Ethnicis quia agebat cum Neophytis, & gentibus, & periculum erat, ne accepta lege gratiæ, quæ erat libertatis, & gloriæ filiorum Dei putarēt se liberos esse à legibus & obedientia Principum laicorum, & Gentilium itaq; opus esse eos hac particulari doctrina instrui, vt agnocerent se esse subditos illorum, nec ab eorum obedientia in rebus licitis liberari. Et sanè constat primis illis Ecclesiæ temporibus, quando Imperatores persequebantur Christianos necessariam hanc fuisse doctrinam ne Imperatores eo prætextu Christianam fidem abominarentur, accusantes Christianos debitam sibi obedientiam subtrahere, quasi lex Christi prohiberet parere Principibus.

Præterea ex hoc loco deducitur obedientia erga Pontificem, & Superiores Spirituales, quod cum tanta esset erga eos fidelium obseruantia monendi erant de obedientia erga Principes sæculares. Quæ veritas apparet ex ratione Pauli. *Non enim sine causa gladium portat*, significant enim hæc verba dubitare eos ad quos scribebat, an illa obedientia licita esset, quam dubitationem aufert Paulus dicendo illos ministros, non sine causa arma illa portare quæ potestatis erant insignia, & ad obedientiam hortabantur. Hæc solutio videtur solida, & obturat ora hæreticorum.

Eodem modo soluitur locus Petri, qui eo modo loquendi nostram solutionem confirmat, dum ait. *Omni creaturæ propter Deum eos subiectos esse oportere*, quasi ijs eximere vellet scrupulum parendi postquam Christiani erant secularibus Principibus: quare admonet eos id fieri debere propter Deum, quem colebant, non ob metum, & rationes temporales. Confirmatur ex eo, quod ait. *Regem honorificate*, cur enim hoc dixisset, nisi dubitasent ij, an qui Christum honorificabant Regi Ethnico essent obedituri. Igitur ita eos hortatur, vt dicet debitam esse obseruantiam Regibus. Accedit quod ex istis Epistolis constat Christianos obligatos esse ad obediendum Pręlatis Spiritualibus, quoniam Petrus, & Paulus, qui tales erant, precipiebant ipsis per Epistolas vt alijs obedirent, & pręcipiendo monstrabant super eos potestatem habuisse.

Tertium exemplum Pauli ad Cęsarem prouocantis, ineptum est ad eorum intentum comprobandum: ad quem enim alium appellare debuit Paulus factus reus à laicis, & in foro laico coram Iudice laico penes quem erat potestas occidendi, & liberandi, nisi ad Supremum Principem, qui erat Cęsar in illo foro, nec enim, opinor, debuit appellare ad Petrum, vel ad Concilium Apostolorum à quibus non poterat liberari. Certè si in eo statu esset Caluinus, & Rex Anglię, qui hoc nobis testimonium obijciunt, non ad suos ministros, & Prędicatores, sed ad Supremos Principes appellassent. Fecit Paulus, quod illi fecissent. Non pos-

possint illud obijcere, quin se condemnent.

Quartum ab argumento negatiuo sumptum soluetur cap. sequenti, quando ex Sacra Scriptura nostram doctrinam probabimus.

Ad argumenta ex legibus petita, quoad primũ attinet allatum à Caluino ex Epistola Constantini. Respondemus Caluinum more suo fallere legentes obiecta specie veritatis. Res quippe ita se habet in ea Epistola. Constantinus non ait se deposuisse Eusebium, sed depositum à Niceno Concilio in exilium amandasse, quod est exequi sententiam, non ferre. Nec vna fallacia contentus fuit Caluinus: addidit aliam corrumpendo verba Constantini, nec enim ille minatur Episcopis, sed laicis, in quos se animaduersurum esse affirmat, si Eusebium iterum in Ecclesiam accipiant, eo Episcopo excluso.

Ad leges Theodosianas, & Iustinianas. Respondeo cum P. Suario 1. par. cap. 2. contra Regem Anglię, & Cardinal. Bellarmino lib. 1. de Clericis cap. 3. non omnes leges Imperatorias esse contra Ecclesiasticam immunitatem, multę enim sunt institutę ad gerendam, & regandam Rempublicam, ijsque teneri Clerum, quia sunt conformes iuri naturali, & ab omnibus Reipublicę membris recipiuntur, & tales fuisse eas de quibus communiter loquuntur textus. Itaque seruantur istę leges propter instructionem, non tamen propter punitionem; vno verbo obligant, *quoad vim directiuam, non vero quoad vim coactiuam.* Vti autem Ecclesiam multis legibus Imperialibus, quæ non detrahunt Ecclesię, liberè fatetur Nicolaus I. Epistola ad Michaelem Imperatorem, & habetur in plerisque canonibus apud Gratianum presertim dist. 10. de quo videndus Felinus cap. Ecclesia S. Marię.

Suarez. Bellarm. Nicol. I. Felinus.

Adde 2. eas leges, & si quando latę sunt ab Imperatoribus non obligarent Ecclesiasticos, postea tamen liberè acceptatę à Clero cępisse Ecclesiasticos obligare, quare non ab Imperatoribus, sed à Papa, & Episcopis vim obligandi habuerunt, quę duę rationes extendi debent ad tributa, quæ clericis nequeunt imponi immediatè à iurisdictione sæculari, quoad vim exactiuam, sed tantum quoad rationem consultiuã, quod si Reipublicæ necessitas, quæ ad omnes extẽditur, solui ea postulet, tunc ex iure naturali oritur obligatio, vel quando Ecclesiæ sponte sua soluere velint. Aliter nequeunt obligari ad executionem.

Aduerto præterea primis illis tẽporibus, quando Ecclesia non erat adhuc tranquilla, nec res Ecclesiasticæ perfecta pace gaudebant, multa sibi arrogasse Imperatores, quæ minus ijs licebant. Hæc autem tolerabat potius Ecclesia, quam approbabat. Processu vero temporis constituta iam, & corroborata Ecclesia, minus licuit Imperatoribus, ac eorum impotentia, & licentia refrenata est: quemadmodum apparet ex iure canonico per quem multæ leges ciuiles correctæ, & sublatæ fuerunt. Vti ea lex de præscriptione cum mala fide, quæ currit in foro ciuili, non autem in Ecclesiastico, nec ipsum ius ciuile hoc negat. Constat namque hanc legem præscribendi à iure canonico esse abrogatam. Quod idem de alijs declaratur in lege Priuilegia, & authentica *causa* Codice de Sacrosanctis Ecclesijs.

Quoad exempla Pontificum. Respondemus ordine. Primo Optatum Mileuitanum rectè scripsisse solum Deum, per quem Reges regnant, & Principes imperant esse maiorem Imperatore in iurisdictione, ac potestate temporali, quo sensu verum est multos Reges esse

pares: imo & potentiores Summo Pontifice, qui minus longè lateque quam Hispani, & Galli Monarchæ dominatur, & in hunc sensum respondet Suar. contra Regem Angliæ lib.3.cap.28.

Suar.

Secundo. Respondetur Gregorium Magnum pro sua modestia, & suauitate ingenij verbis vti solere humanissimis, & officiosissimis præsertim cum eo Imperatore, qui trux, & ferox erat, adeo vt eum Gregorius in Psalmum 5. Pœnitentialem Neronem illum, & Diocletianum vocet. Hac ratione mirum non est, quod tam ei se obsequiosum, & morigerum præstet, vt se eius famulum dicat, & legem cum demissione animi accipiat, & publicari faciat. Perperam agunt Hæretici, dum modestiam virtutem vitio vertunt, & ad indignam seruitutem detorquēt. Si ita intelligenda sunt verba, quæ vrbanitatis causa dicuntur, quando Pontifices appellant se seruos seruorum Dei, oportet, vt vnusquisque Sacerdos, vel Laicus super Pontificem se extollat, & pro seruo habeat. Sed vt omnino hęreticos refutemus animaduertimus Gregorium hanc ipsam legem quæ vetabat, ne quis miles fieret Religiosus correxisse, & emendasse: præcepit enim Gregorius, ne susciperentur ante diligentem factam de eorum vita inquisitionem, ea vero præmissa iussit, vt quorum vita probata inuenta esset, ij omnino in monasteria reciperentur. Patet hoc ex lib. 7. indictione Epist. 11. Fuisse autem istius Pontificiæ authoritatis, & dignitatis authorem, & vindicem Gregorium constat, tum ex alijs locis, tum ex commentarijs in Psalm. 5. Pœnitentialem.

Greg. M.

Idem.

Ad locos Leonis respondemus, eum non dixisse parere se Imperatori Theodosio, sed daturum operam, *vt eius statutis aliquatenus pareatur*, quod longè est diuersum. Imo ex alijs ad eumdem Epistolis deducitur Leonem ab Imperatore Theodosio defensionem tantum, & protectionem Ecclesiæ postulasse: *Date*, inquit, *defendendæ Ecclesiæ libertatem*. Et rursum *defendite contra Hæreticos inconcussum ecclesię statum*. Quæ verba non semel repetit.

Leo.

Quoad Agathonem eodem modo quo supra ad Gregorium respondemus. Et generalis similium locorum solutio est: Imperatores eo tempore nimium potuisse, & multum sibi arrogasse, ac proinde Pontifices, qui eorum auxilio indigebant demissius cum ijs agere propter necessariam defensionem Ecclesiæ consuesse, præsertim in Oriente in quo minus valebant, & Imperatores plus poterant, idque animaduertendum erga Occidentales integram suam potestatem, & authoritatem ostendisse Pontifices. Nec vnquam erga Reges, & Imperatores ea se humilitate gessisse. Maior enim erat ergà Romanum Pontificem Principum, & populorum obseruantia in Occidente.

Quod attinet Anastasium illa scripsit, & peiora egit, sed ideo in eum Deus fulminauit, & decem annos vitæ præcidit. Hunc tamen Hormisdas sæpè reprehendit, quod nimis hæreticis indulgeret, eumque vti superior filium appellat, vt patet ex Epistola 6. & 11. ad eumdem.

Hormisd.

Venio ad vltimum argumentum, quod habet duas partes in prima dicitur Papas, non potuisse eligi sine consensu Imperatoris, imo in eius recognitionem pecuniam dari solitam. Cui respondeo ante Iustinianum id non fuisse vsitatum. Iustinianum eum vsum introduxisse vt Imperatorium ius extenderet, & Constantinopolim Romæ præferret, quæ id temporis calamitatibus, & cladibus deformata erat. Vnde ea liberata de manibus Gotho-

thorum hanc quasi mercedem petijt, vt Romani Pontificis Electio, sine consensu suo ne fieret, nec electus sine sua confirmatione Pontificatum gereret, quam consuetudinem alij Imperatores vsque ad Phocam conseruarunt. Qui eam abrogauit, & Decretum edidit de Primatu Ecclesiæ Romanæ: vnde Hæretici ansam arripuerunt dicendi, Phocam huius Primatus fuisse authorem. Hæc ex historijs constant, & fatetur Baronius ad eos annos, & Bellarminus lib.2.de Rom.Pontifice cap.17.& Suarez contra Regem Angliæ lib.3.c.29.

Baronius
Bellarm.
Suarez.

Hoc supposito respondemus, quā sibi Iustinianus authoritatem vsurpauit eam improbam, & iniustam fuisse, sed eam tolerasse Pontifices, quod non poterant aliter facere, cum se viderent obnoxios potentiæ Iustiniani, & beneficio liberatæ Vrbis obligatos. Quod etiam inde confirmatur, quia idem Iustinianus Episcopum Constantinopolitanum primum Patriarcham dixit, & Alexandrino, & cæteris prætulit. Apparuit autem iniustam illam vsurpationem fuisse, quia Phocas eam sustulit, & ius occupatum Pontificibus reddidit.

De Carolo Magno, & Othone I. sunt qui narrent eos hoc priuilegium in Occidente habuisse concessum ab Adriano I. & Leone VIII. sed falsum hoc esse latè ostendit Bellarminus, & Suarez, qui eum citat, & sequitur lib.3.contra Regem Angliæ cap.29.& Baronius anno 774.& anno 964.

Bellarm.
Suarez.
Baronius

Sed quoniam Gratianus in cap. Adrianus, & cap. in Synodo, & Glossæ ibi fatentur ea Priuilegia concessa fuisse Carolo, & Othoni, non audeo negare veritatem facti, cū eo admisso optimè solui argumentum possit: nam si hoc Pontifices eis concesserunt, fuit ex gratia, non ex Imperatorio iure. Itaque nihil detrahitur Pontificiæ authoritati, & ita sustinetur altera pars Historiæ Ludouicum Pium renunciasse huic Priuilegio propter obseruantiam, & reuerentiam Sedis Apostolicæ.

Gratian.
Glossa.

Secundę partis solutio esto, quāuis illa exempla depositorum ab Imperatoribus Pontificum vera essent nihil inde colligi contra superioritatem Paparum, cum Imperatores vi non iure egerint, qua ratione etiam Syluerius à Theodora impia Augusta depositus: Vigilius à Iustiniano relegatus: Martinus à Constāte proscriptus, ac in exilium pulsus. Cæterum non omnia illa exempla vera sunt. Nam Syluester III. non fuit verus Papa, nec ab Henrico, sed à Benedicto IX. legitimo Pontifice fuit eiectus. Benedictus autem Papatui renunciauit. Gregorius VI. cessit Henrico, & vt aiunt Monachus est effectus. Superest solus Ioannes XIII. quem Otho Imperator partim ex ignorantia, partim ex maleuolentia deiecit. Sed quid inde sequatur, non videmus: nam opprimi armis nihil iuri detrahit.

CAPVT III.

Ius Immunitatis Ecclesiasticæ statuitur.

Dari duplex genus iurisdictionis, & potestatis: alterum spirituale, alterum temporale constat eaque esse diuersa, vt quemadmodum spiritus, & corpus duo sunt genera diuersa, ita & potestas spiritualis, siue Ecclesiastica, & temporalis, siue laica duæ sint formæ distinctæ, & quæ in diuersis versentur subiectis. Non agimus autem hic de potestate spirituali Ordinis, quia hæc non est ordinata ad regimen subditorum, nec item de iurisdictione Sacramentali in foro animæ, quæ cum potestate Ordinis cohæ-

hæret, quia hæc intra conſcientiam verſatur, ſed de illa, quæ in forum externum prodit, & ſubditos reſpicit in ordine ad Rempublicam ſpiritualem, & ſicut homines gubernantur temporaliter, & politicè à Magiſtratibus laicis ſuis legibus, ita & Clerici gubernantur à Prælatis Eccleſiaſticis decretis ad ſpiritum pertinentibus.

Negant hæretici hanc ſpiritualem iuriſdictionem, quibus argumentis ſupra vſi ſumus. Concluſio tamen ſit dari huiuſmodi in Eccleſia poteſtatem.

Matt. 16. & 13. Probatur 1. loco Matth. 16. *Tibi dabo claues Regni Cælorum*, & Matth. 13. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Et Ioannis vltimo. *Paſce oues meas*. Ioan. 21.

Probatur 2. ex Paulo Epiſtola 2. ad Corinth. cap. 13. *Agam ſecundum poteſtatem, quam dedit mihi Dominus in ædificationem, non in deſtructionem*. Et 1. ad Timoth. 2. *Aduerſus Presbyterum noli accuſationem recipere, niſi duobus, aut tribus teſtibus*. Confirmatur illis verbis Pauli. *Quid vultis? in virga veniam ad vos*. Et ad Hebræos cap. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*. 2. Cor. 13 1. Tim. 2. Hebr. 15.

Probatur 3. Teſtimonio Petri Epiſtola 1. cap. 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei*. Et Act. 20. *Attendite vobis & vniuerſo gregi in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. 1. Petr. 5. Actor. 20

Quarto. Optimus eſt ad id probandum locus Pſal. 44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*, quem locum de Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus exponunt Auguſtinus, & Hieronymus, & alij fermè omnes Græci, & Latini PP. Pſal. 44. Auguſt. Hieron.

Ita profeſſa eſt ſemper Eccleſia, & traditio à tempore Apoſtolorum ad nos vſque tradita docuit. Quod aduerſus Hæreticos eſt probandum. Incipiamus à Pontificibus.

PAPAE.

Clemens I. diſcipulus Petri Ep. 1. relata in cap. ſi qui ex fratribus 11. q. 1. *Si qui ex fratribus negotia inter ſe habuerint apud cognitores ſæculi non iudicentur, ſed apud Presbyteros Eccleſiæ, quidquid illud eſt diſcernatur*. Clem. I.

Anacletus Papa, & Martyr Epiſt. 2. idem ſtatuit. Anaclet.

Alexander I. Epiſt. Decretali 5. ad omnes Orthodoxos relata in cap. Relatum 11. qu. 1. Alex. I.

Thelesphorus in Epiſtola ad omnes fideles. Teleſph.

Caius Papa, & Martyr Epiſtola ad Fœlicem, quæ habetur cap. Nemo vnquam 11. qu. 1. vbi ſic. *Nemo Epiſcopum, aut reliquos Clericos, apud iudicem ſæcularem accuſare præſumat*. Caius.

Marcellus Papa, & Martyr Epiſtola 2. vti citatur cap. Clericum 11. qu. 1. *Laico*, inquit, *non liceat, quemlibet Clericum accuſare*. Marcell.

Fabianus Papa, & Martyr relatus in cap. Statuimus 11. qu. 1. Fabian.

Marcellinus Epiſt. 2. ad vniuerſos Epiſcopos Occidentales. Marcell.

Fœlix adductus in cap. Certum eſt, 10. diſtinct. Fœlix.

Gelaſius Epiſtola 10. habetur cap. Chriſtianis 11. q. 1. & Epiſt. ad Criſpinum, & Sabinum Epiſcopos cap. Sylueſter 11. q. 1. Gelaſius.

Symmachus in Synodo Romana & habetur cap. Bene quidem 96. diſtinct. Symmac.

Leo I. Epiſt. 96. ad Epiſcopos, & Presbyteros Traciæ. Leo I.

Pelagius I. ad Bengeſtum defenſorem habetur cap. Experientiæ 11. qu. 1. & ad Sergium Cancellarium cap. Si quiſquam Clericus 11. quæſtion. 1. Pelag. I.

Gregorius Magnus lib. 3 Epiſtol. Epiſt. 26. & lib. 4. Epiſt. 75. & lib. 7. Epiſt. 32. Greg. M.

Ana-

Anastas. Anastasius ad Anastasium Imperatorem.

Innoc.I. Innocentius I. relatus in cap. Si quæ causæ 11.q.1.

Inn. III. Innocentius III. cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Constitutionibus Adducitur in cap. Si diligenti.

Alex. III. Alexander III. cap. At si Clerici. de Iudicijs.

Luc. III. Lucius III. in cap. Clerici de Iudicijs.

Cæl. III. Cælestinus III. cap. cum non ab homine ibidem.

Hon. III Honorius III. in Constitutione has leges.

Bonifac. VIII. Bonifacius VIII. cap. Clericis in principio de immunitate Ecclesiastica lib. 6. & cap. 2. de foro competenti.

Vrb. VI. Vrbanus VI. in Constitutione, Quia inserta in Bullario.

Bonif. IX Bonifacius IX. Constitutione iustis, & honestis ibi, & alij sequentes Pontifices in Bulla Cœnæ, quæ quotannis legitur, & anathemate percellit vsurpantes authoritatem iudicandi personas Ecclesiasticas.

CONCILIA.

Concilium Romanum. Primum Sylvestro Papa, & Romanum Secundum, & Romanum III. eodem Papa: statuit non licere vllum Clericum ante Iudicem laicum stare.

Concilium Romanum III. sub Symmacho, Concilium Carthaginense III. tom. 1. cap. 9. relatum in cap. Placuit 11. quæst. 1. idem statuit.

Concilium Toletanum cap. 13. vbi Clerici ad sæcularia iudicia recurrentes puniuntur.

Concilium Mileuitanum I. cap. 19. Concilium Africanum VIII. can. 71. Concilium Veneticum can. 9. Concilium Agathense relatum in cap. Clericum nullus 11. q. 1. Epaunense Can. 11. Aurelianense IV. can. 20. Concilium Parisiense in cap. 2. de foro competenti. Concilium Rhemense sub Eugenio III. Concilium Salsburgense sub Martino V. habet integrum caput de Immunitate Ecclesiastica. Concilium Matisconense I. cap. 8. & 31. & Matisconense II. cap. 9. & 10. Antisiodorense Can. 32. & habetur cap. de foro competenti. Concilium Frisingense sub Eugenio IV. tit. de foro competenti. Tandem Concilium Chalcedonense Act. 15. can. 9. & refertur cap. Si Clericus 11. qu. & cap. 1. de foro competenti.

IMPERATORES.

NE opponant Hæretici solos Ecclesiasticos Principes huiusce rei authores esse, non autem Principes sæculares, eos numerare oportet.

Constantinus Imperator in Concilio Niceno professus est immunitatem Clericalem. *Vos*, inquit, *à nemine diudicari potestis, qui solius Dei iudicio reseruamini: Dij enim vocati estis, & idcirco non potestis ab hominibus iudicari*. Refert in cap. Sacerdotibus 11. q. 1. vbi etiam habetur Constantinum acceptis libellis accusationem contra episcopos plenis dixisse Episcopis. *Ite & inter vos causas disponite, quia dignum non est vt nos iudicemus Deos*, & iussisse libros comburi, quod refertur cap. Continua 11. q. 1. & cap. futuram 12. q. 1. & inuenitur apud Rufinum lib. 1. Historiæ, & Sozomenum lib. 2. cap. 2. & apud D. Gregorium lib. 4. cap. 75. — Constant. Rufinus. Sozom. Greg. M.

Eiusdem Constantini est lex illa in Cod. Theodosiano tit. de Episcopis, & Clericis lib. 7. de Immunitate Clericorum in iudicijs. Est alia lex in eodem cap. Quæ liberat Clericos, & eorum mancipia à nouis collationibus, & habetur lib. 16. l. 8. Sed tribuitur Constantio. Est item

lex

lex de lustralibus collationibus: vbi Clerici eximuntur à tributo dicto, collatio lustralis; facit item lex 6. & 7. cod. tit. & Cod. Narrat Eusebius lib. 10. cap. 7. & Nicephorus lib. 7. cap. 46. Constantinum propugnatorem libertatis Ecclesiasticæ extitisse.

Eusebius Niceph.

Constantius quamuis Arianus Patris sui Constantini leges confirmauit lib. 9. & 11. & 12. eodem tit. & cap. lege item 13. & 14. Eique consensit impius Iulianus, vti apparet ex lib. 13. quæ communis est Iuliano, & Constantio.

Constan. Iulianus

Theodosius, & Valentinianus I. lege vltima eodem titul. & cap. sic aiunt. *Fas non est, vt diuini muneris ministri corporalium potestatum subdantur arbitrio.* Vnde D. Ambrosius Epist. 32. lib. 5. ad filium Valentiniani sic: *Pater*, inquit, *tuus Deo fauente vir maturioris æui, dicebat non est meum iudicare inter Episcopos*. Valentinianus, & Theodosius, & Arcadius cap. Continua q. 11. q. 1. idem decernunt. Rursum hoc statuitur ab Honorio, & Theodosio lib. 6. cap. de Sacrosanctis Ecclesijs, & lib. 29. & 30. & 38. & 41.

Theod. & Val. D. Amb.

Iouinianus Imperator authore Sozomeno lib. 6. cap. 3. Immunitatem à Constantino assertam defendit, firmauit. Gratianus l. vltima. de Episcopali iudicio statuit: ne Clerici ad iudicia sæcularia pertrahantur. De Iustiniano dubitari non potest, cum ipsimet hæretici affirment illum fuisse authorem huius distinctionis inter forum sæcularem, & Ecclesiasticum. Impudenter tamen negant ante illum Immunitatem in Ecclesia fuisse. Hoc enim falsum esse, exempla à nobis prolata ostendunt, & probat Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 3. & patet ex Concilio Aquileiensi, vbi affertur Ambrosij sententia. Non laicos de Sacerdotibus, sed potius Sacerdotes de laicis iudicare debere. Hoc testantur PP. Concilium Matisconensis II. cap. 9. dum aiunt hunc distinctionem fori Ecclesiastici, & laici, in ipso penè Christianitatis principio, non solum Canonum, sed etiam legum interuentu esse introductam.

Sozom. Gratian. Suarez.

Carolus Magnus l. capitali lib. 1. cap. 281. abrogatis nonnullis contra libertatem Ecclesiasticam legibus addidit: *Ista* vero omnia quia vires nostras excedunt in iudicio Episcoporum iuxta canonicas sanctiones definienda relinquimus, & lib. 6. cap. 105. Nullus, inquit, ex ordine Clericorum inconsulto proprio Episcopo ad Iudicem sæcularē pergat, neque apud eum suo Episcopo non permittente, quemquam pertrahere, aut cuipiam ante eum respondere, aut quidquam præponere præsumat, neque criminale negotium in iudicium sęculare proponere *audeat*. Idem statuit c. 19.

Carol. M

Fridericus II. in §. Item *statuimus, vt nullus*, de statuto, & consuetudine contra libertatem Ecclesiasticam: vnde sumpta est authentica statuimus C. de Episcopis, & Clericis decernit, *vt nemo Ecclesiasticam Personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad sæculare iudiciū præsumat contra Constitutiones Imperiales, & Canonicas sanctiones. Quod si aliter fecerit à iure suo cadat, & iudicatum non teneat, & iudex ex tunc iudicandi potestate priuetur.*

Frid. II.

Caroli IV. Similis Constitutio est lata anno Domini 637. & habetur in Bullario nouissimè impresso inter Constitutiones Bonifacij IX. post quartam Constitutionem, & ab eodem Bonifacio confirmatam. His exēplis confutatur insolens, & absurda Ser. Iacobi Angliæ Regis, & Anglorum sectariorum doctrina, quos pudere debuit, quod extra chorum saltare voluerint, & hanc harmoniam Imperatoriæ virtutis dissoluere,

Car. IV. Bullar. Iacob Rex Angliæ.

re; nempe impij Oziæ similiores quã piorum Angliæ Regum similes esse maluerunt. Vt hæreticis oculos configam, duo exempla afferre volo: vnum Theodorici Regis Gotthorum, quamuis Ariani. Hic apud Cassiod. Cassiodorum variarum Epistolarum lib. 1. Epist. 9. refert eum scripsisse ad Archiepiscopum Mediolanensem hoc modo. *Sed quoniam & ipsi Clericatus munere fungebantur ad sãctitatis vestræ iudicium cuncta transmittimus ordinanda, cuius est æquitatem talibus moribus imponere, quam nouimus traditionem Ecclesiasticam custodire*. Erat autem iudicium de causa Episcopi à Clericis accusati.

Idem. Athalaricus aliud Gotthi apud eumdem Cassiodorum lib. 8. Epistolarum Epist. 24. Loquens hic cum Clero Romano fatetur, Clerum esse exemptum à potestate sæcularis iudicij; idque sæpius testatur. Imo & Vvitiges Barbarus; & Immanis Rex eamdem immunitatem agnouit, & asseruit eodem Cassiodoro Idem. Authore lib. 10. Epist. 34. Discant ab his Heterodoxi, quam domi doctrinam obseruent cum Regibus suis, quæ toti Orbi terrarum est contraria.

Confirmatur insignibus quibusdam exemplis. Primum sit Fabiani Papæ, qui Authore Eusebio lib. Eusebius. 6. cap. 23. Philippum I. Imperatorem Catholicum exclusit à communione Paschali propter peccata publica, nec nisi purgatum admisit.

Theod. Theodosius Senior ab Ambrosio ob cædem Thessalonicæ factam Ecclesia pulsus est, & publicam subire pœnitentiam iussus, & postea exclusus à loco vbi Clerici considebant, & ad mediam plebem remissus, teste Theodoreto lib. 5. historiar. cap. 17.

S. Martinus à Maximo Imperatore inuitatus calicem, quem primus Seuerus. biberat, non Imperatori, sed pres- Sulpitius bytero suo propinauit, Authore Sulpitio in vita S. Martini.

Imperator Iustinianus, in authentica, *quomodo oporteat Episcopos* duas potestates Ecclesiasticam, & laicam distinctas agnouit, & Sacerdotium Imperio præposuit.

Valentinianus apud Sozomenum lib. 6. cap. 7. Episcopis petentibus potestatem congregandi Concilium respondit. *Sibi qui esset vnus è numero Laicorum non licere authoritatem suam in eiusmodi rebus interponere*. Quod idem narrat Nicephorus lib. 11. cap. 40.

Est egregia hac in re Imperatoris Honorij ad Arcadiũ de causa Chrysostomi inter Epistolas Innocentij Innoc. I. scripta Epistola: vbi eum reprehendens sic ait. *Cum si quid de causa Religionis inter Antistites ageretur Episcopale oportuerit esse iudicium. Ad illos enim diuinarum rerum interpretatio ad nos Religionis spectat obsequium*. Et prosequitur animaduertendo illud iudicium in causa Ecclesiastica ad Romanum Pontificem deferendum, & ab eo iudicium petendum.

Consonant illa verba Imperatoris Basil. Basilij in Octaua Synodo, vti refer- Imper. tur à Surio ad laicos loquentis. De vobis quid amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonum habere. Hæc enim inuestigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est; qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, ligandi, atque soluendi potestatem habent, & Ecclesiasticas, & cælestes adepti sunt claues, non nostrum, qui pasci debemus. His tamen Imperatoribus Henricum VIII. Angliæ Sectarij; postquam factus est Anne Bolenæ mancipium, præferre voluerunt.

CAPVT IV.

Sit ne Immunitas Ecclesiastica iure diuino, an humano introducta?

NOn esse de iure diuino multorum etiam Catholicorum sententia est. Medinæ Codice de restit. qu. 15. Victoriæ relect. 1. de potest. Ecclesiast. qu. 6. conclus. 2. Soti in 4. distinct. 25. qu. 1. art. 2. quem citat Suarez, & Victoriam lib. 4. contra Regem Angliæ cap. 8. Sed hi duo non negant esse de iure diuino. Negat autem Molina to. 1. de iustitia disp. 31. & Henriqu. lib. 7. de Indulgentijs cap. 24. & Couar. lib. practicarum quæstione 31.

Medina. Victoria. Sotus. Suerez. Molina. Henriqu.

Primum Argumentum est, quia hoc ius diuinum non est naturale: nec illud ratione, vel authoritate probatur. Ostenditur prima pars, quia nulla ratio naturalis versatur circa hoc priuilegium immunitatis Ecclesiasticæ, cum hoc sit supra naturam, & ordinetur ad finē supernaturalem. Et ne quis occurrat dicēdo rationem naturalem fundari in proprietate quadam, cui connaturaliter debetur illud priuilegiū immunitatis. Respondetur hanc proprietatem, vel esse Characterem, vel gratiam. Gratia non est, quia multi iusti sunt inter Laicos, & inter fœminas, in quibus locus non est illi priuilegio. Character item non est, quia Baptismus, & Confirmatio imprimunt Characterem, & tamen non tribuunt immunitatem. Quod si loquantur de Charactere Ordinis, multi, qui eo carent, gaudent immunitate vti sunt Moniales, & serui laici Sacerdotum.

Secundum Argumentum est. Si hoc priuilegium esset de iure diuino non possent Clerici eo priuari, sed priuantur cum degradantur, & traduntur brachio sæculari. Ergo illa immunitas non est de iure diuino. Tertio, quia si esset de iure diuino, non posset augeri, nec minui, nec variari. Sed illud augetur & minuitur, quia alij Clerici alijs maiori gaudent priuilegio. Confirmatur, quia Clericus iure non potest in foro criminali coram Iudice laico conueniri, potest tamen in ciuili, teste Syluestro verbo Iudex nu. 4. Confirmatur à contrario, quia nos ideo argumentamur iurisdictionem Episcoporum non esse de iure diuino, quia potest minui, & augeri, at vero Pontificiam immediatè de iure diuino esse, quia nec minuitur, nec augetur.

Secunda pars suadetur, quia de iure diuino positiuo, non constat: nullus enim est scripturæ locus, quo probetur. ille qui affertur ex cap. 17. Matth. vbi narrat Christum requisitum ad soluendum vectigal interrogato Petro intulisse: Ergo liberi sunt filij, rem minimè continet; loquitur enim Christus de filijs naturalibus, non autem de adoptiuis, & quamuis Christus illa verba ad Petrum extenderit, voluit eo in loco solum Petrum participem facere priuilegij sui. Matt. 17.

Secunda sententia affirmat esse de iure diuino. Hanc tenet Almainus de potestate Ecclesiastica. Iulius clarus lib. 5. quæst. 36. Bellarm. lib. 1. de Clericis cap. 28. Driedo lib. 5. de libertate Christiana cap. 9. Suarez lib. 4. contra Regem Angliȩ cap. 8. & Cartharius Senator, & Iuris consultus in lib. de immunit. Ecclesiast. Hȩc sententia sic proposita in generali, non specificando vtrum hoc ius diuinum sit naturale, an positiuum?

Almain. Iulius Clarus. Bellarm. Driedo. Suarez. Carthar.

Probatur 1. ex Glossa. si Imperator, & ex Glossa in cap. Quamquam de censibus in 6. & clarius in cap. Relatum 11. qu. 1. vbi Alexander Papa sic contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ. *Taliter*, inquit, Glossa. Alex. P.

præ-

præuaricantes præuaricati sunt in Deũ suum, & non obediunt praeceptis eius. Lateran. Et textus Concil. Lateranensis sub Innocentio III. in cap. Nimis de iure iurando, vbi sic. *Nimis de iure diuino quidam laici vsurpare nituntur, cum viros Ecclesiasticos nihil temporale obtinentes ab eis præstandum sibi iuramentum fidelitatis compellunt,* Concil. Lateran. & Concil. Lateranense sub Leone X. sess. 9. in Bulla reformationis his verbis. *Cum à iure, tam diuino, quam humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit,* Concil. Trident. & Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 20. de reformatione Ecclesiæ Personarum Ecclesiasticarum immunitatem *Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam* affirmat, & perspicuè Colon. Concilium Coloniense I. parte cap. 20. vbi ait. *Hanc immunitatem esse vetustissimam iure pariter diuino & humano introductam.* Et tandem Frising. Concilium Frisingense sub Papa Eugenio IV. tit. de foro competenti sic ait. *Quia priuilegium fori Ecclesiæ est immediatè à iure diuino.*

Hæc in genere, nunc ad speciem Suarez. veniamus. Suarez citatus, ait, hoc esse de iure diuino pariter, & humano. De humano non dubitamus. De Diuino opus est dicere. Probatur esse de iure diuino naturali, hac ratione. Ratio naturalis docet, quod à Deo institutum est, ac ordinatum id esse secundum rationem, at institutum, & ordinatum est à Deo, vt Clerici immunes sint à iurisdictione, & potestate temporali. Ergo id est conforme iuri naturali, & diuino. Maior constat, quia Deus nihil præcipit iure suo diuino, quod sit contra lumen naturalis rationis. Minor probatur, quia Deus constituit Clerum constantem ex hominibus sibi addictis, & consecratis, & à laicis distingui voluit; est autem conforme iuri naturali, vt Deus habeat seruos aliquos spirituales sibi destinatos ex instituto, & munere, atque adeo priuilegio donatos propter seruitutem diuinam. Consequentia tenet.

Probatur 2. quemadmodum corpus, & Spiritus in suis naturalibus functionibus discernuntur, & subordinantur, ita vt spiritus corpore sit superior: ita in corpore mystico debet esse aliquid, quod spiritui, & corpori respondeat. Hoc autem nequit esse aliud, nisi Sacerdotium ad modum Spiritus Superioris, & laicum ministerium, ad modum corporis inferioris, Vtrumque autem est conforme iuri naturali.

Probatur 3. Potestas Sacra fundatur in titulo diuino, & supernaturali à Deo collato, laica vero in naturali. Potestas autem supernaturalis, & naturalis omnino distinguuntur. Ergo & quæ ex ijs immediatè oriuntur, necesse est distinguãtur. Ecquis enim neget naturam, & gratiam distingui, & speciales gratiæ prærogatiuas deberi, cum hoc ipsum dictet ratio naturalis?

Ius diuinum positiuum ostenditur primo ex celebri loco. *Ego dixi Dij estis,* quem Constantinus citatus intellexit de Episcopis, & Clericis. Accedit locus Psalmi 104. Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos,* & Zachariæ 2. Zacch. 2. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei,* quibus testimonijs probatur Clericos Superiores esse dominio, & iurisdictione humana.

Probatur 2. loco Matth. 17. vbi Matt. 17. Petrus interrogatus, cur Christus, non solueret censum? instructus fuit ab eo ea interrogatione, quæ responsionem continet. *Reges terræ à quibus accipiunt censum, à liberis, an ab alienis?* Cum enim Petrus respõdisset *ab alienis,* Christus quasi approbans responsum, intulit. *Ergo liberi sunt filij.* Addidit præterea, *ne tamen scandalizemus eos, da illis prò me & te.* Hic locus docet Christum, & Petrum non debuisse vectigal

contra sententiam aliquorum, qui dicunt debuisse, quod omnino falsum est. Apparet nostra sententia ex textu, quia Christus mouendo dubium, & interrogando Petrum facta mentione filiorum perspicue significauit filios esse liberos. Ergo noluit docere filios debuisse tributum pendere; quando autem præcepit Petro, vt solueret pro vtroque satis significauit se, ac Petrum liberos esse à iure tributi, idcirco enim dixit, *ne scandalizemus eos*, quasi non alia lege, quam scandali tenerentur. Et ita PP. intelligunt, quos citat Suarez lib. 4. cap. 5. Quod autem Christus non loqueretur de filijs terrenis, quando dixit, ergo liberi sunt filij. Patet quia ille non erat filius Augusti Cæsaris; ergo ad filiationem Dei respexit, qui cum sit Rex, & Dominus Regum, ab eo omnis iurisdictio Regia deriuatur, ac proinde ad illam rationem filij Dei retulit immunitatem à tributo, cuius filiationis, quia Petrus particeps per Apostolatum, & dignitatem futurus erat ponebatur in loco filiorum, & à censu eximebatur.

Suarez.

Intelligi autem eo nomine Clericos omnes ex eo apparet, quia per Sacramentum Ordinis dedicantur Deo, & separantur à laicis, & in familiam diuinam transeunt, in quam laici expertes Ordinis non admittuntur. Vti animaduertit Nauar. cap. Nouit. de iudicijs. notabili 6. nu. 30. & Suar. cap. 10.

Nauar.

Suarez.

Probatur 3. ex loco illo Petri, *vos autem genus electum, regale Sacerdotium*, nam ideo regale vocat, quia Regum more non sunt sæcularibus subiecti. Confirmatur ex Genesis 47. vbi Pharao Sacerdotes, & eorum possessiones immunitate donauit. Et primo Esdræ 7. vbi Artaxerxes omnes ministros domus Dei à tributis exemit, iuxta illud Numeri 3. *Eruntque leuitæ mei*, & cap. 18. dicuntur traditi in domum Domini, & Iosuè 13. dicitur Dominus Leuiticæ tribus. Si autem in lege scripta his priuilegijs ornati erant Clerici, quæ lex erat timoris, & seruitutis, quanto maiori iure in lege gratiæ erunt exempti Clerici, qui sunt in lege Regalis libertatis, & charitatis?

Genes.

Esdr.

Iosuè.

CAPVT V.

Soluuntur opposita Argumenta.

PRimo respondetur: fundamenta huiusce iuris esse quidem supernaturalia, sed super ea fundari ius connaturale, quòd nititur lumine rectæ rationis; itaque ius illud materialiter sumptum est supernaturale, proprietas orta ex eo est proportio quædam naturalis; id declaratur exemplo: lumen gloriæ est supernaturale, sed tamen posito illo in intellectu resultat connaturaliter visio beatifica, item gratia supernaturalis est, connaturale tamen est ei præmium gloriæ. Ita immunitas Cleri est proprietas connaturalis Sacramenti Ordinis supernaturalis, ex quo resultat, tamquam proprietas eximens Clericum à foro laico. Confirmatur quia ipsimet Gentiles intellexerunt hominibus dicatis Deo conuenire priuilegium exēptionis; quod autem hoc sit conforme lumini naturali patet, quia Deus castigauit Regem Balthasarem quia Sacra Templi vasa profanauit. Pœna autem illa puniuit peccatum, non est autem peccatum sine cognitione. Ergo ille naturaliter cognouit, illud esse peccatum. Illustratur exemplo Cyri, & Darij, & Artaxerxis apud Esdram, qui cum Ethnici essent, Sacerdotes, & Ministros Templi honorarunt. Nec est mirum, quod ex re supernaturali oriatur proprietas naturalis, quia in re naturali datur impedimentum ad opus supernaturale, v. gr. Ordo est Sacramentum supernaturale, &

tamen fœminæ sunt incapaces Ordinis de iure naturali, vti probat. Vasquez 3. tom. de Sacra disp. 245. Vasquez. cap. 3. & suadetur quia si non essent incapaces Ordinis de iure naturæ queri possent de iniuria priuandi eas Ordinibus Sacris, quo exemplo confirmatur argumenti solutio.

Instantia de Charactere soluitur dicendo, solum Characterem Sacramenti Ordinis esse radicem huius priuilegij, quia hic distinguit Clericos à laicis, & eos consecrat Deo. Et quamuis Character Baptismi distinguat Christianum à non Christiano; non est tamen sufficiens ad constituendum hominem Ministrū Sacrorum, & familiarem Dei, vti apparet in fœminis, quæ sunt baptizatæ, & tamen nequeunt ordinari.

Secundo respondetur, non sequi illam consequentiam, quia aliud est actus, & executio, aliud potentia, & capacitas: potest enim quis carere actu, & retinere potentiam, vti sublato risu manet potentia ridendi, ita ablato vsu ordinum, & priuilegio manet tamen Character Ordinis, & capacitas ad illud priuilegium. Potest ergo Ecclesia auferre vsum, & exercitium Ordinis retenta capacitate, & Ordine, vnde resultat priuilegium. Quare in forma respondetur Ecclesiam posse tollere priuilegium in actu secundo, non posse tamen tollere in actu primo. Præterea quando Ecclesia committit executionem laicis, illa potestas non est apud laicos, sed sola executio potestatis, itaque Clerici sunt causæ principales, laici tantum instrumentales.

Tertio respondetur, hoc modo immunitatem in genere conuenire Clero etiam in genere. Clerus autem habet suos gradus distinctos magis, vel minus perfectos, & iuxta eos immunitas communicatur: ita vt crescente dignitate in Clero illius immunitas augeatur, hoc autem non est inconueniens, imo necessarium & conforme rationi, vt quanto perfectiores sunt gradus Sacerdotij, tanto sint perfectiora priuilegia immunitatis. Exemplo res declaratur. Iurisdictio Episcopalis maior est, quam iurisdictio Presbyteralis, quia perfectior est gradus Episcopi, quam Presbyteri, non est igitur mirum, quod maiora priuilegia sequantur Episcopum, quam Presbyterum. Itaque illa variatio immunitatis est diuersitas graduum secundum magis, & minus, quæ diuersitas est accidentalis, & semper manet intra naturam immunitatis.

Instantia, quæ affertur de Summo Pontifice, parum habet roboris, quia Summus Pontifex habet Supremam Dignitatem, & Supremam immunitatem, & neutra augetur, nec minuitur cum sit in gradu perfecto. At vero Dignitas Episcoporum minor est, & subiecta Pontifici, nec immediatè dependet à Deo, quo ad iurisdictionem. Vnde non est mirum, quod sicut iurisdictio Episcopalis augeri potest, & minui, ita & immunitas decrescat, & crescat; numquam tamen perditur in totum, quamuis ligari possit, vti iurisdictio. Pontificia vero, cum habeatur immediatè ab ipsomet Deo, nec pendeat ab hominibus, integra semper, & inuiolata seruatur.

Quod attinet ad locum Euangelij circa ius diuinum positiuum, satis ei responsum est, quando illum adduximus in probationem iuris naturę quo illud non euertitur, sed confirmatur. Neque eo tantum loco nititur, sed etiam alijs, quos attulimus, tum ex veteri, tum ex nouo testamento. Cæteras de immunitate controuersias ad suos authores remittimus.

SCHO-

SCHOLA XII.
DE SACRAMENTALIBVS ET CEREMONIIS
CAPVT PRIMVM.
An, & quæ ſint Sacramentalia?

SACRAMENTALE, certa quædam ceremoniæ, quæ inſtar eſt generis, ſpecies eſt. Cuius natura ex generis notione pendet. Igitur ceremonia, non eſt Græcum vocabulum, vti quidam
D.Thom apud D. Thom. 1. 2. qu. 101. art. 1. volunt, ſed Latinum, eodem D.Th. ibidem ad tertium authore. Ducitur autem, vel à Cere Italiæ oppido,
Liuius. Valerio Maximo. vbi teſte Liuio lib. 5. & Valerio Maxim. lib. 1. cap. 1. Sacra Romani, tempore Gallici Belli ſeruata, & obi-
D.Thom ta ſunt, quod notat D. Thom. q. 99. art. 3. in corp. ſiue à verbo careo, quia cerimoniæ plerumque erant abſtinentiæ, ſiue carentiæ rerum, v. gr. carnis, vini, capillorum, veſtitus, &c. quæ Ethymologia placet
Auguſt. Gelli. Macrob. Auguſtino lib. 2. retract. cap. 37. & Gellio lib. 4. cap. 9. & Macrobio lib. 1. Saturnalium cap. 3. & probat
Bellarm Bellarmin. lib. 2. de Sacram. contr. 6. cap. 29.

Comprehendit autem vocabulum Ceremoniæ, Sacramenta, Sacrificia, Sacra, & obſeruantias: ad quæ quatuor capita reuocat D. Thom. 1. 2. D. Tho.
qu. 101. art. 4. omnes legis veteris ceremonias. Huius generalis eſto definitio. *Res inſtituta, ſeu actus externus imperatus à virtute Religionis ad cultum Dei.* Et ita Bellar. contr. 6. Bellarm.
cap. 29.

Verum quia de ſpecie Sacramentalium agimus in ordine tantum ad Sacramenta, applicemus definitionem à Suario excogitatam tomo de Suarez.
Sacrament. diſp. 15. ſect. 1. *Eſt actio exterior religioſa, ſeu circumſtantia eius ad ornatum, ſeu cultum debitum Sacramentis, ſeu ſacrificijs inſtituta.* Ego tamen aliquid in ea deſidero. Quia ſunt quædam Sacramentalia, quæ non ordinantur ad Sacramenta, neque ad Sacrificia, vt benedictio Epiſcopi, & aqua benedicta, & tamen ſunt Sacramentalia, quod itē obſeruat eo loco Suarez. Igitur ea erit iuſta definitio. Ceremonia eſt, *Res vel actio ad cultum Dei, vel ſanctificationem hominis, non tamen principalem ordinata.* Qua ratione iſtæ ceremoniæ, quæ diriguntur ad expellendos dæmones, & communicandam indulgentiam peccatorum ve-

venialium rectè explicantur, quæ tantum propriè Sacramentalia sunt, cum participent aliquam virtutem Sacramenti, quod ad sanctificandum propriè hominem per gratiam ordinantur.

CAPVT II.

Remouentur Hæreticorum obiectiones, & calumniæ.

Abigamus primum has muscas, vti Abraham aues infestas à sacrificio. Hæretici ergo vt honestius insectari ceremonias videantur, admittunt eas quas tradit Scriptura, cuiusmodi sunt orationes, obsecrationes, gratiarum actiones, exhortationes, psalmodiæ, quæ habentur apud Paulum 1. ad Corinth. & 1. ad Timoth. & affirmant in his tantum posse Ecclesiam versari, & formam modumque præscribere. Cæteras negant, & vocant superstitiones, & piacula: ita Lutherus lib. de pijs ceremonijs, & lib. de formula missæ, & Caluinus lib. 4. instit. cap. 10. & Kemnitius in examine par. 2. pag. 171. Struunt calumnias Catholicis non paucas. Affirmant primo nos inducere cultus superstitiosos, & absurdos. Secundo nos facere de ceremonijs præcepta, & quidem grauia. Tertio anteponi à nobis mandatis diuinis. Quarto non valere apud nos Sacramenta sine his ceremonijs. Quinto nos eis tribuere vim Sacramentorum. Quæ omnia totidem sunt mendacia, vti apparebit, itaque argumenta contra ceremonias, quia nituntur fictione, commenta sunt. Controuersia igitur cum Hæreticis eò redit, an Ecclesia possit instituere aliquas ceremonias, & Sacramentalia? Lutherus in libris citatis, & in confessione Augustana cap. 13. 16. & Philip. Melanchthon titulo de ceremonijs, & Illyricus in Apologia pro confessione Antuerpiensi cap. 10. & communiter Lutherani affirmant. Caluinus autem lib. 4. instit. & vulgares Caluinistæ negant, quibus accedit Martinus Kemnitius. Verum quidem est Lutherum solummodo concedere, posse ab Ecclesia institui ceremonias, quæ ordinentur ad splendorem, & dignitatem, non autem ad cultum, & religionem: vnde non multum differt à Caluino.

Corinth. | Lutherus. Caluin. Kemnit. | Lutherus | Melanct. | Illyricus. | Caluinus Kemnit.

Argumentum eorum præcipuum est nihil licere, nisi quod habetur in scripturis, quod est eorum vetus Achilles, eoque omnes vtuntur, nec enim volunt traditiones admittere, ne cogantur aliquando Ecclesiæ, & Pontifici obedire, & Euangelij prętextu traditiones negant, & consequenter Epistolas Pauli explodunt, in quibus traditiones, vti antea diximus commendantur, & seruari pręcipiuntur. Non tamen inficiari possunt ceremonias, cum habeant multas quæ in scripturis non inueniuntur: cuiusmodi sunt, quas adhibent in funeribus suis pulsantes cymbala præferentes vexilla, gerentes ramos, donantes vittas, & chirotecas, aliaque Xenia, quæ in suo Euangelio fortè reperiunt, in nostro non inueniuntur. Immerito igitur reprehendunt Catholicorum ceremonias, quas traditione à tempore Apostolorum per longam Pontificum seriem acceperunt. Verum quidem est eos ceremonijs abuti in conuiuijs, in compotationibus, in ludis, in fornicibus, in bacchanalibus, quorum periti magistri, & artifices sunt. Non possunt tamen propriè ceremoniæ appellari, cum per eas nihil auferatur, itaque nō à carendo deductę, sed ab abundando, nec enim abstinent à carnibus, vino, cupedijs & stragulis, & sericis, nec alijs oblectamentis corporis, itaque mercimonia colunt, non ceremonias: victus quęrunt, non ritus: bacchanalia, non Sacramentalia.

Argumētum Hæreticorū.

CA-

CAPVT III.

Doctrina ceremoniarum asseritur, & statuitur.

TEmerè negant Hæretici vllas esse ceremonias, nisi eas quę in Scriptura Sacra continentur. Vt enim hoc iure negent aliquo testimonio scripturæ niti debent. Hoc autem nusquam inuenitur: ergo falso negant ceremonias esse. Si enim prohibitæ non sunt, licent, alioquin non licuit Anachoretis in eremum recedere, nec vitam solitariam agere. Quare Stylitis in columnis viuere nefas fuit. Peccauit Paulus, & Antonius, & Hilarion in spelæis inclusi. Peccauit Maria Magdalena, & Aegyptiaca in deserto viuentes. Deliquit Benedictus cum se in spinas iniecit. Piaculũ admisit Franciscus cum inter niues iacuit. Imo illustres Sancti, qui multa heroica virtutis opera ediderunt, quæ in scripturis non leguntur, grauiter peccarunt. Tollenda sunt de medio omnia Concilia, quia multos in ijs ritus, & ceremonias inuenimus de nouo inductas, quarum nulla est mentio in sacris litteris. Legãt quęso viginti canones Concilij Niceni, quot penè sunt tot in ijs noua ceremoniarum genera reperient. Quin imò ipsi met Hæretici in suis conciliabulis multa noua decernunt, quæ in sacris litteris reperire non est; vti apparet in Statutis Synodi Smalchaldicæ, & Dordracenæ; qua fronte igitur licere negant ceremonias præter scripturam, cum ipsi multas contra Scripturas inuexerint?

Catholica igitur doctrina est non omnes ceremonias, & sacramentalia, quæ custodit Ecclesia reperiri in scripturis, & licere ecclesiæ eas denuo instituere, & hoc esse conforme Sacræ Sripturæ.

Probatur 1. ex cap. 13. Leuitici, vbi Deus sic ait. *Exceptis donis vestris, & quæ offertis ex voto, vel quæ sponte tribuitis Domino*, ex quo patet Deum reliquisse arbitrio populi multa dona sibi offerenda. Confirmatur ex cap. 9. lib. Esther. & Iudit. vltimo, & 1. Machab. 4. in quibus nonnullæ sunt festiuitates ab hominibus institutæ præter eas, quas Deus ante præceperat. At inquiunt hæ sunt in scriptura. Fateor sed ipsamet scriptura narrat licuisse hominibus eas instituere, vnde deducitur licitum fore ecclesiæ alias similes ceremonias inuenire. Præcipuè quia multa reliquit Deus dispositioni ecclesiæ suæ. Nec enim omnia per se voluit ordinare, vt constat ex loco Pauli 1. ad Corinth. 11. vbi post traditam doctrinam Sacramenti Eucharistiæ dixit. *Cætera cum venero disponam*.

Leuit. 13. 1. Cor. 11.

Fundatur autem hæc doctrina in eo loco Pauli 2. ad Thessal. 2. vbi ait. *Tenete traditiones, siue per Epistolam, siue per sermonem*, ex quo sequitur multa esse tradita sine scripturis, cuiusmodi sunt quas ecclesia celebrat traditiones.

2. Thess. cap. 2.

Tamdem ipse Caluinus fatetur Apostolum 1. ad Corinth. cap. 14. cum dixit. *Omnia honestè, & secundum ordinem fiant*, insinuasse ceremonias, & ritus, ac eo loco probat suas lib. 4. institut. cap. 10. §. 17. nec enim ceremonias Caluinus suas negauit, cum reprobasset nostras, & §. 30. volens ostendere geniculationem in oratione bonam esse imo & diuinam, vtitur hoc Apostoli testimonio, & fatetur illam particularem ceremoniam in eo doctrinæ genere contineri. Hinc nos contra illos deducimus, alias item ceremonias posse illo Pauli testimonio genericè confirmari. Præsertim cum tanta sit ceremoniarum cum Religione coniunctio, vt rectè dixerit Augustinus lib. 19. cap. 11. contra Fau-

Caluinus. 1. ad Cor cap. 14. August.

Faustum. *Nullam Religionem, neque veram, neque falsam sine ceremonijs posse consistere.*

CAPVT IV.

Afferuntur variæ species ceremoniarum, siue Sacramentalium.

Suarez. Bellarm. CEremonias diuidit Suarez disput. 15. sect. 1. iuxta prædicamenta. Bellarminus vero lib. 2. de Sacramentis controu. 6. cap. 29. ex causis numerum colligit: nos ex vtroque sic diuidimus. Quædam versantur in actionibus, quædam in rebus. Actiones partim sunt reuerentiales vti genuflexio, pectoris tunsio, & crucis consignatio, quędam pœnitentiales, vti ieiunia, & aliæ corporis macerationes. Harum autem actionum alię sunt transeuntes vti benedictiones, exorcizationes, vnctiones, aspersiones, insufflationes, immersiones, manuum impositiones, aliæ sunt immanentes, vti monstrant illæ quas primum diximus reuerentiales, & pœnitentiales.

Res in triplici genere sunt. Primū earum, quæ ad Sacramenta, & sacrificia ordinantur, vti sunt vasa Sacra, vestes, & ornamenta, cerei, thura, libri sacri, & similia. Secundi generis sunt ea, quæ adhibentur in administratione Sacramentorum, vti Crux, quæ in omnibus ferme sacramentis adhibetur, sal, & oleum, & aqua benedicta. In tertio genere sunt ea, quæ adhibentur extra sacramenta: vti panis benedictus, candelæ, & caseus benedictus, de quo Ordo Romanus fol. 83. & omne genus reliquiarum. De his omnibus tractant authores, qui scripsere de diuinis officijs apud Hittorpium, & præcipuè Gemma Animę, & Hugo de Sancto Victore, qui accuratissimè de illis scripserunt, & Henriquez lib. 1. de Sacrament. cap. 20. cum quo est animaduertendum nonnulla ex his appellari Sacramenta, quamuis Sacramenta non sint, sed tantum Sacramentalia, qua item ratione mysteria dicuntur. Irrident hæc omnia hæretici, sed immeritò; si enim nos multa excogitamus ad sanitatem corporis remedia, & amuleta: vti videmus in pharmacopæis, quare non multa inuestigaret Ecclesia ad salutem animæ procurandam & promouendam?

Hittorp. Gemma Anima. Vgo de S. Victor. Henriq.

CAPVT V.

Vnde acceperit Ecclesia has ceremonias?

COnstat multas ex Sacris litteris desumptas, quemadmodum sunt eæ, quæ ad reuerentiam, & cultum Dei pertinent, quales sunt orationes, & obsecrationes, & psalmodiæ, quas etiam Caluinus admittit; ad quod genus pertinent Ieiunia, aspersio cineris supra caput, & aliæ corporis castigationes, quas in veteri etiam testamento inuenimus. Præter has sunt aliæ receptæ per traditionem à tempore Apostolorum, vti est consignatio crucis in fronte, & exorcizatio infantum, & insufflatio, & aspersio aquæ benedictæ, quæ passim reperiuntur in Patribus, & Concilijs. Vt tamen distinctius procedamus.

Prima Conclusio sit. Ceremoniæ, quæ sunt extra substantiam Sacramentorum ad exemplum Christi sunt institutæ ab Ecclesia, licet non sint immediatè institutæ à Christo.

Probatur: quia mixtio aquæ in calice ab Ecclesia ordinata fuit ad exemplum Christi, qui illam miscuit in Cœna, vti affirmat Cyprianus Epist. 63. & consecratio in azymo ad exemplum etiam Christi institu- Cyprian.

ta, qui in azymo dicitur consecrasse, vnde Græci in fermentato consecrant, quia existimant Christum in eo panis genere consecrasse. Colligitur autem hæc doctrina ex Concilio Tridentino sess. 21. cap. 2. vbi ait. *Salua substantia Sacramentorum potestatem in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorum dispensatione ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum tempore, & locorum varietate magis expedire iudicaret*, idque probat testimonio Pauli 1. ad Corinth. 1. vbi sic ait. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, & alio item 1. ad Corinth. 11. vbi sic ait. *Cætera cum venero disponam*, & hoc argumento vtitur ad commendandam doctrinam communionis sub vna tantum specie. Concil. Trident. 1. Cor. 1. 1. Cor. cap. 11.

Hic locus Tridentini stabilitur magis doctrina D. Augustini in Ep. 118. ad Ianuarium, vbi loquens de quibusdam ceremonijs, & ritibus Ecclesiasticis, sic ait. *Non præcepit, inquit, Christus, quo deinceps ordine Eucharistia sumeretur, vt Apostolis, quos per Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum*. Agit autem de ritu ieiunandi ante Eucharistiæ sumptionem. Quin etiam vtitur illo testimonio Pauli, quem adducit Concilium Tridentinum. *Cætera cum venero disponam*. Quod si res tanta non est à Christo tradita Apostolis, sed arbitrio Ecclesiæ relicta, sequitur alias minores ceremonias, non à Christo, sed ab Ecclesia esse constitutas. August.

Secunda Conclusio. Ceremonias & ritus quos seruat Ecclesia Vniuersalis sine dubio accepit ab Apostolica traditione, cuiusmodi sunt illæ, quæ in Sacramentis, de quibus id testatur Dionysius Areopagita toto fermè lib. de Ecclesiastica Hierarchia vbi fermè per singula capita has ceremonias proponit, & attestatur Innocentius I. Epist. 1. ad Decentium vbi ait. *Instituta Ecclesiastica à Beatis Apostolis tradita esse*. Et apponit exempla multarum ceremoniarum, quas custodiri iubet eo nomine, quod à Petro fuerint ordinatæ. Accedit testimonium Tertulliani lib. de corona militis, qui eas traditiones appellat, de quibus eleganter Leo Papa Epist. 87. Hanc doctrinam prius tradiderat Clemens Papa I. Epist. Decretal. 2. in qua multas ceremonias sacras recenset, & ad finem ait. *Hæc*, inquit, *præcepta à Petro Apostolo accepi*, quæ verba ad omnia instituta, in quibus erãt ceremoniæ referuntur, vti apparet ex lib. 7. Constitut. Apostolicarum cap. 23. Dionys. Areopag. Innoc. I. Tertull. Leo P. Clem. P.

Tertia Conclusio. Multæ item ceremoniæ in Concilijs Decretæ sunt, & multæ antiqua Ecclesiæ consuetudine introductæ. Hanc tradit expresè Augustinus Epist. 119. cap. 20. vbi hoc ordine numerat Sacra instituta nempe trifariam. *Quæ*, inquit, *in Scriptura Sacra continentur: quæ in Concilijs Episcoporum inueniuntur: quæ consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roboratæ sunt*. De his autem disputare, vel ambigere ait in Epistol. 18. cap. 5. *Insolentissimæ insaniæ esse*. Confirmatur ex Trident. sess. 7. can. 13. vbi *Si quis*, inquit, *dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem immutari posse, anathema sit*. Quod argumentum est eos à traditione accepta ab Ecclesia, ac proinde instar præceptorum esse; vti ostendit Bellarminus lib. 2. de sacram. c. 31. & Layman. lib. 5. tract. 2. cap. 8. n. 1. ad 4. August. Concil. Trident. Bellar. Layman.

Quarta Conclusio. Nonnullæ ceremoniæ sunt, quæ à particularibus Ecclesijs, & Prouincijs celebrantur,

quæ

quæ illarum terminos non egrediuntur, & iuſtè, & piè à Prouincialibus obſeruantur. De his agit Auguſt. Auguſtinus Epiſtol. 118. ad Ianuarium diſputans de quotidiana communione. Et hoc tertium genus ceremoniarum vocat. Nam primum dicit eſſe illud, *quod in ſcripturis inuenitur*. Secundum, *quod ab vniuerſa Eccleſia traditur*. Tertium, *quod per loca, regioneſque variatur*, & de hoc infert, *faciat ergo vnuſquiſque quod in ea Eccleſia in quam venit inuenerit*. Et affert exemplum Monicæ Matris, quæ cum ſoleret Sabbato ieiunare Romæ, & in Africa, cum veniſſet Mediolanum vbi non erat mos Sabbato ieiunandi tacta ſcrupulo per Auguſtinum filium Sanctum Ambroſium conſuluit. Qui reſpondit conſuetudini locorum eſſe ſeruiendum, & addidit, Idem. *cum Romam venio ieiuno Sabbato, cum hic ſum, non ieiuno: ſic & tu ad quam poſtea veneris Eccleſiam eius morem ſerua*, quibus verbis, vt in ea Epiſt. 118. affirmat Auguſtinus ſcrupulum ille Matri exemit, quam ſi Hęretici imitari vellent facilè nobiſcum Catholicis conuenirent, ſed hi ad arbitrium ſuum reuocant ſcripturas, & leges. Hanc doctrinam vti à me propoſita eſt cum eam iam ſcripſiſſem inueni in Concilio Colonienſi Concil. Colon. celebrato anno 1536. par. 9. can. 1. vbi hoc idem exemplum Auguſtini, & Ambroſij cum reſponſione adducit.

CAPVT VI.

Probatur vſus ceremoniarum Conciliorum doctrina.

Concil. Tol. IV. PRimum teſtimonium ſit Concilij Toletani IV. quod penè totum in ſtatuendis, & retinendis certis, & ſtatis ceremonijs, tum in Sacramentis adminiſtrandis, tum in officijs recitandis verſatur. Inter alia can. 2. ſic ait. *Placuit vt omnes Sacerdotes, qui Catholicæ fidei vnitatē complectimur, nihil vltra diuerſum aut diſſonum in Sacramentis Eccleſiaſticis agamus*. Et paulo poſt *vnus ergo orandi, atque pſallendi modus: vnus in miſsarū ſolemnitatibus: vnus in veſpertinis officijs: nec diuerſa ſit vltra nobis Eccleſiaſtica conſuetudo, quia vna fide continemur, & Regno*.

Concilium Senonenſe in præfatione initio Concilij propoſita Vvicleffum, & Lutherum damnat. Concil. Senon. *Quia* inquit, *Sanctas, & Eccleſiaſticas piè & laudabiliter conſtitutas ceremonias rident*. Et iterum in generali Decreto omnes Lutheranos eo nomine condemnat, quod Eccleſiæ *ceremonias receptas tot annis, & laudabiles ridiculas cenſent*. Idem habetur Decret. 6. & 4. eiuſdem Concilij, & in Decret. 7. ieiunia, & alias abſtinentias Eccleſiaſticas, & inſtituta præſcripta à Patribus confirmat, & illas negligentes, & tranſgredientes anathematizat. Tandem in fine Concilij multa ad ceremonias, & ritus pertinentia producuntur.

Concilium Colonienſe inſigniter Concil. Colon. commendat ceremonias, & tota pars nona, quæ conſtat viginti capitulis in ſtatuendis, & recenſendis Eccleſiaſticis ceremonijs verſatur.

Synodus Auguſtenſis habita anno 1548. Concil. Auguſt. cap. 14. vniformitatem ceremoniarum commendat & c. 23. De ceremoniarum ſignificationibus populum vult edoceri.

In Concilio Treuirenſi anno 1548. Concil. Treuir. celebrato mandatum habetur de obſeruantia rituum, & ceremoniarum, quæ hæreſibus ingruentibus corruerant.

In alio Concilio Treuirenſi congregato à Ioanne Archiepiſcopo anno 1549. Concil. Treuir. præcipitur obſeruari in Miſſa, & ritus, & ceremonias, quas hactenus Romana, & Occidentalis ſeruauit, & hodie ſeruauit Eccleſia.

Concil. Colon. In alio Concilio Coloniensi sub Adolpho Archiepiscopo celebrato in sexto medio reformationis cap. 14. 15. ceremoniæ Sacri Baptismi seruari solitæ ab Ecclesia iubentur custodiri, & prohibentur aliæ de nouo inductæ, & insolentes.

Concil. Mogunt. Concilij Moguntini sub Sebastiano Archiepiscopo coacti de ceremonijs Baptismi illustris est canon 14. Parochis, & aliarum Ecclesiarum Ecclesiarum Ministris per nostras ditiones constitutis mandamus ne aliter quam adhibitis exorcismis & exsufflationibus, & vnctionibus, & cæteris ritibus per Catholicam Ecclesiam ab antiquo obseruari solitis, &c. administrare præsumant. Et cap. item 5. iubentur suppleri ceremoniæ ex aliquo accidenti omissæ, propter vetustissimum Ecclesiæ morem ne hic scilicet aboleatur. In eodem Concilio cap. 39. benedictio Salis, & aliarum rerum in vsum fidelium introducta, & ab Ecclesia exercita commendatur. Verum principale in eodem Concilio caput est 40. quod totum versatur in asserendis, & commendandis Ecclesiasticis ceremonijs per vniuersam Ecclesiam celebratis, quas per manus veluti traditas à tempore Apostolorum accepisse Ecclesiam affirmat.

Omnia sex Mediolanensia Concilia à D. Carolo Borromęo celebrata ceremoniarum doctrina, & laudibus plena sunt. In primo par. 2. Constitutionum est huiusmodi canon. *Studeant Episcopi vt in Ecclesia sua Cathedrali in Sacrorum administratione, in exorcismis fontium, & sponsorum benedictionibus, ritus, & ceremoniæ ex more Sanctæ Romanæ Ecclesiæ adhibeantur.* (Primum Mediol.)

Secundũ Mediol. In secundo Concilio nu. 13. Decernitur vt ceremonijs consulatur, & obrepentes in eas errores emendentur, ne quid contra statuta, & consuetudines Ecclesiæ committatur.

In Concilio Mediolanensi tertio. Integrum caput est hoc titulo, *Quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta generatim pertinent.* In eo autem agitur de ceremonijs, & ritibus Ecclesiasticis, ac præcipuè de cultu, & veneratione Crucis accuratissimè, & integrum illud Concilium ceremoniarum commendatio est. Tertium Mediol.

In eodem Argumento versatur Concilium quartum in 2. par. Const. Quæ habet hunc titulum. Quæ ad Sacramentalia, vel ad Sacramenta communiter pertinent. Eiusdem argumenti sunt, nonnulla, quæ in eadem secunda part. continentur sub illa inscriptione, *de sacris locis, eorumque cultu.* Quartum Mediol.

In quinto Concilio de his ceremonijs accuratissimè agitur sub illa inscriptione. Quæ ad Sacramentalia, & Sacra generatim pertinent. Vbi plurimæ, & minutæ ceremonię adducuntur, & commendantur: ac postea peculiares ceremoniæ, quæ ad singula Sacramenta pertinent recensentur. Huc spectat titulus eiusdem Concilij, Quæ ad diuina officia pertinent, & inter alia illud caput quæ agit de Missa Conuentuali decernit, vt Episcopus habeat sibi de capitulo assistentes, qui ei ceremonias, & ritus, quos obseruare debet inter celebrandum demonstrent. Quintum Mediol.

In sexto Concilio proponitur integrum caput de Sacramentalibus, & magnus eorum numerus producitur. Sextum Mediol.

Concil. Aquil. In Concilio Aquileiensi, quod est vltimum in tomis Concil. Binij celebrato anno 1596. à Francisco Barbaro Patriarcha tit. de diuin. officijs, tract. de ceremonijs Sacris, decernitur, *vt Sacra, & Diuina certo ordine Præfecto aliquo ceremonijs Ecclesiasticis constituto peragantur.* Et rursum. *Statuit vt in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis Prouinciæ, ex Mansionarijs, vel Cappellanijs, quæ*

onus

onus residendi habent, vna ex eis primo quoque tempore vacans in Præfecturam ceremoniarum instituatur.

Concil. Trident. In Concilio Tridentino. Hæc ceremoniarum doctrina maximè probatur, & confirmatur: nam sess. 1. can. 13. de Sacramentis in genere, quem locum supra citauimus, excommunicat eos, qui ritus receptos & approbatos in Ecclesia in Solemni Sacramentorum administratione adhibitos contemnunt, & præcipuè sess. 21. cap. 5. vbi sic ait. *Cum natura hominum sit, vt non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum administrationem sustolli, propterea Pia Mater Ecclesia ritus quosdam instituit: Ceremonias item adhibuit, vt mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & Maiestas tanti Sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia signa ad rerum altissimarum quæ in hoc Sacrificio latent meditationem excitarentur.* Conciliorum doctrina hæreticorum ora obstruuntur. Addo quod eamdem doctrinam indicat Concilium, dum distinguit Sacramentum à ritu, & ceremonia contra Hæreticos, qui vtrumque conantur confundere sess. 1. can. 2. de Sacrament. in gener. & can. 1. de confirmatione.

CAPVT VII.

Sacrarum ceremoniarum vsum necessarium, decorum, & vtilem esse probatur.

DVplex est necessitas Sacramentalium. Altera respectu Sacramenti, altera respectu nostri. Quoad primam: vti substantia eget accidentibus, ita suo more res quæ Sacramenta, & Sacra sunt, indigent ceremonijs. Vnde quamuis substantia spectata ratione naturæ suæ sine accidentibus, & concipi, & esse possit, tamen ita sumpta vti in rebus actu existit necessaria habet accidentia, quibus foueatur, & sensibilis, & tractabilis fiat; quare etsi essentia non dependeat ab accidentibus, tamen existentia substantiæ sine illis inueniri non potest. Non secus res Sacramentales, & Sacramenta, quæ instar substantiæ sunt sine ceremonijs natura sua esse possunt, sed quando in actu ponuntur, & exercentur, requirunt ceremonias, & ritus, quibus administrentur, & consistant. Est tamen illa prima necessitas physica, ista secunda moralis. Itaque cum primum Sacramenta administrari cœperunt tum ceremoniæ cœptæ adhiberi, & vbi de Sacramentis agitur de ceremonijs quoque tractatur; ita vt illorum institutio à Christo fuerit, harum introductio ab Apostolorum traditione: quemadmodum animaduertit Augustinus lib. 4. de Baptism. cap. 20. vbi numerat nonnullas traditiones, quæ à tempore Apostolorum ad nos simul cum Sacramentis manarunt. Et Epist. 118. cap. 18. Eas laudandas, & sectandas esse dicit, & lib. 6. contra Iulianum cap. 2. ait. *Has ceremonias ab vniuersa Ecclesia vera fide seruari.* August.

Quoad secundum, constat eas esse nobis necessarias multis nominibus. Primo ad coercendos dæmones. Deinde ad tentationes auferendas. Tertio ad peccata venialia tollenda, & gratiam item augendam, quæ quamuis non sit necessitas simpliciter, est tamen secundum quid, & ad melius esse, idque obseruat Suarez disp. 15. sect. 3. & Bellarmin. lib. 2. cap. 31. Suarez. Bellarm.

Secunda pars quæ ad decorum pertinet, suadetur primo, quia ornatus, & elegantia cultus diuini index est pretij, & æstimationis. Vnde quò nobilior est persona eò elegan-

gantius, & ornatius induitur, & honorificentius habetur: Vti ex neglectu habitus apparet vtilitas Personæ, quare decuit vt res Diuinæ ceremonijs abundarent, & impensius ornarentur; vt quanto in pretio essent habendæ apud omnes cōstaret. Hinc est, vt in Sacra Scriptura tot exempla referantur eorum qui à Deo puniti sunt, quod vasa Sacra, & altaria profanarunt; quod Ecclesia imitata est dum acerbè, & grauiter animaduertit in eos, qui Templa temerant, & Sacra polluunt.

Secundo, quia natura ipsa nos docuit res Sacras exemplo naturalium ornandas, & decorandas esse, cum Cęlum Stellis distinxit, campos herbis vestiuit, prata floribus ornauit, & arbores ramis, & frondibus opacauit. Adeo vt & frumentum inter spicas, & aristas incluserit, & vuas pampinis cinxerit, & similia de quibus Marcus Tullius in libris de natura Deorum, & in lib. de senectute. Quo argumento hęretici, qui humanas litteras colunt, aptè confutantur. Homines verò quos nudos, & hisce integumentis spoliatos natura in lucem edit, ratione illustrauit, vt ipsi sibi vestes, & ornamenta pararent, & acceptam naturam tuerentur, & commendarent. Marcus Tullius.

Tertio apparet ex Scripturis, in quibus Deus tam accuratè ceremonias, & ritus præscripsit, vt in lege vel minutissimas seuerè custodiri mandauerit, vt patet ex lib. Exod. & Leuitici.

Quarto probatur ex vsu omnium etiam barbararum nationum, quæ Sacra sua superstitiosissimè seruarunt, quemadmodum legimus in historia Romanorum, & Græcorum: quo exemplo, quamquam hæretici abutantur, eo tamen satis refelluntur, cùm inde appareat nullam religionem, vt proximè ex Augustino diximus sine ceremonijs, & ritibus posse consistere. Exempla reperient Hæretici in vita Lycurgi, & Numæ Pompilij. Plutarch.

Quinto idem colligitur ex tot libris de ritibus, & ceremonijs à grauissimis authoribus editis, qui monstrant quanti sint faciendi huiusmodi ornatus, & apparatus. Vti videre est in Isidoro, Albino, Amalario, Anselmo, Ruperto, Petro Damiano, & alijs, qui hanc Prouinciam minimè suscepissent, nisi viderent multum in his ornamentis decoris, & venerationis esse.

Tandem quia experimur harum ceremoniarum decore, & pompa cultum in nobis, & æstimationem crescere, eaque specie ad reuerentiam commoueri. Imo & videmus Paganos ad nos venientes illo aspectu ad venerationem, & æstimationem nostrarum rerū inclinari, quod ipsum hæretici fatebuntur, si verum fateri velint. Hinc est vt Rabanus Maurus in præfatione ad librum de institutione Clericorum dicat has Ecclesiæ ceremonias decentissimè obseruari. Itaque Aduersarij, qui hos ritus, & ceremonias detrahunt Ecclesiæ, eamque spoliatam iacere volunt authore Ruperto similes videntur Chamo filio Noe Patrem suum discoopertum negligenti, & irridenti: nos autem Catholici Sem, & Iaphet imitemur, qui Patrem decenter operuerunt, & ornarunt, quo Paradigmate vtitur Rupertus in Prologo ad lib. de Diuinis officijs. Rabanus Rupertus

Quoad vtilitatem: ea manifesta est primo, quia in hoc distinguimur à Iudæis, & Paganis, & alijs sectis Hæreticorum, etiam illorum qui aliqua ex nostris Sacramentis retinent, & colunt, nam hi nuda illa, & spoliata seruant, nos autem vestita ritibus, & ceremonijs, vti significat Innocentius I. Epist. 1. & Concilium Toletanum IV. can. 2. & obser- Innoc. Concil. Tolet.

Suarez. Bellarm. seruat Suarez disp. 15. sect. 3. & Bellarminus lib. 2. cap. 31. Secundo, quia in ceremonijs multa continentur ad doctrinam Fidei,& mysteriorum intelligentiam spectantia, quæ cum agnoscuntur plurimum conducunt ad pietatem, & religionem. Hoc autem apparet ex libris Diuinorum officiorum ab Hittorpio collectis, quorum authores præcipuè Amalarius, Albinus, Isidorus, Rabanus, & Rupertus accuratissimè de his significationibus agunt. Quod item Laymanus lib. 5. tract. 2. cap. 8. & Suarez sect. 3. Vnde Catechismus Rom. par. 2. de Baptism. §. 45. monet Parochos, vt ceremoniarum significationes populo exponant. (Hittorp. Amalar. Albinus. Isidorus. Rabanus Rupert. Layman. Suarez. Catech. Rom.)

Tertio, quia excitant amorem, & pietatem; plus enim mouemur his signis visibilibus, quàm ijs quæ non videntur,& acceptæ per sensus imagines vehementius mouent affectũ, quod in figuris notat Augustinus Epistola 119. cap. 11. *Plus*, inquit, *mouent, & accendunt amorem, quam si nulla ponerentur*, idemque tangit lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 5. vbi loquens de ceremonijs orationem comitantibus. *His*, inquit, *magis se excitat homo ad orandum gemendumque humilius, atque feruentius*, & lib. 9. confess. cap. 6. mirabiles effectus Psalmodiæ in animo suo excitatos commemorat: *Quantum fleui, ait, in hymnis, & canticis tuis, suaue sonantis ecclesiæ vocibus commotus acriter: voces illæ influebant in auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Idem prosequitur cap. 7. De hoc autem pietatis sensu agunt Suarez, Bellarminus, Laymanus citati. Quare hæretici impij appellandi, qui ceremonias Sacras negligunt, & irrident, atque adeo in eos quadrat illud Augustini lib. 19. contra Faustum cap. 11. *Impiè contemnitur sine quo non potest perfici pietas*. Cum de Sacramentis visibilibus loquatur, quibus dicit magnopere homines commoueri. (August. Idem. Suarez. Bellarm. Layman.)

CAPVT VIII.

De ceremonijs in particulari ijs, quæ extra Sacramenta fiunt.

Ceremonias Sacramentales omittimus, quia in materia Sacramentorum de ijs egimus. Hæ propriè Sacramentalia dicuntur, sed aliæ item extenso vocabulo Sacramentalia vocantur teste Layman tract. 2. cap. 8. & Suarez disput. 15. sect. 15. (Layman. Suarez.)

Prima Crux.

De Cruce tantum, vti ceremonia est agimus aduersus hæreticos, qui eam oderunt. Igitur Crucis signum Sacramentale præcipuum esse, quo signari olim, & muniri Christiani soliti aduersus dæmonis tentationes, & insidias constat ex Patribus. Tertulliano initio Scorpiaci, Origene Homilia 6. in 15. caput Exodi. Cypriano lib. 4. Epistola 6. Nazianzeno orat. 1. in Iulianum. Ephreem lib. de armatura Spirituali, & alijs. Insignis est locus Athanasij lib. de incarnatione & salutari Aduentu Domini. *Signo Crucis*, inquit, *omnia magica compescuntur, & veneficia inefficacia fiunt*, & prosequitur infra eleganter. Plura testimonia affert Bellarm. tract. de imaginibus Sanctorum lib. 2. cap. 29. & Vasquez de adoratione disp. de Cruce. Ex nostro penu aliqua adducamus. (Tertull. Origen. Cyprian. Nazianz. Ephreem. Athanas. Bellarm. Vasquez.)

In Concilio Matisconensi celebrato anno 617. affirmat S. Eustachius. *Fas esse cuiquam signo Crucis armari, cum per illud pellatur pestis aduersantis inimici*. Habetur tom. 2. (Concil. Matisc.)

Con-

Concilior. part. secunda.

Nicol. I. In Epistola Nicolai I. ad responsa Bulgarorum refertur exhortatio ad portandam Crucem ibi, & quando antiqui Hostis, vel pugnæ, vel insidiæ præcipuè formidantur. Reperitur in 3. to. par. 1. sect. posteriori. pag. 214.

Greg. M. Gregorius Magnus relatus in Epistola Adriani Papæ in Septima Synodo tom. 3. sect. 1. part. posteriori. *Mitto*, inquit, *tibi Crucem vnam, & clauem pro benedictione; vt ab ipsa à maligno defensus permaneas, cuius signo munitum esse te credis.*

Ægydius Carler. In Concilio Basileensi Aegydius Carlerius Decanus Ecclesiæ Cameracensis in sua oratione de corrigendis peccatis publicis affert illustre testimonium nomine Sancti Augustini lib. de visitatione infirmorum lib. 2. cap. 3. & 4. *Habent siquidem arcana illius Dominicæ Crucis quoddam venerabile monumentum, quod nos omni veneratione dignissimum fatemur, & ad recordationem Crucifixi nostri veneramur.*

Concil. Senons. Concilium Senonense in Decreto Fidei, ait, ab initio Apostolos erexisse Crucem, quæ à principio nascentis Ecclesiæ debita semper veneratione coleretur, quin & ab Augustino moribundis proponi solitam, & à Gregorio Magno, tum ad Reccaredum, tum ad Secundinum Missam, vti habetur in Decreto 14.

Alcuinus Alcuinus lib. de Diuinis officijs titul. de singulis vestibus sic ait. *Cruci Christi in omni creatura apex conceditur, qua omnium fidelium frontes signantur.* Alludit ad laminam auream, quam præferebat Summus Sacerdos in fronte: in cuius locum Crucem successisse scribit Rupertus lib. 1. de diuinis officijs cap. 26. de qua Iuo Carnotensis in sermonibus de rebus Ecclesiasticis serm. 1. *Hoc*, inquit, *signo muniuntur totius corporis sensus, cuius virtute, & omnia nostra Sacramenta complentur, & omnia diaboli figmenta frustantur.*

Rupertus

Iuos

Albinus. Ad idem Argumentum redit Albinus feria 6. *Dominus, ait, noster noluit præcipitari, aut lapidari, vel gladio truncari, vtique causa nostræ nostræ salutis hoc fecit: quod nos non semper nobiscum lapides, aut ferrum ferre possumus, quibus defendamur: elegit vero Crucem, quæ leni manus motu exprimitur, qua & contra diaboli insidias munimur.* Id mirabile in Cruce, quod ad omnia Sacramenta etiam ad Christi Corpus in Eucharistia adhibetur. Vnde Amalarius lib. 3. de Ecclesiasticis officijs cap. 24. citato Augustino. *Quid*, inquit, *quod omnes nouerunt signum Christi, nisi crucifixi Christi. Quod signum, nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ, ex qua regenerantur, siue oleo quo chrismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur nihil horum ritè perficitur.* De Cruce autem intra Missam adhibita obseruat Gemma Animæ lib. 1. multa exactissimè, & cap. 57. Notat per totum Canonem Missæ viginti tria signa Crucis fieri, & mysterium exponit.

Amalar.

Gemma Animæ.

Secunda. Aqua Benedicta.

De aqua Benedicta. Nullum Sacramentale acrius impugnant Hæretici, quam aquam benedictam. Irrident hanc Vvaldenses apud Reynerium relatum à Claudio Coufford. contra Vvaldenses insectantur Vvicleffistæ, authore Thoma Vvaldensi tomo 3. tit. vltimo cap. 68. Sequuntur eos Hæretici Bohemi apud Aeneam Syluium lib. de origine Bohemorum cap. 35. Accessit Lutherus qui lib. de visione Danielis contra Ambrosium Cattharinum aquam benedictam proscribit; fortè quod timuit ea vinum iugulari. Magdeburgenses item abominantur, & gentilium superstitioni assignant, ne cogantur

Thoma Vvald.

Aeneas Sylui.

Luther.

Magdeb.

Caluinus tur ad haustum. Ca luinus putat superstitionem inanem esse: sequuntur Brentius & Tilmanus hos duces, qui omnes in eam coniurant post quam edormierunt crapulam. Catholici sobrij ferunt, & probant.

Brentius. Thilm.

Negant Hæretici institutionem aquæ benedictæ antiquam esse. Falluntur. Nam constat Alexandrum I. quintum à Petro Pontificem eius vsum commendasse, tam perspicuè, & impensè, vt videatur non accepisse morem, sed induxisse. Constat ex eius vita authore Damaso siue alio quicumque sit authore idoneo. *Qui constituit*, ait, *aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum*. Verum non fuit Alexander author aquæ benedictæ, quemadmodum notat eo loco primi tomi Conciliorum Binius, erat enim antiquior Alexandro, sed quia hic iussit in domibus aspergi, & domesticam fecit, pro authore illius habetur. Manauit ergo aqua benedicta altius nempe à fonte Apostolicę traditionis. Clemens quippe discipulus Petri eiusque in Pontificatu Successor lib. 8. Constitut. cap. 35. mentionē facit consecrationis aquæ benedictæ, & Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia, manifestè dicit aquam sacris inuocationibus consecrari. Quare Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. scribit aquæ consecrationem esse traditionem Apostolicam. Multos alios Patres aurei illius temporis citat Bellarminus lib. de cultu Sanctorum 3. cap. 7. & Baronius ad annum 57. num. 109. & anno 132. Plurimos adducit Henriquez lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 20. ac inter eos Cyrillum Hierosolymit. catech. 3. Cyprianum Epist. 12. lib. 1. Ambrosium lib. 4. de Sacrament. c. 5. & Augustinum lib. 50. Homiliarum Homil. 27. & serm. 19. de Sanctis & lib. 6. contra Iulianum cap. 8. quem locum citat Bellarm. sed ego ibi non potui inuenire.

Binius. Clem. I. Dionys. Basilius. Bellarm. Baronius Henriq. Cyrillus. Cyprian. Ambros. August.

Habentur institutio, & vsus aquę benedictæ cap. Aquam. de consecratione dist. 3. & ibi Glossa, nec desunt loci in Concilijs: nam tomo 3. Concil. par. 1. sect. 2. pag. 371. Leo Papa IV. de cura pastorali sic ait. *Omni die Dominica ante Missam aquam benedici vnde Populus aspergatur:* Præterea tom. 3. par. 2. pag. 788. Rauennate Concilium rubrica 9. sic habet. *Monentur Sacerdotes præcipuè Parochiales vt omnibus Dominicis aquam exorcizent, seu benedicant cum sale, & aqua altare, & populum aspergant.* Aliud testimonium esto Concilij Triburiensis sub Formoso Papa cap. 4. his verbis. *Cum Sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe ad eum pergat, & ingressus cubiculum aquam benedictam super eum, & per omne cubiculum aspergat.* Hoc ipsum præcepit Concilium Nannetense Authore Bellarmino, quod can. 4. similiter iubet aspergi aqua benedicta infirmum, & cubiculum ipsius. Non defuit Sanctus Carolus Borromeus huic veritati in suis Concilijs Mediolanensibus, nam in tertio sub titulo, quæ ad Sacramentalia, sic statuit. *Singulis diebus Dominicis Sacerdos Missæ Parochialis sacrum facturus antequam illud inchoet aquam sale aspersam benedicendo renouet, eamque, vt moris est, aspergat.*

Leo Papa IV. Rauenn. Concil. Concil. Tribur. Concil. Nannet. Con. III. Mediol.

In Concilio Sexto titul. de Sacramentalibus, iterum: aquæ benedictæ, qua in Sabbato Sancto, vel in Vigilia diei Natalis Domini, vel alio tempore pro locorum consuetudines ædes Parochialium hominum aspergi solent aspersio, cùm plena mysteriorum est, tum propria Parochorum. Omitto alia.

Con. VI. Mediol.

Origo istius vsus aquæ benedictę inde extitit, authore Baronio, quia olim Christiani antequam ingrederentur Ecclesiam ad mysteria celebranda, vel audienda solebant corpora lauare, vt mundiores acce-

Origo vsus aquæ benedictæ.

Ccc de-

derent, vti ex Tertulliano, Chryso-stomo, & Hieronymo idem Baronius probat anno Christi 57. Verum postea hoc ritu abolito, quod quiddam Iudaicum redolebat, visum est expedire, vt aqua benedicta in vestibulo Ecclesiæ poneretur à parte interiori, vti hodie fieri videmus ad vsum fidelium in Ecclesias ingredientium. Hæc autem aqua benedicta, seu lustralis appellatur, nimirum à lustranda, seu purificanda anima ab immunditijs venialibus.

Baronius

Affectus Papę benedictę.

Persequamur effectus aquæ benedictæ. Hi expressi inueniuntur apud Authores diuinorum officiorum inter quos Rabanus Maurus lib. 2. de instit. Cleric. cap. 55. sic ait. *Benedicitur sal, & aqua ad varios vsus fidelium*, & addit. *Alexander Septimus post Petrum, Romanæ Vrbis Episcopus, & Martyr constituit aquam aspersionis in domibus fidelium.* Vvalafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 29. eodem modo de aqua benedicta, cum sale loquitur, & de Constitutione Alexandri Papæ meminit, & confirmat, *mundationem per eam animæ, & corporis, & loci renatorum per baptismum factam*. Consentit Micrologus in Ecclesiasticis obseruationibus cap. 46. vbi ait. *Alexandrum à Petro quintum (sic enim numerat) constituisse vt sal, & aqua benedicerentur ad aspergendum populum, & habitacula eorum*. Concordat Alcuinus lib. de diuinis officijs ad finem tit. de infirmis. *Ingrediatur*, inquit, *frater ad ægrotum cum aqua benedicta*. Sed nemo exactius hanc benedictionem aquæ, illiusque virtutem proposuit, quam Ordo Romanus, post Litaniam, vbi omnes penè vsus, & vtilitates aquæ benedictæ affert, & commendat. Instar omnium sit ille locus Gratiani in 2. parte Decreti cap. Aquam de Consecrat. distin. 3. vbi sic. *Aquam sale conspersam populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur, nam si cinis vitulæ sanguine aspersus populum sanctificabat, atque mundabat, multo magis aqua sale aspersa, diuinisque rebus sacrata populum sanctificat atque mundat, etsi sale asperso per Eliseum Prophetam sterilitas aquæ sanata, quanto magis diuinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum, & renatos sanctificat, atque mundat, & purgat, & cætera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit, & à phantasmatum versutijs homines defendit*. Quæ ibi exponit Glossa.

Rabanus

Vvalefr.

Microl.

Alcuinus

OrdoRomanum

Gratian.

Glossa.

In Ordine item Romano accuratè recensentur omnes effectus aquæ benedictæ, qui in ipsamet oratione qua benedicitur aqua exprimuntur: cuius partem afferre volo. *Deus qui ad salutem humani generis, &c. aquam hanc institutam ad abigendos dæmones, morbosque pellendos immunditias & noxas auertendas, pestem, & contagionem arcendam, inimici insidias propulsandas, & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, omne id effugandum, & salubritatem tuendam præbuisti*. Obseruandum autem est, cum aqua semper misceri salem benedictum, vt ex omnibus ritualibus constat. Interdum autem misceri cum ea solet vinum benedictum: nempe ad consecrationem Ecclesiæ, & altaris, vti refertur in Ordine Romano.

Ordo R.

Multa Miracula aspersione aquæ benedictæ facta commemorantur à Bellarmino lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 7. quorum vnum narrat S. Gregorius lib. 1. Dialogorum cap. 10. alterum Beda lib. 5. historiarum cap. 4. tertium S. Bernardus in vita Sancti Malachiæ. Sed Hæretici figmenta putant, & vt aquam benedictam negent horum Doctorum authoritati refragantur. Idcirco authores Scholasticos afferre nolui, quod Hæretici eos negligunt, sed om-

Miracula Bellarm.

Beda.

Bernard.

omnes penè, qui de Sacramentis,& Sacramentalibus scripserunt de virtute aquæ benedictę mentionem faciunt, quorum Princeps est Sanctus Thomas varijs in locis, quos citat Henriquez lib. 1. cap. 20. vbi etiam refert innumeros Scholasticos. Mihi satis est vnum locum D. Thomæ designare nimirum 3. par. qu. 87. art. 3. vbi loquitur de remissione venialium ad quam multum conducere aquam benedictam, Angelicus ibi doctor affirmat.

Henriqu.

D.Thom

Tertia: Sal, & Oleum benedictum.

De Sale, & Oleo benedicto

Qvemadmodum sal natura est coniunctum cum aqua, imò est aqua sola concreta, & exsiccata, & in salem durata, ita & benedictio salis cum aquæ benedictione connexa est. Itaque sal benedictum, aquæ benedictæ admisceri solet exemplo Elisei qui 4. lib. Regum cap. 2. aquas insalubres sanauit sale. Hinc ducta ratio salem benedicendi, & cum aqua benedicta miscendi. Vtrumque nos docuit Ordo Romanus, in quo sic de benedictione salis. *Exorcizo*, inquit, *te creatura salis per Deum qui te per Eliseum Prophetam in aquam mitti iussit, vt sanaretur sterilitas aquæ, vt efficiaris sal exorcizatum*. Deinde ponit benedictionem aquæ, & vtrumque miscet dicendo. *Domine petimus vt hanc creaturam salis, & aquæ dignanter aspicias, &c.* Perspicuè de eodem argumento liber, qui dicitur Gemma Animæ cap. 27. *Salis, ait, & aquæ aspersio cæpit à Propheta Eliseo.* Hic sal aquæ commiscuit, & sterilitatem expulit. Vnde Alexander Papa instituit, vt sal, & aqua benedicatur, & Populus aspergatur. Hęc commixtio habetur cap. Aquam de consecrat. dist. 3. vbi clarè. *Aquam* inquit, *sale conspersam populo benedicimus*, & vbicumque fermè agitur de aqua benedicta, ibi etiam fit mentio salis benedicti.

lib. 4. Regum c. 2.

Ordo R.

Gemma Animæ.

Est insignis locus Rabani Mauri cap. 55. *Benedicitur sal, & aqua ad diuersos vsus fidelium: ad homines infirmos contra phantasias inimici, ad pecorum sanitatem, ad morbos auferendos, &c.* Et pergit sicuti legitur Alexandrum *constituisse aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum*. Quod autem sal sanctificatum aquæ immiscetur, ex diuina authoritate processit, quia illud per Eliseum in fontem mitti iussit, vt sanaretur sterilitas aquarum Hiericho. Ergo natura salis naturæ aquæ vicina, & coniunctissima est, quia eiusdem elementi ambæ sunt, & idem officium, & significationem habent, nam aqua à sordibus mundat, sal putredinem fugat, aqua nitorem præbet, sal sinceritatem adhibet, aqua potum sapientiæ significat, & sal gustum prudentiæ indicat.

Rabanus

Hinc est vt Catechumenis baptizandis sal detur, vt refert Isidorus lib. 2. de diuinis officijs. *Qui exorcizantur*, inquit, *dum salem accipiunt, & vnguntur, sal autem in mysterio à Patribus ideo est institutus, vt eius gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque desipiant à sapore Christi, nec retro aspiciant sicut vxor Loth, quæ cum liberaretur à Sodomis in via posita retro respexit, ibique remansit facta statua salis*. Hac authoritate docentur hæretici ab antiquo Patre vsum benedicti salis scriptura niti & à Patribus ipso antiquioribus fuisse vsurpatum. Tandem Gemma Animæ cap. 47. loquens de infantibus baptizatis, *per orationes*, ait, *in vnitatem Ecclesiæ recipiuntur, per salis gustum doctrina, & sapientia condiuntur*.

Isidorus.

Gemma Animæ

Priscam hanc esse ceremoniam notat Seuerinus Binius, & Bellarmino, & Baronius in notis ad vitam Alexandri I. tom. 1. Concil. pag. 55. de illa videndus Grethserus lib. 1. de

Seuerin. Bellar. Baron.

Gretser.

Layman. benedictionibus cap. 8. & Layman de Sacramento Ordinis cap. 13. Coronis esto textus in capite *sal* de consecratione distinct. 4. *Sal*, inquit, *cælestis sapientiæ qua initiantur Cathecumeni in cunctis operum nostrorũ sacrificijs iubemus offerre*. Hæretici in sacrum salem scommata, & sales iactant: salaces homines, & qui minimè à sordibus purgari volunt, nempe computruerunt in cupiditatibus suis.

De oleo. Olei benedicti duplex est genus. Alterum quod est materia Sacramenti simplex, in extrema vnctione, mixtum chrismate in confirmatione. Alterum est oleum extra Sacramentum, quod est Sacramentale tantum, & ceremonia. Vtrumque genus distinxit Amalarius Fortunatus lib. 1. de Ecclesiasticis officijs cap. 12. & ex Patrum doctrina distinguit Baronius to. 1. ad annum Christi 63. & ibi Spondanus. Alij distinguunt triplex oleum: vnum Chrismatis, alterum extremæ vnctionis, alterum benedictionis, & ita Henriquez lib. 1. cap. 11. qui affirmat oleo benedicto Catechumenos olim ante baptismum in pectore, & spatulis vngi solitos more Atletarũ. Vnde istud genus olei dicebatur Cathecumenorum teste Amalario citato. Eo Ecclesia vti solita ad sanitatem infirmorum, & alios pios vsus extra Sacramentum. Habuit figuram Genes. 28. *Quando Iacob erexit lapidem in titulum fundens oleum desuper*. Exempla quibus hic vsus confirmatur, afferunt multa doctores. Apud Tertullian. lib. ad scapulam cap. 4. habetur Proculum ad curandos Christianos illud adhibuisse. Idem legitur de discipulis Magni Antonij apud Ruffinum lib. 2. Historiæ cap. 4. & Hilarionis apud Hieronymum in eius vita. S. Martini apud Seuerum Sulpitium in vita eiusdem. Eo itẽ vsi Monachi Aegypti authore Sozomeno lib. 6. Historiæ cap. 20. & 29. vti referunt Baronius, & Spondanus citati, qui existimant Christi discipulos Marci 6. huiusmodi oleum ad sanandos infirmos adhibuisse. Hac de re videndus Henriq. de Sacram. Confir. cap. vltim. ad finem.

(Marginalia: Amalar. Fortun.; Baron. Spondan; Henriq.; Gen. 28.; Ruffinus; Hieron.; Sozom.; Baronius Spond.; Henriq.)

Panis, Vinum, Lac, Mel, Caseus.

De Pane benedicto. Benedici panem docuit Ecclesiam suo exemplo Christus in Euangelio, benedicens panem apud Matth. 14. & Luc. 9. Est autem benedictio panis celeberrima. Hinc illud fermentum in libro de Romanis Pontificibus in Siricio, & Innocentio I. & in antiquo Rituali. Hinc Oblationes, & Eulogiæ, de quibus Pius Papa I. in codice quinque librorum lib. 2. cap. 117. Erant autem hi panes oblati benedicti, quos inter se mittere soliti, & partiri, tum presbyteri, tum laici ad significandam vnionem, & charitatem.

Pius I.

Vt distinctè procedamus. Fermentum erat illud, quod à Pontifice, & Episcopis benedictum mittebatur ad eos presbyteros, & maiores per clericos, qui non poterant ad sacram synaxim conuenire. Deferebant autem illos panes fermentatos Acolyti. Vnde in lib. de Rom. Pontificibus in vita Melchiadis sic habetur. *Oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigentur, quod declaratur fermentum*, quibus verbis consentiunt illa Innocentij in epist. ad Decentium. *Ideo mittimus die Dominico per Titulos fermentum à nobis confectum, & per Acolytos accipiunt, vt se à nostra communione illa die non iudicent separatos*. Hæc est acceptio fermenti, de qua tanta est inter authores nostros controuersia, ad quam tollendam adiungo decretum Siricij Papæ, qui vt in in eius vita dicitur constituit, *ne Presbyteri celebrarent per hebdomadam*,

(Marginalia: Roman. Pontif.; Innoc. I.; Siricius Papa.)

madam, nisi consecratum Episcopi designati susciperent declaratum, quod appellatur, Fermentum. Erat autem hoc signum vnionis, & charitatis, & participatio huius fermenti nobilior, cum sumeretur loco Eucharistiæ ab ijs, qui communicare non poterant.

Aliud genus Panis erat, de quo fiebant Eulogiæ, qui mittebantur vltro citroque inter Catholicos, de quo agit Pius I. in illo decreto proximè citato, & Concil. Laodicenum can. 14. & 32. & 49. & hoc nomine Eulogiæ à Pio appellatur. Erat autem iste mos mittendi eulogias à principio Ecclesiæ vsitatus in vtraque tum Occidentali, tum Orientali ecclesia. Confirmatur authoritate Nazianzeni orat. in funere Patris, vbi de huiusmodi panibus benedictione sanctificatis loquitur. Erat ergo hic panis symbolum communionis Catholicæ; quare vetat Concil. Laodicenum can. 22. ne cui catholico liceat hæreticorum benedictiones accipere, quem canonem ijsdem verbis refert Martinus Episcopus Braccharensis in Collectione Canonum Orientalium can. 70. to. 2. Concil. parte 2. pag. 246. Baronius opinatur huiusmodi eulogias, & vsum earũ fuisse institutum à Melchiade, sed meo iudicio minus benè, cum constet ex decreto Pij I. multo fuisse antiquiorem. ait enim: *vt de oblationibus quæ offeruntur à Populo, & consecrationibus, quæ supersunt, vel de panibus quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter conuenienter partes incisas habeat in vase nitido, & conuenienti, vt post missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias, idest panem benedictum exinde accipiant*. Quod decretum accepit Concil. Nannetense cap. 9. in quo iisdem verbis refertur.

Pius I. Concil. Laodic. Nazianz. Concil. Laodic. Baronius Pius I. Concil. Nannet.

Aduertenda tamen breuiter sunt tria. Primum hoc fermentum non fuisse Eucharistiam, ac proinde in omni ecclesia fermentatum, quod optimè notat Binius in Conciliis ad vitas Pontificum citatas; & Baronius, & Spondanus ad annum 313. Secundum huiusmodi panem benedictum interdum appellari Sacramentum, vti in epistola Epiphanii ad Hormisdam Papam, teste Binio in vita Melchiadis; & Innocentius epist. 1. cap. 5. Sacramentum vocat cum tamen sacramẽtale solum esset, & ceremonia. Tertium Eucharistiam item appellari eulogiam, vt animaduertit Spondanus ad annum 313. in additione ad Baronium. Adeo vt Balsamon, & Zonaras illos canones Concilii Laodiensi de distributione Eucharistiæ interpretentur. Hic verò panis eulogiæ dictus ab Episcopo benedici solebat authore Binio. Est autem illustris illius mentio in actis Sancti Albini Episcopi Andegauensis apud Surium 1. Martij.

Binius. Baronius Spondan Epiphan Innoc. Spondan Surius.

Erat item alterum genus Eulogiæ, id est Panis benedicti, quem amici Catholici inter se inuicem mittebant: de quo Augustinus Epist. 31. & 35. ad Alipium, & Epist. 34. ad Paulinum. Meminit item huius ipse Paulinus ad Augustinum, & Alipium, & Romanianum. Afferamus verba Augustini ad Alipium. *Panem*, inquit, *vnum Sanctitati tuæ Societatis gratia misimus, hunc Panem Eulogiam esse, sic facies dignitate sumendi*. Et rursum Paulinus ad Seuerum Epist. 1. *Panem*, ait, *campanum de cellulà nostra tibi pro Eulogia misimus*. Inuenio autem in Nannetensi Concilio Eulogias illas priores non solum ab Episcopo, sed etiã à presbytero benedictas, vti apparet ex cap. 9. vbi ponitur forma eius benedictionis.

August. Paulinus. Concil. Nannet.

Erat rursum in Ecclesia aliud genus panis benedicti, qui dabatur Catechumenis de quo Augustinus lib. 2. de Peccatorum meritis, & remis-

August.

missione cap. 26. *Catechumenos*, ait, *secundum quendam modum suum, per signum Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari, & quod accipiũt, quamuis non sit Corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quã cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum est*. Appellat vero Sacramentum lato modo, quemadmodum Alexander I. Epistol. 1. vocat aquam benedictam Sacramentum, & ipse Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 14. & in Psalm. 141. Signum Crucis Sacramentum vocat & lib. 4. de Symbolo ceremonias, quæ fiunt ante baptismum Sacramenta dicit. Quo etiam nomine vtitur Basilius de Spiritu Sancto cap. 27. De hoc Pane Catechumenorum agit Henriquez lib. 1. cap. 20. & Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 24. Tandem addimus solere fideles diebus Dominicis offerre Panem, & vinum in oblationes, quę si offerentes digni erant recipiebantur, si indigni reiciebantur: fiebat autem examen per Diaconos. Hac de re extat Canon 3. Apostolorum, & ibi Binius. Mentio de his habetur apud Augustinum serm. 115. de tempore, & Cyprianum lib. de operibus, & eleemosyna. Offerebantur autem isti Panes, & alia non solum ad benedicendum sed etiam ad distribuendum pro alimonia, & victu ministrorum, & hi qui accipiebant donata sportulam habebant, & idcirco sportularij dicebantur.

Alex. I. Augus. Basilius. Henriqu. Bellarm. Binius. August. Cyprian.

Vinum benedictum.

De Vino benedicto

VInum benedictum inuenitur Can. 3. Apostolorum, vbi cauetur ne quis super Altare offerat pro vino siceram. Vnde apparet istud vinum esse vnam ex oblationibus benedictis, quod ibi notat Seuerinus Binius, quamquam dubium sit, an istud vinum oblatum esset ad Eucharistiam ex eo conficiendam, an pro benedictione super illud facienda, quod non inuenio in eo loco expressum. Sed probabile est aliquam eius partem pro sola benedictione seruari. Illud negari non potest partem eius vini legari Ministris, ad sustentationem: vti obseruat Binius eo loco. Vvas afferri constat ex Can. 4. Apostolorum: hos duos Canones refert Vvalafridus Strabo cap. 18. In consecratione Ecclesiæ adhiberi solitam benedictam aquã mixtam vino benedicto tradit Gemma Animæ cap. 157. & 158. Benedici vinum solere à viris Sanctis ad diuersas vtilitates fidelium scribit Layman tract. 9. cap. 13. de Sacramento Ordinis. Narrat vero Baronius anno 51. insigne vini benedicti à Sancto Remigio in Gallia Miraculum. Cũm enim S. Episcopus vas eo plenum Clodoueo Regi dedisset, illius haustu confirmatus Rex in gentes Alarici copias profligauit, & ipsum Alaricum manu propria occidit.

Seuerin. Binius. Canon Apost. Vvalafr. Gemma Animæ. Layman. Baronius

Lac, Mel, Caseus.

De lacte, & melle.

LActis, & mellis benedictio reperitur in Ordine Romano in die Sancto Paschæ hac oratione consecrati. *Benedic Deus has creaturas lactis, & mellis, & pota famulos tuos fonte perenni, & enutri eos de hoc lacte, & melle*. Oblationes tamen lactis, & mellis inuenio prohibitas in Can. 3. Apostolorum in quo vetatur ne quis offerat in altari. *Lac, & mel, si Ceram Confecta, Volatilia, Animalia, Legumina*. Eutychianus tamen Papa vigesimus octauus à Petro apud Vvalafridum cap. 18. permittit offerri fruges fabę, & vuæ. *Vuam*, inquit, *Strabus*, *quia in vino celebratur mysterium sanguinis, fabam vero quia cibus est abstinentium*. Vnde colligo ideo lac, & mel non recipi, quia delicati cibi sunt, & ad

Eutych. Papa.

cupe-

cupedias adhibentur.

De caseo Ordo R. Casei benedicti forma habetur in Ordine Romano, quæ huiusmodi est. *Dignare Domine Omnipotens benedicere, & sanctificare hanc creaturam casei, &c. vt quicumque ex populis tuis fidelibus inde commederit omni benedictione cælesti, & gratia, tua saturitate repleantur in bonis.*

Cerei, Cineres, & Rami.

CEræ vti multiplex est, & perpetuus in Sacris vsus, ita & solemnis benedictio. Amalar. De hoc Amalarius lib. 1. cap. 17. Romanus Libellus narrat eodem Die Sabbati Sancti ceram oleo mixtam apponi, indeque fieri Agnos. *Cera namque,* Greg.M. inquit, Gregorius in homilijs, *humanitatem Christi designat, mel in cera est Diuinitas in humanitate,* sic ille. Idem antea dixerat Alcuinus lib. de diuinis officijs tit. de Sabbato Sancto Paschæ adducta authoritate Magni Gregorij. De cera be- Alcuinus nedicta sic refert idem Alcuinus tit. de Sabbato in Albis. *Dominicæ post albas in octaua Paschæ danda est cera benedicta post missam ad suffumigandum in domibus suis, seu ponendum in agris, vel vineis propter illusiones Diabolicas, siue contra fulgura, vel tonitrua.*

De cereo Paschali. Zozimus Cerei Paschalis nobilis in primis benedictio est. Eius author vulgo habetur Zozimus Papa Innocentij I. Successor teste Alcuino loco citato, & Amalario cap. 18. & Strabo cap. 30. Rupertus Hanc sententiam Rupertus confirmat lib. 6. de diuinis officijs cap. 28. & illius significationes eleganter, & piè exponit, & addit rem scitu dignam. *Quia,* inquit, *significat Incarnationem Christi ex Maria Virgine. Agnus ille ab Incarnatione eiusdem Domini Iesu Christi consequenter inscribitur, & quia crucifixus est, Crucis quoque figura congruè insculpitur.* Gemma Animæ Gemma Animæ latè, & accuratè agit de hoc cereo cap. 101. & 102. & scribi in eo Annum Domini etiam affirmat. Adiungit esse inuentum Zozimi, sed benedictionis Authorem Ambrosium extitisse. Ex eo duos alios cereos illuminari solitos ibidem animaduertit, quod item obseruauerat Alcuinus Alcuinus de Sabbato Sancto Paschæ, qui refert eum cereum de nocte olim consecratum. Perspicua de illo fit mentio in IV. Concilio Toletano Concil. Tol. IV. Honorio I. Papa celebrato tomo 2. Concil. par. 2. vbi sic. *Lucernæ,* inquit, *& cereus propter gloriosum noctis ipsius Sacramentum solemniter benedicitur, vt Sacræ Resurrectionis mysterium benedictione sanctificati luminis suscipiamus.* Aitque in Hispania maximè celebrari, vbi sic Loaysa. Loaysa. *In cerei, nouiq; luminis benedictione Theodorus Papa 73. à Petro; & D. Ambrosius. D. etiam Augustinus, & Petrus Diaconus Cassinensis elaborarunt. Eam autem qua nunc Romana ecclesia vtitur à D. Gregorio Magno compositam musicisque tonis ornatam ferunt.* Hymnum de eo cecinit Prudentius Authore Baronio Prudent. Baronius anno 418. & ibi Spondanus. Vnde apparet illam benedictionem, & vsum cerei antiquiorem Zozimo fuisse, eique fortasse attributam, quia præcepit, vt in omnibus Ecclesijs Parochialibus fieret, & vsum illius communem introduxit.

De Candelis benedictis. Cereum Paschalem sequuntur candelæ benedictæ in Festo Purificationis B. Virginis, qua de re ita Concilium V. Mediolanense. Mediol. V. *Die Sacro Purificationis, vsus ritusque benedictionis Candelarum, Cereorumue cum plenus mysteriorum est, tum salutarium vtilitatum.* Hunc morem antiquissimum esse constat ex Alcuino Alcuino. tit. de Purificatione B. Mariæ vbi ait cereos ardentes, & benedictos illius diei repræsentare perennem cælestis Regni memoriam, iuxta parabolam Virginum prudentium,

tum, & probat authoritate Bedæ. Confirmat hanc consuetudinem Rabanus Maurus lib. 2. cap. 33. Ardentes cereos commemorans. Iuo item Carnotensis serm. in Purificatione. *Consuetudo*, inquit, *inoleuit, vt hodierna festiuitate fideles cum cereis luminaribus ad Ecclesiam procedant*, eorumque ibi mysteria exponit.

Rabanus

Iuo Carnotensis.

De cereis Neophytorum.

Aliud cereorum genus fuit Neophytorum, qui solebant accendi in Vigilia Paschæ, eosque ipsi manibus præferebant: durabant vero per octo sequentes dies post Pascha vsque ad Sabbatum in Albis, quibus illi in Albis vestibus ad Ecclesiam procedebant, antecedente ipsos pregrandi cereo accenso, qui memoriam renouabat illius columnæ igneæ, quæ præcedebat filios Israel, quæ in Psalm. appellatur Columna nubis. Vti describit Alcuinus titul. de Sabbato Sancto Paschæ. Et idem accuratè tradit Amalarius lib. 1. cap. 33. qui cap. 30. ait eos cereos non illuminare ante Agnos Dei, secundum libellum Romani Ordinis, vt intelligerent Neophyti se per Agnum Dei, qui tollit peccata mundi illuminari. De hoc item cereo illuminante loquitur Hugo de Sancto Victore lib. 3. de obseruationibus Missæ cap. 21. Lorinus in Acta Apostolorum cap. 20. vers. 8. ait. *Cereum Paschalem, & qui baptizatorum manibus imponitur, esse ex Apostolica traditione*. Videtur autem hic cereus, qui præcedebat Neophytos esse idem cum cereo Paschali, de quo primum diximus, vti apparet ex Amalario lib. 1. cap. 17. & 18. & 29. Illud accuratè notandum ex eodem Amalario lib. 1. cap. 26. Illos cereos Neophytorum, quos manibus gerebant solere mitti in aquam, & extingui, vt significarent eam lucem doctrinæ ad Spiritum Sanctum per aquam designatum esse deferendam, & adducit Gregorium Nazianzenum in secundis Epiphanijs.

Alcuinus

Amalar.

Hugo de S. Victor.

Lorinus.

Amalar.

Nazianz.

De cereis Neophytorum.

Vltimus genus cereorum fuit commune omnibus fidelibus inter quos hic luminum vsus vsitatissimus fuit, atque ob id exprobatus Catholicis, vti patet ex hymno Prudentij de Martyrio Sancti Laurentij, vbi inter cæteras ceremonias, quas Ethnici sugillabant, ponit cereos his versiculis.

Prudent.

Auroque Nocturnis Sacris,
Adstare fixos cereos.

Reliqua patent ex ijs, quæ attulimus in controuersia de Funere, & Sepultura; sed de his non agimus, sed tantum de illis benedictis ad varios pietatis vsus, vti ad fulmina abigenda, & similia. Cereos inter alias ceremonias recenset Bellarminus lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 7. & Laymanus tract. 9. cap. 13. Nil tamen de eorum benedictione, & virtute specialiter dicunt. Nec ego quicquam inuenire vlterius potui, quam quod de benedictione Paschalis, & Purificatorij cerei adduxi. Contra hæreticos dico eos in media cereorum luce caligare, dum istam ceremoniam impugnant. Optarent, opinor, illi Neronem imitari, qui loco cereorum viuos Christianos pallis alligatos cera perfusos post illam suam alosin iussit incendi, vt tenebras horribilis noctis illuminaret, quod notat Baronius anno 66. ex Cornelio Tacit. lib. 15. & Iuuenali Satyra I.

Bellarm.

Baronius

De

De Cinerum Benedictione.

De Cinerum benedictione. Concil. Med. V. DE cinerum benedictione Concilium Mediolanense V. sic. *Sacrorum*, inquit, *cinerum vsus in Ecclesia Dei antiquissimus est*. Hinc prima quarta feria quadragesimæ dies cinerum dicitur, de quorum benedictione, cum per se pateat, nil attinet dicere. Multa de ea in eo Mediolanensi Concilio, in quo mysteria sacrorum cinerum explicantur, ac eorum vsus, necessitas, & vtilitas commendatur. De ijs meminit Alcuinus tit. in cap. Ieiunij, & Rupertus lib. 4. cap. 10. cuius hæc est sententia, *vt meminerimus*, inquit, *quia puluis sumus, idcirco & cinere capita nostra aspergimus*. Id quod Ecclesia ea die publica Sacerdotes voce nos monent. Priscum esse hunc cinerum vsum docent Homiliæ Sancti Maximi in die Cinerum. At hæretici cineres damnant, quòd amant viuere, & mortis memoriam horrent, gentilibus peiores qui vrnas cineribus, & lachrymis implebant, cum ij repletis vino amphoris delectentur.

Alcuinus. Rupert.

S. Maxim.

De ramis. Palmarum, & aliorum ramorum benedictio ab ingressu Hierosolymam Christi duxit originem, cuius nos die ad eum celebrandum instituta memoriam renouamus, quemadmodum obseruat D. Isidorus lib. 1. de Ecclesiast. officijs adducto loco Matth. 21. ad quem locum ille triumphum Christi mysticum exponit: quem Isidori locum Rabanus Maurus lib. 2. de instit. clericorum cap. 35. integrum ijsdem verbis in opus suum transtulit. Benedictionem ramorum describit Alcuinus eleganter, his verbis, lib. de diuin. officijs: *adunantur Palmæ, & flores, atque diuersa genera frondium, seu oliuarum, super quæ dicitur oratio à Sacerdote: sequitur benedictio palmarum, siue frondium. Dantur à custodibus Palmæ, accipienteque populo ramos arborum oliuarum, siue florum inchoatur Antiphona: Pueri Hebræorum.*

D. Isidor.

Rabanus Maurus.

Alcuinus

De hac celebritate, ac illius mysterio sermo est Sancti Iuonis Carnotensis inter sermones Ecclesiasticos elegans, & eruditus. Idem Argumentum tractat Gemma Animæ cap. 71. Probatur autem institutio, & commendantur mysteria in Concil. III. Mediolanensi titul. *Quæ ad Sacramentalia*. Idem est institutum Concilij V. Mediolanensis eodem titulo. Vbi dicitur Sanctissimum, & antiquissimum institutum, eiusque ritus, & ceremoniæ explicantur. Eiusdem festiuitatis memoria mirabiliter commendatur eo miraculo Palmæ, ex qua decerpti rami ad Christum excipiendum, quæ ad multa sæcula vegeta, & virens perennauit, quasi de cæteris arboribus triumpharet, quod narrat grauis author Cyrill. Hierosolymitan. catechism. 10. ex quo desumpsit Baronius, & Spondanus. De Palmarum festo, & benedictione meminit S. Maximus Homilia in die Palmarum.

Sanc. Iuo Carnot.

Gemma Animæ.

Concil. Med. III.

Concil. Med. V.

Cyrillus Hierosol.

S. Maxim

Irridentur hæc ab hæreticis, nempe quia ab ijs Thyrsi, & Pampineæ hastæ à Bacchis prælatæ in Orgijs celebrantur; doleant ijs oculi legendo solere à Romanis Pontificibus Palmas benedictas mitti ad Reges, & Principes, & hos gratanter missas accipere, & religiosè venerari. Imò & quoties Hierosolymitana expeditione confecta victores domum redibant, ab ijsdem Pontificibus Palmis, seu premijs donabantur, qui eas Christo Triumphatori consecrabant. Sed Hæretici ventosi homines inani verborum sonitu sacris frondibus reflant, nec tamen radices antiqua nixas pietate possunt conuellere. *Apud nos Catho- Catholicos inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui Decreta Patrum san-*

Zozimus Papa. *xerunt reuerentiam*, quæ ſententia eſt Papæ Zozimi ad Narbonenſes, & habetur q. 1.

De campanis. Superſunt Campanæ, illarum nomen indicat originem: natæ quippè ſunt in Campania Italiæ Prouincia Vvalafrido Strabo Authore cap. 5. & Mantuano lib. 4. faſtorum. Figuratæ in tubis ſynagogæ ad conuocandum Populum inſtitutis, teſte Amalario lib. 3. cap. 1. & Alcuino in titulo. Quid ſignificent veſtimenta. In ſignum belli ſpiritualis contra dæmones pulſantur, vti ſcribit Gemma Animæ cap. 121. & cap. 73. Earum vſum priſcum eſſe conſtat ex Baronio, & Spondano, qui tamen de tempore ſilent, vti & Alcuinus cap. 17. qui antiquitatem tradit de principio nihil dicit. Polydorus Virgilius refert ad tempus Sabiniani Papæ, qui ſucceſſit Gregorio Magno: ſic ſcribit lib. 6. de inuentoribus rerum cap. 12. Id conſtat viuente Sancto Lupo anno fermè *616*. Campanas in vſu fuiſſe. Narrant item Veneti ſcriptores Vrſum Patritiatum Ducem Venetorum dono miſiſſe inſignem campanam Michaeli Imperatori.

Strabo. Mantuan. Amalar. Alcuinus. Gemma Anima. Baronius. Polydor. Virgil.

Ex antiquiſſimo Eccleſiæ vſu cãpanæ benedicuntur. De qua benedictione optimè Concilium Colonienſe tom. 4. Concil. par. 2. fol. 21. vbi ſic cap. 14. *Benedicuntur campanæ, vt ſint tubæ Eccleſiæ militantis, quibus vocetur populus, & fideles inuitentur ad preces, & dæmones terreantur, & impetus tempeſtatum, & fulgurum temperentur, & ventorum flamina ſuſpendantur, ſpiritus procellarum, & areæ poteſtates proſternantur*. Quod in Eccleſiæ benedictione continetur. Confirmat Concilium Mediolanenſe IV. vbi ſic. *Nimbis procelliſuè imminentibus, ſicut Eccleſiæ conſuetudinis eſt, campanis ſonetur*. Fit autem benedictio campanarum ab Epiſcopo, vti habetur in eodem Concilio tit. de campanis

Concil. Colon.

Illud obſeruandum Ioannem Papam XIII. ingentis magnitudinis campanam Lateranenſi Eccleſię cõſecraſſe, & Ioannis Baptiſtæ nomen impoſuiſſe. Sic habetur in eius vita tom. 3. Concil. par. 2. pag. 158. De hac ſolemnitate benedicendi campanas agit Concilium Rauennate ſub Clemente V. Rubrica 8. to. 3. Concil. p. 2. pag. 788.

Concil. Raueon.

De Sacris Ceris, ſiue Agnis Dei.

De agnis Dei.

His ceris nihil eſt in ſacris ſacratius: variè appellantur, ſed nomen Agnorum ex figura illis impreſſa inualuit. Eorum materia eſt cera ex Paſchalibus cereis, reliqua, alia tamen pura admixta, quæ ſubacta, oleo ſancto, & chriſmate coeat, & in rotundam redacta formam niueos orbiculos reddat: hanc eſſe tradunt materiam inter alios Baronius, & Spondanus anno 58. num. 30. Formæ inſtar, eſt benedictio Summi Pontificis.

Baronius

Olim ſic fieri ſolebant. Parabatur cera alba pura ſuper Altare Sancti Petri, quam inde acceptam Subdiaconi Apoſtolici ad Palatium Papæ deferebant, & ibi loco idoneo poſitam infuſo oleo ſancto, & chriſmate, quod ex anno præterito ſuperfuerat, macerabant, & in illos candidos, & rotundos Paſtillos formabant, eoſque confectos offerebãt Pontifici, qui eos benedicebat. Poſtea alijs temporibus Sacriſta Papę, cum Cappellanis, & Clericis Cappellæ illos ex eadem materia ceræ præparabat, quæ Papæ expenſis emi ſolita. Nullum tamen oleum, vel chriſma ceræ infundebant, ſed nudam ceram ad Pontificem portabant, qui aquam à ſe benedictam in vaſe ingenti propè habebat, in quam inuergebat balſamum, & chriſma in Crucis formam benedicens delibutam ceram ſeorſim ab agnis, quos

po-

postea ad se delatos mitratus Pontifex immergebat in aquam, & Prælati adstantes eos extrahebant, & inde extractos super mensas candidissimis mappis obtectas reponebant: vbi rursus à Pontifice benedicebantur, & in capsas vsque ad Sabbatum in Albis recondebantur: vt dicto eius diei Missæ, Agnus Dei, qui tollis, distribuerentur.

Hodie tamen illa præparatio ceræ, & fabricatio commissa est Monachis Sancti Bernardi Fulliensibus à tempore Clementis VIII. quod priuilegium ijs confirmauit Paulus V. quod affert Cherubinus in Bullario, & iterum commemorat in compendio lib. 3. Locus benedictionis, olim fuit in Basilica Lateranensi. Postea designata pro ijs conficiendis aula in Palatio Vaticano, seu Quirinali. Hæc partim sumpta sunt ex Bonardo Dominicano, & Panuinio Augustiniano, Suarezio Episcopo, & Cæsare Raspono Prælato. Cherub.

Ferunt olei mixtionem ab initio non fuisse, eamque institutam à Gregorio Magno, quemadmodum significat Alcuinus, & Amalarius statim citandi, & sic affirmat Suarezius & alij. Mihi tamen videntur illa verba minus expressa, quia ad mysticum sensum trahi possunt, fides sit tamen penes Authores.

Quæro Antiquos, & Concilia. Alcuinus lib. de diuin. officijs tit. de Sabbato Sancto Paschæ sic ait. *In Romana Ecclesia infra Vrbem mane primo Sabbati venit Archidiaconus in Ecclesiam, & fundit ceram in vase mundo, & miscitat in ea oleum, inde benedicit ceram, & ex ea fundit similitudinem Agnorum, & seruat eos in loco mundo. In octauis vero Paschæ dantur ipsi Agni ab Archidiacono post missas in Ecclesia, & communionem Populo.* Diuersus hic mos apparet, quem à nemine obseruari video, nempe ab Archidiacono fieri, & benedici Agnos, & distribui. Amalarius autem lib. 1. cap. 17. ita scribit. *Romanus Libellus narrat Die Sabbati Sancti benedici ceram oleo mixtam, indeque fieri Agnos, eosque reseruari in octauas Paschæ.* Hic author non exprimit à quo formentur & benedicantur. Sed quoniam omnes penè Authores Papæ benedictionem attribuunt, dicendum cum Alcuino aliquo tempore in Romana Ecclesia illud munus Papas Archidiaconis commisisse, quod tamen Pontificium erat. Addit Amalarius. *Quando Agnum de cera videmus, Agnus præfiguratus, & in Pascha immolatus ad memoriam reducitur, cui Sanctus Gregorius oleum infudit, quando mysteria Paschalis Agni reserauit.* Quæ verba item sunt Alcuini, nisi quod pro *infudit*, posuit, *instituit*, quæ verba occasionem dederunt existimandi Gregorium Authorem mixtionis olei fuisse. Alcuinus Amalari. Amalar.

In Concilio Mediolanensi V. titul. *Quæ ad Sacramentalia*. Hæc reperiuntur: *sanctissimi veterisque instituti est à Summo Pontifice formas illas cereas, quas Agnos Dei à figura impressa vocamus, solemni benedictionis ritu, multisque religiosis ceremonijs nō solum primo, sed septimo quoque Pontificatus anno consecrari.* Et in Concil. III. eodem tit. *Interdictum*, inquit, *à Gregorio XIII. ne innocentissimi Agni imagines figuratæ, & per Romanos Pontifices consecratæ, minio, auro, aut vllo colore inficiantur, nec venales proponantur.* Concil. Med. V. Med. III.

Origo illorum incerta. Constat Leonem III. Pontificem, & Carolum Magnum. Insignem formam ceream impresso Agno in religionis signum misisse. Eius rei Author est Scortia in Theorematis, & Lorinus Actorum 8. vers. 32. & Andreas Frusius, & alij apud Suarezium. Annum autem designant 787. vel 796. Leo III.

Vrbanus V. Imperatori Constan- Vrba.V.

 ti-

tinopolitano Agnos misit cum versibus, quos affert Panuinius, idque testatur Bosius. Ante Vrbanum V. & Leonem III. fertur Gregorius Magnus duos Agnos cereos auro inclusos dono dedisse Agilulpho Regi Longobardorum, quos Modoetiæ asseruari Torrigius in cryptis Vaticanis prodit. Tempore Gelasij Papæ anno fermè 462. eos in vsu fuisse constat, & probat Suarez ex Ordine Romano pag. 91. imo & communis sententia est Zozimo Papa multo ante Gelasium formas istas cereas concinnari solitas, vti Augustinus Valerius Cardinalis Veronensis ad Gregorium Papam XIV. ex multorum traditionibus, & libris se collegisse scribit. Theodorum item Papam anno 640. cerei Paschalis benedictionem, & Agnorum consecrationem iam exolescentem renouasse contra Fauchetum asserit idem Suarez.

Panuin. Torrig. Suarez. August. Valer.

Narrat hic anno 1627. inter diruendum, quod ruinam minabatur Fastigium turris Comitum, repertum inter maceries fuisse vas argillaceũ, cui inerat inclusus cereus Orbis maiusculus, fractus tamen, extantibus tamen litteris. *Ecce*: reliquis exesis, de quo Antiquarios consultos dixisse Agnum Dei sine dubio fuisse, quem Innocentius Papa III. in eo turris fastigio aduersus procellas, & fulmina incluserat. Est adhuc antiquius exemplum apud Surium in historijs anno 1544. Scribit quippe fuisse Romæ Paulo III. Pontifice in Basilica Vaticana subtus Altare Sanctæ Petronillæ, quod nunc est Sanctorum Simonis, & Iudæ Apostolorum in Sacello Regis Franciæ inuentam arcam marmoream in qua condita fuerat Maria coniux Imperatoris Honorij, & inter alia ornamenta repertam fuisse bullam ceream instar Agni Dei, cuius in ambitu scriptum erat. *Maria nostra florentissima*. Hoc Antiquissimum

Surium.

Agnorum monumentum est, par, vel suppar ætati Zozimi, quo probatur vel illum Authorem, vel instauratorem Agnorum fuisse, & quidem decebat, vt qui cerei Paschalis vsum, aut introduxit, aut renouauit, is ex illius reliquijs Agnos cereos efformaret. Alia sunt exempla recentiora tempore Ioannis XXII. Benedicti XII. & Clementis VI. ante Vrbanum tamen V. & alia quæ ommitto.

De religione, & reuerentia erga illos, præterquam quod ex adductis ab antiquitate exemplis patet, è pretio, & honore in quo habebantur deducitur, quod ex raritate colligitur. Ioannes igitur XXII. & Benedictus XII. non nisi duos singulis Cardinalibus donare soliti. Clemens VI. tres donabat, idque ex libro ceremoniarum Barberinæ Bibliothecæ manuscripto apparet. Paulus II. vnũ dono misit Eliano Spinulæ viro Clarissimo. Paulus V. vt maior ijs veneratior, esset, de manu sua distribuere Populo consueuerat. Gregorius XIII. & si primo, & septimo anno tantam illorum vim benedixisset, vt ijs trecenta quinque capsas repleuerit, paucos tamen distribuit quia in omnes Europæ Prouincias mittere voluit, ex quibus vnum Prete Ioanni Abysinorum Imperatori legauit, quem ab eo religiose acceptum testatur Scortia, in Theorematis, Sixtus V. solebat Agnos Dei cum diplomatibus dignitatis causa ad Principes mittere, teste Bonardo. Vrbanus vero VIII. cum ad excipiendam Anconæ anno 1633. Mariam Austriacam Reginam Hungariæ futuram Imperatricem ex Hispania venientẽ misisset, inter alia pretiosa munera Ingentem Agnum Dei cereum à Pio V. benedictum pro singulari munere per Thadęum Barberinum Nepotem suum offerri iussit, eique multas adiunxit indulgentias, vt honorem pietati adderet, cuius

Scort.

Bul-

Bullæ formam adducit Suarez.

De causa, & significatione eorum variè Scriptores sentiunt. Prima cõiectura est hosce Agnos in eos orbiculos formatos in Ecclesiam introductos, tamquam Bullas, & Symbola Sacra, loco eorum, quæ veteres Ethnici suis infantibus collo appendere solebant, quibus putabant excantationes, & veneficia pelli: eaque moris erat vsque ad Togam deferre. Nec puerorum tantum Amuletum, sed virorum item ornamentum, imo & Magistratuum insignia fuerunt, & signa Triumphantium, quorum figuram tradit Macrobius ad modum cordis formatam. In locum igitur huius superstitionis vidétur successisse formæ istæ ceræ quæ Agnus Dei dicuntur. Ac idcirco Bullas cereas collo appensas vocat Franciscus Scortia in Latio Christiano. Verum hæc coniectura communis est omnibus alijs reliquiarum Theculis, Rosarijs, & Sacris Symbolis, quæ collo applicari à Christianis solent aduersus præstigias, & fascinos. Propria quærimus. Macrob.

Bonardus existimat. Agnum cereum figuram esse Paschalis Agni veteris legis, vti cereus Paschalis columnæ igneæ, quod negat Raynaldus, & Suarez, qui multa congerit eruditè, sed minus aperit mentem suam, mole rerum obrutus, vti etiam Raynaldus. Equidem iudico Ecclesiam ad illum Agnum respicere voluisse: prout tamen figura erat Redemptoris Agni. Noluisse autem figurare Agnum, qui erat figura, sed illum supplere, & in melius commutare, quemadmodum & isti Agni cerei gentilicas Bullas, & Amuleta respiciunt, non vt figurent, sed vt illarum loco succedentes in Religionem proficiant, & verè miracula operentur, quæ aliæ præstare non poterant, quod ex Baronio obseruat Cherubinus in compendio Bullarum tom. 3. ad Paulum V. Vno verbo figuras illas veteres implemus, non imitamur. Bonard. Suarez. Cherub.

Erit qui putet Agnos cœpisse ex quo desijt solemnis ille mos baptizandi catechumenos, quoniam in benedictione Agnorum omnes fermè ritus, & ceremoniæ, quas fieri mos erat in eo baptismo exercentur. Itaque & tempus, & locus, & aqua & balsamum, & oleum, & lumina adhibentur, imo & ipsa consecratio Agnorum baptizatio appellari solet: præterea Neophyti baptizati Agnorum nomine vocabantur, & quæ in eorum baptismate canebatur Antiphona, isti sunt Agni nouelli, &c. Hodie in distribuendis Agnis vsurpatur. Quæ omnia animaduertit Panuinius, & cæteri. Verum multo antiquior est Agnorum consecratio, quam vt ad illud tempus reuocetur: nam ijsdem authoribus constat Neophytis baptizatis donari cereas bullas candidissimas, cum imagine Agni impressas, quæ à collo ante pectus penderet, quæ verba sunt Panuinij. Deinde temporibus Apostolorum Agnos istos cereos fuisse probat Lorichius tom. 1. thesauri verbo Agnus Dei. Confirmat id quod refert, Vduidmanstadius Cancellarius Austriæ ad nouum testamentum Syriacum Dilingæ exclusum in Absidę Basilicæ Vaticanę extare Imagines horum Agnorum, quas sibi iussit ostendi Marcellus II. in Argumentum veteris instituti. Quam coniecturam, etsi Suarez velit obiter infirmare, dicens eam absidem, non esse antiquam illam, sed refectam ab Innocentio III. non tamen infirmat: cum vero simile sit Innocentium renouasse Imagines, quæ antea erant, non mutasse, hoc enim esset iniuriam facere Antiquitati, non iniuriam temporis resarcire. Panuin. Lorich. Suarez.

Multo est igitur origo Agnorum antiquior, & causa sacratior, quam ver-

verbis Alcuini, & Amalarij volo exprimere. *Quando Agnum de cera videmus Agnus præfiguratus, & in Pascha immolatus ad memoriam reducitur, & iterum Agni quos Romani faciunt Agnum pro nobis factum & immaculatum designant*. Sunt ergo instituti ad excitandam memoriam Crucifixi Christi, Agni innocentissimi in Cruce immolati, & figurati Agno Geneseos pro Isaac mactati, & Paschali Agno in Exodo occiso, & asso, quare in Apocalypsi apparet Agnus, tamquam occisus, & alibi dicitur Agnus, qui occisus est ab origine mundi, & quidem Petrus Epist. 1. cap. 1. Christum Agnum Immaculatum vocat, quem Baptista multo ante intento digito Agnum Dei appellauit. Hoc autem mysterium ex ipsa imagine, quę Agnis Dei imprimitur intelligetur. Solet enim effigiari Agnus cum Cruce, Molan. vti notat Ioannes Molanus, & ex eo Cherubinus in compendio bullarum tom. 3. num. 43. Id constat nullam fuisse frequentiorem, & celebratiorem picturam in Ecclesia, quam Christi in forma Agni. De qua fit mentio in Septima Synodo Act. 2. & 3. vbi dicitur Agnum significare Crucifixum Christum, & Actor. 6. Epiphanius Diaconus affert Canonem Synodi Trullanæ, qui est 80. Synod. Trull. vbi sic. *In quibusdam Sanctarum imaginum picturis Agnus exprimitur: refert enim nobis Agnus hic verum Agnum, quem lex significat, quem Præcursor digito demonstrat*, qui Canon probatur à PP. Septimæ Synodi pag. 625. Ne quis eum, quod Trullanus sit, suspectum credat.

De Agnorum virtute, & miraculis scripsere multi, virtutes penè omnes ex formula benedictionis, & orationibus adiunctis patent. Orat enim Pontifex, vt qui eos gestarint liberentur ob omni tempestate maris, & terræ, à fulmine, à grandine, à morbo comitiali, à morte improuisa, ab igne, ab insidijs, à noxijs ventis, à pluuia, à terræmotu, à tonitru, & peste, quas virtutes elegantissimo carmine descripsit Ianus Vitalis, in quibus ceremoniæ consecrationis, & virtutes Agnorum accuratè recensentur. Affert illa Panuinius in suo de Agnis tractatu. Ian. Vit. Sunt etiam versus Vrbani Papæ V. minoris quidem elegantiæ, sed maioris authoritatis de eodem Argumento, quos cum Agnis Dei misit ad Imperatorem Constantinopolitanum. Eos, quia referuntur à Cherubino in compendio Bullarum in Gregorio XIII. §. 2. & rem totam continent, afferre operæ pretium duco. Cherub.

Balsamus, & munda cera cum Chrismatis vnda,
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi Magnum,
Fonte velut natum per mystica sanctificatum,
Peccatum frangit, ceu Christi sanguis & angit,
Prægnans seruatur, fœtus simul asseruatus,
Munera fert dignis, virtutem destruit ignis,
Portatus mundi de fluctibus eripit vndæ,
Morte repentina seruat, satanæque ruina,
Si quis honoret eum, retinet super hoste Trophæum.
Parsque minor tantum, tota hic valet integra quantum.

Leonini pro illo tempore sunt, & à nobis, vbi lababant modice correcti.

De Exorcismis.

De exorcismis. Caluin. CAluinus huiusmodi ceremonias lib. 4. instit. cap. 19. §. 24. ludos facit: rem fictitiam, & inanem vocat. Igitur de his solidius tractandum. Exorcismus igitur Authore Isidoro lib. 2. de diuinis officijs *est sermo increpationis contra immundum spiritum in energumenis*, siue Cathecumenis factus, per quem ab illis Diaboli nequissima virtus, & inueterata malitia, vel violenta incursio expulsa fugetur.

Eorum vsus ab initio Ecclesiæ cœpit, & eius progressu inualuit, vti videre est in Patribus Iustino Martyre dialogo cum Tryphone. Iustin. Tertulliano lib. de præscriptionibus cap. 4. Tertull. Cyprian. epist. ad Demetrianum, Lactantio lib. 4. de vera sapientia, Paciano lib. 4. contra Parmenianum. Lactant. Pacian.

Duo genera exorcismorum sunt: alterum Sacramentale ad baptismum ordinatum, quod exercetur erga baptizandos: adiurando Dæmones, & illos inhibendo ne baptismum impediant, & exufflando, vt relinquant illud imperium, quod per peccatum originale ijs permissum in animas peccatrices. Alterum est ceremonia extra Sacramentum, nec ad illum ordinata, pertinens ad Energumenos, qui à demonibus possidentur, quo hi compelluntur exire, & oppressos liberare. Idem etiam genus spectat ad res alias quæ demonibus sunt obnoxiæ, adiurandas, in quas ratione peccati humani diabolus Dei permissu potestatem habet. Quæ est doctrina D. Thomæ 2. 2. qu. 90. art. 3. vbi ait D. Tho. diabolum vti permissione diuina aliquibus irrationabilibus creaturis ad nocendum hominibus, & addit, *modum esse adiurandi in ecclesiæ exorcismis, per quos Dæmonis potestas excluditur ab irrationabilibus creaturis,* de qua potestate aduersus demones egerat eadem quest. ar. 2.

De primo genere exorcismorum ante Baptismum agitur in Pastorali, seu rituali Romano. Antiquissimum illud fuit, quemadmodum constat ex Dionys. Areopag. c. 2. Ecclesiast. Dyonis. Areop. Hierarch. part. 2. Cyrillo Hierosol. Cyrill. catech. 2. Mystagogi, & Chrysost. Chrysost. Homilia de Adam, & Eua. Fiunt autem hi exorcismi cum exufflatione, & crucis signatione. De his in cap. siue Paruuli, & cap. sicuti Nostris, & cap. Postea de consecratione distin. 4. vbi reperitur hic titulus capitis 53. *Cælestinus Papa ad Episcopos Galliæ. Sine exorcismis, & exufflationibus nullus baptizatur.* Horum frequens est mentio apud Augustinum, qui omnium accuratissimè de peccato originali, & Baptismo egit, quem cum alijs ad probandum horum exorcismorum vsum in baptismo adducit Baron. ann. 56. August. Baron. quare quicunque de Baptismo scribunt de his exorcismis agunt. In quibus est Ordo Roman. tit. de Sabbato santo pag. 75. & Isidor. cap. 20. Isidor. & Alcuin. tit. de Sabbato santo, & Alcuin. Amalar. cap. 23. & Raban. cap. 27. & Amalar. Raban. Strabo cap. 26. Omnes item authores Scholastici numerant exorcismos inter ceremonias antecedentes Baptismum, inter quos doctissime Strabo Vasquez, & Suarez. Fuisse autem Vasq. istam consuetudinem totius Ecclesiæ tradit Augustinus lib. de nuptijs Suar. & concupis. cap. 18. Leo autem I. Leo I. epist. 4. dicit. *Secundum Apostolicam regulam Catechumenos exorcismis esse scrutandos.* Gennadius idem affirmat lib. de Ecclesiasticis dogmat. Gennad. cap. 30.

Exibilandus igitur Caluinus qui Calu. hanc ceremoniam irrisit, & Orbilio tradendus. Non vidit D. Cyprianum ad Magnum, nec Optatum Cypr. Optat. Mileuitanum lib. 4. nec Nazianzenum orat. de baptismo nec Basilium Nazianz. Basilius. ad Amphilochium. Insignis est locus Gelas.

cus Gelasij Papę epist. 7. ad Episcopos per Picenum, Hinc est quod exufflantur, & cathechizantur Infantes, & quod in opere Dei, quod in Authore suo bene sunt instituti opus diabolicę malignitatis accessit, eruti de tenebrarum potestate, sicut docet Apostolus ad filij Dei sortem purgationemque legitimam transferantur. Secutus fuit Gelasius, Ambr. Ambrosium lib. de Sacramentis cap. August. 5. & Augustinum lib. 65. Iulianum cap. 2. & lib. 2. de peccato originali.

Tradit exorcismorum doctrinam D. Tho. Scholastica S. Thom. q. 72. art. 2. & 3. adducta ratione seruitutis in potestate diaboli propter peccatum originale, & describit virtutem exorcismorum, probans illorũ vsum testimonijs Celestini Papæ, Augustini, Cypriani, Gregorij, & distinguit inter exorcismos ante baptismum, & alios qui extra Sacramentum applicantur:

Quæstio principalis est, vtrum hi exorcismi sint sola signa, an etiam causæ? Hæretici vtrumque negant, Catholici quidam aiunt esse sola signa. Idem Doctrina S. Thom. sequenda: esse nimirũ causas. Ita Doctor Angelicus 3. p. q. 71. ar. 3. ratio illius est, quia exorcismi fiunt per verba Imperatiua ad expellendam demonum potestatem, vti cum dicitur, *exi ab eo maledicte diabole*. Quæ ratio rem continet. Maior quæstio est, quis sit effectus exorcismi? D. Thom. affirmat esse duplicem, & vtrumque diuersum à baptismo. Patet hæc secunda pars, quia baptismus sanctificat dando gratiam, & prorsus expellendo demones, quos effectus non præstat exorcismus. Quis sit effectus? maius dubium. Dicendum tamen cum eodem. Primo differre ab effectu baptismi, qui dat gratiam, & pellit peccatum, & dæmonem. Secundo expellere diabolum ne ponat impedimentum baptismo, & hic est proprius effectus. Cum sit autem duplex impedimentum: vnum extrinsecum ad impediendum baptismum, aliud intrinsecum ex infectione peccati, quo ligatur sensus ad percipiendam salutem, vtrumque tollitur per exorcismum: primum auertendo dæmonem ne extrinseca impedimenta apponat, qui effectus pertinet ad paruulos, & adultos. Alterum impedimentum intrinsecum aufertur obstando dęmoni, ne tenebras afferat intellectui, qui effectus tantum in adultis exercetur, ita D. Tho. qui citat Rabanum de institutione clericorum. Raban. Igitur per exorcismum vtrumque impedimentum aufertur.

Aliud genus exorcismorum est, illudque fit extra Sacramentum, estque frequentissimum in Ecclesia; eo autem adiurantur dæmones, vti videmus fieri in Energumenis, & incantatis, & maleficiatis. Illud etiam applicatur ad liberandas à potestate dęmonum alias creaturas, quas ille adhibet ad nocendum, vti apparet in procellis, & tempestatibus, locustis, & vermibus, quas creaturas diaboli permissu Dei commomouent aduersus homines, & res vsui hominum necessarias. Hoc genus exorcizandi dęmones habemus in Euangelio sæpe expressum, quoties nimirum Christus dæmones à corporibus expellebat. Affert D. Isidorus lib. de Ecclesiasticis officijs Isid. cap. 20. exemplum illius hominis lunatici Maarci 1. *quem increpauit IESVS, & exijt ab illo demonium*, Marci 1. & Luc. 4. vbi omnes colloquebantur ad inuicem dicentes *quod* est hoc Luc. 4. verbum, quia in potestate, & veritate imperat immundis spiritibus, & *exeunt*, quam potestatem Christus dedit discipulis Lucæ 17. vbi Luc. 17. ipsi testantur dicentes. *Domine etiam spiritus subijciuntur nobis*. Nec discipulis tantum, sed & reliquis fidelibus Marci vltimo: *in nomine meo dæmonia eijcient*. Marc. vl.

Ori-

Originem exorcismorum ad Vetus Testamentum refert Amalarius lib. 2. cap. 9. his verbis. *Dicit* Beda tractatu super Actus Apostolorum. Refert Iosephus Salomonem excogitasse, suamque gentem docuisse modos exorcismi, quibus immundi spiritus expulsi ab homine vlterius reuerti non sunt *ausi*. Idem narrat ex eodem Iosepho Rabanus lib. 1. cap. 10. Hinc Iudæi doctrinam acceptam officio confirmarunt exorcistas instituentes de quibus Actorum 19. dicitur. *Tentauerunt autem quidam, & de circumstantibus Iudæis exorcistis inuocare, &c.* Viderant quippè Paulum expellentem Dæmones, qui illius etiam sudaria, & semicinctia horrebant. His enim tacti *Spiritus nequam egrediebantur*. Et quamquam hæc potestas per gratiam Christi fuit communicata omnibus fidelibus, etiam laicis, quos legimus adiurasse, & expulisse Dæmones, vti testatur Tertullianus lib. de Idololatria cap. 11. & in Apologetico contra Gentes cap. 13. & Iustinus Martyr Dialog. cũ Tryphone, voluit tamen Ecclesia docente Spiritu Sancto instituere certum quemdam ordinem ministrorum, ad quos hoc munus propriè spectaret, qui inter Ecclesiasticos numeratur, & exorcistæ nomen habuit.

Amalar. Rabanus Act. 19. Tertull. Iustinus Martyr.

Figuratum hunc Ordinem fuisse in Veteri Testamento Sacri quidam Scriptores docent. Inter quos Isidorus lib. 2. cap. 13. ait. Exorcistas eos nunc esse in Ecclesia Dei, quos Esdras Actores memorat templi. Fuerunt enim sub Esdra Actorum templi seruorum Salomonis filij, & addit: *Ergo Actores Templi. Exorcistæ sunt in populo Dei*. Idem confirmat Rabanus lib. 1. de institutione Clericorum cap. 10. De hoc gradu, nihil attinet dicere, cum ad Sacramentum Ordinis hæc res pertineat, nosque in tomo de Clauibus, satis dixerimus. De officio cõstat ex Ordine. Tantum ex Alcuino in lib. de diuinis officijs id afferimus. *Illorum*, inquit, officium est, vt ponant manuum super Dæmoniacos, & per inuocationem nominis Dei repellant *Dæmones*. Vbi item obseruat idem munus transire ad Ordines Superiores, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum, non autem ad inferiores peruenire. Locus est idoneus, qui rem continet in Concilio Carthaginensi IV. can. 10. *Exorcista*, inquit, cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi dicente sibi Episcopo. Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super Energumenum, siue baptizatum, siue *Cathecumenum*. De hac concessa super Dæmones ab Ecclesia potestate, ait, Iustinus Martyr. *Dæmonia cuncta Spiritusque* malignos adiurantes sub potestate nostra eos subditos habemus.

Isidorus. Rabanus Alcuin. Concil. Car. IV.

Nec solum Dæmones exorcizãtur, sed etiam alia mala vti præstigiæ, Incantationes, Veneficia, & Pestes, quas incurrimus. Præterea tempestates, & procellæ, locustæ, & vermes, & venena, quibus appetimur; de quibus extant in authoribus exempla Cypriano Epist. ad Demetrianum, Theodoreto in Historia Patrum cap. 8. Narrat autem Gregorius Magnus lib. 5. Dialogorum cap. 9. Fluuium Ausen relicto proprio alueo, aliò corriuatum exorcismis fuisse, & idem cap. 10. Refert Padum Amnem extra ripas effusum ad alueum redijsse. Aduersus fulgura, & fulmina sunt exorcismi in Rituali Romano.

Cyprian. Theod. Greg. M.

De exorcismos docet D. Thom. 2. 2. qu. 90. art. 3. in corp. duplicem esse modum abiurandi, seu exorcizandi, vnum per modum deprecationis, alium per modum cõpulsionis. *Primo*, inquit, *modo* non li-

D. Thom.

licet Dæmones adiurare, quia ille modus adiurandi videtur ad quamdam beneuolentiam, vel amicitiam pertinere; secundo adiurationis modo, qui est per compulsionem, licet nobis ad aliquid vti, & ad aliquid non licet vti. Possumus ergo Dæmones adiurando per virtutem diuini nominis, tamquam inimicos repellere, ne nobis noceant. Non tamen licitum est eos adiurare ad aliquid ab eis addiscendum, vel ad aliquid per eos obtinendum. Et hoc modo conciliat diuersas sententias PP. qui interdum negant esse adiurandos Dæmones interdum affirmant. Hoc primum genus adiurationis per deprecationes, & beneuolentiam est peccatum mortale ex genere suo, vti D. Thom. hìc docet art. 3. & S. Antoninus par. 2. tit. 12. cap. 1. & Nauarrus in manuali cap. 11. num. 28. & Suarez tom. 2. de religione tract. 4. lib. 4. de adiuratione cap. 3. Quia continet superstitionem, & spectat ad magiam. S. Anton. Nauarr. Suarez.

Forma exorcizandi cum requisitis ex parte exorcizantium habetur in Rituali Romano. Multum in hac materia valere fidem, & pietatem exorcizantium constat authoritate, & exemplis vti ex Athanasio in vita D. Antonij cuius hæc sunt verba: *Magna* aduersus Dæmonia arma sunt syncera, & intemerata ad *Deum fides, &c.* Sæpè enim impediuntur effectus exorcismorum per peccata exorcistarum, vti probat Delrius lib. 6. Magicarum disquisitionum cap. 2. & Petrus Thyræus de locis infestis par. 3. cap. 89. Omnia requisita accuratè recenset Ecclesia in rituali. Athanas. Delrius. Tyræus.

Illud diligenter obseruandum, quod affert Micrologus lib. de Ecclesiasticis officijs cap. 7. *Secundum Romanam authoritatem* nullam orationem per eum, qui venturus est concludimus, nisi sit exorcismus, in qua Diabolus per Diuinum iudiciū vt à creatura discedat exorcizatur. quod item animaduertit Bellarminus lib. de beatitudine cap. 6. ait enim exorcismos fermè concludi per eum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos. Huius mysterij ratio diligenter est inquirenda, cum eodem Bellarmino, & Layman. p. 5. tract. 9. c. 14. Microl. Bellarm. Layman.

Communis sententia est Dæmones mansisse in hoc mundo multos ad tentandos, & exercendos homines, qui dicūtur aereæ potestates, ita docet D. Augustinus, & ex eo probat D. Thomas 1. par. qu. 74. art. 4. & Bellarminus citatus. Igitur hi Dæmones extremi iudicij diem, & Aduentum in eo Christi maxime horrent, quia tunc cessabunt vagari, & tentare homines, & in carcerem Inferni detrudentur. Vnde multi PP. senserunt eos ante diem Iudicij non torqueri, quemadmodum aduertit Bellarminus lib. de beatitudine cap. 6. & Maldonatus in cap. 8. Matth. vbi affirmat Patres summo consensu hoc docere. Idem confirmat Bellarminus, & Suarez tom. 2. 3. 1. disp. 57. sect. 8. qui enumerant plures, & inter eos Irenæum, Hilarium, Iustinum, Martyrem, Oecumenium, & Augustinum. Idem notat Henriquez lib. vltim. de fine hominis cap. 25. & interpretes ad illum locum Matth. Venisti ante tempus torquere nos, & super locum Lucæ 8. num. 19. & Marci 1. num. 24. & in Epistola 2. Petri cap. 2. num. 4. & in Iudæ canonicam num. 6. de hac re tractat D. Thomas 1. par. quæst. 74. art. 4. Nec damnat hanc sententiam, tantum, ait, certius, & melius est dicere eos torqueri. Sunt autem qui dicant cruciari eos, sed minus quam cruciabuntur post diem Iudicij in qua sententia est Caietanus in commentarijs super Epistol. Petri 2. cap. 2. Henriquez sentit munus puniri eos accidentaliter. Idem significat Mal- August. D. Thom. Bellarm. Maldon. Suarez. Henriqu. D. Thom. Caietan. Henriqu.

Mal don. Maldonatus ad eum locum Matth. 8. & Layman. Layman. par. 5. tract. 9. cap. 14. exorcismis, & quod amplius est Bellarm. Bellarminus citatus, ait, eos plenè ante diem iudicij non torqueri. Affirmans tunc complementum suarum pœnarum esse habituros. Afferens enim rationem cur timeant exorcismos, ait, nulla re eos magis torqueri, quàm commemoratione futuri iudicij; & latissimè disputat, an Dæmones ante diem Iudicij torqueantur? Vt appareat hanc quęstionem propriam, & controuersam esse, in qua nihil est ab Ecclesia hactenus definitum, vnde prudenter agit, qui suum iudicium suspendit, & rem fatetur se ignorare.

Tandem obseruo Hæreticos mirè detestari exorcismos Ecclesiæ contra Dæmones, quia eos non tantum amicos, & socios, sed etiam Magistros habent, vti olim habuit Montanus, qui à Dæmone docebatur. Habuisse autem Lutherum, Zuinglium, Campanum, Dauidem, Georgium, & alios; tum Lutheranos, tum Caluinistas, Magistros Dæmones, qui ijs apparebant, hæresesque dictabant multis exemplis confirmat Lindanus Lindanus in Christomachia Caluinistica. tractat. de fugiendis Idolis. Addo coronidem, & finio. Quod ad ceremonias attinet in Synodo Smalchaldica Lutheranorum, & in Dordracena Caluinistarum Ecclesiæ ceremonias, & ritus fuisse damnatos, quorum nos idcirco defensionem suscepimus.

CAPVT IX.

De effectibus Sacramentalium in communi.

NOn agimus de effectibus, qui sequuntur ex dispositione operantis; qui sequuntur, non rei naturam, sed personæ opus, & communes sunt alijs omnibus rebus Sacris, quæ piè tractantur, & proficiunt ad gratiam, & charitatem operantis. Et quidem multi olim, tum tum in veteri testamento, vti Machabæi, tum in nouo multi Martyres passi sunt propter obseruantiam ceremoniarum, quod notat Tertullianus lib. de corona militis. Tertull. Pertinet enim hęc causa ad confessionem fidei, & professionem Religionis, quæ his signis manifestatur.

Agimus ergo de his effectibus, qui procedunt ab ipsis met ceremonijs, & ritibus ob illarum virtutem, qui in operantes refunduntur, & ad opus, quod aiunt, operatum pertinent. Aduertendum igitur has ceremonias, quando fiunt, excitare aliquos motus deuotionis, & pietatis, vti experimur, siue per intelligentiam mysteriorum, siue recordationem rerum diuinarum. Verum hic effectus est etiam communis cum alijs rebus non modo supernaturalibus, sed etiam naturalibus, sępè enim fit, vt ex aspectu cæli, maris, & florum ad cælestes cogitationes traducamur.

Quæstio ergo est de opere operato, an fiat in nobis virtute Sacramentalium aliquis effectus independenter ab operante, remoto impedimento? Pars negatiua Probatur primo, quia effectus supernaturalis, non potest manare ab ijs ceremonijs, quæ non sunt institutæ à Deo, cuiusmodi sunt istæ ceremonię, quę tantum ab Ecclesia sunt introductæ;

Probatur secundo, quia de his effectibus nulla scriptura reperitur sine qua nullos debemus effectus assignare. Probatur tertio, quia si Sacramentalia operentur ex opere operato nulla erit inter ea, & Sacramenta diuersitas. Probatur quarto, quia non apparet, qui sint hi effectus, vel enim sunt dona gratiæ actualis, vel habitualis, vel alia dona Dei, hæc autem non possunt causari ab instrumentis pendentibus ex institutione humana.

Conclusio tamen sit. Ceremoniæ & Ritus Ecclesiæ aliquos habere effectus ex opere operato. Non loquimur in specie: satis est enim, quod in toto genere inueniantur aliqui effectus. Patet primo ex vsu, & praxi Ecclesiæ, quæ certas quasdam ceremonias instituit verbis Imperatiuis, quæ otiosa essent, nisi aliquid propria virtute præstarent. Secundo, quia hæ ceremoniæ adhibentur, sæpè ab hominibus impijs, & gentilibus, & habent effectum, ergo is est ex opere operato, hoc probatur in Cruce, & aqua benedicta, ac præsertim in Cruce, vt obseruat Tertullianus in Scorpiaco. Origenes Homilia 6. in Exodum cap. 15. Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, de quo Athanasius lib. de Incarnatione. Signo itaque Crucis omnia Magica compescuntur. Veniat qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigijs Dæmonum, & imposturis vaticiniorum, & in miraculis Magiæ vtatur signo Crucis ab ipsis deriso, nomenque Christi inuocet, & videbit, quomodo eius rei metu Dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, Magiæ, & Veneficia iaceant. Idem notat Augustinus lib. 83. quæstionum qu. 79. Nec mirum, inquit, quod hæc signa valent cum à bonis Christianis adhibentur, quando etiam cum vsurpantur ab extraneis, qui suum nomen ad illam militiam non dederunt, propter honorem, tamen Excellentissimi Imperatoris *valent*. Quæ duo fundamenta experientia nixa, iustam faciunt probationem.

Tertull. Origenes Nazianz. Athanas. August.

Hanc doctrinam tradit S. Thom. 3. par. qu. 83. art. 3. Dum ait templum, & res alias ab Ecclesia consecratas habere quamdam spiritualem virtutem, per quam aptæ diuino cultui reddantur, & qu. 71. art. 3. dixerat Ecclesiam, vti verbis Imperatiuis ad expellendam Dæmonis potestatem. Sequitur Caietanus, qui existimat hos effectus fieri per virtutem physicam. Subscribit Soto dist. 13. qu. 2. art. 3. & Bellarminus lib. 2. de Sacrament. cap. 31. & Henriquez lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 20. & quamquam Suarez disp. 15. sect. 4. & Layman. tract. 9. cap. 13. de Sacramento Ordinis videantur negare dum omnia penè ad virtutem Imperatiuam reducunt; ego tamen certam puto sententiam D. Thomæ, & Caietani ob hanc rationem, quia nisi aliqua inesset vis ex opere operato frustra Ecclesia vteretur verbis Imperatiuis in multis ceremonijs, quod arguit D. Thomas. Probatur deinde primo, quia si vera esset sententia Suarij, multum iuuaret hæreticos affirmantes has ceremonias non esse operatiuas, sed tantum significatiuas. Secundo quia si omnes tantum essent impetratiuæ non distinguerentur ab alijs pijs operibus, quæ nullam habent institutionem Sacramenti. Tertio, quia frustra Ecclesia, tam accuratè se gereret in ijs instituendis, & exercendis, si nihil illa institutio, & applicatio efficeret, & effectus incerti essent.

D. Thom. Caietan. Soto. Bellarm. Suarez. Layman.

Argumenta opposita facilè soluuntur: primo respondendo, licet effectus sit supernaturalis, posse tamen ab Ecclesia præstari per potestatem sibi datam à Christo cum clauibus in Euangelio, non quod imme-

mediante Ecclesia operetur effectum, sed quòd instituat ceremoniam, qua posita Deus efficiat, quod promisit annexum tali ceremoniæ. Vti docent Authores de Sacramentis legis naturæ, de quibus dicunt fuisse relicta arbitrio Fidelium: ijs tamen positis Deum gratiam contulisse. Secundum soluitur dicendo satis esse fundamenti in Clauibus Petro, & Ecclesiæ datis accedente Ecclesiæ traditione, qua nixus D. Thomas 3. par. qu. 71. art. 3. affirmat exorcismos habere virtutem fugandi Dæmones. Tertio satis fit aduertendo, non opus esse noua doctrina, nec præcepto expresso ceremoniarum, vbi erant Sacramenta, quorum ceremoniæ, circumstantiæ, & complementa sunt, quemadmodum posita essentia alicuius rei, proprietates, & accidentia illam comitantur. Quartum dependet ex vltimo cap.

D.Thom.

CAPVT X.

De effectibus in specie Sacramentalium.

Qvinque esse possunt. Primus gratia sanctificans. Secundus auxilium gratiæ actualis. Tertius remissio Venialis culpæ. Quartus relaxatio penæ temporalis. Quintus Dæmonis expulsio, vel commodum aliquod temporale, vt sanitas. Quoad primum certum est non conferri per Sacramentalia. Antequam ad alios sigillatim deueniamus. Aduertimus certas quasdam ceremonias ad certos effectus ordinatas esse, non enim omnes eosdem præstant. Itaque singulæ cum singulis comparandæ. Hoc supposito de secundo effectu P. Suarez disput. 15. sect. 4. negat vllos motus gratiæ auxiliantis fieri in nobis ex opere operato Sacramentalium, sed hoc accidere ex occasione, & impetratione. Ratio est; quia non constat hoc esse promissum à Deo, & quia Ecclesia non habet potestatem ad illos effectus præstandos per Sacramentalia, quæ non sunt à Deo instituta. Layman est eiusdem sententiæ tract. 9. cap. 13. Mihi videntur hæ rationes negandi debiles. Primo, quia vti diximus constat de ista potestate Ecclesiæ per Clauium traditionem, vti constat de illa ad indulgentias, & hoc docet ipsa praxis Ecclesiæ. Secundo quia non est opus ad illa auxilia præstanda, vt potestas in Ecclesia sit, sed in Deo cuius erit positis illis ceremonijs conferre auxilia. Quare affirmo ex opere operato ista Sacramentalia operari illos motus gratiæ auxiliantis. Cum autem duplex sit modus illos causandi, vel physicè vel moraliter Caietanus vult, vt physicè causentur. Sed eum bene impugnat Suarez, quia ista physica efficientia est solum propria Sacramentorum. Itaque moraliter ex opere operato motus gratiæ à Sacramentalibus efficiuntur, quemadmodum Vasquez affirmat contra Suarium Sacramenta operari gratiam moraliter, cum tamen ex opere operato operentur. Probo autem primo authoritate Rabani lib. 1. de institut. Clericorum cap. 27. & 28. qui de ceremonijs baptismi id assertiuè proponit. Secundo probo authoritate Diu. Thom. qu. 71. art. 3. vbi citato ad marginem Rabano idem affirmat, & vtitur verbo expresso, operatur, & clarius qu. 83. art. 3. in corp. vbi ex varijs textibus Iuris Canon. de consecr. distin. 1. id probat, & loco lib. 2. Machabæor. cap. 3. diuinam esse in locis Sacris virtutem cõfirmat. Probatur tertio ex vsu Ecclesiæ in consecrandis templis, & altaribus, & Sacramentis administrandis, quæ indicant ipsamet consecratione, & pompa aliquam diuinam virtutem in se continere. Optimè autem D. Tho. proximè citatus loquens de consecratione Ecclesiarum expresè ait.

Suarez. | Layman. | Suarez. | Vasquez. | Raban. | D.Thom

Ali-

Aliquam spiritualem virtutem adipiscuntur per consecrationem, &c. Deinde addit. Quidam probabiliter dicunt, quod per ingressum Ecclesiæ consecratæ homo consequitur remissionem venialium. Quod si hæc remittuntur, etiam aliquis motus gratiæ excitabitur. Idque tradunt Authores supracitati à nobis de his effectibus in genere: in quibus sunt Henriq. & Bellar.

Hoc nos docet experientia, multo enim plus excitamur, & mouemur ad pietatem cum loca sacra visitamus, & ceremonias istas obimus, vel exercere alios videmus, & quidem indignum nihil differre Ecclesias consecratas in aliquo effectu à locis prophanis, & indignissimum, quod loci turpes plus valerent ad concupiscentiam excitandam, quam sacri ad auxilia gratiæ prouocanda. Quare censeo aliquos motus auxiliantis gratiæ per istas ceremonias ex illarum opere operato obtineri.

Quod attinet ad tertiū: volo quæstionem resoluere verbis Henriqu. lib. 1 de Sacram. cap. 20. *Sacramentalia*, inquit, *habent vim quamdam spiritualem iuxta Patres, vt quantum est ex se semper, & infallibiliter habeant effectum si expediat homini, nec apponat obicem, puta, vt mundent à venialibus.* Et iterum. *Certum est Petro Matth. 16. & Ecclesiæ, Ioannis 20. datam diuinitus Clauium potestatem ad remittendas culpas extra Sacramentum Pænitentiæ; & vsus communis, & sensus Ecclesiæ declarat Sacramentalia quædam eo fine instituta, vt aliquo modo sanctificent, & purificent animum.* Et rursum. *Sic quædam ceremoniæ legales à Deo olim institutæ remittebant venialia.* De Sacrificijs autem veteris legis, ita docuit Glossa in cap. Aquam dist. 3. & cap. Cum omne dist. 2. ibi & cap. Quotidianis de pœnitentia dist. 3. & specialiter de aqua benedicta in eodem cap. Aquam. docet textus mundare animam, quod Glossa explicat de remissione venialium. Hanc doctrinam probabilem dixit D.Th. 3. p. q. 83. a. 3. vbi ad confirmandum per ingressum Ecclesiæ consecratæ remitti venialia, affert exemplum aquæ benedictæ; & ait. *Sicut per aspersionem aquæ benedictæ.* Sequitur D.Th. Dominicus Soto in 4. disp. 15. q. 2. Idem sentit Bellar. lib. 6. cap. 31.

Quomodo autem deleantur venialia: quæritur; nam duplex est modus delédi: primus per aliquem motum pœnitentiæ, & dolorem de ijs peccatis cum applicatione aquę benedictæ: secundus sine illo expresso dolore, sed tantum ex cultu religioso in exercendo eam ceremoniam. Primus modus est ex opere operantis. Secundus ex opere operato. De primo illo modo omnes fatentur remitti venialia. Henriquez affirmat de secundo, quod mihi placet, & meam sententiam eius verbis propono. Igitur lib. 1. de Sacram. in genere c. 20. Non, inquit, requiritur vt cum acceptione aquę benedictæ excitetur motus pœnitentiæ, aut charitatis, per quem expellantur venialia ad modum operis operantis, sed satis est cum religioso cultu vti aqua benedicta in finem remediumque in quod instituta est. Sic enim continet virtualem displicentiam venialium, & est idonea dispositio, vt ex opere operato Deus conferat remissionem illorum, & pœnarum temporalium, nam alias frustra adhiberetur deuota susceptio aquæ benedictæ, si nullum fructum haberet ex operato. Quæ optima ratio est, nec solus Henriquez ita sentit prius illud docuerat Cano lib. 22. de locis cap. 72. ad 9. & Victoria §. 10. & Ledesma relatus à Cano, & ante omnes Bonauentura, qui in 2. dist. 21. art. 1. qu. 2. ait. Si quis aspergatur aqua lustrali, quamuis non aduertat, aut ignoret remittuntur sibi venialia, dummodo id virtute voluerit, vt pro-

Henriqu. Glossa. D.Thom. Sotus. Bellarm. Henriqu. Cano. Victor. Ledes. Bonau.

proficeret. Assentior Bonauenturæ.

Hinc sequitur resolutio Quarti de relaxatione pœnarum temporalium. Si enim remittuntur culpæ veniales, à fortiori remittentur temporales pœnæ, vti docent ijdem authores cum maiori dist.23.qu.2. Qui tenent remitti ex opere operato, quemadmodum obseruat Henriqu. qui ait ex hac relaxatione pœnarum sequi remissionem culparum ita vt, inquit, *Deus ex opere operato conferat remissionem peccatorum venialium, & pœnarum temporalium, quibus ablatis cessat culpa.*

Henriqu.

Quoad vltimum negari non potest Dæmones interdum pelli per exorcismos ex opere operato, vti superius diximus, & de virtute Crucis latius probauimus. Ad hoc enim instituti sunt ab Ecclesia verbis imperatiuis, & ita docent Sotus, & Caietanus citati ab Henriq. lib.2. de Sacram. Baptism. cap.14. qui eos sequitur lib.1. de Sacram. in genere cap.11.n.3. & lib.2. cap.13. & 14. & tradit D.Th.3.p.q.71. art.3. Imo P. Suarez, non audet negare hunc effectum expellendi Dæmones fieri virtute exorcismorum ex opere operato propter specialem potestatem datam à Christo Ecclesię suæ, quam ille vocat Imperialem, & id probat rationibus, & exemplis disput. 15. sect.4.

Sotus. Caietan. D.Thom. Suarez.

Quoad effectus temporales aliter sentio: nimirum eos directè non fieri ex opere operato, quia cum spirituales non sint, pendent omnino à voluntate Dei, & opere operantis: itaque impetrantur solum, non efficiuntur ex opere operato. Quod à fortiori debent dicere hi Authores, qui negant sacramentalibus effectus spirituales ex opere operato. Suarez disp.15. sect.4. in fine ait hos effectus temporales solum obtineri per modum impetrationis, nisi forte ex spiritualibus per accidens sequantur, vti cum ex Dęmonis expulsione per exorcismos à morbo inde contracto Energumenus liberatur.

Suarez.

SCHOLA XIII.

DE ANTICHRISTO.

CAPVT PRIMVM.

Quis sit Antichristus, & an vnus, vel plures, & vtrum iam venerit, an venturus sit?

OPORTET sapere ad sobrietatem, inquit, Apostolus; sed Hæretici sæpe nimis sapere volũt, ac idcirco errant. Antichristum aiunt eum esse, qui est pro Christo, & vice Christi, idest Vicarium Christi, vt Papam Antichristum probent. Aiunt quippe illam propositionem *Anti* significare pro. Ita
Musculus Magdeb. Musculus lib. de potestat. Ministrorum, & Magdeburgenses centuria 1. lib.2. cap. 4. Id nos Catholici negamus etiam intra terminos Grammaticæ. Quamuis enim *Anti* ponatur loco, pro, semper fit cum respectu ad oppositionem, vel æmulationem. Sed quidquid sit de sensu prophano in sacris litteris *Anti* po-
Ep. Ioan. cap. 4. nitur pro contra. Patet ex Epist. 1. Ioannis cap. 4. *Omnis Spiritus, qui soluit Iesum ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Hoc sensu dicitur apud eumdem. *Antichristus venit, & Antichristi multi facti sunt*, hoc est, illi de quibus dixit. *Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis*. Quæ omnia sunt apud Ioannem; & apud Paulum. *Antichristus est ille homo peccati filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus*. Ex quibus patet Antichristum non esse Vicarium Christi, sed contrarium.

Quoad secundam partem quæstionis: apparet vnum Antichristum esse principalem: cæteros figuras, & prodromos. Sicut enim Christus habuit alios prodromos, & figuras sui de quibus dixit Psalm. 104. *No-* Psal. 104.
lite tangere Christos meos. Et sicut quidam ex Regibus dicebãtur Christi Domini, ita & Antichristus alios habuit antecessores, & figuras. Itaque vnus est principalis, quem alij inferiores præcedunt, & figurant. De illo vnico, & principali dicitur *homo peccati, & reuelabitur ille iniquus*. De hoc eodem dicitur. *Extollet se supra omne, quod dicitur Deus*.
Quæ habentur Epistola 2. ad Thessalon. cap. 2. ad eumdem pertinet 2. ad Th. 2.
illud Danielis cap. 11. *Nec quem-* Danielis cap. 11.
quam Deorum curabit, quia aduersum vniuersa consurget. De illo iterum, *ita vt in Templo Dei sedeat*. Ad illum

Ioann. 5. lum spectat sententia illa Christi Ioannis 5 *Si quis venerit in nomine meo illum recipietis*, idest pro Messia habebitis. Huic Antichristo conueniunt notæ propriæ, ac genuinæ postea afferendæ. Hic venturus est in fine mundi, quemadmodum constat ex scripturis, & Patribus.

2. ad Th. cap. 2. De alijs Antichristis, qui numero sunt plures intelligitur illud Pauli 2. ad Thessal. 2. *Mysterium iam operatur iniquitatis*, id est per alios antecessores, & figuras suas. De Ioann. 4. his loquitur Ioannes Epist. 1. cap. 4. *Qui soluit Iesum Antichristus est*. Et rursum. *Antichristi multi facti sunt*. De hoc perspicuè dicitur ab eodem Euangelista. *Hic est Antichristus, & iam in mundo est*. Vnde Augusti- August. nus lib. 2. contra Aduersarium legis & Prophetarum cap. 12. Hunc Antichristum appellat: *Vnum illum maiorem cæteris*, namque alij minores illo sunt, quia minus se Christo opponent, de quibus dixerat Ioannes. *Antichristi multi facti sunt*. Et Damasc. post Augustinum, Damascenus lib. 4. fidei Orthodoxæ. *Peculiari*, inquit, *modo Antichristus dicitur, qui in consummatione sæculi venturus est*.

Ex his patet responsio ad tertiam partem quæstionis respondendo cũ distinctione Antichristum principalem hactenus nõ venisse, venisse autem alios minus principales. Hæc pars constat, quia multi iam fuerunt Antichristi, & aduersarij Christi. Hi autem fuerunt in duplici differentia quidam enim persecuti sunt Christum in sua Ecclesia, torquendo, & interficiendo membra eius, vti Nero, Domitianus, Decius, Valerianus, Iulianus, qui Martyres fecerunt. Alij persecuti sunt Ecclesiam inuehendo hæreses, & errores, & aduersantes Christi doctrinæ huiusmodi fuerunt Simon Magus, Ebion, & Cerinthus, & Arrius, & Pelagius, & Lutherus, & Caluinus, qui omnes fuerunt prodromi Antichristi, nec tantum post Christi Aduentum Antichristi extiterunt, sed etiam ante illum in veteri testamento Antichristi reperiuntur, qualis fuit Antiochus Illustris tempore Machabæorum, qui fuit figura Antichristi iuxta Hieronymum commentarijs in cap. 11. Danielis, & Cyprianum lib. de exortatione ad Martyres. Imo & Caluinus idem sentit, affirmans Antiochum Regem iam ijs temporibus typum Antichristi extitisse. Ex quo apparet Antichristum illum principalem non dum venisse, alios prodromos, & minus principales iam venisse. Imo & alios fortassis esse venturos. Hieron. Cyprian. Caluinus

CAPVT II.

De notis, & signis Antichristi.

INquirendum primò: vtrum Antichristus certus quidam, & singularis homo futurus sit? Hæretici negant, & aiunt Antichristum significare Principatum, seu Regnum Apostatam à Christo, & illi contrarium, in quo multi possunt esse homines successiuè Apostatæ, & Antichristi. Ita Magdeburgenses centuria 1. cap. 4. & Beza in 2. ad Thessalon. cap. 2. & Caluinus apud Augustinum Marloratum. Mirum est, quod cum ijs sentiat Caietanus in primam Epistolam Ioannis cap. 2. vbi ait delirare eos, qui existimant Antichristum vnum esse, & certum hominem, cum sit Apostasia quædam à Fide, non sub vno Rege, sed multis. Magdeb. Beza. Caluinus Caietan.

Conclusio tamen sit Antichristum fore vnum certum, & singularem hominem. Ita Patres Irenæus lib. 5. Cyrillus, & Chrysostomus in cap. Euangelij Ioannis 5. Hieronymus ad Algasiam qu. 11. Augustin. tract. 29. in Ioannem, & alij apud Bellarmin. lib. 2. de Romano Pon- Irenæus. Cyrillus. Chrysost. Hieron. August. Bellarm.

Henriqu. tifice cap. 2. & Henriquez lib. de fine hominis cap. 23.

Probatur 1. ex loco Ioannis cap. 5. vbi Christus: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, si alius venerit in mundum illum recipietis*. Vbi Christus opponit sibi iam misso à Patre alium hominem venturum in mundum; quæ verba non possunt quadrare in prouinciam, aut regnum, aut gentem. Præterea Christus significat illum, qui venturus esset, pro Messia esse habendum à Iudæis, qui sanè est homo certus, & determinatus. Ioan. 5.

Probatur 2. ex Paulo Epistola 2. ad Thessal. cap. 2. *Cum reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*, quę verba designant indiuiduum, & certum hominem: ita notat D. Tho. & alij apud Henriq. citatum cum Glossa, & Lyran. 2. ad Th. cap. 2. D. Thom

Probatur 3. ex Daniele cap. 7. vbi Antichristus vocatur vnus Rex, qui vicit alios tres Reges, & alios septem subiecit, vti obseruant Hieronymus, & Theodoretus, & Pererius. Obseruat etiam August. lib. 20. de ciuit. c. 23. Dan. 7. Hieron. Theodor August.

Probatur 4. ex eodem Daniele cap. 11. & 12. vbi ponitur typus Antichristi Antiochus Epiphanes Rex, quemadmodum tradunt Patres, & ipsemet Caluinus, & alij Hæretici fatentur. Igitur vt typus conueniat figurato debent ambo esse determinati, & certi homines. Hanc conclusionem multis persuadet Suarez 3. par. q. 59. dub. 54. §. 1. cum Doctoribus Scholasticis in 4. dist. 46. vbi Soto q. 1. art. 1. Dan 11. Caluinus Suarez. Soto.

Esse autem verum hominem ex iisdem locis constat, & Paulus perspicuè dixit dum ait. *Homo peccati* quæ est communis Patrum doctrina cum Damasceno lib. 4. cap. 27. Nec Hæretici multum repugnant. Hippolytus existimauit fore Diabolum, qui ex falsa virgine falsam carnem assumpturus erit, quod est absurdum. Rabanus vero inter opera Augustini tomo 9. Putat concipiendum esse ex virgine opera Diaboli, vt Christo se opponat. Sed reprobatur communiter vti obseruat Bellarminus, & Suarez, & Henriquez. Quidam putant ex Dæmone incubo, & muliere corrupta nasciturum, sed hoc liberè dicitur, nec habet fundamentum in scripturis. Multo minus ferẽda est opinatio illorum, qui dicũt fore vnum compositum ex duabus naturis, altera diabolica, altera humana, & in vna persona subsistentibus: quia sic directè opponitur Christo, & fit Antichristus: qui sanè error est confutatus à Hieronymo in c. 7. Danielis, & Beda in cap. 5. Apocalyp. & Damascen. lib. 4. cap. 27. Seuerus Sulpitius lib. 7. Historiæ significat fore Neronem à mortuis suscitandum, sed non placet Augustino lib. 20. de Ciuitat. cap. 19. Alij tamdem sunt, qui putant concipiendum esse ex Monacho, & Moniali, vti refert Henriquez cap. 23. qui ait Bellarminum cap. 12. negare certum hoc esse, sed esse tamen probabile. Sed immeritò: nec enim id affirmat Bellarminus, sed solum ait Antichristum ex fornicaria muliere, non ex legitimo matrimonio nasciturum probabile, sed minimè certum. Damasc. Hippol. Rabanus Bellarm. Suarez. Henriqu. Hieron. Beda. Damasc. Seuerus Sulpitius August. Henriqu. Bellarm.

His reiectis sententijs constat Antichristum fore certum, & verum hominem conceptum more ordinario ex semine vtriusque parentis in peccato originali conceptum, & genitum, qui rectè à Paulo appellatur homo, vti alij homines eiusdem speciei.

Notę Antichristi huiusmodi sunt: quædam pertinent ad similitudinem quam affectabit Christi, vt facilius decipiat Iudæos, quædam spectant ad inimicitias, quas cum Christo exercebit ad euertendam eius Ecclesiam. Propono primum primi generis. Prima nota est, quod

quod sicuti Christus habuit præcursorem id est Baptistam, ita & Antichristus suum præcursorem habebit. Secunda quod nascetur ex Iudæis vt Messias videatur. Tertia quod prædicabit tres annos, & dimidium, tot quippe Christus legitur prædicasse. Quarta quod mori se finget, & tertia die resurgere. Quinta quod erit caput omnium malorum, sicuti Christus est caput omnium bonorum teste D. Tho. 3. parte q.8.ar.8. Vltima quod rex erit Iudæorum, & solium regni Hierosolymis collocabit, vt se ostendat de regio sanguine, & Iudæos in suas partes traducat. (D.Thom)

(Aliæ notæ Antichr.) Aliæ notæ quibus contradicet Christo, expressæ sunt in scriptura. Prima deficere à Fide: quæ habetur ad Thessal. 2. (Thessal.) Secunda ibidem contenta, sedere in templo Dei. Tertia ostendere se Deum, ibidem. Quarta extollere se supra omnem Deum, ibidem. Quinta facere falsa miracula, ibid. Sexta negare Christum, prima Ioannis 2. (1.Ioan.) Septima imprimere subditis caracterem: Apocal.13. Octaua bellare contra Sanctos. Nona regnare 42. menses, Apocal. 11. Vltima habere nomen ex certis litteris compositum Apocal. 13. de quibus notis nobiscum Hæretici conueniunt. In eo dissentiunt: quod volunt eas in Romanum Pontificem ita quadrare, vt ille sit verus Antichristus, quod nos Catholici irridemus.

CAPVT III.

Vita, & Gesta, & Mors Antichristi.

(Ex qua tribu nascetur Antichristus) NAscetur Antichristus ex vero Patre, & matre Iudæis, vt simulet se esse Messiam, fingetur ortus ex Tribu Dauid, erit tamen ex Tribu Dan, idque indicant Scripturæ prima Genes.49. (Genes.49) *Dan coluber in via, Cerastes in semita*. Secunda Hieremiæ 8. (Hieremi.) *ex Dan audiuimus fremitum, equorum eius*. Tertia coniectura est ex Apocal. vbi numerantur Tribus Israel, & nulla fit mentio de Tribu Dan, quasi maledicta propter Antichristum. Huius sententiæ sunt multi Patres apud Bellarm.lib.2.cap.12.& Henriquez cap. 23. (Henriq.) & inter eos Theodoretus (Theodor) in epithome diuinorum decretorum cap. de Antichristo, & Damascen. lib. 4 cap.27. (Damasc.)

(De patria Antichr.) De patria maior quæstio est. Alij dicunt Vrbem Dan, quæ erat in finibus terræ promissionis ad septentrionem; vnde venturum esse Antichristum affirmat Lactantius lib.7. cap. 16. (Lactant.) & Rabanus (Rabanus) de Antichristo inter opera Augustini tomo 9. Non desunt qui dicant nasciturum Romæ vti Martinez lib. 3. Hipotyposeon (Martin.) cap. 2. quia Roma vocatur Babylon ibi nasciturum Authore Hieronym. Daniel. 7. (Hieron.) & Eusebio (Euseb.) lib.2. Historiarum cap.5. probat Ribera (Ribera) Apocal.14. & confirmat Henriquez (Henriq.) cap. 23. educabitur vel clam, vti sentit Damasc. vel in Chorosain, vel Bethsaida, quò trahitur illud Christi, *væ tibi Chorosain, væ tibi Bethsaida*. Ita refert Enriquez citatus. Erit principio, & in adolescentia sua occultus, & ignobilis, iuxta illud Daniel.11. (Daniel.) *Stabit in loco eius despectus*, & postea caput eriget, & cristas attollet, & crescet opulentia, & viribus, & cum militaribus copijs veniet in Hierusalem, & ibi rædificabit Templum Salomonis, vt monstret se esse Messiam. Et quanquam hæretici dubitent, an Hierosolymis eius sedes futura sit? id sanè extra controuersiam est. Nam Apocalyp. 11. (Apocal.) refert Ioannes Enoch, & Eliam cum Antichristo esse pugnaturos, & contra eum prædicaturos, & in Hierusalem occidendos esse, vbi pugnarunt antea, *& corpora*, inquit, *eorum iacebunt in Plateis Ciuitatis Magnæ, quæ vocatur spiritualiter So-*

doma, & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est. Quo loco, Arectas insignis interpres exponit in Hierusalem. *In ea enim*, inquit, *regnabit tamquā Rex Iudæorū*. De quo consentiunt omnes penè interpretes. Clarè ex antiquis id affirmat Irenæus lib. 5. & Hieronymus in cap. 11. Daniel, & plures alij apud Bellarminum lib. 3. de Romano Pontifice cap. 14. & Henriquez de fine hominis cap. 23. Itaque Hierosolymis vtriusque Imperij, tum spiritualis, tum temporalis sedem locabit. Id autem Iudæis persuadebit eum esse desideratum, & verum Messiam. De hac autem sede in Templo Hierosolymitano loquitur Paulus in Epistola ad Thessalon. 2. cap. 2. dum ait: *ita vt in Templo Dei sedeat*. Hac enim voce Templi non vtuntur Scripturæ, & Apostoli, nisi quando agunt de Tēplo Hierosolymitano. De hac sede loquitur Christus apud Matth. cap. 24. *Cum videritis*, inquit, *abominationem desolationis stantem in loco Sancto*, qui locus de Antichristo allegoricè intelligitur ab Ambrosio Lucæ 21. & Greg. 32. Moralium.

Arectas. Irenæus. Hieron. Henriqu. 2. ad Th cap. 2. Matt. 24. Ambros. Gregor.

Receptus à Iudæis Antichristus, & Imperio suo in Occidente constituto coget copias ad debellandum Occidentem, & euertendum Imperiū Romanum. Venient *Gog, et Magog*. Apocal. 20. Id est Scythiæ gentes, de quibus loquitur Ezechiel cap. 38. Quo nomine significantur Turcæ, & Tartari, & si enim Ambrosius de Gothis interpretetur lib. 2. de Fide cap. vltimo, tamen de Scythis, & Barbaris, idest Turcis, & Tartaris intelligendum, qui inimici sunt nominis Christiani, & Romani.

Apocal. Ambros.

Quo tempore veniet Antichristus erit Romanum Imperium diuisum inter decem reges, vti patet ex cap. 7. & 11. Danielis; vnde colligitur ante aduentum Antichristi debere Imperium Romanum ad vnum tantum Imperatorem reduci. Fiet enim, vt in vnum Romanum Imperium coeant omnia, quæ hodie diuisa sunt regna, id est Hispanicum, Gallicanum, Anglicanū &c. Nam vnus tunc erit in his omnibus Monarcha, & Imperator. Erit autē vltimus Antichristus. Quod autem decem tunc Reges futuri sint, ait perspicue Hieronymus in cap. 7. Daniel. Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Ecclesię tradiderunt in consummatione Mundi, Regnum destruendum esse Romanorum, & decē futuros reges, qui orbem Romanum inter se diuident: hos omnes Antichristus vincet, & fiet illa celebris discessio, seu defectio, quæ prædicitur à Paulo 2. ad Thessal. 2. quæ discessio erit ab Imperio Romano, quod finietur ad regnum Antichristi, quæ communis est Patrum sententia Tertullian. lib. de resurrectione car. cap. 24. & Hieron. ad Algasiam quæst. 11. & Cyrill. cath. 15. & Chrysostom. 2. ad Thessal. 2. Non est autem accipienda illa discessio à Fide, & Ecclesia, vti putat Soto in 4. distinct. 46. q. 1. art. 1. qui affirmat ab Antichristo euertendam esse Ecclesiam, & Fidem Catholicam extinguendam. Quæ sententia improbabilis est, cōtra illud Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, & illud Lucæ 23. *Oraui pro te Patre, ne deficiet fides tua*, & refutatur manifestè illa Christi sententia apud Matth. 24. *Vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. Vnde colligitur fore tunc electos, atque adeo Catholicos Christianos. Hoc idem docet August. lib. 20. de ciuit. cap. 11. vbi sic, *Nec militiam suum deseret Deus, quæ vocabulo appellatur Castrorum*. Sotum vero refutant Henriquez citatus, & Bellarm. cap. 17. Vnde Ezechiel, Da-

De Romano Imperio tēpore Antichristi. Hieron. Tertull. Hieron. Cyrill. Chrysost. Soto. Matth. 16 Lucæ 23. Matt. 24. August. Henirq.

Daniel, Paulus, & Ioannes in Apocalyp. aiunt in vltimo illo prælio contra Antichristum Ecclesiam fore victricem.

De præcursore Antichr. Habebit Antichristus precursorem, qui Apocal.13. in figura bestiæ de terra ascendentis visitur, & cap. 19. Pseudo Propheta dicitur, qui errores multos cõtra Christum, & Pontificem Romanum dissemi- Hieron. Theod. Pererius. Irenæus. nabit, vt cum Hieronymo, & Theodoret, in caput Danielis 17. probat Pererius, eumque armigerum Antichristi appellat Irenæus lib. 5. cap.28.

De miraculis Antichristi. Patrabit miracula Antichristus, auferet Sacramenta, ac in primis Eucharistiam, & sacra officia, & omnem cultum Ecclesiasticum. Locabit imaginem suam iu templo, & ex illa fundet oracula. Faciet etiam stare solem instar Iosuè, & alia similia, vti apparet ex illis verbis Matt. 24. 2. ad Th. cap.2. Christi Matth. 24. *Dabunt signa, & prodigia magna*, & Paul. 2. ad Thesal.2. *Insignis, & prodigijs*, & Ioannis Apocal.13. *Fecit signa magna in* Apocal. Cyrill. *conspectu hominum*. Et ita docet Cyrillus Catech. 15. & Theodoret. Theod. Gregor. 2. ad Thessal.2. Imò addit Gregor. lib.32. Moral. cap. 12. Etiam eius ministros, & tortores Martyrum coram Antichristo miracula esse facturos. Adeo vt homines mirentur, & dicant apud Ioannem Apocal. *Qui similis Bestiæ?* id est Apocal. interprete Beda propter similitudinem cum Christo.

Beda. Abundabit opibus, & auro: vnde Iob. 41. *Sternet sibi aurum quasi lu-* Iob.c.41. *tum*. Hac ratione seducet gentes, & subiget orbem. Prædicabit annos tres, & dimidium, & multos seducet. Resistent ei Enoch, & Elias Christum prædicantes, & vera miracula facientes (Antichristi enim erunt ficta, & apparentia) eos tamen occidet Hierosolymis. Post De morte Antichristi. vnum mensem morietur ipse interfectus à Christo iuxta Paulũ Thessal. 2. *Interficiet eum D. Iesus in* Thessal. *spiritu oris sui*, id est per Archangelum Michaelem, authore Henriquez 24. qui nititur testimonio Henriq. Daniel cap.12. quamquam Lactantius lib.7. cap. 19. significet Christum de cælo descensurum, vt occidat Antichristum. Lactant. Post eius mortem durabit mundus 45. dies. Eius vita erit annorum 34. vt similem se Christo ostendat, quod graues authores docet apud Henriquez. De ætate Antichr. Eo mortuo sequetur dies eius Iudicij. Hæc omnia ex scripturis, & doctrina Patrum deducunt, & probant Bellarm. Suarez, & Henriquez, Iesuitæ, & Maluenda Dominicanus in opere suo de Antichristo. Bellarm. Suarez. Henriq. Maluen.

CAPVT IV.

Quomodo Hæretici Pontificem Romanum Antichristum faciant.

EQuidem alibi argutari Hæreticos dixerim, hic omnino desipere, & delirare affirmarim, ac vt amantium somnia sunt, ita & odiẽtium. Quod argumenta hæreticorum palam faciunt: quot enim formant tot fingunt mendacia, qui enim hanc vitam, & gesta Antichristi legat, comperiet nihil eorũ posse in Romanum Pontificem quadrare; verum ne videamur eos inauditos condemnare, illorum argumenta audiamus. Obiectio

Primum Argumentum esto, Antichristus iam venit. Hic est Papa, ergo, &c. Maiorem probant ex Ioanne Epist. 1. *Antichristus venit*, & rursum: *venit, & iam in mundo est*, & ex 2. ad Thessal.2. *Mysterium iam operatur iniquitatis*. Io.ep.1. Thessal. Hoc argumentum futile est, quia iuxta proximam doctrinam maior est falsa, si de illo vno Antichristo, & vero, qui in fine mundi venturus est loquatur. Respons. Hic enim nondum venit. Si autem intelligatur de alijs, qui sunt

ſunt Typi, & Prodromi ipſius, maior eſt vera, ſed nihil tamen concludit, quia non agimus de his Antichriſtis, ſed de illo principali. Præterea hoc ſenſu cur non erit Antichriſtus Mahometus, & Arrius, vel Nero, aut Iulianus Apoſtata, qui fuerunt Chriſti inimici. Papa quippe non eſt inimicus Chriſti, qualis futurus eſt Antichriſtus, imò multi ex Papis pro Chriſto mortem ſubierunt.

Deinde rogo Hæreticos: quando venit iſte Antichriſtus? Reſpondet Lutherus lib. de ſupputatione temporum, & alter in ſuo Elencho Lutherum ſequens, tempore Phocæ Imperatoris anno 600. veniſſe. Alij cum Henrico Bullingero præfat. in Apocalypſim anno 763. Alij vti Muſculus anno 1200. poſt tempora S. Bernardi. Hi omnes facile refutantur, quoniã loci Scripturę quos afferunt loquuntur de tempore præſenti, in quo Apoſtoli viuebant florente Eccleſia primitiua. Iam ergo tunc debuit veniſſe Antichriſtus non ſexcentis, vel ſeptingentis, vel mille annis poſt; ergo delirant Hęretici; oportet enim dicere omnes Papas poſt D. Petrum Antichriſtos fuiſſe, vel nullum eorum extitiſſe Antichriſtum. Deinde quia ſi hoc tempore D. Pauli, & Ioannis iam venerat Antichriſtus, is eſſe debuit Nero, vel Domitianus, vel Traianus, qui perſequuti ſunt Pontifices, Chriſti Vicarios, & Chriſtianos, & conſequenter non potuerunt eſſe Papæ, qui Petri ſucceſſores erant, & Chriſti Vicarij, & Chriſtum confitebantur, & regebant Eccleſiam Chriſtianam. Præterea nominent aliquem Pontificem, qui Antichriſtus eſſe potuerit, & fuerit *Homo peccati*, & negauerit Chriſtum. Hunc certè non dabunt.

Vnus tamen Chythræus in cap. 9. Apocalyp. & Magdeburgenſes centuria 6. cap. 1. aiunt Gregorium Magnum Antichriſtum fuiſſe. Impudenter ſanè, cum ille fuerit vir Sanctiſſimus, & quo nemo Antichriſto diſſimilior, procul ab omni vitio, & arrogantia, adeo vt Patriarcha vniuerſalis dici noluerit. Et quod amplius eſt Sanctum Luth-rus appellauerit, idque obſeruat Becan. lib. de Antichriſto cap. 6. At Luthero Hæretici ſuffragari tenentur.

Secundum Hæreticorum Argumentum huiuſmodi eſt. Antichriſtus vſurpauit ſibi authoritatem Chriſti, & ſedit in templo Dei exaltatus ſuper omne, id quod dicitur Deus. Hic eſt Papa: ergo Papa Antichriſtus eſt.

Reſpondetur primo, eodem modo nos poſſe argumentari Lutherum, & Caluinum Antichriſtos eſſe; quod ſi volunt intelligi de Patriarchis: Iacobus Apoſtolus, & Epiſcopi Hieroſolymitani Antichriſti fuerunt, ibi enim erat templum Dei.

Reſpondetur ſecundo, eos non intelligere Scripturas Sacras, quia ſedere in templo Dei, non poteſt accipi de Romana Eccleſia, ſed de templo Hieroſolymitano, vti ſupra diximus. Nec ibi ſedere, & exaltati ſupra Deum conuenit Pontificibus, qui nunquam ſe finxerunt Deos, neque negarunt Chriſtum. Si autem hoc fecerunt à Petro ſtatim facere incęperunt, nec oportuit expectare annos ſexcentos. Prętèrea quis non videt Põtifices adorare Chriſtum, & confiteri peccata ſua Sacerdotibus, & pauperibus Chriſti lauare pedes, & ante illius imagines procumbere? Deinde ſi Antichriſtus debet haberi Meſſias à Iudæis, & ſeruare Iudaicas cerimonias, quis vnquam vidit Romanos Pontifices eas exercere, & Meſſiam ſe eſſe affirmare? Certe nullus vnquam Iudæus Romanum Papam pro Meſſia recognouit: imò ipſi

Iudæi

Lutherus

Bulinger

Muſcul.

Chythr.
Magd.

Luth.

Becan.

Iudæi à Pontificibus ad Christum trahuntur, & in nomine Christi baptizantur. Quomodo? ergo sunt Antichristi.

Obiectio Tertium Argumentum est. Papa habet nomen Antichristus: ergo est Antichristus. Probant antecedens, quia Apocalyp. 13. habetur nomen bestiæ; idest Antichristi compositum ex litteris, quæ reddunt numerum sexcentorum sexaginta sex: hunc autem numerum continet nomen latinus, siue Romanus, vti apparet ex litteris Hebraicis, & Græcis, quæ numerales sunt, & reddunt numerum sexcentorum sexaginta sex. Papa autem latinus est, siue Romanus. Confirmant Hæretici ex Irenæo, qui lib. 5. docet nomen Antichristi perinde esse, ac latinus: hoc modo argumentantur Hæretici, vti videre est apud Chythræum in cap. 13. Apocalyp.

Iren. Chythr.

Ridiculum est hoc argumentum, quia hoc diuinare est nō argumētari. Quod si ex litteris, quæ illū numerum efficiunt argumentari volumus, etiam Lutherus habet litteras significantes illum num. *666.* vti notat Genebrardus lib. vltim. Chronologiæ. Imò & nomen Saxonius ijsdem caracteribus cōstat: ex quo apparet magis Antichristum fore Lutherum quam Papam, quia nullus hactenus Pontifex Latinus proprio nomine fuit appellatus: si autem Patriæ habeatur ratio, multi fuerunt Græci, & aliarum nationū, in quos quadrare nō potest nomen latinus, quod sane in Lutherum vtroque modo quadrat, cum eius proprium nomen, & appellatiuum contineat litteras nominis Antichristi.

Genebr.

Deinde refelluntur Hæretici, quia multa alia sunt nomina, quæ eundem numerum efficiunt, vt Antemos, id est contrarius, & lampetis, idest illustris. Nemo autem scire potest, quale nam futurum sit illud nomen, quod fatentur Aretas, & Irenæus in illum locum Apocal. ex quo infirmatur testimonium Irenæi, qui affirmat multa alia esse nomina, quæ hunc numerum *666.* efficiunt, vti est nomen Titan, ac proinde affirmat nihil esse temere definiendum. Tandem si nomen latinus est nomen Antichristi Latinus ille latinius author Viterbiensis paulo ante mortuus, Antichristus fuit, nec tamen ille Pontifex fuit.

Aret. Iren.

Quartum Pontifex Romanus imprimit caracterem in suis subditis: ergo est Antichristus. Antecedens patet ex cap. 13. Apocalyp. vbi dicitur omnes habituros esse characterem Bestiæ. Superest tamen sciendum quis sit iste character? Bulingerus affirmat esse Chrisma cuius vnctio fit in frontibus. Bibliander ait esse professionem fidei Romanæ, quam emittunt fideles Catholici. Chytræus asserit esse iuramentum fidelitatis, quod præstant Romani Papæ. Iunius, & Poenelus asseuerant esse adorationem imaginum, & Eucharistiæ.

Buling. Biblian. Chythr. Iunius. Poenelus

Respondetur huic Argumento Hæreticos non consentire de charactere, ac proinde argumentum non concludere; igitur negandum characterem Antichristi esse aliquem ex ijs, quos Heretici designant; quia constat ex loco Apocalip. tres conditiones requiri in illo charactere. Prima est, vt sit communis omnibus, ait enim textus omnes habere characterem. Secunda conditio est, vt ponatur in fronte, vel in dextera manu. Tertia, vt nemo posit emere, aut vendere nisi notatus illo charactere. Hæ autem conditiones non conueniunt illis characteribus ab Hereticis adductis. Nec enim vnctio chrismatis illas conditiones habet quanquam ponatur in fronte, nec enim

enim est omnium, cum infantibus non detur, nec requiritur ad vendendum. Idem dicendum de professione fidei, & iuramento fidelitatis, quæ non ponitur in fronte, vel in manu, sed ore profertur, nec seruit emptioni, vel vẽditioni. Idem dicendum de adoratione imaginũ, & Eucharistiæ. Nam adoratio non est character impressus ab alio, sed actus spontaneæ religionis. Ineptiæ sunt istæ Hæreticorum. Si autem scire volunt quis sit, & vbi inueniatur istę character Antichristi, indicabo locum, & formam, nempe inuenitur in tergo Caluini liliato, & in genis Catharinæ Boræ, quam omnes Scholastici Lutheri in aula sua basiarunt.

Quintum, & vti putant fortissimum argumentum est ille locus Apocalyp. 17. vbi sic Ioannes: Bestia, quam vidisti fuit, &c. Septem capita, septem mõtes sunt, super quos mulier sedet, quibus verbis Roma, inquiunt, significatur, quæ septem colles habet, & idcirco dicta est septicollis. Romæ autem sedet Papa: ergo est Antichristus. Non potest autem intelligi locus nisi de Roma Catholica, & subiecta Pontifici, quia Antichristus non pugnabit contra Gentiles, vel Iudæos, sed contra Catholicos Romanos. Confirmatur, quia in templo Dei sessurus est Antichristus: in hoc autem sedet Romanus Pontifex.

Huic argumentum tres adhibentur solutiones. Prima negat per illos septem colles intelligi Romam, in qua sententia est Augustin. in Psalm. 26. Beda, & Rupertus, & Haymo, & Aretas in Apocalyp. qui spiritualiter interpretantur septem illos montes pro superbis, & arrogantibus Principibus, & Regibus terræ, quos Antichristus humiliabit. Secunda solutio est admittendo Romam illis montibus significari, negando tamen intelligi posse locum de Papa, qui non euertet Romã, imò seruat, & seruabit, donec eam sit Antichristus euersurus. Tertia solutio est: dato Romam illam esse, locum exponi de Roma non Catholica, sed Ethnica: hæc enim Babylon meretrix appellatur, & consequenter negat ista solutio textum de Antichristo intelligi. Hic enim non euertet Romam Ethnicam, sed Christianam: ergo non potest de Roma Ethnica locus intelligi, quam Antichristus minimè oppugnabit, & ita soluit Bellarm. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 13.

August.

Beda. Aymo. Ruper. Arethas.

Bellarm.

Aliter ego respondeo; & in primis fateor illam Vrbem esse Romam, & Antichristum in ea regnaturum, & non solum thronum ibi, sed etiam Cathedram esse positurum, & eiecturum Pontificem Romanum ex Vrbe Roma, & contrariam fidei doctrinam traditurum, quod patet ex eo, quod Prophetæ dicunt, & Paulus confirmat in templo Dei esse sessurum. Non solum in Templo Hierosolymitano, sed etiam Romano.

His animaduersis vera responsio est, hoc ipso Argumento, quod hæc ciuitas Roma sit, constare Papam Antichristum esse non posse. Primo, quia Papæ à multis sæculis Romam inhabitant, & pacificè possident. Antichristus autem semel tantum & in fine mundi Romam occupabit, postquam Imperium diuisum fuerit in decem Reges, quod manifeste patet ex loco Ioannis in Apocalypsi: hoc autem tempus non dum venit: ergo nec Antichristi Romæ Imperium. Secundo, quia Antichristus erit hostis Romanorum, & vastabit Vrbem, & persequetur Christianos, & contrariam Euangelio doctrinam prædicabit, Cathedram Petri conabitur euertere, & suam pestilentem intrudere, eiecto Pontifice, qui tunc erit, & in fide Christi perseuerabit, quamquam in latebris occultus: vti

Impe-

Imperatorum tempore, qui Christianam Ecclesiam persequebantur. Hæc autem Antichristi facinora non quadrant in Papam, qui Vicarius Christi est, & Christum adorat, & colit, & illius Euangelicam doctrinam profitetur, & docet. Tertio quia Antichristi Imperium erit breuissimum, vti patet ex eadem Apocalypsi, nec enim excedet tres annos, & dimidium. At vero Papa ante annos 1600. Romæ sedet,& Cathedram obtinet, & vsque ad finem mundi obtinebit, quomodo ergò ex eo loco deducunt hæretici Papam esse Antichristum; sed ij vbi legunt Romam, & Antichristum statim colligunt Antichristum Romæ esse. Hoc modo concludent omnes Imperatores, qui fuerunt Romæ Antichristos fuisse. Imo & concludent Marphorium,& Pasquinum, quia sunt Romæ,Antichristos esse, præsertim quia hi compositas à vulgo de Papa Satyras sustinent; & exhibent, qua ratione probabilius est illos esse Antichristos, quam Papas, qui de Christo, & suis Vicarijs numquam malè, vel sentiunt vel loquuntur, imo seuere puniunt maledicentes, & obtrectantes.

Irridenda sunt potius à nobis argumenta hæreticorum, quam refutanda, tam enim sunt futilia, vt serios, & graues hæreticos illorum pudeat. Equidem noui Londini, illustres Angliæ viros solere cum stomacho hanc hæresim accipere, eamque magnopere execrari, quod merum somnium, & commentum esset.

Accedit noua confutatio discurrendo per omnes Antichristi notas, quas superius adduximus, quarum nulla, vti patebit discurrenti, quadrare in Papam potest. Itaque si Papa est Antichristus, omnino destruũtur ea quæ de illius patria, genere tempore, progressu, signis, doctrina, vita,& morte, Scripturæ, & Patres,& expositores tradiderunt. Omnem historiam Sacram. Traditionem & Religionem conuellit, qui Papam Antichristum dicit. Additur illud momentum ex Aduentu Eliæ, & Enoch, quos ante mortem Antichristi venturos esse ex Scripturis patet. Hi autem adhuc non venerunt, vti constat, nec venit Antichristus, qui eos occisuros est, postea occidendus. Pro coronide audeo dicere contra Caluinum, & Sectatores asserentes Papam esse Antichristum, facilius esse probatu Asinum Antichristum esse, quam Papam; quod eo dico, quia Caluinus more suo Catholicos vocat Asinos. His enim argumentis, quibus probant Papam Antichristum esse, probari item potest Asinum esse Antichristum, hic enim est Romæ, & seruit in ædificijs, & præterea rudit eo sonitu, vt videatur hæreticis tubam extremi iudicij imitari, qua ratione magis accedit ad Antichristum, qui in fine mundi propè Iudicium venturus est. Ita cum hæreticis agendum, qui tamquam Arcadiæ pecudes non argumentantur, sed rudunt, & indigent chamo, & freno, quia tamquam iumenta in stercore suo computruerunt.

SCHOLA XIV. DE PECCATO, ET IVSTIFICATIONE A PECCATO.

CAPVT PRIMVM.

Errores Hæreticorum circa peccatum recensentur.

NON sequor temporum, sed errorum ordinem, si tamen ordo in errando esse potest. Primus error est Tilmani Hesusij, Episcopi, vt ipse de se ait Sambiensis in lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum negantis peccatum esse voluntarium, & contra legem Dei, & reprobantis communem illam Augustini definitionem. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* (Tilm.) (August.)

Secundus est Caluini lib. 1. instit. cap. 18. & lib. 3. cap. 2. & 3. §. 8. affirmantis peccatum esse volitum, & decretum à Deo, & fieri impulsu Dei, idque ei obijcit Tilmanus in libello, quem inscripsit, aliquot errores Caluini. Fuit eadem hæresis Lutheri, qui olim ita scripserat. *Mala Deum in impijs operari.* Sed hoc eius discipuli postea de Magistri commentarijs abrasere, vti ex Georgio Scherero Authore Catholico constat. Puduit nempe illos blasphemiæ. (Caluinus) (Scherer.)

Tertius est Lutheri lib. de libertate Christiana, & in assertionibus art. 2. 31. 32. & 36. Caluini in antid. sess. 6. cap. 11. & lib. 2. inst. cap. 7. & Philippi titulo peccati Melanct. in locis anni 1521. & in confessione Augustana art. 2. & Kemnitij in examine sess. 6. cap. 11. Aientium peccata esse necessaria ex corruptione naturæ nostræ per peccatum originale, & ipsos motus concupiscentiæ ante consensum esse peccata. (Lutherus) (Caluinus) (Kemnit.)

Quartus Iouiniani quondam fuit omnino cum Stoicis asserentis omnia peccata esse paria, teste Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum, & Augustinum lib. 2. de hæresibus cap. 32. (Iouinian.) (Hieron.)

Quintus Vvicleffi, Lutheri, & Me-

Vvicleff. Melancthonis, & Caluini confundentium peccata sublata distinctione mortalis, & venialis. Variant tamen inter se in modo loquendi quidam enim absolutè negant distinctionem. Alij dicunt omnia peccata reproborum esse mortalia, Electorum omnia venialia, vti sunt Vvicleffus, & Caluinus. Alij affirmant omnia peccata natura sua esse mortalia, sed ex Dei misericordia venialia fieri, vti Kemnitius, & Heshusius.

Sextus est Lutheranorum, & Caluinistarum permiscentium virtutes, & peccata: ita vt dicant nulla esse opera bona, nec merita, nec virtutes: ac proinde nihil esse in nobis præter peccata, idque accidere ex infectione Peccati Originalis corrumpentis naturam, ita Lutherus in assertionibus art. 3. & 31. 22. & 36. & Caluinus lib. 3. instit. cap. 14. & in Antidoto sess. 6. & Melancthon. in locis tit. de peccato, & in confess. Augustana art. 7. (Lutherus; Caluinus)

Circa errorem Pelagij tradit Bellarminus lib. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 4. & 5. illum fuisse in errore Iouiniani, & sensisse omnia peccata esse mortalia, & paria, nec peccatum veniale agnouisse. Ego contrà existimo, cum ex Augustino constet errorem Pelagij eum fuisse, naturam nostram esse innocentem, vti in Adamo ante peccatum, ac proinde carere originali, & multos omni peccato etiam veniali carere. (Pelagius. Bellarm.)

Probatur primo, quia Augustinus: numquam de illo errore fecit mentionem. Secundo, quia Augustinus contra Pelagium probat nullum hominem, etiam perfectum in hac vita carere peccato, quod non intelligit de mortali, sed de veniali, cum afferat exemplum Apostolorum, etiam postquam fuerunt in gratia confirmati. Tertio, quia Pelagius eximebat solam Virginem Mariam à peccato. Ecquis credat illum de mortali cogitare? cum præsertim Augustinus ei concedat nullam se, cum de peccatis agitur, velle de Beata Virgine habere mentionem, quia Mater Christi est; ex quo patet, non potuisse, vel Pelagium, vel Augustinum de peccato mortali agere, sed de veniali, imò & Augustinum de originali etiam intelligendum à quo Virginem vult præseruatam. Tandem quia Augustinus affirmat, non posse in hac vita reperiri illam perfectionem, quæ erit in patria, in qua nullo modo beati peccare possunt, vnde colligitur perfectionem huius vitæ admittere venialia peccata. Itaque hac in re à Bellarmino dissentio, & affirmo Pelagium errare in eo, quod sensit multos homines iustos esse sine vllo peccato etiam veniali, & viribus naturæ, quam ponebat innocentem, & immunem à peccato originali. (August.; Pelag.)

Vltimus error, ac præcipuus, & proprius Caluinistarum est Deum esse Authorem peccati. Ita Caluinus lib. 1. institut. cap. 17. §. 5. & cap. 18. & lib. 3. cap. 4. & Zuinglius sermonib. de prouidentia ad Catthorum Principem cap. 6. & Melancthon in cap. 8. Epistolæ ad Romanos, vbi affirmat. *Adulterium Dauidis, & proditionem Iudæ, ita esse proprium opus Dei, sicut vocationem, & conuersionem Pauli*. Quæ sententia mirè placuit, tum Lutheranis, tum Caluinianis, à quibus celebratur. (Caluinus; Zuinglius; Melanct.)

CAPVT II.

Proponitur definitio. Peccati, & Tilmani Hæresis confutatur.

August. PEccatum authore Augustin. lib. 2. contra Faustum cap. 27. *Est factum, vel dictum, vel concupitum contra æternam legem*, & breuius lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 4. *Est transgressio legis*, id est æternæ, vel Dei, vti S. Thom. 1. 2. qu. 12. art. 1. (D. Thom.) Hanc definitionem summo consensu Theologi receperunt, adeo vt eam Pontificiam esse affirmet Tilmanus lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum. (Thylm.) Quid autem sit lex æterna, exponit idem Augustinus contra Faustum loco citato. (August.) *Ratio diuina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conseruari iubens, perturbari vetans*. Supponitur autem actum peccati esse debere voluntarium, id est liberum, vti sæpè tradit Augustinus, adeo, inquit lib. de vera Religione, vt nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium, quam item Augustini sententiam affirmat Tilmanus esse Pontificiam, ideft Catholicam.

Duo ergo includit peccatum vnū est inordinatio à regula naturali. Alterum transgressio legis diuinæ naturalem regulam seruari iubentis, quod D. Thomas q. 71. art. 6. (D. Thom) Explicat hoc modo. *Voluntas humana regulatur à recta ratione, quæ est duplex, vna proxima, quæ est naturalis, & humana, & inest nobis ingenita: Altera prima regula, quæ est lex æterna, siue ratio Dei*. Itaque inordinatio voluntatis est recessus ab vtraque regula, ac ideo est mala, quia difformatur à ratione naturali, ideo est peccatum, quia contrariatur legi Dei. Vnde ratio malitiæ consistit in ea inordinatione à regula naturali, culpa in transgressione legis illam seruare iubentis consistit.

Grauis tamen hinc existit obiectio, quia si lex Dei vetat illam inordinationem, supponit illam, nam idcirco illam vetat, quia est mala. Igitur peccatum non erit malum, quia prohibitum, sed ideo prohibitum, quia malum, ac proinde corruit Augustini definitio, vti vult Tilmanus. Et probatur ex eodem Augustino obiectio, quia ille lib. 1. de libero arbitrio cap. 3. Quærens cur adulterium sit malum? Respondet, non quia prohibetur lege, sed quia malum est ex libidine, quæ libido est inordinata cupiditas, quam ibi Augustinus facit radicem mali. Et confirmatur, quia Augustinus perspicuè dicit. *Lex est ratio diuina, vel voluntas Dei Ordinem naturalem conseruari iubens perturbari vetans*. Ergo ille Ordo naturalis antecedit rationem diuinam, & antecedit legem, nam ideo lex iubet illum seruari, quia ille Ordo erat bonus, & vetat illum perturbari, quia inordinatio erat mala. Vnde sequitur ideo actum esse bonum, quia seruat Ordinem; & ideo malum, quia non seruat Ordinem, atque adeo concluditur ante legem esse malum, & peccatum. Et ruit definitio iuxta Tilmanum.

Respondetur primo in actu malo, quod peccatum sit, duo inesse malitiam, & culpam: malitia est inordinatio ab illa regula rectæ rationis. Culpa autem est transgressio legis diuinæ æternæ: vnde iuxta doctrinam Augustini respondendum cum distinctione: actus ideo est malus, quia prohibetur nego, ideo est peccatum, quia prohibetur, concedo.

Respondetur secundo, ex S. Tho. qu. 71. art. 6. in forma hoc modo. Peccatum ideo est malum, quia prohibitum iure positiuo, nego: ideo est malum, quia prohibitum iure naturali, & diuino concedo. Nam illud ipsum diuinum præceptum est ipsum-

ipſummet dictamen iuris naturalis, imo & regula illius.

Reſpondetur tertio. Peccatum eſſe contra legem diuinam, quia ipſamet ratio recta eſt participatio rationis diuinæ, quæ eſt prima regula omnis bonitatis, & rationis à qua ſumitur omnis rectitudo, & bonitas participata, & ſemper redit ad ſuum principium illa ſecunda regula bonitatis participatæ. Vnde ſequitur. Ideo peccatum eſſe malum, quia difformatur à diuina ratione, quæ eſt ipſamet lex æterna. Confirmatur exemplo, ſicut enim nullum ens etiam poſſibile antecedit Deum, ita nulla ratio recta, vel bonitas creata antecedit rationem, & bonitatem increatam. Igitur quicquid inuenitur boni, & recti ab illa diuina bonitate, & ratione deſcendit: vnde ſequitur omne bonum eſſe à Deo, & omne malum eſſe receſſum à Deo: quamquam immediatè videatur malum eſſe receſſum ab Ordine naturali, quia hic Ordo naturalis eſt participatio rationis diuinæ, ac proinde, qui ab illo recedit à Deo fonte recedit; & tandem ideo eſt actus malus, quia eſt contra illam rationem diuinam, quæ eſt lex æterna, & radix totius bonitatis, & idcirco eſt culpa, & offenſa Dei, vti exponit Caietanus ad art. 6. q. 71. & poſt longam diſputationem fatetur Vaſquez in primam ſecundæ diſput. 96. cap. 2. num. 6. his tribus modis ſoluuntur argumenta Tilmani, & peccati definitio ſuſtinetur.

Caietan. Vaſquez.

Hinc apparet. Origo, & natura mali contra Manichæos, quæ tamdiu torſit Auguſtinum. Malum enim eſt defectus ab illa lege æterna, & incommutabili proueniens à natura creata defectibili. Vnde Patres dixerunt peccatum eſſe nihil, quia eſt receſſus à Deo, qui eſt omnia: ita Auguſtinus tract. 1. in Ioannem, & cap. vltim. lib. 2. de libero arbitrio. *Peccatum*, inquit, *defectiuus motus eſt, omnis autem defectus ex nihilo eſt*, & ita ſentit Anſelmus opuſcul. de præſcientia, & prædeſtinat. cap. 1. & lib. de conceptu Virginali cap. 4. 5. & 6. vbi peccatum appellat abſentiam rectitudinis & D. Gregorius commentarijs in primum Regum peccatum appellat tenebras. Cum Auguſtino conſentit Eccleſia Lugdunenſis tom. 9. Bibliothecæ PP. par. 1. Animaduertit autem S. Thomas qu. 71. art. 6. ad quintum nomine Ordinis, & legis æternæ intelligi etiam Ordinem ſupernaturalem, qui nobis præſcribitur à Deo per fidem, quæ excedit rationem naturalem, ita tamen vt ipſa fides, & notitia ſupernaturalis ſub nomine rationis, & legis æternæ comprehendatur.

Auguſt. Anſelm. D. Greg. Eccleſ. Lugd. D. Thom.

Ex his patet refutatio Tilmani Heshuſij negantis peccatum eſſe cõtra legem æternam, & reprobantis doctrinam Pontificiam deſumptam ex Auguſtino, vti obſeruat Bellarm. lib. 1. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati cap. 1.

Bellarm.

CAPVT III.

Deum eſſe Authorem peccati, quomodo aſſirment, & probent Hæretici.

DE Peccato originali Caluinus, & Beza affirmant fieri, & contrahi authore Deo, idque probant, tum loco ſcripturæ, tum ratione. Locus Scripturæ eſt in Epiſtola ad Epheſ. 2. vbi ſic. *Operatur omnia conſilio voluntatis ſuæ.* Non inuenit alium Beza contra Caſtalionem negantem. Loquitur Paulus de Prædeſtinatione, & reprobatione hominum, quæ pendet, aiunt, omnino ex voluntate Dei, cum verò hæc lapſum Adæ in opinione Caluini antecesſerit, ex propoſito Dei decretum fuit Peccatum Adami, & homi-

Caluinus Beza. Epheſ. 1.

mines ex eo propagandi ante omne meritum, & demeritum prædestinati, & reprobati. Itaque in hac hæresi Deus operatus est, vt Adamus peccaret, & totam propaginem inficeret. Vnde Deus fuit Author illius peccati, & idcirco non permisit, sed operatus est illud. Ratio huiusmodi est; peccatum originale est peccatum totius naturæ ad omnes Adæ posteros deriuatum, id autem fieri non potuit, nisi per Decretum Dei, ita volentis, & operantis nec enim posteri existebant, nec volebant propria voluntate. Ergo ex sola voluntate Dei contraxerunt peccatum, quod applicatur singulis per placitum Dei: ita volentis.

Respondetur huic argumento, in primis loco illo Scripturæ nihil probari; in eo quippe sermo est de prædestinatione, & operibus gratiæ, secundum propositum voluntatis Diuinæ. Hæc autem opera gratiæ merita sunt, non peccata nostra. Imo nec ibi Paulus loquitur de operibus naturæ; quod si loquitur, de ijs intelligit, quæ cadunt sub Dei operationem, & positiuam entitatem habent, quale non est peccatum. Si autem Caluin.& Beza velint locum intelligere de peccato, tenentur de omnibus peccatis actualibus, non de solo originali textum intelligere, non igitur bene colligunt de peccato originali intelligendum esse locum. Accedit, quod illa verba *operatur consilio voluntatis suæ* significant regere omnia, & administrare prouidētia, quæ partim est positiua, partim permissiua, iuxta modum, & naturam rerum, alioquin etiam tenebras, & alias priuationes, & negationes, & defectus omnes rerum creatarum, cuiusmodi sunt peccata, Deus operabitur, quod nemo sanus affirmabit.

Secundo ad rationem respondetur, eam esse ineptam, & sacrilegā, tum quia ponit reprobationem ante omne preuisum peccatum, tum quia Deus non decreuit, nec imperauit peccatum Adami. Ratio igitur vera, & catholica contrahendi originale peccatum est, quia Adamo peccante, qui caput omnium, & parens erat, in eius voluntate nostræ voluntates cum ipsa natura, tanquam in fonte, & radice erant. Vnde eo peccante tota natura humana est infecta, & vitiata illo peccato, quod ad nos cum accepta natura descendit cum illo reatu, & respectu culpæ, qui in nobis est instar habitus, contracta macula relicta ex peccato actuali Adami; ad istam vero contractionem satis est fuisse peccatum voluntarium in Adamo, in quo erant inuolutæ cum natura posterorum omnium voluntates. Ideo Paulus dixit ad Roman. 5. *In quo omnes peccauerunt*; Rom. 5. quod egregie explicat Augustin. Augus. multis in locis, ac præcipue lib. 3. de peccatorum meritis, & remissione, ita: *non sic dicuntur ista aliena peccata, tamquam omnino ad paruulos non pertineant, siquidem in Adam omnes peccauerunt, quod in eius natura illa insita in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt, sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quicquid erat in futura propagine vita vnius hominis continebat*, quæ est communis Patrum doctrina, & Scholasticorum duce D.Thom. p. 2. qu. 81. art. 1. D.Thom.

De peccatis actualibus, vt probent Deum eorum esse Authorem multis Scripturæ locis argumentantur. Paucos, & fortiores adduco. Primus est lib. 2. Reg. cap. 16. 2.Reg. *Dominus præcepit Semei, vt malediceret Dauid*. Secundus Psal. 43. & Psal. 43. Psal. 104. *conuertit cor eorum, vt odirent populum eius.* Quartus Exodi Exod. 7. 8. & 9. *Indurauit Deus cor Pharaonis*. Quintus ad Rom. 1. *Tradidit*

dit eos in reprobum sensum, vt faciant, quæ non conueniunt. Sextus, & vltimus ad Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*.

Afferunt testimonia Augustini multa, quæ videri possunt apud Bellarm. lib. 2. de amissione gratiæ cap. 16. Vnum adduco præcipuum nixum loco Pauli ad Rom. 9. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam &c.* Quo Augustinus vtitur aduersus Iulianũ lib. 5. c. 3. non vero 13. vti citat Bellarm. ibi enim duos modos adducit Augustinus indurandi peccatores. Vnum per patientiam, quem solum admittebat Iulianus, alterum per potentiam, quem inducit Augustinus: hic autem secundus modus, vt distinguatur à primo, qui est permissiuus per modum subtrahentis aliquod auxilium, debet esse positiuus per modum inclinantis, & impellentis, in quo Deus videtur esse author esse peccati.

Bellarm. August. Iulian. Bellarm. August.

Tandem argumentantur rationibus: prima est, Deus concurrit ad actum peccati, & quidquid est in eo materiale, & quidquid est in eo materiale, & physicum operatur. Cum autem hoc sit omnino coniunctum cum formali peccati non potest ad vnum, sine altero concurrere, quicquid autem est causa causæ, est causa causati: ergo si Deus est causa illius entitatis materialis, cum quo est coniuncta malitia formalis, & moralis, sequitur Deum esse authorem peccati.

Secunda ratio est, quia consentiens, & iuuans peccatorem ad actũ peccati omnino peccat, sed Deus vtrumque agit cum peccatore, igitur Deus peccat, vel saltem concurrit ad peccatum.

Tertia, Deus punit vnam peccatum alio peccato, quod solet appellari pœna peccati. Hæc autem pæna est à Deo: ergo peccatum à Deo est.

Quarta, Deus voluit condere genus humanum, vt exerceret, & ostenderet suam erga illud misericordiam, & iustitiam, vnde sequitur decreuisse effecta misericordiæ, quę sunt merita, & effecta iustitiæ, quæ sunt peccata: ergo sicuti est author Deus bonorum operum, ita etiam est author malorum.

CAPVT IV.

Soluuntur Argumenta sumpta ex Scripturis.

PRimus locus de maledictione à Deo præcepta, tribus modis exponitur: primo verbum pręcipere poni pro permittere, vt supposita in homine voluntate peccandi, ad quã Deus non inclinat, præcludat alias vias delinquendi, & tantum relinquat vnam apertam ad genus peccati, & hac ratione egisse, cũ Semei, qui cũ multis modis nocere posset Dauidi, subtractis occasionibus ad illos ad illam tantum maledictionẽ locum reliquit, & ita visus est præcipere illud ad quod non inclinabat, sed vnicum peccandi modum relinquebat, quæ est doctrina Vgonis Victorini lib. 1. de Sacrament. p. 5. cap, 29. & placet Bellarmino citato. Tertio, Deum aliquando occasionaliter, & ex accidenti videri ad peccatum concurrere; videns enim peccatorem sumpturum esse occasionem peccandi ex bonis aliorum, non desinit tamen eis bona cõferre, vti fecit erga Aegyptios fauẽdo Hebræis, vnde Aegyptij sumpturi erant occasionẽ persequendi, & affligendi illos, & vti etiam se gessit cum Saule prosperando Dauidem, ex quo Saul inuidere cępit, & nocere Dauidi, quæ est doctrina D.Thom. in cap. 9. ad Roman. quã accepit ex Augustino, & Theodoreto super Psalmum 104. Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius

Vgo. Victor. Bellarm. D.Tho. August. Theodo. Psal. 104.

eius. Hoc modo explicatur vterq. locus, & hic Psalmi, & ille Regum. Qui exponendi modi placent Bellarm. lib. 2. de amiss. Gratiæ, & Becano in controuersijs opusc. de Authore peccati. & P. Vasq. 1. p. disp. 95. & p. 2. disp. 129.

Bellarm. Beccan. Vasq.

Quod attinet ad locum Psal. 43. *Declinasti semitas nostras à via tua*, tribus modis exponitur. Primo id est ostendisti declinatas esse à via tua, vt ostenderet Deus nos esse peccatores, se vero iustum iuxta illud, *Non viæ meæ, viæ vestræ*, dicit Dominus. Secundo à via tua in qua eras declinasti semitas nostras, id est vitasti illas, vti cum dicimus declinare vulnus, id est vitare, & fugere eo sensu, quo dixit, *Auerte faciem tuam à peccatis meis*, itaut declinare non sit separare semitas à via Dei, inclinando illas ad peccatũ, sed auertendo, & fugiendo illas. Tertio declinasti, id est permisisti, vt à te declinarent. Pręter hos modos est alius nixus authoritate Hieronymi, qui hoc modo coniungit, *non recessit retro cor nostrum, neque declinauerunt semitæ nostræ a vijs tuis*. Itaut illud primum, non recessit, conueniat etiam verbo declinasti, quasi dicat versio nostra non recessit, nec declinasti.

Quoad indurationem probatam tot Scripturæ locis respõdetur: duas pænas peccati esse excæcationem, & indurationem: vtramque autem fieri in pęnam præcedentis peccati, ac fieri non per puram, & simplicẽ permissionem, quæ inuenitur in primo peccato, cum enim quis peccat, permittitur peccare; at vero excæcatio, & induratio est pæna prioris peccati ex noua permissione, & subtractione maioris auxilij. Excæcatus enim, & induratus difficillime conuertitur, & nisi efficaciter vocetur non respondet, nec emendatur, ac proinde non sola simplex permissio, quæ interuenit in quocumque peccato interuenit in excæcatione, & induratione, sed maior, & cum maiori gratiæ subtractione. Id optimè exponit D. Thom. 1. 2. quæst. 79. art. 3. in corp. *Deus*, inquit, *proprio iudicio lumen gratiæ non immittit illis in quibus obstaculum inuenit, vnde causa subtrahens non solum est ille, qui ponit obstaculum gratiæ, sed etiam Deus, qui suo iudicio gratiam non apponit, & per hunc modum Deus est causa excæcationis, & aggrauationis auriũ, & obdurationis cordis*. Verum, inquit idem in principio Responsionis, *excæcatio, & obduratio duo importat: quorum vnum est motus animi humani inhærentis malo, & auersi à diuino lumine, & quantum ad hoc Deus non est causa excæcationis, & obdurationis, sicut non est causa peccati*. Est ergo Deus tantum causa quatenus subtrahit illud lumen supposito peccato, & gratiam non apponit in pænam peccati, quemadmodum hic notat Bellarm. Omnis ergo induratio fit per subtractionem, non per impulsionem, iuxta Augustinum epist. 105. ad Sixtum. Non obdurat impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam.

D. Tho.

August.

Ad locum Augustini, in quo ait, Deum non solum per patientiam, sed etiam per potentiam indurare. Respondetur Deum indurare duobus modis, primo subtrahendo solum illud lumen, & gratiam, de qua supra D. Thom. 2. ita ordinando, & adducendo occasiones, vt peccator accidẽtaliter ex ijs induretur, quod est effectus potentiæ positiuæ illas occasiones adhibentis, iuxta modũ, quem superius diximus in sententia Vgonis Victor. & S. Tho. hinc enim fit, vt peccator ille obstinatus superuenientibus occasionibus ex accidenti peccet, & persistat in peccato; itaque Deus nunquam procedit inclinando ad certum aliquod

D. Tho.

pec-

Peccatum, *sed impediendo*, ne feratur in aliud, & non impediendo, vt feratur *in hoc*, quæ sunt verba Bellarmini lib.2. cap.16. ad finem. Hic autem secundus modus pertinet ad potentiam, quia per illum Deus gubernat, & regit occasiones, & ordinat actiones, postquam semel malæ sunt. Afferamus verba Augustini illo cap. 3. lib. 5. 2. Iulianum. *Cum ergo dicitur homo tradi desiderijs suis, inde fit reus, desertus à Deo cedit eis, atque consentit, vincitur, trahitur, possidetur, & fit ei peccatum consequens præcedentis pæna peccati*, & addit paulò post, *facit hoc Deus, & ineffabilibus modis*. Sed adiungit contra Caluinum: *Deus non facit voluntates malas, sed vtitur eis, vti voluerit*, & concludit, *& in omnibus bonus perseuerat*.

Bellarm.

August.

CAPVT V.

Soluuntur argumenta ex rationibus adducta.

Circa primum argumentum multum sudant Theologi, vti videre est in Bellar. lib. 2. de amissione gratiæ cap. 17. & 18. & & in Beccan. opusc. 3. de authore peccati, & in P. Vasq. 1. 2. disp. 129. in qua contra nouatores hãc quęst. accuratè tractat, & eorũ argumenta, & solutiones nostrorũ Theologorum ponit. Igitur ad Argumentũ Caluini duplex solutio est vna eorum, qui dicunt esse respectum quendam moralem, cuiusmodi est Vasq. p.2. disp. 129. cap. 7. qui cũ Cano, & Soto ita respondet; respectum illum nixum libertate, quæ in actu secũdo est quid morale nõ habere pro causa Deũ, quia hic non est causa moralis actus liberi, sed tantũ causa entitatis naturalis physicæ; itaque negat Vasq. Deum esse authorem peccati, quia malitia peccati est aliquid morale, & habet tantum causam moralem, quæ est solum liberum arbitrium nõ Deus, qui non est causa moralis.

Bellarm.

Beccan.

Vasq.

Cano.

Soto.

Sed contra hanc solutionem est argumentum difficile: quia sequitur ex hac doctrina, Deum non esse causam meriti, & bonitatis in actu bono, hæc enim bonitas est aliquid morale liberum in actu secundo. Respondet tamen Vasquez cap. 8. Deum in re ipsa non concurrere ad meritum in ratione meriti, quia nihil est physicum, sed morale, concurrere tamen suadendo, & præcipiendo, vti est causa moralis, quia Deus potest suadere, & præcipere bonum non autem malum. Verum hæc solutio non omnino satisfacit: sequitur enim ex ea, à parte rei eodem modo opus esse Dei conuersionem Pauli, & proditionem Iudæ, quod damnat Tridentinum sess. 6. can. 6. & quanquam Vasquez respondeat conuersionem Pauli, ideo esse opus Dei, quia Deus confert gratiam ad illam, & vult illam conuersionem, at vero Deum non velle proditionem Iudæ, nec dare gratiam ad illam, retorquetur argumentum, quia etiam Iudæ peccanti non deest gratia sufficiens, nec concursus Dei naturalis ad actum materialem peccati, vnde non videtur esse differentia inter concursum Dei ad meritum, & peccatum. Sed adhuc tamen elabitur dicendo: gratiam influere in actionem bonã, atque adeo Deum cum gratia, vnde sequitur esse operis boni authorem. At in peccatum non concurrere gratiam, imo potius gratiam deseri à peccante, ac proinde non influere in peccatum, quandoquidem gratia non influit. Et quidem hæc vltima solutio à Vasquez adhibita difficultatem soluit, & saluat discrimen inter concursum Dei, ad actum bonũ & malum, eamq; proinde approbat Bellarm. lib. 2. de ammissione gratiæ cap. 18.

Vasq.

Concil. Trident.

Vasqu.

Bellar.

Hhh Sed

Sed melior est, & facilior secunda solutio sumpta ex Augustino, & data à D. Thom. quæst. 79. art. 2. ea vero est ducta ex natura, & ratione peccati, quæ est defectus, quicunque ille tandem sit. Eius autem non potest esse causa efficiens. Hæc vero est creatura non Deus, vnde August. lib. 2. de libero arbitrio c. vltimo: *auersio voluntatis à Deo peccatum est*: *Non erit ergo iste motus ex Deo*. & concludit: *Motus ergo* ille auersionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam defectiuus motus est, omnis vero defectus ex nihilo est, vide quo pertineat, & ad Deum non pertinere non dubites. Deinde tradit eum motum hominis esse dum ait, *qui tamen defectus quoniam est voluntarius in nostra est positus potestate*.

D.Tho.

August.

Ex hoc fonte hausit D. Thom. 1. 2. quæst. 79. *Defectus ille est ex causa creata scilicet libero arbitrio in quantũ deficit ab ordine primi agẽtis, scilicet Dei. Vnde defectus iste non reducitur in Deũ, sicut in causam, sed in liberum arbitrium, sicut defectus claudicationis reducitur in tibiã curuam, sicut in causam, non autem in virtutem motiuam, à qua tamen causatur quicquid est motionis in claudicatione, & secundum hoc Deus est causa actus peccati, non tamen est causa peccati, quia non est causa huius, quod actus sit cum defectu*. Idem habet in responsione ad secundum, & tertium eiusdem quæstionis. Animaduerto D. Thom. sumpsisse hoc exemplum claudicationis ex D. Augustino lib. de perfectione iustitiæ responsione 4. Vbi respondet Cælestio roganti, quid esset peccatum? cui Augustinus hanc adhibet responsionem. Et eandem affert lib. 12. de ciuit. Dei cap. 7. his verbis. *Nemo quærat efficientẽ causam malæ voluntatis, non enim est efficiens sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio.*

D.Tho.

D.Th.

August.

Ad secundum argumentum respondetur ex tradita doctrina dicendo: Deum consentire, & iuuare hominem ad rationem naturalem, & physicam, quæ semper bona est, non autem ad malitiam moralem, quia nemini negat communem cõcursum, & influxum. Ad illud autem de causa, & causato, respondetur defectum peccati non esse causam, nec causatum, sed nihil, per defectum à rectitudine, & recessum à Deo, cuius Deus causa esse nequit, nec iste defectus sequitur ex physica entitate, sed ex deficiente ad malum voluntate, vnde non militat in peccato illud axioma, quicquid est causa causæ est causa causati.

Ad tertiũ, damus Deũ punire vnũ peccatũ alio peccato, eo modo, quo supra diximus de induratione, non impellendo, nec inclinando voluntatem ad malum, sed permittendo, & subtrahendo, vel ordinando occasiones, ex quibus per accidens sequitur certum peccati genus ex mala voluntate peccatoris operantis.

Quartum soluitur dicendo, Deum præuiso Peccato Originali in quo erat massa humana tota per Adamum, & cum Adamo damnata, cum omnes posset iustè derelinquere in eo statu damnationis, voluisse tamen inde liberare aliquos propter suam misericordiam prædestinando eos ad gloriam, derelinquendo alios in statu damnationis in quo erant ad ostensionem suæ iustitiæ, quæ est Augustini perpetua doctrina præcipuè Epistola 105. ad Sixtum, & Epistola 106. ad Paulinum, & lib. de correptione gratiæ cap. 10. quam sequitur Bellarminus lib. 2. cap. 12. & 16. & Becanus opusc. 1. & 3. de Prædestinatione, & Authore peccati contra Caluinum, quem hi duo Authores obiecto Augustino refellunt. Hæc autem derelictio est illa,

August.

Bellar.
Beccan.
August.

quæ

quæ dicitur à Theologis reprobatio negatiua, ex qua sequitur mediante peccato, vel solo originali, vel actuali finalis reprobatio positiua, qua illi peccatores finaliter à Deo iustè damnantur, vti testatur Augustinus, cum Bellar.& Beccano.

Obijciet tamen aliquis: Deum, quamuis directè non sit author peccati, esse tamen indirectè peccati authorem, quia nimirum subtrahit gratiam suam specialem ad vitanda peccata, qua collata vitarentur. Hanc obiectionem affert D. Thom. prima secundæ q. 79. art. 1. in corp. vbi sic respondet. *Contingit, quod Deus aliquibus non præbet auxilium ad euitanda peccata, quod si præberet non peccarent, sed hoc totum facit secundum Ordinem suæ sapientiæ, & iustitiæ. Vnde non imputatur illi, quod alius peccet, sicut gubernator non dicitur causa submersionis nauis ex hoc quod non gubernat nauem, nisi quando subtrahit gubernationem potens, & debens gubernare, & sic fit, quod Deus non est author peccati.*

Ex his patet iniquissimam esse Caluini sententiam, qui ante omnem præuisionem peccati affirmauit Deum prædestinasse, & reprobasse homines pro suo mero arbitrio; & consequenter dixit, Deum impulsurum esse ad peccata homines, quos reprobauit innocentes, vt posset nocentes damnare. Apparet item, quod obseruat Bellarminus, & Beccanus citati aduersari hanc sententiam August. qui dicit præuiso peccato originali per quod omnes erant in massa dānata, Deum elegisse aliquos misericorditer, & alios iustè dereliquisse, vti erant in eadem massa.

CAPVT VI.

Deum non esse Authorem Peccati ratione, & authoritate ostenditur.

PRima ratio sit. Peccatum est contra rationem, & legē æternam Dei, qui est totius fons, & regula bonitatis: non potuit igitur author esse Deus illius inordinationis, quæ contraria est rationi, & legi æternæ.

Secunda esto. Peccatum est auersio à Deo vltimo fine, & conuersio ad creaturam. Ergo non potest intendi à Deo, qui est vltimus finis omnium; non foret autem vltimus, si vellet homines à se auertere, & conuertere ad creaturam.

Tertia. Nemo vult offendi, & contemni: multo minus Deus cum sit summè bonus, & perfectè Dominus: at peccatum est contemptus, & offensa Dei: ergo non potest esse volitum à Deo.

Quarta. Implicaret Deum velle peccatum, quia vetans peccatum, quod punit non vult peccatum, & iubens peccatum vult illud, quod non vult.

Quinta ratio. Nihil, in genere entis, non potest Deum habere authorem, quia, nihil, est non ens: Deus autem non potest esse causa non entis, sed peccatum in genere moris habet se tamquam nihil, quia non est bonum, ergo non potest habere Deum authorem.

Sexta. Posito quod Deus vellet peccatum, sequeretur manifesta contradictio, quia peccatum supponitur malum, si autem sit volitum à Deo, non potest non esse bonum: ergo esset bonum, & malum, quod est idem ac bonum, & non bonum, in quo est manifesta contradictio.

Ex Sacris litteris sic probatur primò ex loco Sapientiæ 11. *Nihil odi-*

sti eorum quæ fecisti, quem affert D. Thom. 1. 2. qu. 79. art. 1. & addit odit autem Deus peccatum iuxta illud Sap. 14. *Odio est Deo impius, & impietas.* D.Thom

Psalm.5. Secundus habetur Psalm. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

Psal. 71. Tertius esto Psal. 71. *Odisti omnes qui fornicantur abs te.*

Eccl. 15. Quartus Ecclesiastici 15. *Nemini mandauit impiè agere.*

Oseæ 13. Quintus Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum.*

Iacob. 1. Sextus Iacob. 1. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est.*

Ioann. 3. Septimus 1. Ioannis 3. *Qui facit peccatum ex Diabolo est.*

Psal. 94. Octauus, & vltimus pertinet ad indurationem ex Psalm. 94. *Nolite obdurare corda vestra.* Qui plures velit consulat Bellarminum lib. 2. cap. 8.

De peccato originali: eius authorem Deum non esse contra Caluinum ostenditur ex præcepto Dei. Genes. 3. *Quacumque die comederis morte morieris.* Adiuncta pena peccati, *quia comedisti maledicta terra in opere tuo, &c.* Sed præcipua probatio est Ecclesiastici 15. vbi sic. Eccl. 15. *Deus constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata seruare conseruabunt te. Apposuit tibi ignem, & aquam ad quod volueris porrige manum: ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Hic enim locus de primo homine intelligitur secundum communem Patrum expositionem. Ex quo patet Adamum pro suo arbitrio authorẽ, & causam fuisse sui peccati, quod nos contraximus per originem, eoque testimonio Caluinus, & Beza perspicuè refutantur. Confirmatur ex textu Pauli ad Ephes. 2. *Eramus natura filij iræ*, quem sic exponit Augustinus tract. 5. in Ioannem. *Si filij iræ, filij vindictæ, filij pœnæ, filij Gehennæ; quomodo natura? nisi quia peccante primo homine vitium pro natura inoleuit.* Ephes. 2. August.

Horum locorum tanta vis est, vt ijs conuictus Caluinus, Bellarmino Authore: ita loquatur. *Locus est insignis contra Pelagianos, & quicumque peccatum originale negat: nam quod naturaliter inest omnibus, id certè est originale: naturaliter vero nos omnes damnationi obnoxios Paulus docet.* Igitur Caluino teste, Deus non fuit author eius peccati, sed Adamus. Deus enim est author integræ, & innocentis naturæ, non corruptæ, & vitiatæ, idque negare non potest Caluinus instit. cap. 15. §. 8. ait. *Potuit Adam stare si vellet, quando non nisi propria voluntate cecidit.* Vnde apparet contradicere sibi Caluinum, ac proinde non esse credendum, quando affirmat Deum esse esse authorem peccati. Caluinus Caluinus

Patrum idem docentium vnanimis cõsensus est. Numerat eos accuratè Bellarm. lib. 2. cap. 9. Seligam ex multis paucos. Igitur Dionysius Areopagita lib. de diuin. nomin. cap. 4. concludit. *Non igitur*, inquit, *Deus author est mali*, & paulo post demonstrat *Angelos, & animas fieri malas, quoniam à Dei bonis deficiunt.* Idem tradit Iustinus Martyr in Dialogo cum Triphone, & Athanasio orat. contra Idola. Eiusdem sententiæ est Basilius Homilia 2. de opere sex dierum. Nazianzenus vero orat. 1. in Iulianum: sic ait. *Deus nullo modo causa est peccati, quippe natura bonus: vitium autem eius est, qui eligit, id est hominis*, & Chrysostomus Homilia 33. in Acta. *Nullus dicat: Deus nobis author malorum est.* Sed præcipuus inter omnes Irenæus antiquus Pater, qui teste Eusebio lib. 5. historiæ cap. 19. Aduersus Flo- Dionys. Areop. Iustinus Martyr. Athanas. Basilius. Nazianz. Chrysost. Irenæus.

rinum, qui fortasse huius hæresis primus author fuit, ex professo disputat, Deum nec esse, nec posse esse authorem peccati.

Latini Patres eandem doctrinam statuerunt. Tertull. lib. de Trinitate ita scribit. *Nec enim potest fieri, vt sit initiator, aut artifex vllius mali operis, qui nomen sibi perfecti vendicat, & parentis, & Iudicis.* Idem habet Ambrosius lib. de Paradiso cap. 15. & lib. 1. Exameron. cap. 8. & Hieronymus commentarijs in Epist. ad Ephes. cap. 1. & in Ecclesiasticum cap. 7. & lib. 12. in Isaiam & in principio lib. 1. contra Pelagianos.

Tertull.

Ambrof.

Hieron.

Tres item Pontifices hanc veritatem docent Leo I. Gregorius Magnus, & Leo IX. ex quibus Gregorius lib. 29. Moralium cap. 21. *Deus* inquit, *author est naturæ non culpæ*, & Leo IX. Epistola ad Petrum Antiochenum. *Credo*, ait, *Deum prædestinasse solum bona, præsciuisse autem bona, & mala.*

Leo I.
Greg. M.
Leo IX.

Sed inter omnes Patres accuratissimè id docuit Augustinus, qui de hoc argumento scripsit penè omnes libros contra Manichæos. In ijs enim statuit originem mali, non esse à Deo, sed prouenire ex defectu creaturarum, & recessu à Deo. Idem tradit in libris de libero arbitrio, & Epistol. 105. ad Sixtum, & lib. 13. de Trinitate, & lib. 12. Confessionum, & sæpè alibi. Duos tamen affero locos vnum ex lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 18. in quo ita *malam voluntatem ad authorem Deum esse referendam nefas est dicere.* Alterum lib. 1. de ordine cap. 1. vbi sic. *Si quis diuinam prouidentiam, non vsque ad hæc ima extendi, aut certè mala omnia Dei voluntate committi dicat, vtrumque erit impium, sed magis posterius.*

August.

Venio ad Concilia. In Arausicano II. multi sunt canones, qui negant Deum esse authorem peccati: nam Can. 22. sic dicitur. *Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum.* Et iterum Can. 23. *Suam voluntatem homines faciunt non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet.* Tandem Can. 25. sic statuit. *Aliquos*, inquit, *diuina potestate ad malum prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.*

Arauf. II.

Eamdem doctrinam Arausicani tradit Concilium Valentinum sub Leone IV. anno 854. celebratum Can. 2. & 3. vbi sic. *In malis vero ipsorum malitiam Deum præscisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse. Pœnam sane malum meritum eorum sequentem, Deum, qui omnia prospicit, præsciuisse, & prædestinasse, quia iustus est, decernimus.*

Concil. Valent.

Illud item est huiusce veritatis argumentum, quod habetur in Concilio Basileensi in oratione Aegydij Carlerij de punitione peccatorum publicorum, vbi fol. 329. Animaduertit Deum non solum in hominibus, sed etiam in brutis animantibus peccata hominum puniuisse, idque multis probat Scripturæ locis. Igitur Deus non potest author esse peccati, quando quidem illud tam acerbè punit, etiam in brutis.

Concil. Basil.

Ecclesia demum Lugdunensis in præclaro illo suo tractatu contra Ioannem Scotum Erigenam, qui habetur in fine tomi 9. Bibliothecæ Patrum, multis in locis affirmat: Deum, nullo modo esse authorem peccati.

Eccles. Lugdun.

CA-

CAPVT VII.

Naturam nostram non ita esse corruptam per peccatum originale, vt nihil possit agere præter peccatum contra Caluinum, & Lutherum ostenditur.

AMant extrema Hæretici. Pelagiani dixerunt nullum esse peccatum originale, & affirmarunt concupiscentiam esse bonam contra D. Paulum ad Roman. 7. vbi sic. Rom. 7. *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Et rursum: *Mihi malum adiacet.* Quo in loco malum concupiscentia intelligitur. De Galat. 5. qua idem Paulus ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum*, & Io- Ioann. 2. annes Epistola 1. cap. 2. affirmat *concupiscentiam non esse ex Patre, sed ex mundo.* Ex hoc autem errore alium deduxerunt, posse homines per naturam omnia peccata vitare.

Lutherani, & Caluinistæ contrà in ea hæresi fuerunt, vt dicerent peccatum originale ita contrahi, vt totam naturam corrumpat, & inficiat, & concupiscentiam non solum esse malam, sed etiam peccatum, & omnes illius motus esse culpabiles, & nullum esse opus bonum, nec meritum ex illa miserabili corruptione naturæ. Vtuntur quibusdam testimonijs D. Pauli ad suos errores adstruendos. Primum est Rom. 6. ad Rom. 6. vbi Paulus. *Non regnet*, inquit, *peccatum in vestro mortali corpore*, vbi ponderant Paulum monere ne regnet peccatum, quasi peccatum esset in eo loco, vbi regnare poterat. Secundum testimonium Rom. 7. afferunt ex cap. 7. ad Roman. *Non habitat in me, idest in carne mea bonum.* Tertium ibidem *concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non* Ibidem. *concupisces*; ex quo sic argumentantur: legem vetare peccatum, & quoniam vetat concupiscentiam consequenter concupiscentiam esse peccatum.

Prima hæresis Pelagiana non est huius loci. Eam diligenter refutauimus controuersia de peccato originali, & alijs in locis, nunc tantum dicimus eam fuisse prorsus refutatam ab Augustino in omnibus penè libris de gratia, & præcipuè sex libris aduersus Iulianum.

Secundam hęresim fuisse sententiam Lutheranorum, & Caluinistarum probat eruditè Bellarm. lib. 5. Bellarm. cap. 5. productis locis Lutheri, & Caluini, Melancthonis, & Kemnitij, & probat sentire eos concupiscentiam, quæ inest naturæ ex peccato originali, esse ipsummet originale peccatum. Vt autem clarius procedamus oportet distinguere quatuor. Primum est concupiscentia, seu fomes peccati, vel, vt alij appellant, pronitas ad malum. Secundum est motus, qui ex ista concupiscentia oritur, & appellatur suggestio, quæ duplex est vna præueniens rationem, & indeliberata, quam motum primo primum vocant Theologi. Altera deliberata, sed tamen inchoata, & imperfecta deliberatione, quæ tamen sufficiat ad peccatum veniale, quæ alio nomine delectatio appellatur, & constituit tertium membrum, quia iam est peccatum. Quartus est consensus omnino deliberatus sufficiens ad mortale peccatum. Quæ est communis Theologorum doctrina, sumpta ex Gregorio Magno Homilia 16. in Greg. M. Euangelium, & ex Beda commen- Beda. tarijs in Iacobum cap. 1. qui optimè exposuit rationem concupiscentiæ, & gradus motuum illius his verbis. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem.* Vbi obseruandum Iacobum non dixisse concupiscentiam esse peccatum,

tum, sed tantum occasionem tentationum. Dixit autem ex concupiscentia, tamquam ex matrice peccati oriri peccatum, quod ijs verbis significauit. *Concupiscentia cum conceperit parit peccatum*, vbi illa vocabula conceptionis, & partus ponunt aliquid in actu secundo, in quo est peccatum actuale interueniente libertate, nam alij actus, & motus primo primi ex defectu deliberationis peccata non sunt, vnde isti motus, qui peccata dicuntur, deliberati sunt, non sunt autem adhuc peccata mortalia, sed solum peccata leuia, & venialia, vel quia circa materiam grauem perfecta carent deliberatione, vel quia versantur in materia leui, licet cum plena deliberatione. Sequentia verba: *peccatum vero cum cõsummatum fuerit generat mortem* significant plenum, & deliberatum consensum in materia sufficienti ad peccatum mortale, qui consensus deliberatus mortalem culpam inuoluit. Nec enim audiendus est Caluinus exponens peccatum consũmatum pro peccato exteriori opere completo. Ad peccatum mortale satis est consensus internus deliberatus iuxta Christi doctrinam *qui viderit mulierem ad concupiscendũ eam iam mæchatus est eam in corde suo*, itaque non constituitur peccatum per actum externum, quamquam augeatur eius malitia illo cõplemento actus exterioris.

Hac doctrina supposita. Probatur concupiscentia non esse formale peccatum, retorquendo locos ab Hæreticis obiectos: nam ille Pauli. *Nõ habitat in carne mea bonum*, clarè significat concupiscentiam ad carnẽ restrictam nonpertinere ad animam, quæ solum est author, & capax peccati. Idem dicendum de alijs textibus Pauli, in quibus concupiscentia, *lex ira, malum, & peccatum* in mortali corpore appellatur, qui eodem sensu capiendi sunt, & ad partem sensitiuam trahendi.

Probatur deinde ex Augustino lib. 6. aduersus Iulianum cap. 5. vbi sic. *Pariens est concupiscentia, partus peccatum: sed concupiscentia, non parit nisi conceperit, non concipit, nisi illexerit, hoc est ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum.* Ex quo apparet concupiscentiam matricem esse, & fomitem peccati, sed non formale pecatum, quod in consensu, qui est actus voluntatis consistit. Augus.

Patet vero concupiscentiam non posse esse formale peccatum, nec originale, nec actuale, quia concupiscentia manet in renatis post baptismum, si autem esset culpa, & peccatum formale, & vti volunt hæretici originale, non posset manere post baptismum, cum per eum tota originalis culpa deleatur. Quæ doctrina de fide est tradita à Concilio Tridentino sess. 5. de peccato originali: vbi sic. *Si quis per Iesu Domini Nostri gratiam, quæ in baptismate confertur reatum originalis peccati remitti negat, aut item asserit non tolli totum id quod veram, & propriam habet rationem peccati, sed illud dici tantum radi, aut non imputari, anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus.* Et adiungit. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc Sancta Synodus fatetur, & sentit.* Causam vero manendi affert dicens. *Quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientientibus, sed viriliter per Christum repugnantibus non valet, quin imo qui legitimè certauerit coronabitur.* Quo Canone, inquit, Vasquez 1.2. disp. 131. cap. 2. Voluit Concilium damnare Lutheranos affirmantes concupiscentiam esse formale peccatum, & post baptismum remanere. Concil. Trident. Vasquez.

De motibus autem concupiscentiæ aliqualis quæstio est. Sunt autem hi motus in duplici differentia

alij

cilij dicuntur primo primi, alij secundo primi, & sic eos appellant Theologi, cum Alexandro Alensi 2. part. qu. 108. membr. 2. & alijs Scholasticis, vt refert D. Thom. q. 7. de malo art. 6. ad 8. qui eos ita definiunt, vt motus primo primus sit, qui subito, & inopinanter ante omnem rationem considerationis, & deliberationis in nobis insurgit, secundo vero primus sit, qui huic primo succedit cum aliqua deliberatione, & consensu. Volunt ergo hæretici, vt omnes isti motus, etiam primo primi sint peccata, & peccata, & peccati originalis culpabiles effectus. Aliqui Catholici cum Henriquo distinguunt, & aiunt hos motus in baptizatis non esse peccata, esse autem in non baptizatis. Prima sententia est hæresis manifesta, & authores hæreticos habet. Secunda saltem est erronea, vti iudicat Vasquez disp. 106. cap. 1. Multi putant motus primo primos esse peccata venialia, quos refert idem author cap. 2. Certum est tamen motus illos primo primos non esse culpabiles, quia præueniunt considerationem, & sunt indeliberati vno verbo; necessarij, non liberi. Cum autem nullum sit peccatum, quod voluntarium, & liberum non sit, illi motus peccata esse non possunt. Idque docuit perpetuo Augustinus præcipuè lib. 3. de libero arbitrio cap. 25. & lib. 1. de nuptijs, & concupiscentia cap. 23. & serm. 6. de verbis Apostoli, & lib. de bono perseuerantiæ cap. 8. cui alij Patres consentiunt, quos eruditè citat Vasqu. cap. 3.

Alexand.

D. Thom.

Henriqu.

Vasquez.

August.

Vasquez.

Hinc apparet, quàm sit absurda hæresis Lutheranorum, & aliorum sequacium affirmantium concupiscentiam, & omnes illius motus esse peccata, & ratione illius omnia opera demerita esse, adeo, vt nullum opus bonum, & honestum, nec meritum fieri possit à quoquam, qua de re postea in materia de iustificatione agemus.

Sed quoniam hæretici magnam vim faciunt in Augustino, & affirmant eum docuisse concupiscentiam esse formale peccatum, & ad id congerunt multos locos Augustini, quos diligenter affert Bellarminus lib. 5. de amissione gratiæ cap. 13. in quibus ille exponendis multum laborat, volo Augustinum breuiter vindicare, & perspicuè monstro eum nullatenus illam sententiam, sed omnino contrariam docuisse.

Bellar.

August.

Dico igitur Augustinum sæpe appellasse concupiscentiam peccatum, vti etiam appellauit D. Paulus, quem Augustinus sequitur: eo tamen sensu appellasse, quod concupiscentia est ex peccato originali, & materiale peccati, & tradux eiusdem & causa inclinans ad peccatum, non autem quod verè, ac propriè, nec vt aiunt, formaliter peccatum sit; quod obseruauit, & docuit Concilium Tridentinum sess. 5. *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, numquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Paul.

Trident.

Sed vrgent hæretici: Augustinum lib. 1. de nuptijs, & concupiscentia cap. 25. ita loqui. *Concupiscentiam ita dimitti in baptismo, non vt non sit, sed vt non imputetur.* Quo loco vtitur Lutherus assert. 2. ad probandum illam non omnino remitti in baptismo, & esse peccatum. Idem etiam Augustinus cap. 26. eiusdem libri fatetur concupiscentiam in baptizatis preterito reatu manere actu, quemadmodum manet reatus in peccatore, præterito actu peccati. Sed peccatum manet in habitu præterito actu peccati, ergo etiam concupiscentia manet actu cum reatu.

August.

Luther.

Præ-

Præterea Melanchon, & Caluinus afferunt alios locos Augustini, vbi dicit concupiscentiam remitti, & manere: vti lib.2. aduersus Iulianum vbi sic. *Lex ista peccati, & remissa est in regeneratione spirituali, & manet in carne mortali.* Si autem partim remittitur, partim manet, non omnino remittitur, & quod manet peccatum est.

Respondetur Augustinum, numquam dixisse concupiscentiam esse propriè culpam, nec reatum peccati, imo id semper negasse, quod patet ex ijsdē met locis, quos hæretici afferunt, quos vel non intelligunt, vel corrumpunt. Nam in primo loco ab Augustino quæritur, quomodo concupiscentia maneat in regenerato in quo vniuersorum facta est remissio peccatorum, & quomodo illa transeat ad prolem, in qua sit peccatum originale, seu materiale peccati? Respondet autem dimitti concupiscentiam in baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum, non imputetur: idest dimitti quoad reatum formalem culpæ, non vero quo ad actum materialem fomitis concupiscentiæ. Perspicuè enim ait. *Reatu soluto manet tamen languor*: idest manet concupiscentia radicalis, & fomes peccati, non peccatum, quod manifestè apparet ex initio capit. 26. vbi sic. *Regenerantur in Christo cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum: itaque necesse est, vt reatus, huius licet actu manentis concupiscentiæ remittatur, vt in peccatum, sicut dixi, non imputetur.* Vnde patet Augustinum distinxisse inter concupiscentiam actu idest materialem, & concupiscentiam reatu, idest formalem, affirmando manere actu materialem concupiscentiam, quæ peccatum non est, non manere autem formalem, quæ reatus est, & peccatum. Iam ergo nemo potest dubitare de mente Augustini, cum præsertim clarissimè dicat cap. sequenti 27. eamdem doctrinam. Nam cum dixisset cap. 26. actum peccati v.gr. actuale adulterium, præterijsse, & manere reatum, ait initio capitis 27. *Sic è contrario fieri potest, vt etiam illud, idest concupiscentia, maneat actu, cum prætereat reatu.* Quo nihil clarius dici potuit; manet enim actu concupiscentia, idest fomes peccati, sine reatu, idest sine peccato. Eodem sensu dixit lib. 2. contra Iulianum. *Esse remissam in regeneratione, & manere in carne mortali.* Patet ergo mens Augustini, quam hæretici obscurare voluerunt, & in qua exponenda Theologi nostri sudant. Vno verbo: Augustinus in concupiscentia duo agnouit, & distinxit, materialem fomitem, & matricem peccati, quem vocat languorem, & appellat actum; & formalem rationem culpæ, quem vocat reatum, illum dicit manere in baptizatis, hanc negat.

Relicta est igitur hæc materialis concupiscentia in agonem, vt contra illam pugnemus, eamq; per Dei gratiam vincamus, vti ait Augustinus eo cap. 27. lib. 1. de nuptijs, & concupiscentia, & lib. 10. confess. cap. 28. vbi sic. *Neque displicere debet iudicium Dei, qui eam ad Agonem, & exercitium virtutis remanere voluit, & Apostolo suo dixit: sufficit tibi gratia mea: Nam virtus in infirmitate perficitur.* Quam doctrinam Concilium Tridentinum accepit, & confirmauit sess. 5. de peccato originali. August. Tridení.

CAPVT VIII.

Refutatur hæresis asserentium peccata esse paria.

HAec hæresis dupliciter procedit: prima negat cum Iouiniano diuersitatem speciei, & grauitatis intra speciem peccatorum, quæcumque illa tamdem sint, sed videtur supponere dari peccata mortalia. Secunda negat distinctionem peccati mortalis à veniali præscindens à grauitate, & diuersitate mortalium. Quoad primam hæresim S. Thom. 1.2.q.73. art. 2. argumenta profert illam suadentium, hoc modo. Primo: peccare, est facere quod non licet: sed facere quod non licet, vno, & eodem modo in omnibus reprehenditur. Ergo non est grauius vnum peccatum, quam aliud. Secundo: homo peccat in eo, quod transgreditur regulam rationis, & legis diuinæ, quod est simile transeunti lineam, sed trāsgredi lineam est æquale in re ipsa: licet longius, aut propius transgrediens recedat, ergo peccatum est æqualis grauitatis cum sit ipsa transgressio lineæ. Tertio, Peccata opponuntur virtutibus, sed virtutes sunt æquales. Ergo etiam peccata. Quarto, peccatum consistit in negatione, & est nihil, quod non recipit magis, & minus, vti apparet in morte, quę est negatio vitæ; mortuo quippe homine, tam mortuus est post vnam horam, quam post vnum annum; ergo eodem modo se habent peccata.

D.Thom

His argumentis vtebantur olim Stoici, vti apparet in eorum libris, & in Paradoxis Ciceronis, qui in hac sententia Stoicorum fuit. Ex hac hæresi, inquit, D. Thom. citatus sequitur alia: nempe omnes pænas inferni esse pares. Testimonia Patrum, & Scripturæ pro hac sententia nulla possunt adduci; tantum videtur fauere Basilius in regulis breuioribus responsione 293. vbi ait. *Differentiam peccatorum maiorum, & minorum, nusquam in nouo testamento reperiri.*

Cicero.

Basilius.

De hac hæresi ita scribit Augustinus Epist. 29. ad Hieronymum, exponens illud Iacobi. *Si quis totam legem seruauerit offendat autem in vno factus est omnium reus. Hac ait de parilitate peccatorum soli Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani, quam eorum vanitatem in Iouiniano illo, qui in hac sententia Stoicus erat, & in aucupandis, & defensandis voluptatibus Epicureus de Scripturis Sanctis dilucidissime conuicisti.*

Augus.

Conclusio igitur sit. Peccata, non esse paria: quæ veritas probatur primo ex illo loco Ioannis 16. Vbi Christus ad Pilatum: *propterea, qui me tradidit tibi maius peccatum habet*, eoque vtitur D. Thomas pro argumento dicens. *Et tamen constat, quod Pilatus aliquod peccatum habuit. Ergo vnum peccatum est maius alio.*

D.Thom

Probatur secundo ex prima ad Corinthios 5. vbi sic ait Paulus. *Auditur inter vos fornicatio, qualis, nec inter gentes.* Vnde patet maius illud esse peccatum, quam ea, quæ à gentilibus committi solebant. Hoc idem monstrat illa sententia Euangelij de peccato in Spiritum Sanctū de quo Christus, ait, *non remitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, & ille locus Ioannis, *est peccatum ad mortem*, & illud testimonium Iacobi, *qui offendit in vno factus est omnium reus.* Exemplis abundat scriptura: satis est illud Iudicum 19. & 20. de muliere molita, & occisa à concumbentibus Beniaminitis, & illud de quinque Ciuitatibus famosis præposteræ libidinis Genesis 19. idque Augustinus probauit illa

August.

Epist.

Epist.29. contra Stoicos, & Hieronymus aduersus Iouinianum. Eadem est doctrina Scolasticorum duce D.Thom. 1.2.q.73. D.Tho.

Probatur Catholica veritas ratione à priori hoc modo: peccatorum diuersitas, & grauitas sumitur ex obiectis, & motiuis: sed hæc sunt specie diuersæ, & diuersa grauitatis, & malitiæ, ergo Maior constat ex eo, quod diuersum obiectum est Iustitia, Temperantia, & Religio, & diuersa motiua includunt: ex quo apparet adulterium grauius esse peccatum, quam simplicem coitum, & omnino diuersum esse peccatum odium Dei à violatione ieiunij, vnde constat veritas minoris, quam exempla omnino persuadent: consequentia est in forma. Hoc argumentum ostēdit dari peccata diuersæ speciei, & confirmatur ex diuersitate virtutū, quæ cum sint specie diuersæ, consequens est, vt peccata contra illas commissa diuersę item speciei sint.

Sumitur præterea diuersitas peccatorum, vt ait S. Thom. q. 73. art.3. ex diuersitate finis, v. gr. peccatum immediatè contra Deum multo est grauius, quàm peccatum contra creaturas, peccatum contra hominē maius est, quàm aduersus res hominis, & quamquam omnia peccata auertant ab vltimo fine, & in hac ratione conueniant, sunt tamen alij fines proximi diuersi, vti apparet in eo, qui sibi proponit adulterium, & homicidium tanquā fines suarum actionum, qua ratione diuersa peccata committuntur. Verum quidem est hanc diuersitatem ex fine desumptam reduci ad diuersitatem obiecti, & motiui, vt ibidem aduertit D. Tho. huc item redit diuersitas sumpta ex parte circumstantiarum, quæ interdum variant specie peccata, interdum peccatum aggrauant intra eandem speciem. Nam circumstantia sacrilegij variat speciem peccati, v.gr. fornicationis vel furti. Vti probat idem S. Doctor art.7. ex cuius item doctrina colligitur ratione circumstantiarum multiplicari in vno actu rationes peccati, & vtitur ad hoc explicandum exemplo Tullij paradoxo 3. vbi ait multa in vno parricidio iura violari, nam læditur in Patre interfecto non solum homo, sed ille, qui procreauit, qui aluit, qui erudiuit, ex quo malitiæ multiplicantur. Vnde iste modus pertinet ad obiecta, & motiua, quæ variantur iuxta circumstantias appositas. D. Tho. D.Tho. Cicero

Quod autem spectat ad maiorem grauitatem peccati intra vnam speciem, ea quidē patet, tū considerato obiecto, tum ponderato actu voluntatis, nam considerato obiecto grauius est homicidium, qnàm vulneratio, & furtum mille aureorum grauius est, quàm furtum vnius aurei. Considerato autem voluntatis actu grauior est malitia actus intēsi quàm odij remissi, quod apparet, etiam à contrario in merito, maioris enim meriti est actus amoris Dei intensus, quam remissus, & patet in actibus heroicis, v.g. Martyrio, qui nobilissimi, & perfectissimi sunt. Hæc doctrina, tam est manifesta, vt merito dixerit Augustinus illum errorem Stoicorum esse contra communem hominum sensum. Sed iam argumenta soluamus iuxta sententiam S.Thom. August. S.Thom.

Primum soluitur dicendo, peccatum esse id quod non licet, ideo autem non licere, quia peccatum est deordinatio, & quoniam datur vna deordinatio maior alia, & ab illa diuersa, idcirco datur vnum peccatum alio maius, & ab illo diuersum, vti apparet in deordinatione Iniustitiæ, quæ maior, & diuersa est inordinatione intemperantiæ.

Ad secundum respondetur in peccato consideranda esse duo, vnū

est transgressio lineæ præcisè, prout est pura transgressio, & hanc esse æqualem, & communem omnibus peccatis. Secundum est talis, vel talis transgressio iuxta diuersum obiectum, & motiuum, & hãc transgressionem veluti specificam esse, atque adeo diuersas species constituere, vnde illa prima ratio transgressionis lineæ est generica, ista secunda est specifica, quod apparet in peccato intemperantiæ, & iniustitiæ, ambo enim sunt transgressiones regulæ generatim sumptæ, & in hac ratione conueniunt, sed peccatum intemperantiæ contrahit illam rationem ad intemperantiam, & peccatum iniustitiæ ad iniustitiam. Cum autem linea intemperantiæ, & iustitiæ sint diuersæ in specie morali, ita & illę transgressiones, vti tales sunt, species diuersas constituunt.

Tertium diluitur, dicendo etiam virtutes esse diuersas ratione obiecti, & motiui, vti apparet in iustitia, & religione, & temperantia, ac proinde etiam peccata pro diuersitate virtutum, quibus contrariantur distinguuntur. Nec obstat virtutes esse inter se connexas, nam ista connexio ponit ordinem virtutum inter se, non tollit diuersitatem, quę est doctrina Theologorum in 1. 2. quęst. 66. Idque euidenter probat Scotus, & cũ eo Vasq. ad illam quęstionem. Tandem & si virtutes diuersæ non essent, non sequeretur peccata non esse diuersa; possunt enim esse multæ deordinationes ab vna regula. Præterea constat, vni virtuti multa vitia esse contraria, vti liberalitati prodigalitas, & auaritia contraria sunt.

Scotus Vasq.

In quarto Argumento, quia variant soluendo Theologi amplius immorandum est. Duæ igitur solutiones adhibendæ, quæ doctrinam contineant, & cõpleant: prima sumitur ex D. Thom. 1. 2. quæst. 73. art. 2. & in 2. distinct. 37. quæst. 1. art. 1. duplex esse genus priuationum. Vnum simplex, & pura priuatio, quæ consistit, quasi in corruptum esse, sicut mors est priuatio vitæ, & tenebræ priuatio luminis: & has priuationes non recipere magis, & minus, quia nihil est residuum de habitu opposito; vnde non minus est aliquis mortuus primo die mortis, quam post annum. Et similiter de tenebris. Aliud genus est non simplex, sed aliquid retinens de habitu opposito, quæ magis consistit in corrumpi, quam in corruptum esse, sicut ęgritudo, quę priuat debita commensuratione humorum, ita tamen, quod eius aliquid remaneat, nec per ægritudinem tota sanitas auferatur, hę autem priuationes recipiunt magis, & minus, quo magis, vel minus receditur à commensuratione humorum. Quare cum peccatum non sit pura priuatio, sed recessus à recta ratione, & lege, & hęc semper maneat licet obtenebrata in homine, non est priuatio simplex, nec se habet per modum corruptionis in esse præterito, sed corrumpentis in actu præsenti, instar ægritudinis, quæ aliquid sanitatis cum vita in homine supponit, & concludit S. Doctor 2. *ex hoc dicendum est, quod non omnino peccata sint paria.*

D. Thom

Huc vsque S. Thom. cui assentior; addo tamen eius doctrinæ, & exemplo, aliud exemplum me authore, idoneum; nimirum vmbræ. quæ cum sit negatio lucis admittit tamen magis, & minus, nec enim totam lucem excludit, vti tenebræ. Est igitur peccatum magis simile vmbræ, quam tenebris non respectu gratiæ, qua omnia peccata mortalia priuant, sed respectu ordinis, & rationis, & virtutis, quibus opponitur.

S. Tho.

Secunda responsio desumitur ex doctrina Augustini epist. 29. ad Hierony-

ronymum, vbi ait dato, quod nihil virtutis maneat in homine peccante, non ideo tamen prauitatem peccatorum esse æqualem, potest enim, inquit, vnum esse alio prauo prauius, & alio distorto distortius verba Augustini huiusmodi sunt. *Si verum esset, eum, qui habet vnam omnes habere virtutes, & qui vnam non habet nullam habere, nec sic peccata sunt paria, quia vbi virtus nulla est, nihil quidem rectum est, nec tamen non ideo non prauo prauius est, distortoque distortius*. Quo argumento Augustinus conuincit errorem Stoicum, ea præcipuè ratione nixum, quod dicerent virtutes ita esse connexas, vt aut omnes simul consisterent, aut omnes simul perirent, ex eo tamen monstrat Augustinus non sequi peccata esse paria, cum eorum prauitas possit esse maior alia prauitate. Vnde apparet non opus esse ad soluendum argumentum distinguere illud genus priuationum supponendo manere aliquid de forma opposita à qua receditur, quia patet hac etiam omnino sublata manere inequalitatem peccatorum, quia cum peccatum sit deordinatio potest vna deordinatio esse maior alia, quia priuat meliori ordine, quare ex oppositione cum virtute à qua recedit, & quã euertit sumitur inæqualitas peccati, quod declarat optimè Augustinus exemplo lineæ distortæ: nam qui lineam rectam incuruat iã aufert rectitudinem, sed quo magis incuruat, magis opponitur rectitudini; ita etiam, qui peccat quamuis auferat virtutem contra quam peccat, quo magis ab ea peccando recedit, eo grauius peccabit. August.

Confirmatur, quia cum virtutes conformes rationi, & legi diuinæ sint & multiplices, & diuersæ perfectionis, quo maior earum perfectio fuerit, eo maior erit deordinatio in eo, qui tollit ordinem, itaque deordinatio à iustitię maior, & diuersa erit a deordinatione à temperantia, vti proximè diximus, nam peccatũ non est pura priuatio gratiæ, sed declinatio à recta ratione, & bono virtutis; itaque ex diuersitate boni, quo peccatum priuat, sumenda est grauitas, & inæqualitas peccati, & quot fuerint species virtutum, tot erunt oppositiones in deordinatione peccatorum. Vtraque solutio optima est, quamquam P. Vasq. illã primam D. Thom. magis probat. Sic manet Stoicorum, & Iouiniani heresis confutata. Vasqu. D.Tho.

CAPVT IX.

Peccatorum quædam esse mortalia, quædam venialia, contra Nouatores ostenditur.

VT melius hæc hæresis refutetur præmittendi errores: Iouinianus dixit omnia peccata esse paria eiusdem grauitatis, & malitiæ, teste Hieronymo lib. 2. contra eundem. *Niteris approbare conuitiũ, & homicidium, raccha, & adulterium, otiosum sermonem, & impietatem vno supplicio repensari*, & paulo post *non tibi habebunt tantas gratias quos de humili in sublime leuas quantum irascentur quos propter leue, quotidianumque peccatum in exteriores tenebras extrusisti*. Vnde patet deceptum fuisse Alphonsum à Castro, affirmanté apud Hieronymũ, nullam huius heręseos Iouiniani fieri mentionem. Idem sensit Vvicleffus authore Vvaldensi to. 2. de Sacramentis cap. 54. affirmans omne peccatum esse mortis æternæ inductiuum. Hieron.

Lutherus assert. 2. dixit omne peccatum ex natura sua esse mortale, & sola Dei misericordia veniale. Melancthon negat in non renatis distingui mortale à veniale. Caluinus variauit, sed tamen in eo est Caluin.

con-

cōſtans, vt ſentiat omne peccatū natura ſua eſſe mortale, & veniale tantum dici, quia non imputatur à Deo ita lib. 2. Inſtitut. cap. 8. §. 59. quamuis lib. 3. Inſtit. affirmet omnia peccata prędeſtinatorum eſſe venialia, reproborum autem eſſe mortalia.

3. Teſtimonia Scripturarum afferunt multa Hęretici, ſed pauca ſunt quę ſpeciem veriſimilitudinis habeant, omnia enim ferme de peccatis mortalibus loquūtur. Duo ſunt, quæ videntur aliquam difficultatis vmbram obijcere. Primo vtitur Caluino in Antidoto ſeſſ. 6. cap. 12. eſt apud Matt. c. 5. vbi Chriſtus ſic. *Qui ſoluerit vnū de mādatis iſtis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum.* Ex quo apparet illum, qui tranſgreditur minima præcepta exturbari à beatitudine, & damnari. Alterū eſt Ioannis in Euangelio cap. 13. in verbis Chriſti ad Petrum, *ſi non lauero te non habebis partem mecum*, Illa enim lotio erat purgatio à peccatis venialibus, iuxta Auguſtinum, ibi, & Bernardum ſerm. de cœna Domini.

Matth.

Ioan. 13.

Auguſt.
Bern.

Ex Patribus tres adduci poſſunt. Primus eſt Baſilius in quæſtionibus q. 293. qui vti ſuperius dixi, negat in nouo teſtamento inueniri differentiam peccati mortalis, & venialis. Secundus ſit Hieronym. dialogo 2. aduerſus Pelagianos, vbi ſic ait, *Si ira, & ſermonis iniuria, atque interdum iocus iudicio conſilioque, & Gehennæ ignibus deſignatur, quid merebetur turpium rerum appetitio, & auaritia, quæ radix eſt omnium malorum?*

Baſilius.

Hieron.

Tertius eſto Auguſtinus l. 9. cōfeſ. cap. vlt. *Væ*, inquit, *etiam laudabili vitæ hominum ſi remota miſericordia diſcutias eam.* Idem præterea Auguſtin. perſpicuè ſentit ex multis peccatis venialibus fieri vnum mortale, ſic tradit epiſt. 29. ad Hieronymum, & epiſt. 208. ad Seleucianum, & concione 3. ſuper Pſalmos, & tract. 1. in Epiſtolam Ioannis.

Auguſt.

Rationes conantur afferre. Prima eſto. Peccatum veniale eſt deordinatio à recta regula rationis, & eſt offenſa Dei; igitur eſt infinitæ malitiæ, ac proinde mortale. Secunda, peccatum veniale poteſt nunquam remitti, & poteſt æterno ſupplicio puniri, vt patet ex D. Thom. 1. 2. quæſt, 87. art. 5. vbi ait peccata venialia in homine ad inferos damnato nunquam remitti, & æternum puniri. Tertia peccatum veniale non remittitur ſine gratia, ex quo ſequitur malitiam illius eſſe mortalem, quoniam indiget eadem forma per quam remittitur mortale. Quarta, peccatum veniale eſt maius omni malo pænæ etiam æternæ, ergo eſt malitiæ infinitæ, quandoquidem vincit pęnam in ſuo genere infinitam. Similia argumenta affert D. Thom. quæſt. 88. art. 1. quę ferme huc redeunt.

D. Tho.

Concluſio tamen ſit. Peccata mortalia diſtingui à venialibus ex natura ſua.

Probatur ex Scripturis: primo ex veteri teſtamento. Prouerbior. 14. *ſepties in die cadit iuſtus, & reſurgit.* Secundo ex loco Matth. 5. *Qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio: qui dixerit raccha, reus erit conſilio; qui autem dixerit fatue, reus Gehennæ ignis.* Vbi diſtinguuntur tria genera peccatorum, quibus tres pœnæ reſpondent iudicij, conſilij, gehennæ, & eſt expoſitio Auguſtini lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 9. & Gregor. Magni lib. 21. Moral. cāp. 5. Vnde illa duo prima non ſunt peccata grauia, quia non damnantur Gehennæ. Tertium autem mortale eſt, cum puniatur Gehenna, & ita ſenſit Bellarm. lib. 1. de ammiſſione Gratiæ cap. 9.

Matth.

Aug.
Belar.

Bellarm.

Tertio, probatur ex illo textu Matth. 3. vbi Chriſtus ait de Phariſæis

Matth.

riſæis

rißeis *excolantes culicem, camelum autem deglutientes*, ideſt exaggerantes peccatum veniale, & extenuantes mortale.

Quarto Lucæ 6. *Vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides*, quid enim eſt feſtuca, niſi culpa leuis, & venialis, quid autem trabs, niſi peccatum mortale?

Luc. 6.

Quinto Lucæ 12. *Non exies inde donec reddas nouiſſimum quadrantem*. Quem dicunt Patres eſſe culpam venialem, vti exponit Ambroſ. ibi, & Cęſarius Arelatenſis homilia 3. de Epiphania, qui de peccatis, quæ pœnis Purgatorijs expiantur locum intelligunt.

Ambr. Cæſar. Arelat.

Sed ille locus eſt inuictus Matth. 12. de verbo otioſo; quod loquuti fuerint homines reddet rationem in die iudicij, nam verbum otioſum leue peccatum eſſe conſtat; & magis apparet ex modo loquẽdi Christi, qui exagerando loquitur, vti aduertit Maldonatus, quaſi dicat ſi de veniali peccato reddenda ratio eſt quanto magis de mortalibus erit reddenda?

Matt. 12.

Vltimo eadem veritas probatur ex oratione Domin. ex illis verbis *dimitte nobis debita noſtra*; quæ à iuſtis, & Sanctis dicuntur, qui non habent, niſi venialia.

Eadem eſt doctrina Conciliorũ. Concil. Mileuitanum can. 67. & 8. docet, *neminem iuſtum ſine peccato viuere*, hoc eſt, ſine veniali, quæ Auguſtini doctrina eſt illorum canonum ſcriptoris de mandato Cõcilij. Gelaſius Papa in Epiſt. contra hæreſim Pelagianam idem tradit. Gregorius Quartus in excerpto de iudicijs congruis pœnitentibus, numerat multa peccata, quæ ex materia, & pœna leuia, & venialia apparent. Habetur tom. 3. Concil. ſp. 1. In Concil. Baſilienſi Carlerius de punitione publicorum peccatorũ eandem veritatem oſtendit, eamque probat canone in decreto, & Gloſſ. quæ citantur ad marginem. In eodem Concilio Henriquus Calteiſen. lib. de prædicat. Verbi Dei de peccatis venialibus accuratè agit.

Concil. Mileuit.

Gelaſius Pap.

Greg. IV

Concil. Baſilien.

Henriqu.

Concilij Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. Hæc verba ſunt, *licet enim in hac vita mortali, quantumuis Sancti, & iuſti in leuia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quãdoque cadant, non propterea deſinunt eſſe iuſti. Nam iuſtorum illa vox eſt humilis, & verax: dimitte nobis debita noſtra*. Præterea ſeſſ. 14. cap. 5. docet peccata mortalia neceſſario eſſe confitenda, venialia non neceſſario, ſed vtiliter; vnde apparet ex natura ſua differre ſtatuiſſe.

Trident.

In decreto Pij V. renouato à Gregorio XIII. damnatur hęc propoſitio: *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale*, ex qua damnatione conſtat veritas oppoſita.

Decret. Pij V.

Patres idem apertè docent. Origenes homil. 1. in Lucam Chryſoſ. homil. 24. homil. 24. in Matth. Hieronym. in Comentarijs ad Matth. cap. 5. & lib. 2. contra Iouinianum, vbi leuia, & quotidiana peccata vocat. Nemo tamen clarius, & frequentius Auguſtino lib. de natura, & gratia cap. 36. 37. & 38. & lib. de Spiritu, & litter. cap. 36. & in Enchiridio cap. 75. & ſerm. 41. de Sanctis. Præcipuè vero cap. 38. libro de natura, & gratia, vbi inducto Abelis exemplo ponit varia genera peccati venialis, quę à Iuſto committi poſſunt, & addit, *quia ſæpe in leuiſſimis, & aliquando inrantis obrepit peccatum; & iuſti fuerunt, & tamen ſine peccato non fuerunt*.

Origen. Chryſoſt. Hieron.

Auguſt.

Docet hoc S. Thom. 1. 2. qu. 88. & qu. 89. & Scotus in 2. diſtin. 21. q. 1. & Bonauent. in 2. diſtin. 42. art. 2. & ante omnes Alexander 2. p. q. 107. vbi diſputant de conſtitutione, & diſtinctione peccati mortalis, & venialis: quos ſequuntur

S. Tho. Scotus Bonau. Alex.

Vaſq.

bus moralibus non poſſunt facere, vt iocus, & riſus tantæ ſint culpæ, quantæ ſacrilegium, & adulterium.

Trident. Soto. Bellarm. Vaſq.

Tandem peccata venialia multa fiunt per ignorantiam, & infirmitatem, per ſurreptionem, & ex imperfecta deliberatione propter corruptionem naturæ, & innatam concupiſcentiam, ex qua, vbi aiunt Patres, quædam peccandi neceſſitas extitit, quæ in hominibus etiam iuſtis inuenitur, adeò vt omnia peccata venialia collectiuè vitari non poſſint, vti docent Scolaſtici, quomodo ergo erunt iſta peccata mortalia, quæ potius ex infirmitate, quam ex malitia oriuntur? Hæ rationes rem omnino aduerſus Hæreticos conficiunt, & aliæ videri poſſunt apud Ruardum art. 11. §. Ad 5. q. & Vegam lib. 14. ſupra Concil. Tridentinum, & Petrum Soto de diſcrim. peccatorum lect. 6. & Bellarminum lib. 1. de amiſſ. gratiæ cap. 11. & Vaſq. in 1. 2. q. diſp. 142.

Matth. Vaſq. Bellarm. Auguſt.

Argumenta ita ſoluuntur: primus locus Scripturæ Matth. 5. duobus modis exponitur primo, dicēdo excludi à Regno Cęlorum illum, qui mandata minima non ſeruat, ideſt illa, quæ neceſſaria quidem ſunt, ſed reſpectu aliorum minus neceſſaria; Itaque non de peccato veniali locum intelligi, ſed de mortali commiſſo non obſeruando neceſſaria præcepta minora, & ita ſentit Vaſq. diſp. 143. & Bellarm. cap. 11. lib. 1. qui ait mandata illa minima eſſe mandata legis minus perfecta: duo enim erant genera mandatorum, nō mæchari, & non occidere actu externo, & non deſiderare adulteriū, & homicidium actu interno. Phariſæi putabant illa prima eſſe peccata, quia actu conſummata animo tantum, & voluntate concepta, forte peccata eſſe non putabant. Ait igitur Chriſtus omnia peccata eſſe tum illa, quæ grauia, & maxima Phariſæi exiſtimabant, tum alia, quæ aut nulla, aut minima eſſe putabant. Hanc expoſitionem approbat Maldonat. ad eum locum. Secundum quam argumentum Caluini nihil concludit, cum illa peccata minima non ſint venialia, ſed mortalia.

Maldo. Caluin.

Miror hanc expoſitionem, viris doctiſsimis probari. Aliam ego ſequor, & ſit ſecunda reſponſio. Affirmo igitur hæc minima mandata non eſſe ex ijs, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſed alia, quæ pertinent ad perfectionem, de quibus Chriſtus dixerat apices eſſe, & Iotas. Senſus igitur eſt eum, qui ſeruet præcepta neceſſaria tantum ſpretis his alijs ad perfectionem pertinentibus in Regno Cęlorum ſaluandum eſſe, ſed in minori gloria futurum, quàm illum, qui & neceſſaria, & hæc perfectiſsima cuſtodiat. Vnde huius comparatione, qui eſt maximus, ille alius dicetur minimus. Apparet autem veritas huius ſenſus ex comparatione; nam comparatio fit in Regno Cęlorum, hoc eſt intra Eccleſiam, interprete Auguſtino, inter Sanctos minus, & magis perfectos: quemadmodum indicant termini minimus, & maximus, idque ſignificat Mater Eccleſia, quæ hoc Euangelium canit in feſto Maximorum Doctorum, qui inter alios eminent, qui ſeruarunt, & docuerunt. Nec enim poteſt fieri comparatio inter Sanctos, & reprobos, qui in Regnó Cælorū minimi non ſunt, ſed prorſus nulli ſunt. Confirmatur, quia ſi illa mandata minima neceſſaria ſunt ad ſalutem, quid mirum eſt, quod ſeruari iubeantur, & doceantur, aut quomodo propter id laudandi eſſent Doctores Sancti ſuper alios, cum omnes tenerentur ea ſeruare, & hortari ad illa ſeruāda. Tandem nō apparet quomodo dici poſſint pręcepta minima illa, quæ ſpe-

ctant ad interiores actiones quando scilicet præcipitur, ne quis desideret fureri, aut mœchari: nam hæc præcepta minima non sunt, imo sunt maxima, & perfectissima. Alia autem, quę actu consummantur cū grauissima peccata sint, non possunt præcepta minima admittere, sed præcepta maxima, quia & grauius vetantur, & acerbius puniuntur. Quamuis autem Maldonatus nomine aliorum hanc interpretationem afferat, & reprobet, ea certè verissima est, & iuxta illa negatur Caluino quemquam propter peccata venialia à Regno Cælorum excludi, itaque sermonem esse de Sanctis, & iustis magis, & minus perfectis, idest, qui non solum mortalibus, sed etiam venialibus carere studuerunt.

Secundus locus Ioannis soluitur dicendo, Petrum sola venialia habuisse, sed idcirco dictum illi à Christo non habiturum partem secum, quia nemo cum venialibus potest ingredi in Paradisum, iuxta illud Ioannis in Apocalypsi *nihil coinquinatum* intrabit in eam. Soluitur secundo, respondendo non ideo Petrum priuandum esse à consortio Christi, quia venialia habebat, sed quia Christo iubenti lauare pedes nolebat obedire, in qua inobedientia si perseueraret damnaretur. Apocal.

Quod attinet ad locum Basilij negandum eas quęstiones illius esse, sed Eustatij Sebasteni hominis in fide suspecti, vt apparet ex Concil. Gangrensi. Deinde admisso Basilij esse, respondetur S. Basilium loqui de locis Euangelij perspicuis, quos esse non putauit de distinctione peccati mortalis, & venialis. Concil. Gangr.

Hieronymus satis declarauit suā mentem dum dixit, *interdum quæ natura sua leuia sunt, mortalia fieri ex circumstantijs*, potest enim ira in in iniuriam, & iocus in contumeliam transire. Hieron.

Ad authoritates Augustini respondet D.Thom. 1.2.qu.88. art.4. & 5. Augustinum loqui in illo sensu, quod multa peccata venialia dispositiuè causant mortale, quo item sensu loquutus est Gregorius lib.10. moral. cap.14. Ambo autem sequuti sunt illam sententiam Ecclesiastici cap.19. *qui spernit modica paulatim decidet.* August. D.Tho. Gregor.

CAPVT X.

Explicatur natura peccati venialis, & rationes opposita soluuntur.

NEgant hæretici distinctionē, quod nō vident fundamentum illius. Hoc necesse est astruere scholasticis subtilitatibus posthabitis, sed minimè prætermissis. Scotus in 2. distinct. 21. quæst. 1. §. *Dico ergo* affirmat in eo distingui, quia peccatum mortale est contra præceptum: veniale cōtra cōsilium. Communiter reijcitur duplici ratione prima, quia etiam venialia sunt contra præceptum, vti furtū vnius oboli est contra preceptum iustitię, licet parua quātitas excuset à mortali. Secunda, quia multi non seruant consilia sine vllo peccato, vti qui ducit vxorem, & posſidet bona, non seruat consilium virginitatis, nec paupertatis, nec tamen ideo venialiter peccat. Scotus

Caietanus affirmat mortale esse contra finem, veniale contra media, & putat hanc esse doctrinam D. Thom. sed hæc sententia precisè non est vera, quia furtum est peccatum contra medium, & tamen si graue sit, est mortale peccatum. Deinde circa Deum, qui est finis vltimus in materia fidei, vel spei, imo & charitatis potest dari peccatum veniale in actu secundo primo, qui ex imperfectione deliberationis fit peccatum veniale. Caiet.

Alensis 2. p. qu.106. membro 1. & Bona- Alex.

Bonau. & Bonauent. in 2. distinc. 24. art. 2. q. 1. aiunt mortale esse contra præceptum, & legem æternam, veniale autem præter præceptum, & legem. Hoc autem verum non videtur, quia mendacium est contra legem veritatis æternæ, & paruum furtum contra regulam iustitiæ, & tamen sunt venialia.

D.Thom S. Thom. 1. 2. q. 72. ar. 5. & qu. 88. ar. 2. & 5. docet eo differre, quia peccatum mortale tollit ordinem ad vltimum finem: at vero veniale sublato ordine ad ea, quæ sunt circa finem, seruat tamen ordinem ad vltimum finem. Hæc sententia sine dubio vera est. Existimo tamen omnes alias, quas hactenus numeraui sententias, alijs modis idem dicere voluisse. Scot. Nam Scotus idcirco dixit mortale esse contra præceptũ, & veniale contra consilium, quia nomine præcepti intellexit præceptum necessarium ad salutem æternam; nomine autem consilij significauit ea præcepta, quæ leuia sunt, & quorum violatio non auertit ab vltimo fine. Hoc idem sensisse Caietan. Caietanum patet; id enim est esse contra finem, quod est tollere ordinem ad vltimum finem, & illud est contra medium, quod non auertit ab vltimo fine; eadem est mens Alexandri, & Bonauenturæ, dum enim aiunt mortale esse contra præceptũ, & legem, intelligunt præceptum necessarium ad salutem, contra quod quia peccatum veniale non facit, præter legem, non contra legem esse Alexan. dicunt: idem Alexander apud Vasq. Vasquez disp. 143. cap. 4. num. 8. dixit per mortale tolli charitatem, per veniale minui feruorem charitatis, quod ipsum tradit Caietanus, & Caiet. communis est omnium sensus.

Illud maximè torquet ingenia, quid sit illud, per quod peccatum mortale ita constituitur, vt tollat ordinem ad vltimum finem, siue peccet circa media, siue circa finem, peccatum autem veniale quamuis versetur in eodẽ met obiecto, & sit peccatum, seruet tamen adhuc ordinem ad vltimum finem, nec ab eo prorsus recedat? Hac in re dicam quod sentio; quando aliquis peccat recedit à regula rationis, & lege æterna dictante, ac dirigente actum. Quando ergo peccator ita deserit illam regulam, vt prorsus eam relinquat, & nihil sit in quo cum ea conformetur, tunc peccat mortaliter, quando autem ita recedit, vt aliqua ex parte retineat conformitatem cũ regula rationis, tunc peccat venialiter. Ponamus exemplum: occidere sine causa, & deliberatè est contra regulam, & legem æternam, quæ ita iubet. Vnde ille qui deliberatè, & sine causa occidat hominem, tollit illam regulam, nec relinquit in ea aliquid cui se conformet, at vero ille qui occidit sine causa, sed indeliberatè, non facit omnino contra regulam, imo ex illa parte excusatur, quæ deliberationem requirit. Igitur quanquam ex vna parte regulam læserit, quia tamen eadem regula dictabat vtrumque, adhuc inhæret regulæ, qua ex parte illam non violauit, quia non fecit deliberatè, quod ipsa regula omnino exigebat ad mortale peccatum. Dico clarius duo sunt dictamina rationis veluti vniuersalia circa peccatum. Primum est: non potest esse mortalis culpa, vbi non est perfecta libertas. Aliud est: non potest esse grauis culpa, vbi materia leuis est; hæc duo dictamina rationis manent integra quando aliquis peccat venialiter; ergo ille, qui venialiter peccat non omnino recedit à regula rationis; conformat enim se illis principijs quæ verissima sunt in materia morali. Vnde quamuis recedat ex parte à dictamine particulari iubente fieri actum honestè, adhuc tamen adhęret illis principijs communibus rectæ rationis. At vero qui peccat mortaliter omnino vio-

violat regulam rationis, quæ dictat peccatum mortale circa materiam grauem cum integra libertate versari, contra quod principium dum facit peccans nullam relinquit rationem cui se accommodet, nec vlla se potest ratione excusare.

Hoc principium declarat quomodo peccatum veniale constituitur, & distinguitur à mortali natura sua, cum mortale illud sit quod omnem prorsus regulam rationis euertit, & nihil relinquit quo se defendere, & excusare possit, atque adeo simile est annihilationi legis, rationis, & virtutis: at vero veniale illud sit, quod tantum deordinatur ex parte à lege, & ratione, inhærendo semper communibus principijs rationis quibus excusatur.

Ex eo item apparent omnes differentiæ inductæ à Theologis inter hæc peccata. Prima est mortale auertere à fine vltimo, non autem veniale, quia mortale auferendo totam regulam rationis auertit ab vltimo fine. Veniale autem cum ex parte tantum exorbitet, ab vltimo fine non auertit. Secunda est Mortale esse iniuriam, & offensam simpliciter. Veniale autem secundum quid, nam illud tollendo vniuersam legem, & regulam rationis est offensa, & iniuria simpliciter, qualis non est iniuria peccati venialis, quæ modicè tantum à ratione deflectit. Tertia est, quod mortale meretur odium Dei, & pœnam æternam, non vero veniale, quia peccatum mortale euertit fundamentum amoris auertendo se prorsus à Deo, quod non destruit veniale, cum adhuc Deo adhæreat. Quarta est quod mortale aufert charitatem, veniale autem solum minuit feruorem illius. Nam euersa regula rationis charitas perit, quæ retinetur manente adhuc ex principali parte inuiolata regula rationis.

Tandem liquet, quod tradit S. Thom. q.72. ar.5. & q.88. ar.1. Peccatum mortale non esse reparabile ex natura sua nisi per diuinam potentiam, veniale autem esse reparabile per quodlibet augmentum gratiæ, quia cum peccatum mortale euertat regulam rationis, & legem, & in genere moris habeat se instar nihil, & à nihilo non sit regressio, nisi diuinitus, nequit illud, nisi diuina virtute reparari per gratiam viuificantem. At vero veniale cum adhuc retineat aliquod esse morale, per quodlibet augmentum gratiæ reparari potest, vti homo mortuus non potest resurgere nisi diuinitus: homo autem infirmus sanari potest per industriam humanam; qua comparatione vtitur D. Thomas qu.72. ar.5. D.Thom Idem

Quod attinet ad distinctionem horum peccatorum multum in eo laborant Scholastici; ad nos positiuos, non multum refert hæc scire. Breuiter tamen dico cum S. Thom. q.72. art.5. ad primum. Peccatum mortale, & veniale differre in infinitum ex parte auersionis, non autem ex parte conuersionis, per quam respicit obiectum, à quo peccatum speciem habet. Vnde nihil prohibet in eadem specie inueniri aliquod peccatum mortale, & veniale, sicut primus motus in genere adulterij est peccatum veniale, & verbum otiosum, quod plerumque est veniale, potest esse *mortale*. Modum autem quo possit esse mortale ponit q.88. art. 2. Videlicet quando verbum otiosum ad cõmittendum adulterium ordinatur. Vno verbo: peccatum veniale, & mortale non differunt simpliciter, sed analogicè. Idem

Ex dictis soluuntur facile Argumenta. Ad primum dicitur peccatum veniale esse quidem offensam, sed leuem, & leuiter à ratione exorbitantem.

Secundum soluitur duobus modis

Scot. dis, primo, cum Scoto in 2. distin. 21. q. 1. §. In ista quæstione: negando propter peccatum veniale coniunctum cum mortali in Inferno dari pœnam æternam. Quia illa pœna, cum respondeat culpæ, non potest fieri æterna ratione peccati mortalis, ac proinde finita erit, & finietur. Secundo cum D. Thom. concedendo assumptum, sed aduertendo illam pœnam per accidens æternam fieri, non per se: nam ex eo, quod ille damnatus non possit esse in statu gratiæ, non potest remitti veniale, nec pœna relaxari.

D. Thom.

Tertium soluitur, admittendo veniale non remitti sine gratia, sed hæc non est illa prima gratia viuificans peccatorem, sed gratia adueniens gratiæ per augmentum. Vnde augmento gratiæ opus est, quæ aliam gratiam viuificantem supponit.

Quarto respondetur, dando quodcumque peccatum leue esse maius malum omni pœna, etiam æterna, præcisè, vti pœna est, idque habere ex genere suo, non sequi tamen inde habere infinitam malitiam. Nam quodcumque viuēs etiam imperfectum perfectiùs est omni non viuente in infinitum creabili, non tamen inde sequitur quodcumque viuens fore infinitè perfectum.

CAPVT XI.

Quid sit iustificatio, & circa eam Hæreticorum errores.

MVltifariam accipitur in Sacris litteris (de his quippe agimus) Iustificatio: primo pro lege, & mandatis Dei, vti Psalm. 118. *Iustificationes tuas custodiui, & doce me iustificationes tuas*, & similia. Secundo pro acquisitione Iustitiæ, & Sanctitatis, quo sensu dixit Apost. ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*, & cap. 8. *Quos vocauit, hos, & iustificauit*. Tertio pro augmento eiusdem Sanctitatis, & iustitiæ vti Apocalyp. 22. *Qui iustus est iustificetur, adhuc* & Ecclesiastic. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari*. Quarto pro declaratione iustitiæ, & sanctitatis alicuius, sensu forensi, quo reus examinatus absoluitur, & innocens declaratur, qua significatione dicitur Prouerb. 17. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, vterque est abominabilis apud Deum*, & Isaiæ 5. *Væ qui iustificatis impium*, & Lucæ 7. *Iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis*, & cap. 10. *Ille autem volens iustificare seipsum*. Has quatuor acceptiones affert Bellarm. lib. 1. de iustificatione cap. 1. Becanus de iustificatione contra Caluinum omissa prima reliquas tres adducit. Suarez tom. 3. de gratia lib. 7. cap. 6. admittit duos sensus, nempe secundum, & quartum, licet tertium postea in secundo includat.

Psal. 118. Rom. 3. Apoc. 22. Eccl. 18. Prou. 17. Lucæ 7. Ibidem. Bellarmi. Becan. Suarez.

Propria huius loci est iustificatio in secundo sensu pro acquisitione sanctitatis, & iustitiæ sanctificantis. Quem sensum docuit Augustinus Epist. 120. & concione 1. in Psalm. 30. vbi sic. *Qui iustificat impium, id est qui facit ex impio iustum*, quæ significatio est communis apud Theologos, & in hac loquitur Tridentinum sess. 6. de iustific. & S. Tho. 1. 2. q. 103. per decem articulos.

August. Trident. D. Thom

Hinc causa errorum hæreticis, qui negant iustificationis nomen sumi in hoc sensu, & contendunt eo tantum sumi, qui est quartus, & omnino forensis pro declaratione iustitiæ: ita vt iustificare peccatorem sit eum pro iusto habere, & non imputando peccata, declarare iustum esse, quamuis peccator sit. Iuxta hunc sensum omnes penè Nouatores nostri sæculi affirmant nullam dari iustificationem veram, & intrinsecam, sed tantum iustitiam imputatiuam, quæ consistat in remis-

missione peccatorum per condonationem, & non imputationem: ita vt maneant peccata, & solum tegantur, & non imputentur. Vltra remissionem istam addunt, iustificari peccatores per iustitiam Dei, & Christi, non quæ intus inhæreat, sed quæ per fidem tamquam manum apprehendatur, & applicetur omni forma inhærente remota.

Hanc esse Lutheri, & Caluini, & Sectariorum vtriusque hæresim patet ex scriptis ipsorum, quorum verba videri possunt apud Bellarminum, & Becanum citatos. Aduertendum magnam esse varietatem imo discrepantiam inter hæreticos de modo iustificationis: adeo vt Hosius tom. 2. Suorum operum lib. 1. de hæresibus sui temporis dicat quatuordecim apud eos esse de hac re sententias. Hoc ipsum confirmat Osiander hæreticus in lib. quem scripsit contra Nycticoracem: imò idem in confutatione lib. Melancthonis viginti sententias refert. Inter nostros authores, quæstio est vtrum aliqui ex hæreticis admiserint aliquod genus iustificationis intrinsecæ; & quidem vulgo negatur. Ego tamen affirmo. Primum Remonstrantes qui verè Semipelagiani sunt, & à fortiori Arminianos qui subtiliùs Semipelagianismum sequuntur, admittere iustificationē intrinsecam per gratiam, & charitatem. Nam in eo tantum differunt Remonstrantes à Catholicis, quod ponunt principium quoddam meriti in natura, & Arminiani in eo tantum dissentiunt, quod auferunt discrimen Gratiæ efficacis, & sufficientis refundendo efficaciam in arbitrium nostrum de cætero Catholicè sentiunt. Bucerus autem cap. 5. & Kemnitius apud Tilletanum in Apologia pro Concilio Tridentino cap. de Iustitia partialem sanctificationem intrinsecam admittunt; sed omnino completam per iustitiam Dei, & Christi nobis extrinsecus applicatam: ita vt sine illa iustificatio intrinseca nulla sit. In qua sententia communiter creditur fuisse Pigghius, & Colonienses Theologi per errorem, dum aiunt præter charitatem, & gratiam opus esse ad iustificandum peccatorem illa extrinseca condonatione, & applicatione iustitiæ diuinæ, sed hi tamen Doctores Catholici à calumnia liberandi sunt, nec enim negarunt sufficere ad sanctificandum charitatem, & gratiam inhærentem, sed iudicarunt non excludi acceptationem, & condonationem diuinam. Lutherus quidem & Caluinus videntur negare omnem formam iustificantem intrinsecam, licet Caluinus interdum videatur à se dissentire, & admittere aliquam partem intrinsecæ iustificationis, vti ostendit Bellarminus, & Becanus citati. Illud constat hæreticos huius temporis communiter totam iustificationem reducere ad condonationem quandam extrinsecam, quæ sit non imputatio peccatorum, & apprehensionem iustitiæ diuinæ per quandam fiduciam nobis applicatam; & in hunc sensum trahunt celebre illud testimonium Dauid. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum*, & illa. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.*

Hosius. Osiand. Bucerus. Kemnit. Lutherus Caluinus

CAPVT XII.

Proponuntur Fundamenta erroris hæreticorum.

PRimum Argumentum hæreticorum sumitur ex verbo Iustificare, quod Bucerus, Caluinus, & Kemnitius, & qui ex ijs doctiores habentur contendunt prorsus esse forense, & solum significare declarare aliquem iustum, quo sensu de Deo dicitur Psalm. 50. *Vt iustificeris in sermonibus tuis*; quo sensu

Psal. 50.

ſu multis in regionibus vulgo dicitur Giuſtificarſi, pro excuſare ſe à culpa, & innocentem ſe monſtrare. Hoc Argumentum dupliciter ſoluitur, primo, dicendo verbum Iuſtificare, hunc ſenſum etiam habere, ſed alios etiam admittere. Vnde consentimus hæreticis admittendo ſignificationem, ſed diſſentimus, dum excludunt alias: nam hoc ineptè faciunt, ſunt enim multa verba Latina, quæ varias ſignificationes habent, vti capio, quod ſignificat apprehendere manu, continere loco, mente percipere. Sicuti autem foret ineptus, qui hoc verbum in vna tantum ſignificatione ſumeret excluſis reliquis, ita hæretici inepti ſunt, qui admiſſa vna tantum ſignificatione verbi, Iuſtificare, cæteras inficiantur, quas nos attulimus, & iterum poſtea afferemus.

Secundo ſoluitur, dicendo verbum illud, etiam in hoc ſenſu ſemper inuoluere innocentiam, & immunitatem à culpa impoſita. Quis enim eſt, qui ſe velit iuſtificare, id eſt monſtrare iuſtum manendo intus maculatus crimine? Imo contra hæreticos retorquetur argumentum, is qui ſe in iudicio, & in foro iuſtificat, intendit monſtrare falſam eſſe accuſationem, ſeque non admiſiſſe illud delictum, ac eſſe innocentem in foro interiori. Ergo quādo Deus nos iuſtificat, id eſt monſtrat, & declarat iuſtos intendit mōſtrare nos carere culpa, & non eſſe in peccato, alioqui mentiretur, quæ ſecunda ſolutio eſt idonea, & probatur à Vaſquez in 1. 2. diſp. 202. & à Suarez 3. tomo de gratia lib. 7. cap. 6. num. 22. & à Bellarmino lib. 2. de iuſtificatione cap. 9. & apparet ex Auguſtini ſententia concione in Pſalmum 30. vbi pro eodem ponit iuſtificari, & iuſtum facere. *Quis eſt*, inquit, *qui iuſtificat impium? qui facit ex impio iuſtum*. Ergo perinde eſt iuſtificari, & fieri iuſtum. Eoque hæretici confutantur.

Vaſqu. Suarez. Bellar. Auguſt. Pſal. 31.

Secundum Argumentum, quod ſæpè replicat Caluinus ducitur ex illo Pſalm. 31. & 4. ad Roman. vbi dicuntur peccata tegi, *quorum tecta ſunt peccata*, & non imputari, *non imputauit Dominus peccatum*. Tegi autem, & non imputari peccata, non remitti, & deleri, ſed tantum occultari, & non apparere, ſic etiam Kemnitius apud Vaſquez; Paræus apud Becanum argumentantur.

Caluin. Kemnit. Paræus.

Reſpondetur primo. Verum quidem eſſe in his duobus locis dici peccata tegi, & non imputari: ſed alios eſſe complures, in quibus peccata dicuntur deleri, ablui, mundari, remitti, & tolli, quos infra adducemus, & hos locos explicare quid ſit tegi, & non imputari peccata.

Reſpondetur ſecundo duobus modis fieri, vt peccata tegantur; vnō modo reuera manendo, ſed tecta, vti iniecto pallio, quod tantum operit vulnus, nihil aliud agendo. Altero modo inducto emplaſtro à Medico, quo tegantur vulnera, & tegendo curentur, & auferantur. Hos duos modos attulit Auguſtinus concione 2. in eum Pſalmum. *Non ſic intelligatis*, inquit, *quod dixi peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint, & viuant: Deus tegat vulnera, non tu. Nam ſi tu tegere volueris erubeſcens, medicus non curabit. Medicus tegit, & curat, emplaſtro enim tegit. Sub tegmine Medici ſanatur vulnus, ſub tegmine vulnerati celatur vulnus*, qua comparatione vtitur etiam Gregorius Magnus in ſecundum Pſalmum Pœnitentialem, & vſus fuerat Nazianzenus Oratione de Sancto Lauacro. Igitur tegi peccata refertur ad Deum tegentem, & curantem.

Auguſt. Gregor. Nazianz

Reſpondetur tertio peccata dici, tegi, quomodo dixit Paulus. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, nempe infuſa charitate, & gratia tegi animam, quæ erat antea maculata.

ata peccatis, vti dicimus operiri radijs, & lumine. Quomodo autem cum luce tenebræ consistent? Itaque tegi, id est vestiri habitu gratiæ, & charitatis, quo maximè hæretici refelluntur. Vasquez disput. 202. cap. 5. aliter, & latissimè soluit hoc argumentum, sed meo iudicio nimia subtilitate minus solidè, quam deberet.

Vasquez.

Kemnit. Sed instat Kemnitius opponens locum Prouerb. 11. *Homo astutus tegit scientiam*, vbi ait tegi, non posse poni pro deleri. Ergo neque vbi dicitur tegi peccatum accipietur pro deleri.

Bellarm. Respondeo cum Bellarmino verba sequi res. Sunt autem res quæ teguntur, vt seruentur, vti oleum, & vinum. Sunt aliæ quæ teguntur, vt non extent, v. gr. vulnera tecta emplastro. Vnde argumentum nihil concludit. Adijcio, ineptè argumentari Kemnitium: nam eo authore dicemus vas tegitur operculo luteo. Ergo & secretum tegitur operculo luteo: vnde quando Kemnitius tegebat aliquod secretum luteum ei operculum imponebat.

Quod attinet ad, imputare, dicendum peccatum non imputari, poni pro non esse, vel saltem supponi non esse peccatum, quomodo enim imputabitur id quod non est. Imo hinc hæretici refutantur, nam si peccatum esset imputaretur. Ergo ideo non imputatur, quia non est. Hac ratione exponitur alius locus Pauli

Corinth. 2. ad Corinth. cap. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum*, id est parcens hominum delictis, eaque delens per Christum. Addo aliam expositionem. Nempe Deum decernentem incarnare Verbum non respexisse hominum peccata, sed pro sua misericordia illis non obstantibus voluisse, vt verbum diuinum incarnaret, hominesque redimeret, & hoc modo aufertur argumentum hæreticorum.

Tertium sumitur ex Epistola 2. ad Corinth. cap. 5. *Eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit, vt nos efficiamur iustitia Dei in ipso.*

Vbi perspicuè dicitur nos sanctificari iustitia Dei, & hanc non esse in nobis, sed in Christo; & confirmatur, quia sicut Christus dicitur factus peccatum, cum peccatum esse, peccatorque non possit, sed ratione tantum nostri, quorum figuram gerebat, ita & nos iustitia, & iusti esse non possumus, nisi per imputationem iustitiæ Dei, & Christi. Huic loco tripliciter respondet Bellarminus, primo Paulum loqui, tum de peccato, tum de iustitia capitis, & membrorum, vnde sicut Christus, quia erat caput nostrum, & nos peccatores membra illius dicitur peccator, & peccatum, ita & nos, quia membra Christi capitis sumus, vocamur iusti, & iustitia Christi, quo sensu dicit Paulus secundo ad Ephes. *Conresuscitauit nos, & consedere fecit in cælestibus, in Christo.*

Secundo respondet istam iustitiam Dei in Christo esse illam, quæ inerat in nobis, sed tamen appellari iustitiam Dei, quia donatur nobis à Deo per meritum Christi, quæ est interpretatio Augustini lib. de Spiritu, & littera cap. 18. & conformis Chrysostomo in hunc locum.

Tertio iustitiam nostram vocari iustitiam Dei, quia est effectus, & imago iustitiæ Dei, sicuti Christus fuit imago peccatoris, non peccatum, vel peccator. Vnde colligitur, nihil ex hoc loco sequi contra iustitiam inhærentem.

Ego tamen respondeo: hoc in loco non dici à Paulo, sicut Christus factus est peccatum pro nobis, ita & nos effecti sumus iustitia Dei in ipso, qua solum ratione haberet vim

ad

ad probandum, quod hæretici volunt, nos esse iustos per imputationem iustitiæ Christi. Itaque non fit comparatio peccati in Christo,& iustitiæ in nobis, sed tantum ponitur causa iustitiæ nostræ meritoria, quæ fuit Passio Christi peccata nostra redimentis, cui debetur iustificatio nostra per gratiam Dei inhærentem. Vnde Argumentum nihil concludit, quemadmodum si dicamus: Christus pro nobis incarnatus est, vt nos deificaremur, non sequitur, sicut ille veram naturam humanam suscepit, ita & nos veram naturam diuinam suscepturos. Respondetur vlterius prædicata commensuranda esse subiectis: vnde Christus non poterat esse peccator intrinsecè, at nos possumus esse intrinsecè iusti. Igitur non conuertitur, Christus fuit peccator per imputationem; ergo & nos iusti per imputationem. Tandem respondeo peccatum hoc loco non significare peccatum, sed sacrificium pro peccato, vti probat Augustinus lib. 2. contra Maximinum cap. 2. adducto isto loco Pauli, quo sensu Christus verè victima fuit, & verè mortuus fuit: ac proinde si fiat comparatio, vt hæretici volunt, retorquetur in eos argumentum, nam sicut Christus verè, ac propriè & non per imputationem victima fuit, ita & nos verè, & intrinsecè, & non per imputationem iusti, & Sancti sumus. August.

Quartum sumitur à ratione hoc modo, si iustitia sit forma inhærens, vel propria, vel acquisita, vel infusa magna fit iniuria Christo, quasi ille indigeat post tot merita nobis applicata,& infinita, alia forma iustificante.

Respondetur: argumentum ineptum esse, quia ista forma iustificans requiritur ad iustificationem, & datur ex meritis Christi ad cuius gloriam pertinet iustificare nos debito, & connaturali modo: vti etiam Deus dat nobis animam, & vitam naturalem, qua viuamus, non quia indigeat, sed quia vt nos viuificet opus est forma intrinsecè viuificante: ita etiam Christus, vt nos iustificet, & det vitam supernaturalem debet inducere formam, qua intus iustificemur, & viuificemur. Imo esset ignominiosum Christo non dare nobis sanctitatem perfectam, nec intrinsecam, sed tantum imputatiuam, & vmbratilem. Deinde non est in nobis gloriandum de hac iustitia nobis inhærente, & nostris bonis operibus ad eam disponentibus, cum quidquid boni agimus Christo debeamus, quia iuxta Concilium Arausicanum. *Homo lapsus nihil habet de suo, nisi mendacium, & peccatum*. Vnde quicquid boni agimus à gratia Dei dependet, *quæ nos excitat, præmouet, adiuuat, comitatur, & subsequitur*, cui nos liberè cooperamur, quia nec trunci, nec lapides sumus, & opus est, vt gratiæ cooperemur; sed vti gloriari non possumus de eo, quod viuimus naturaliter, quia à Deo animam, & vitam accepimus, qua vtimur, ita etiam gloriari non possumus de vita Spirituali, quia illi cooperamur. Concil. Arausic.

CAPVT XIII.

Iustificationem nostram non esse imputatiuam, & extrinsecam, sed inhærentem, & intrinsecam ostenditur.

Assumptum capitis patet ex Scripturis 1. Isaiæ 53. vbi de Christo sic: *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos*, vbi verbum *Iustificabit*, in hebræo significat iustos facere, vti linguæ periti docent, & tradit Bellarminus lib. 2. cap. 3. Secundo ex cap. ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*, quod Augustinus, vti supra diximus Isaiæ 53. Bellarm. Rom. 3. August.

exponit. *Iustificare est ex impio iustum facere*. Tertium testimonium

Rom 5. est cap. 5. ad Roman. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic, & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituuntur multi*. Præterea *Gratia* ex multis delictis in iustificationem. Vbi ex Antithesi peccati originalis, quod verè nobis inest, & nos intrinsecè maculat, colligitur, gratiam, quæ nos iustificat esse intrinsecam, & nobis inhærere; alioqui potentius erit peccatum ad maculandum, quam gratia ad sanctificandum. Confirmatur ex verbis adiectis *accipientes abundantiam* addito vocabulo *donationis*. Vox enim abundantia, & donatio, non quadrat in extrinsecam imputationem.

Rom. 5. Quartus locus sit cap. ad Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, quæ verba de charitate, qua diligimus Deum, exponit

August. Augustinus lib. de Spiritu, & littera cap. 32.

Rom 8. Quintus locus cap. 8. ad Roman. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem viuit propter iustificationē*. Ex quo deducitur, sicut per peccatum vera mors incurritur, ita per iustificationem veram vitam Spiritus infūdit. Accedit illud *Spiritus eius, qui habitat in vobis*, & illud aliud propter *inhabitantem spiritum eius in vobis*. Nam qui inhabitat, intus est, non extra manet.

1. Cor. 6. Sextum testimonium 1. ad Corinth. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini Nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*. Hæc non quadrant in declarationem, & imputationem; sed dicunt interiorem munditiam, sanctificationem, & gratiam,

Septimus locus est ad Titum cap. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationem Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum, vt iustificati per gratiam ipsius hæredes simus*. Lauari, renouari, effusio Spiritus, non sonant vmbratilem, & imputatiuam, sed veram, & intrinsecam iustitiam. Tit. 3.

Octauus esto 1. ad Corinth. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis, qualis terrenus, tales & terreni; qualis cælestis, tales, & cælestes. Igitur sicut portauimus imaginem terreni portemus & imaginem cælestis*. Ista quidem comparatio concludit: sicut vita naturalis, & peccatum naturæ ab Adamo tractum intra nos sunt, ita & vitam supernaturalem gratiæ, & iustificationem intra nos esse, vt Christi imagines simus; nam per imputationem imagines Christi esse non possumus. Cor. 15.

Vltimus est Apocalyp. 22. Qui cum de augmento iustitiæ loquatur, non potest intelligi de extrinseca imputatione, *qui iustus est iustificetur adhuc, & qui sordidus sordescat adhuc*. Nec sordes, imputationes sunt peccati, nec iustificatio à sordibus est imputatio iustitiæ. Apoc. 22.

Probatur deinde ex Concilijs. In Meleuitano II. cap. 1. dicitur. *Peccatum originale in paruulis lauacro baptismi expiari, & mundari*. Hoc autem non est, non imputare peccatum, sed verè delere. Idem docet Cœlestinus I. Epist. 1. cap. 4. vbi dicit. *Christum, per nouæ regenerationis purificationem omne vitium lauacro baptismatis purgare*. Verbum autem purgare, & nomen purificatio significāt intimam sanctificationem. Confirmatur ex cap. 6. vbi vocat: *Baptizatos renouatos gratia baptismali*. Roboratur illa sententia cap. 5. vbi ait. *Neminem per se ipsum esse bonum, nisi participationem sui illi donet, qui solus est bonus*. Donata Mileu. 2. Cœlest. I.

ta quippe participatio bonitatis, non est imputatio extrinseca.

Suarez. Aduerto hic Patrem Suarez tom. 3. de gratia lib. 7. cap. 7. citare locum Mileuitani Concilij cap. 3. & Cælest. I. Cœlestini Epist. 1. cap. 8. in fauorem istius sententiæ, minus fideliter quam deberet: nam illi duo loci, quos affert, nihil continent pertinens ad gratiam sanctificantem intrinsecam, nec illud significant, quod vult Suarez, sed tantum probant gratiam Christi, non solum valere, quæcumque illa sit, ad solam remissionem peccatorum præteritorum, sed etiam valere ad vitationem futurorum. Præterea addit inueniri in eo cap. 8. Cœlestini hæc verba. *Gratia Christi dicitur esse, qua iustificamur*, quæ in tota Epistola non reperiuntur.

Trident. Concilium Tridentinum sess. 5. in Decreto de peccato originali eandem, & ijsdem verbis doctrinam tradit, quibus eam tradiderat Concilium Mileuitanum, & Cœlestinus & ad finem Decreti, ait, *baptizatos veterem hominem exuere, & nouum induere, eosque innocentes, immaculatos, puros, & innoxios, ac Deo dilectos fieri*. Sess. autem 6. cap. 7. & 8. & 9. & 10. proponit contra hæreticos doctrinam iustificationis intrinsecus inhærentis manifestam, & docet fieri non per imputationem, sed per veram, & inhærentem iustiIdem. tiam, & Can. 11. sic ait. *Si quis dixerit homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua iustificamur esse tantum fauorem Dei anathema sit.*

Suarez. Vasquez. Bellarm. Patres citant Suarez lib. 7. cap. 7. & Vasquez disp. 202. cap. 2. & Bellarminus lib. 2. De Iustificatione cap. 8. inter quos præcipuus est AuAugust. gustinus, qui eam veritatem sæpè, ac manifestè docet, nec opus est locos afferre, cum ipsemet Caluinus id Caluinus fateatur, sic enim ait lib. 3. institutionum cap. 11. §. 15. *Augustini quidem sententia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, qua in vitę nouitatem per spiritum regeneremur*. De Patribus autem eos in hac sententia esse fatetur Kemnitius Kemnit. in prima parte examinis. *Non mouemus*, inquit, *litem quomodo iustificationem accipiant Patres*, *& infra*: *non ignoro aliter loqui Patres, sed de proprietate linguarum quæstio est*. Quasi vero Patres linguarum essent imperiti; quo quid impudentius? præsertim vbi de sacris vocibus agitur, & iuxta sensum scripturæ. Hanc eamdem veritatem esse definitam contra Lutherum, & Bucerum ante Tridentinum in Colloquio vltimo Ratisbonensi, & in Conuentu Augustano, & in libello quodam oblato Imperatori Carolo V. tradit Vasquez disp. 202. cap. 4. ad finem. Vasquez. Finis esto Augustini sententia Epist. 200. explicantis locum Pauli, quo abutuntur hæretici, quia nostra iustitia appellatur iustitia Dei. Vbi sic Augustinus. *Dei dixit iustitiam, quæ* August. *homini ex Deo est; suam vero, quam putat sibi sufficere ad facienda mandata, sine adiutorio, & dono eius, qui legem dedit*, quibus verbis declarat iustitiam, quæ in nobis est, ideo appellari Dei, quia est ex illius dono supernaturali, non ex viribus naturæ nostræ, non quod sit extrinsecè nobis imputatata.

Sunt etiam argumenta rationum. Prima est petita ex Antithesi gratiæ cum peccato. Peccatum, siue sit originale, siue actuale nos maculat interius, & afficit intrinsecè, nec enim sumus peccatores per solam extrinsecam imputationem: sed gratia Christi non est impotentior, nec inefficacior peccato, siue illa sit prima regenerationis, siue remissionis. Ergo est intrinseca, & nobis in-

hærens, & non sola imputatio, nec denominatio.

Secunda: homo iustus diligitur, & amatur à Deo, hic autem amor, non est sterilis, sed efficax, nec fertur in obiectum solum apparenter bonum. Ergo Deus speciali amore diligens iustum aliquid ei donat, quo intrinsecè fiet iustus, iuxta illud Sapientiæ 4. *Placens Deo factus est dilectus*, & infra. *Placita enim erat Deo anima illius*. Vnde Hieronymus Daniel 10. *Sanctus habens in se animæ pulchritudinem amatur à Domino*.

Sap.4. Hieron.

Tertia, quia sola imputatio iustitiæ ex parte Dei, aut Christi per liberum actum voluntatis diuinæ, sine vlla mutatione facta intrinsecè in homine non potest iustificare. Ergo necessario debet admitti forma intrinseca, & inhærens. Probatur; quia nullus actus liber Dei, qualis esset illa imputatio, dari potest sine aliquo termino posito in creatura, cum actus liber non sit mutatio in ipso Deo. Igitur vt fiat iustificatio in homine volente Deo illum iustificare, necessario debet poni intriuseca in ipso homine, quæ sit effectus actus liberi diuini concurrente actu libero humano. Quam rationem latissimè diffundit Vasqu. d.202.c.3.

Vasquez.

Quarta homo iustus per iustitiam fit particeps naturæ diuinæ, & per gratiam reponitur in statu amici, & filij Dei adoptiui: ad hoc autem non sufficit sola extrinseca imputatio, & denominatio, vti apparet. Hæc ratio deducitur ex loco Petri Epist. 2. cap. 1. *Magna, & pretiosa nobis promissa donauit, vt* per hæc *diuinæ efficiamur consortes naturæ*, vbi vtitur verbo efficiamur, non reputemur.

1.Pet.1.

CAPVT XIV.

Quæ requirantur ad iustificationem, & in quo ea formaliter consistat?

CAluinus existimauit iustificationem consistere in sola remissione peccatorum, quam ille vocat non imputationem. Lutherus autem putauit consistere in imputatione Iustitiæ Christi supposita non imputatione peccatorum. Vterque errauit, sed grauius Caluinus, qui in sola tantum extrinseca remissione peccatorum constituit iustificationem, quamuis enim admittat imputationem iustitiæ Christi, non eam requirit, vt formam iustificantem, sed vt effectum illius.

Omissis Hæreticis: Conclusio Catholica sit; iustificationem duo includere, remissionem peccatorum, & iustitiam internam, & ex vtraque componi iustificationem, siue hæc duo distinguantur, siue non, de hoc enim modò non agimus.

Hæc est communis sententia, quam cum Scoto in 4. dist. 16. q. 2. & D. Thom. 1. 2. q. 113. art. 1. 6. & 8. tradit Suarez lib. 7. cap. 12. & Vasquez disp. 204. cap. 3. & Bellarm. lib. 1. de iustificatione cap. 6. Vbi ait iustificationem componi ex remissione peccati, & ex iustitia inhærente, sed principalius ex iustitia inhærente, est expressa doctrina Concilij Tridentini sess. 6. cap. 7. vbi sic. *Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ*. Loquitur autem Concilium de iustificatione

Scot. D.Thom. Suarez. Vasquez. Bellarm. Trident.

adul-

adultorum, qui se disponunt per proprios actus. Certum est tamen etiam in iustificatione paruulorum, quæ fit per baptismum inueniri formam iustificationis compositam ex remissione peccati originalis, & ex gratia regenerante infusa, vti patet ex eodem Concil. sess. 5.

Igitur agendo de iustificatione adultorum, aduertimus istos esse, vel esse posse innocentes, & iustos, qui numquam peccarunt mortaliter, vel impios, & iniustos, qui à peccato transeunt ad iustitiam. De primis non agit Concilium, nec isti authores, est enim de illis eadem ratio, quæ de paruulis cum gratia baptismali. Loquitur ergo de iustificatione impiorum, qui à peccato ad gratiam transferuntur. Exemplum sit. Est aliquis in peccato mortali, tangitur à Deo per gratiam efficacem, elicit actum contritionis perfectæ ex motiuo amoris Dei, vel actum attritionis cum Sacramento pœnitentiæ, remittuntur ei peccata, & infunditur gratia sanctificans, & iustificatur.

In hoc casu quæstio est. Vtrum remissio peccatorum sequatur immediatè ex actu contritionis perfectæ, vel amoris Dei, & ex actu attritionis cum Sacramento ante gratiam sanctificantem infusam, quæ semper coniuncta est cum remissione peccati, vel expectanda sit gratia sanctificans, tamquam forma expellens peccatum, cuius effectus sit remissio peccati. Scotistæ cum Scoto in 4. dist. 14. qu. 2. art. 1. affirmant remissionem peccati natura sua esse priorem gratia sanctificante, & sequi immediatè ex actu contritionis, & amoris. D. Thomas, quem fermè Thomistæ sequuntur, sentiunt remissionem peccati esse effectum gratiæ sanctificantis, & non induci præcisè per actus contritionis, & amoris, qui supponuntur ad gratiam sanctificantem. Ita D. Thomas 1. 2. qu. 113. art. 4. ad primum, & art. 8. & 3. par. qu. 85. art. 6. vbi distinguit mutuam causalitatem, & ait contritionem antecedere gratiam in genere causæ materialis, & dispositiuæ. At vero gratiam præcedere ipsam contritionem in genere causæ formalis. Cum Scoto sentiunt præter antiquos Caietan. 3. par. qu. 89. art. 1. Vega lib. 6. in Concilium Tridentinum cap. 28. 29. & 30. & Corduba lib. 1. q. 2. opin. 4. ad 3.

Scot. D.Thom D.Thom Scot. Caietan. Vega. Cordub.

Vasquez, & Suar. inter se digladiãtur. Suarez, enim ait peccatum, nec remitti, nec remitti posse per solum actum contritionis, & amoris, quos tantum vult esse meras dispositiones ad remissionem peccati. Vnde negat peccatum remitti posse sine forma gratiæ iustificantis. Hoc autem docuerat 1. tom. p. 1. disp. 4. sect. 8. & postea confirmauit 3. tom. de gratia lib. 7. cap. 16. & lib. 8. cap. 13. & 14. Imo taxat contrariam sententiam erroris, & temeritatis. Vasquez contra sentit remissionem peccati, licet fiat de facto, non per actũ, sed per gratiam sanctificantem, fieri tamen rectè posse per solum actum Amoris Dei, tamquam per formam sufficientem præcisa gratia sanctificante, habituali: ita disp. 211. & disp. 203. Pater Sparza sentit cum Suario liberat tamen Vasquij sententiam ab omnĩ nota temeritatis. Quod vero attinet ad quæstionem. Hi tres sequuntur D. Thomam, & affirmant de facto remissionem peccati fieri per gratiam sanctificantem ita præter reliquos Sparza de iustificatione in quatuor vltimis quæstionibus.

Suarez. Vasquez.

Rationes sumimus ex P. Suarez citatis locis, quæ sunt tres.

Suarez.

Prima. Contritio, & actus amoris Dei est tantum dispositio ad iustificationem: ergo non est forma expellens peccatum. Antecedens est Concil. Tridentini consequ. tenet. Se-

Secunda actus contritionis, vel amoris Dei ante gratiam habitualem, nec est digna satisfactio, nec meritum de condigno: ergo non potest remittere peccatum. Antecedens est primum principium in materia de gratia. Consequentia rectè infert.

Tertia: remissio peccati est opus solius Dei: ergo fit per formam à solo Deo infusam. Hæc autem est gratia habitualis non actus: ergo per illam tantum fit remissio.

Probatur ex Tridentino sess. 6. cap. 7, vbi actus antecedentes iustificationem appellat dispositionem, seu præparationem, & ibi vocat vnicam formalem causam iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, & infra appellat charitatem inhærentem iustificat. Præterea can. 3. eiusdem sess. distinguit actus credendi sperandi, & diligendi à gratia iustificationis. Tandem sess. 4. cap. 4. ait contritionem necessariam esse ad impetrandam veniam peccatorum. Ex quibus locis apparet actum charitatis, & contritionem non sufficere ad remissionem peccati, & iustificationem. Propter hos locos, & alias rationes cum Suario sensit Bellarm. lib. 1. de iustificatione cap. 25.

Trident.

Bellarm.

At ex altera parte Vasq. defendit purum actum charitatis sufficientem esse ex natura sua ad remissionem peccati, & iustificationem, idque latissimè probat disp. 203. & 204. vbi ostendit non esse hactenus definitum, iustificationem fieri necessario per formam habitualem charitatis, & gratiæ vltra actum. Probat autem his ferme rationibus. Prima: actus charitatis est vera, & perfecta conuersio hominis ad Deũ, & auersio à Creatura ex motiuo amoris supernaturalis: ergo satis est ad delendum omnino peccatum. Secunda: actus est natura sua perfectior habitu: ergo si habitus charitatis destruit peccatum, non minus illum destruet actus amoris. Antecedens est doctrina D. Thom. 1. 2. q. 71. art. 3. melius est inquit benè agere, & concludit: potior est actus in bonitate, vel malitia, quàm habitus. Tertia: actus charitatis est forma incompossibilis cum peccato: ergo ea posita remittitur peccatum. Assumptum patet, quia actus charitatis auertit à creatura, & conuertit ad Deum; hæc autem sunt opposita conuersioni ad creaturam, & auersioni à Deo. Quarta: nisi actus dilectionis haberet natura sua vim iustificandi, non sequeretur ad illam iustificatio consequentia necessaria; hoc autem est falsum vti probant Theologi quos citat Vasq. disp. 203. cap. 5. nu. 52. ergo actus charitatis natura sua opponitur peccato.

Vasqu.

D. Tho.

Positis his sententijs animaduerto duo: vnum hæreticos modernos abuti hac discordia nostrorum ad negandam intrinsecam iustificationem, quod quidem immerito faciunt: nostri enim authores omnes conueniunt formam iustificationis esse intrinsecam, & nobis inhærentem, quod hæretici negant, sed quia ijdem hæretici quærunt ex nostris, quæ nam sit illa forma, idcirco illã authores nostri disputando inquirunt, vt possint certum aliquid assignare, & non dubitant remissionem peccati, sed iustificationem per formam inhærentem fieri, imo, & habitualem iuxta Conc. Trident. sed tantum disputant de modo, quo iustificemur partim per actus, partim per habitus, & vtrum actus sint dispositiones, an formæ partialis iustificationis, & de possibili non de facto excitant quæstionem: omnes enim sentiunt de facto iustificari peccatores per habitum charitatis, & gratiam. Vnde Bellarmin. lib. 2. cap. 25. excitat propriè hanc quæstionem inquirendo, vtrum iustifi-

Trident.

Bellarm.

stificationis forma in actibus consistat, an in habitibus, qui eos sequuntur?

Aduerto secundo. Controuersiam inter Suarium, & Vasquium, qui contra Hæreticos de iustificatione scribunt, ideo esse difficiliorem, quia ambo tenent cum D. Th. remissionem peccati esse effectum gratiæ sanctificantis, quia non distinguunt inter remissionem peccati, & iustificationem, & tunc multo probabilior est sententia Suarij.

Suar. Vasq. D. Tho. Suar.

His animaduersis, vt clarè procedamus, in iustificatione perfecta duo distinguimus, expulsionem peccati, & vnionem cum Deo, vnde duo necesse est considerare, alterũ ex parte peccatoris, alterum ex parte Dei. Ex parte peccatoris contritionem, & charitatem actualem per quam conuertitur ad Deum, ex parte vero Dei amorem erga ipsum peccatorem, quo illum amat ad se conuersum. Ita vt in iustificatione perfecta mutua amicitia interueniat, quæ cũ ex parte Dei consistere non possit sine aliquo termino posito in creatura, hic autem sit habitus, & gratia sanctificans non iustificatur homo perfectè per expulsionem peccati, nisi accedat sanctificans gratia habitualis; quæ doctrina manifestè traditur à Richardo in 4. distinct. 7. quæst. 4. art. 4. vbi ait duplicem esse gratiæ iustificantis effectum, alterum remissionem culpæ, alterum reconciliationem cum Deo; prius tamen illum primum efficere, quam secundum; & quamuis in eodem instanti fiant hæc duo, ille tamen ordo seruatur vt prius natura expellatur culpa, & posterius adueniat gratia, & in hoc casu appositè dixit Scotus in intentione Dei, prius esse infusionem gratiæ, in executione autem remissionem peccati.

Richard. Scotus.

Est autem hæc sententia conformis Tridentino, quod cap. 7. sess. 6. apertè distinguit has duas rationes in iustificatione, vti supra diximus præmittens remissionem peccati, & adiungens sanctificationem habitualem, vti ibidem demonstrat: sic enim ait, *quæ iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis*, manifestè distinguit remissionem à sanctificatione. Præterea cap. 4. sess. 14. docet contritionem, charitatem perfectam hominem Deo reconciliare cũ voto sacramenti, prius quam sacramentum suscipiatur, vbi videtur docere remissionem peccati præcisè fieri per actum contritionis perfectum. Accedit testimonium Catechismi Rom. apud Bellarm. lib. 2. cap. 15. *est*, inquit *gratia non solum per quam peccatorũ fit remissio, sed diuina qualitas in anima inhærens*, quibus verbis videtur distinguere gratiam actualem cum actu contritionis, & amoris per quam remittatur peccatum, à gratia habituali per quam anima sanctificetur, & quanquam addat huiusmodi qualitatem inhærentem instar lucis esse, quæ omnes maculas delet, & splendidam animam reddit, in eo sensu dicit, quia remissio peccati non est perfectè iustificatio, quæ omnino perficitur per gratiam habitualem.

Trident.

Ex his patet facilitas nostræ doctrinæ inter Catholicos, & efficacia contra Hereticos, nam remissio peccati facta per actum charitatis fit per aliquid intrinsecum, id est per actus in voluntate receptos, & perfecta iustificatio fit per gratiam sanctificantem habitualem. Patet præterea veritas nostræ sententiæ, quia per actum charitatis remouetur impedimentum peccati, & proximè disponitur anima ad gratiam infusam, & per actum datur dispositio ex parte hominis diligentis Deum, vt ipse diligatur à Deo accepta gratia sanctificante, & ex vtro-

troque resultat amicitia inter Deũ, & hominem, quæ est perfecta iustificatio.

Omnia tuta sunt in hac sententia, nam Caietan. 3. p. q. 1. art. 2. §. Ad alteram vero, & Bartholomeus Medina ibi sentiunt contritionem, & amorem dei actualem natura sua delere, ac expellere peccatum. Idem docuit Abulensis in cap. 17. Genes. ad illud verbum circumcidetur, & Ruardus Tapper in articulum 6. Lutheri §. Sed hæc difficultas, & §. Tertia difficultas, & art. 8. §. Sine hac fide, idem significat Stapletonus lib. 5. de iustificatione cap. 8. ita enim disputat, vt non improbet sententiam, quæ affirmat iustificationem per actum amoris Dei fieri. Ex his apparet argumenta Suarij cõtra nostram sententiam non procedere, qui distinguimus remissionẽ peccati à iustificatione perfecta, quod quia Vasq. non facit, magis in soluendis argumentis laborat. Vnum tamen expresse soluendum, nempe secundum, quod negabat actum charitatis satisfacere posse de condigno pro peccato mortali; cui nos respondemus actum charitatis expellere peccatum tanquam formam incompossibilem cum illo, quæ est imperfecta remissio peccati, quia est sola expulsio, vt autem fiat satisfactio condigna, expectanda hæc gratia sanctificans, per quã fiat perfecta remissio peccati.

Caiet. Medina

Abulen.

Ruard. Tapper.

D. Thom

Vasq.

Quoad locos Concilij Tridentini melius eos intelligit Vasq. quam Suarez, quia reuera illi actus pœnitentiæ, & contritionis, & dilectionis, de quibus loquitur Conciliũ sess. 6. cap. 6. omnino sunt actus imperfecti, non vero formati charitate, quod patet ex modo loquendi Concilij ait enim, *peccatores conuertendos erigi in spem, & incipere diligere Deum, & moueri aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, & timorem*, qui certè actus nõ sunt perfecti, vti modus dicendi declarat, idque magis declaratur sess. 14. cap. 4. Vbi Concil. manifestè distinguit duos actus contritionis vnũ imperfectum, & non formatum charitate de quo loquitur in principio capitis vsque ad medium: alterum perfectum, & formatum charitate, de quo in medio capitis sic ait: *Docet præterea, & si contritionẽ hanc aliquando charitatem perfectam esse contingat, hominemque Deo recõciliare priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem, ipsi contritioni sine sacramenti voto quod in illa includitur non esse adscribendam*. Apparet eum actum contritionis, cui contingit charitate formari, non antea charitatem esse, præsertim cũ Concilium addat, illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, illud enim vocabulum *contritionem imperfectam*, significat illam primam contritionem initio capitis positam, vel esse attritionem, vel ab ea, & contritione perfecta præscindere; vnde colligitur Conciliũ non appellasse dispositionem contritionem perfectam charitate formatam, sed illam aliam priorem imperfectam, & ante perfectã charitatem. Quod si quis nos vrgeat respondebimus in nostra sententia contritionem perfectam cum expulsione peccati esse dispositionem respectu gratiæ habitualis sanctificantis per quam iustificatio complectur.

Trident

Suar.

Trident.

CA-

CAPVT XV.

Vtrum ad iustificationem requiratur vlterius condonatio ex parte Dei, & mutatio ex parte peccatoris.

PRima pars erit contra Bucerũ, & Kemnitium, & alios hæreticos supra citatos, qui admittunt increatam iustitiam inhærentem internam, sed negant eam sufficere, nisi accedat fauor, & condonatio Dei extrinseca: in qua sententia videntur fuisse Pighius, & Canonici Colonienses; verum multum differt horum placitum ab illa hæresi, quia Hæretici, & si admittant illam iustitiam inchoatam, aiunt tamen ex se & natura sua habere defectum peccati, quia opera nostra bona, & iusta esse non possunt, nisi per fauorem, & condonationẽ Dei, & imputationem iustitiæ Christi à macula, & sorde peccati liberẽtur, proindeque negant honestatem, & munditiam intrinsecam fidei, spei, & charitatis nostræ, in quibus inchoatam iustitiam ponunt, quæ potius iniustitia est. At verò authores illi Catholici docent spem, fidem, & charitatẽ, tum actualem, tum habitualem esse veras virtutes supernaturales sine vllo defectu, & macula: affirmant tamen indigere fauore, & indulgẽtia Dei, sine qua non sunt sufficientes ad condignam satisfactionem, & completam iustificationem, & quia boni Theologi Catholici sentiunt aliquem fauorem, & condonationem requiri vltra charitatẽ, & gratiam infusam ad perficiendam iustificationem, quos tacito nomine refert Vasq. disp. 204. cap. 5. ponam eorum fundamenta. Primum, quia indigemus ad merendum, & satisfaciẽdum applicatione iustitiæ Christi, quæ fit per fauorem Dei applicantis, secundũ quia peccatum est infinita offensa, & charitas, & gratia in entitate sunt finitæ: ergo indigent condonatione ex parte Dei, tertio, quia Tridentinũ sess. 6. can. 11. dicit Anathema ijs, qui affirmant gratiam, qua iustificamur esse tantùm fauorem Dei; igitur videtur admittere aliquem saltem fauorem, dum enim damnat dicentes fauorem tantum esse, innuit se non damnare eos, qui ex parte admittunt fauorem. Trident.

Verum conclusio sit. Posita charitate, & gratia inhærente in anima tota forma iustificationis ex integro ponitur, nec requiritur vlterius aliquis fauor, nec condonatio extrinseca. Ita docet D. Thom. 2. 2. quæst. 24. artic. 10. & ibi Caietanus, & Sotus lib. 2. de natura, & gratia cap. 18. & latissimè Vasquez. disp. 204. à cap. 3. ad finem. Probatur primo, ex Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi sic ait. *Vnica causa formalis* id est iustificationis) *est iustitia Dei non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet à Deo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & nõ modo reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes*, & sess. 14. cap. 4. vbi sic: *docet præterea* (id est Sancta Synodus) *& si contritionem hanc aliquãdo charitatem perfectam esse cõtingat, hominemque Deo reconciliare, &c.* Vnde apparet hãc esse formam iustificantem, quam infra vocat donum Spiritus Sanctis inhabitantis. D.Tho. Caiet. Vasq. Triden.

Probatur secundò, quia admissa hac necessitate fauoris, & condonationis extrinsecæ inciditur in sententiam Hæreticorum, vel proximè ad eam acceditur, quia supponitur non posse nos sufficienter iustificari per formam inhærentem intrinsecam.

Probatur tertio, quia sequeretur deficiente illa condonatione posse ex natura sua hominem esse in gra-

tia cum peccato, quod quamquam Suarez, & alij admittant de potentię absoluta, nos omnino cum Vasquez negamus. Vasq.

Probatur quarto, quia ille fauor seu condonatio extrinseca non potest dari extrinsecè, quia cum sit actus liber Dei semper fit ponendo aliquid in creatura, ponit autem gratiam inhærentem; vnde concluditur ipsam gratiam inhærentem esse ipsummet fauorem, & condonationem.

Argumenta opposita facilè soluuntur. Primo respondemus indigere nos quidem applicatione iustitiæ Christi, sed per intrinsecam participationem charitatis, & gratiæ. Ita docet Tridentinum his verbis sess.6.cap.7. *quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita Passionis Christi cōmunicantur, id tamen in hac impij iustificatione fit dum eiusdem Sanctissimæ Passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret.* Tridentin.

Secundo respondetur: duo esse in iustificatione: expulsionem peccati, & infusionē gratiæ sanctificātis: expulsio peccati fit per actum, & habitum charitatis præscindendo à gratia, quia sunt formæ incompossibiles cum peccato: at vero meritum, & satisfactio de cōdigno subsequuntur gratiam sanctificantem, vnde corruit argumentum.

Tertium soluitur: dicendo Tridentinum simpliciter damnare sententiam Hæreticorum, qui totam iustificationem in fauore collocabant, nihil autem definiuisse circa illam quæstionem: vtrum fauor requireretur ad complementum iustificationis, quia erat quęstio scholastica, & quæ ad Concilium minime pertinebat.

Quoad secundā partem, quamuis scholastica videatur, propriè controuersa est, si enim necessario requiritur actus, & mutatio ex parte peccatoris ad iustificationem, non potest ea fieri per solam imputationem, & extrinsecam denominationem, quando quidem non sola gratia à Deo diffusa requiritur, sed etiam actus proprius, & intrinsecus peccatoris.

Disputant de hac quæstione latè Suarez tom.3. lib.8.cap.21.& Vasq. 1.2. disp.207. cap.2. & 3. & nos in materia de pœnitentia. Duo illi Doctores negant requiri actū proprium peccatoris retractatiuū peccati ad iustificationem, & affirmant solam infusionem gratiæ factam à Deo sufficere ad iustificandū. Nos breuiter dicimus nullo modo posse iustificari peccatorem, nisi ipse per actum proprium sufficienter peccatum retractet, & quidem consequenter, vti fatetur Suarez, qui ait ita debere sentire eos, qui dicunt actum charitatis, & contritionis esse formam incompossibilem cum peccato, & per eam expelli peccatum. Igitur Dominicus Sotus in 4. distinct.15. quæst.1. art.2. sequitur hanc sententiam in quam inclinat Petrus Soto lect.4. de pœnitentia eamque tradere videtur D. Th. 3. p. quæst.86. art.2. vbi sic ait: impossibile est, quod peccatum aliter remittatur sine pœnitentia secundū quod est *virtus*, vt optimè expendit Sotus, estque naturalis sensus verborum. Nam alius quem Caietan. & Ledesma inducunt placetque Suario, & Vasquio, qui intelligunt de potentia ordinaria, violentus, & improprius est, nec enim D. Tho. solet impossibile in hoc sensu sumere. Fundamentum vnicum est, sed efficax, & à priori. Peccatum est voluntarium, & dum est voluntarium semper est peccatum, non potest autem actus voluntarius destrui nisi per alium actū voluntatis contrarium: ergo vt expellatur peccatum

Suar. Vasq. Suarez Sotus Soto D. Tho. Sotus. Caiet. Ledesm. Suar. Vasq. D. Tho.

tum necessariuss est actus retractās peccatum: quæ ratio mihi demonstratio est; quomodo enim gratia infusa, quæ tota est à solo Deo, & est qualitas mortua, non potentia vitalis, & libera, & realiter distincta à voluntatę poterit efficere ne actus voluntarius sit peccatum. Præterea si admittatur infundi gratiam homini peccatori non retractato peccato sequitur cōtradictio. Erit enim ille homo peccator, & iustus, inimicus, & amicus Dei, hæres vitæ æternæ, & reus pœnæ æternæ. Quod si dicant per infusionē gratiæ auferri peccatum: id nos cōstanter negamus propter rationem factam, non enim mutatur voluntas libera nisi per propriam libertatem.

Addo hanc doctrinam esse conformem Concil. Tridentino sess. 6.
Trident. cap. 7. vbi sic, *iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*. Verbum enim illud, *voluntariam* omnino requirit actionem liberam ex parte peccatoris, & quamuis Concilium non loquatur de potentia absoluta, quia id scholasticum est, satis est tamen, quod loquatur ex natura rei, quę talis est, vt actum liberū requirat, & rectè sequitur nec de potentia absoluta fieri posse, vt natura iustificationis mutetur; tametsi vero illud verbum voluntariam cadat super susceptionem gratiæ non super remissionem peccati, nihil obstat, quia ea susceptio voluntaria gratiæ non potest fieri sine contritione, & amore Dei virtuali, qui enim vult accipere gratiam Dei detestatur peccatum, & vult esse Dei amicus, & iustificari. Hinc apparet nostram sententiam magis distare ab hæresi imputatiuæ iustitiæ, quia non solum requirit gratiam habitualem, sed etiam actū intrinsecum peccatoris.

CAPVT XVI.

An & quomodo opera bona sint meritoria vitæ æternæ.

OMissa illa quęstione, vtrū sola fides iustificet sine operibus bonis, de qua satis multa diximus in alijs cōtrouersijs, istam propriè, & breuiter excitamus. Et quidem duplex est hæresis circa illam: prima dicentium omnia opera nostra esse peccata ex infectione naturæ corruptæ, & ex impossibilitate ad bene operandum, contra quā multa in superioribus dictauimus. Secunda opera nostra bona quæcunque illa tandem sint, non esse, nec posse esse meritoria, vel vlterioris gratiæ, vel gloriæ.

Probant hanc vltimam hæresim nouatores ex Scriptura: primo ex
Psal. 102. *qui coronat te in miseri-* Psal. 102.
cordia, & miserationibus, secundo
ex cap. 53. Isaiæ *venite, emite abs-* Isaiæ 55.
que argento, & sine vlla commutatio-
ne vinum & lac. Tertio ex Danielis Daniel. 9
9. non in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras, sed in mise-
rationibus tuis magnis. Quarto, ex Luc. 17.
Lucę 17. *cū feceritis hæc dicite serui* Rom. 6.
inutiles sumus. Quinto ex Rom. 6.
Gratia Dei vita æterna. Vltimo ex Ephes. 2.
Ephes. 2. *non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit*.

His tamen locis sigillatim res-
pondemus: primo cum Augustino August.
Epist. 105. & lib. de correptione. & gratia cap. 13. & in Ioannem cap. 1. dicendo Paulum appellasse vitam æternam coronam iustitiæ, quam Dauid appellauit coronā misericordiæ, ex quo apparet non excludi merita nostra, sed quoniam hæc non possunt esse sine gratia præueniente, & præmouente, & in ea fundentur, illā corona iustitiæ misericordiæ appellatur, & ita explicat

 hos

August. hos duos locos, qui videntur oppositi Augustinus, & cum eo Greg. Gregor. in Psalm.7. pænitentialem.

Secundo respondet Bellarm. lib. Bellarm. 5. cap.5. Prophetam loqui de bonis temporalibus. Ego vlterius respōdeō etiā de bonis spiritualibus posse Prophetam intelligi: nihil tamen derogari meritis nostris, quia sermo est, ibi de Sacramentis, & alijs præsidijs ad salutem datis à Deo ex passione, & meritis Christi, non autem ex meritis nostris, sed ante omnia merita vt ijs mereri possemus. Secundo interpretor de meritis naturalibus sine gratia, quę non sunt merita, nec dispositiones, imo nec etiam conditiones ad gratiam supernaturalem consequendam.

Tertius locus Danielis eodem modo intelligitur, nempe orationes nostras, & quidquid in nobis est, vel condignum, vel congruum ad merendum venire ex gratia, & misericordia Dei præueniente actus nostros liberos, & cōcomitante eos.

Locus Lucæ ad virtutem humilitatis spectat, quamquam enim liberè, & honestè operamur, præcipuæ partes sunt gratiæ, ac proinde meritum operis nostri Deo est assignandum.

Locus Pauli ad Rom. 6. intelligēdus est de vita ęterna, quę nititur gratia, & misericordia Dei, nisi enim ille nos prædestinaret, & vocaret, & iustificaret, minimè consequerēmur vitam æternam, quæ est explicatio August. Vltimus locus ad Ephes. August. duobus modis exponitur. Primo Paulum agere de aduentu, & redemptione Domini cuius causa fuit sola misericordia Dei sine vlla ratione meriti nostri, cum essemus in massa damnata propter peccatū originale. Secundo sensus Pauli est excludere merita ex viribus naturæ, quę cum sit lapsa, & vitiata nihil potest facere sine gratia in ordine ad salutem, & vitam æternam.

Itaque conclusio sit: bona opera sunt meritoria gratiæ vlterioris, & vitæ æternæ.

Probatur ex Scriptura 1. Prouerb. 11. *seminanti iustitiam erit merces fidelis*, secundo Paralip. 15. erit merces operi vestro 3. Matth. 5. *Merces vestra copiosa est in cælis*, sunt alij loci, qui videri possunt apud Bellarminum lib. 5. cap.2. & 3. Hæc de merito in genere. Pro meritis autem in particulari sit Bellarm.

Alia conclusio: homo iustus potest mereri per bona opera vlteriorem gratiam, & gloriam æternam non solum de congruo, sed etiam de condigno.

Ante probationem breuiter explicandi termini. Meritum de congruo dicitur in quo non est proportio ad præmium, sed tantum per modum impetrationis, & æquitatis aliquid meretur. De condigno est illud, in quo datur iusta proportio ad pręmium, & cui debetur recompensatio per modum iustitiæ. Illud primum de cōgruo impropriè meritum est, & datur in homine peccatore. Hoc secundum proprie est meritum, & in homine solum iustificato inuenitur; ad primum requiritur, & sufficit sola gratia transiens, & actualis, ad secundum præter hāc permanens, & habitualis omnino requiritur: hoc supposito.

Probatur conclusio primo loco Ecclesiast. cap.18. Ne verearis vsque ad mortem iustificari, 2. Apocalyp.22. qui iustus est iustificetur adhuc. Apoc.22. Hæc testimonia statuunt meritum pro vlteriori gratia. Pro vita æterna sunt alia 1. Matt.5. vbi beatitudines cum suis præmijs numerantur, & 25. vbi dicitur: venite benedicti, & bona eorum opera recensentur, 2. epist.2. ad Timoth. cap.4. Timot. bonum certamen certaui, cursum consumaui, & additur: corona iustitiæ. 3. Iacobi 1. beatus vir, qui suffert

fert tẽtationem: huic enim promittitur corona vitæ.vltim. Apocalyp. 2. esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Concilia, & Patres videri possunt, apud Bellarm. lib.5. cap.4. & Suarez tom. 3. de gratia lib. 12. cap. 1. & Vasquez disp. 217.

Apocal. Bellarm. Suarez. Vasqu.

Ad meritum requiruntur duæ conditiones ex parte actus: 1. vt sit liber. 2. vt sit ex gratia Dei: ex parte status requiritur, vt sit viatoris, requiritur etiam promissio Dei, qua obligetur ex fidelitate ad remuneranda merita iustorum. Hæc habentur ex Trident. sess. 6. cap. vltim.

Trident.

Maxima controuersia est, vtrum requiratur vlterius acceptatio Dei, & applicatio meritorum Christi: de qua digladiantur Suarez, & Vasqu. ille lib. 12. c. 17. 18. 19. hic disp. 214. ille affirmat: hic negat. Ego in primo Vasquio assentior; nõ enim puto requiri vlteriorem acceptationem ex parte Dei, nam illud meritum sine illa intelligitur satis constitutum in ratione meriti de condigno, cum iam includat gratiã sanctificantem, & habitum charitatis; in secundo sentio cum Suario, nam per merita Christi, qui est caput nostrum complentur merita iustorum, quorum ille meritoria causa est.

Suar. Vasq. Suar.

Superest vnica quæstio: vtrum homo iustus mereatur de condigno per actus omnium virtutum supernaturalium, etiamsi isti non imperentur, aut referantur in Deum per actum charitatis, v. gr. vtrum homo iustificatus per charitatem, & gratiam habitualem eliciens actum fidei, & spei ex motiuo supernaturali, & proprio harum virtutũ pręcisè per istos actus mereatur præmium ijs proportionatum vitæ æternæ. An necesse sit imperare illos, & referre ad Deum per actum charitatis? Bellarm. lib. 5. de iustificat. cap. 15. tenet non sufficere ad hoc meritũ de condigno illos actus virtutum sine isto charitatis. Contra vero Suar. lib. 12. de gratia cap. 10. & Vasq. disp. 217. docent non esse necessarium istum actũ charitatis, vel imperantis, vel referentis, vt illi actus meritorij sint de condigno. Beccan. in opusc. de merito bonorum operum cap. 2. cum his duobus sentit: quibus ego item accedo ob rationes ab ijs adductas, quarũ primaria est, quia charitas, & gratia habitualis constituunt sufficienter hominem iustũ ad merendum de condigno; ergo si actus sint honesti, & supernaturales in suo genere erunt meritorij de condigno sine alio requisito ex parte actualis charitatis; hanc doctrinam probat Vasqu. sex locis Concil. Tridentini quorum ille est idoneus sess. 6. c. 16. vbi sic. *Neque* vero omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris litteris vsque adeo tribuatur, vt etiam, qui vni ex minimis suis potũ aquæ frigidę dederit promittat Christus eum non esse mercede *cariturum &c.* ex quo patet, etiam minimis operibus iustorum mercedem in vitam æterna respondere nulla facta mentione charitatis actualis, quæ si esset conditio requisita ad merendum non illam Tridentinum Concilium prætermisisset.

Bellarm. Suar. Vasq. Becan. Trident.

Aliæ quæstiones ad meritum spectantes Theologorum scholasticorum propriæ sunt, ad quos eas remittimus, his tantum contenti, quæ controuersi negotij sunt.

SCHO-

SCHOLA XV. DE PVRGATORIO.

CAPVT PRIMVM.

Quæ ſit materia Controuerſiæ, & de nomine Purgatorij.

TRIPLEX Controuerſia eſt. Prima de nomine. Secunda de loco. Tertia de pœnis. Quo ad primam. Lutherani, & Caluiniſtæ rem, & nomen Purgatorij tollunt, quia nullum ſuffragium, nec remedium Purgatorium poſt mortem concedunt. Schiſmatici Græci hodierni ignem tantum Purgatorium negant, admittunt tamen ſuffragia, & alia genera pœnarum purgantium. Omnes in eo conueniunt, quòd negant ignem purgantem. Vtroſque confutabimus, & imprimis Hęreticos.

Nomen itaque Purgatorij horrent, & deteſtantur Hæretici. Nuſquam inueniri in Scripturis clamãt, atque adeò nullum eſſe Purgatorium contendunt. Itaque ſublato nomine, & rem tollunt, & locum negant; ſed ineptum eſt illorum Argumentum. Nam poteſt, non eſſe nomen, & res eſſe. Alias non eſſet myſterium Trinitatis, nec Incarnationis, quia nec nomen *Trinitatis*, nec *Incarnationis* in Scripturis inuenitur. Quare vel hæc myſteria negant Hæretici, vel rem Purgatorij admittant, vti admittunt rem Trinitatis, & Incarnationis. Prętereа omnes fermè Hæreticorum greges, & fæces, paucis exceptis, admittunt originale peccatum, eoque nomine illud vocant. Oſtendant in Sacris Litteris hoc nomen. Certè nuſquam reperitur, & tamen nihil apud Lutheranos, & Caluiniſtas frequentius occurrit. Igitur quamuis nomen Purgatorij in Scripturis minimè inueniatur, non ideo eſt res Purgatorij exterminanda.

Sed quoniam Hæretici, Nominales, in rebus Sacris Philoſophi eſſe volunt, afferamus vocabulum, quod rem continet. Paulus ad Hebræos 1. de Chriſto Seruatore dixit: *Purgationem peccatorum faciens*. Et Chriſtus Ioann. 15. loquens de Patre ſuo ait. *Palmitem qui fert fructum purgabit eum*. Qui certè loci ad molliendam Purgatorij vocem iuuant. Verum quidem eſt, non pertinere hos locos ad Purgatorias pœnas, quibus animæ poſt mortem purgantur: nec ijs nos volumus vti ad probandum Purgatorium. Satis tamen eſt ijs Purgatorij nomen tueri, ne ſit inſolens auribus Hæreticorum; cùm Purgatio ad remiſſionem peccati pertineat.

Aliunde, iniuria agunt Hæretici

es reijcientes nomen Purgatorij Catholico sensu, cum illud admiserit Lutherus quando minus insaniebat. Nam in Disputatione Lypsica. *Ego*, inquit, *credo fortiter, imo ausim dicere, scio, Purgatorium esse, & facile persuadeor in Scripturis de eo fieri mētionem*. Cur verò melius senserit, cum illud postea negauit, ego certè non video. Probemus autem contra Hæreticos, & Schismaticos Grecos dari nomen ignis Purgatorij post mortem ex PP. ac præsertim Græcis, vt appareat Schismaticos hodiernos à Sanctis Patribus Græcis omnium magistris dissentire, hosque nobiscum, qui Latini sumus, consentire.

Ludherus

Basilius in cap. 9. Isaiæ *purgatorium ignem appellat*. Gregorius Nissenus eius frater in oratione pro mortuis bis dicit *purgatorium ignem*, semel *expurgantem vocat*. Eadem voce vtitur Theodoretus in Scholijs Græcis in Epistolam 1. ad Corinth. Nazianzenus Theologus oratione in Sanctum Pentecostem perspicuè *ignem Purgatorium* nominat. Græcè *catharticon*, vel *cathartirion*.

Basilius. Nissenus. Nazianz.

Ex Latinis Augustinus in Enchirid. cap. 69. & lib. 50. Homiliarum Hom. 16. *Purgatorium ignem appellat*. Et lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 16. *Tormenta Purgatoria* dicit. Idem Psalm. 37 *Emendatorium ignem* nuncupat. Boetius lib. 4. Prosa 4. *Purgatiuam in eo igne clementiam* agnoscit. In D. Gregorio lib. 4. Dialog. cap. 39. *Purgatorius ignis* reperitur. Et iterum commentarijs in 3. Psalmum Pœnitentialem *Purgatorias* flammas vocat. Itaque sanctum vocabulum est, cum à Sanctis Patribus vsurpetur. Quod si Caluinus improbat, more suo, idest, impudenter facit. Et quidem si purgandæ sunt animę post mortem à sordibus leuioribus contractis, & pœnis temporalibus relictis, rectè locus, & ignis, quo purgātur, Purgatorius dicendus est.

August. Boetius. Gregor. Caluinus

CAPVT II.

Probatur res Purgatorij.

Vtcumque sit de nomine Purgatorij, res, & veritas illius constat. Primùm Catholicis principijs rem probemus: deinde suis Hæreticos confutabimus.

Tria sunt in Ecclesia Catholica certa. Primum, aliquos fideles mori in eo statu, vt purgatione post mortem egeant. Secundum, hos dum in eo sunt statu, non posse ingredi Paradisum, nec beari. Tertium, necessarium esse modum quo purgentur. Ex his infertur Purgatorium dari.

Videndum superest, vtrum hæc principia sint recepta in Scripturis. Et quidem secundum, omnes, tum Catholici, tum Hæretici, paucis exceptis, admittunt propter locum Apocal. 21. *Nihil coinquinatum intrabit in eam, aut abominationem faciens, & mendacium*. Ratio vero ita dictat, vt anima sordida, & impura non mereatur Deum videre. Adeò vt nonnulli Hæretici, qui negant Apocalypsim, hanc veritatem negare non audeant.

Apoc.

Primum illud principium, quod nonnulli fideles in gratia constituti moriantur in eo statu, vt purgatione post mortem egeant, habet pro se duos locos perspicuos in Scriptura. Primus est lib. 2. Machabæorum cap. 12. vbi sic. *Contigit paucos ruere Iudæorum. Venit Iudas, vt tolleret corpora. Misit Hierosolymam offerre pro peccatis mortuorum sacrificium*. Quòd autem hi mortui essent in gratia, patet ex verbis sequētibus. *Considerabat, quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam*. Vnde tertium principium infertur: purgatorium remedium dari, quod infert Scriptura Logica consequentia.

San-

Sancta ergo, & salubris est cogitatio, orare pro mortuis, vt à peccatis soluantur. Qui est finis illius Capitis.

Secundus locus est Euangelij Matth. 12. *Qui dixerit verbum in Spiritum Sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*. Ex quo patet in futuro sæculo esse locum remissioni: nam nisi peccata remitterentur in sæculo futuro, ille terminus esset otiosus. Dum ergo ait Christus, tale illud esse peccatum, vt in neutro sęculo remittatur, significat in vtroque posse remitti peccatum: frustra enim diceretur in futuro non remitti, si natura sua remitti non posset. Qui enim dicat se nec mari, nec terra ire posse, significat per vtrumque elementum posse incedere. Quod etsi negent Hæretici, omnino fatendum est; alioquin sequitur Christum verbum otiosum dixisse. Cur enim dixit in futuro, si remissionis capax non erat? Et quidem hoc loco vtuntur Patres ad probandum in alia vita aliqua peccata remitti. Inter hos sunt Augustinus lib. 21. de Ciuitate cap. 24. & lib. 4. contra Iulianum cap. 5. & Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. cap. 39. & Beda ibi. (Augúst. Gregor. Beda.)

Confirmatur deinde hæc veritas Purgatorij alijs locis, quos affert Bellarminus lib. 1. de Purgatorio cap. 3. & Becanus in Manuali lib. 1. de Purgatorio cap. 8. & Valentia de Purgatorio cap. 1. Ex his vnum tantum delibo, habetur 1. ad Corinth. cap. 3. *Si quis ædificat super hoc fundamentum aurum, & argentum, & lapides pretiosos: lignum, fænum, stipulam, vniuscuiusque opus ignis probabit*. Et tamdem: *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem*. Quo vtuntur omnes penè Patres Græci, & Latini, quos videre est apud Bellar. lib. 1. c. 5. (Bellar. Becanus. Valent. Bellarm.)

Hoc loco Pauli conuincuntur Schismatici Græci, quorum Princeps est Barlaamus, qui cum fateantur post obitum dari Purgatorium, & pœnas expurgatorias, negant tamen obstinatè inter has esse pęnam ignis. Quod omnino est contra locum Pauli, quem adduximus. (Barlaam)

CAPVT III.

Probatur Purgatorium ex suffragijs, & precibus Ecclesiæ.

PRima ad Corinth. 15. locus est Pauli, quem Patres ad hoc probandum adducunt. *Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt, vt quid baptizantur pro illis?* Vbi *baptizari* non significat aqua tingi, vel lauari, sed affligi, & cruciari; quo sensu dixit Christus Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari*, idest *pati, & mori debeo*. Vnde afflictiones pœnitentiæ vocant Patres baptismum, vti Nazianzenus oratione de Epiphania, & Cyprianus Ser. de Cœna Domini. Ita sensus est, qui faciunt pœnitentiam pro mortuis, ideo faciunt, quia sperant resurrecturos. Vnde constat satisfactio pro defunctis. Ita interpretantur hunc locum multi Patres apud Bellar. lib. 1. de Purgat. cap. 6.

Secunda probatio fit ex traditione Ecclesiæ in Commemoratione generali, & alijs particularibus pro defunctis, quæ inueniuntur in Liturgijs Iacobi, Basilij, Chrysostomi, & Ambrosij. Pręterea in Concilio Carthaginensi III. & IV. decernitur, vt fiant orationes pro defunctis. Idem habetur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & in Florentino, & Tridentino in Decretis de Purgatorio. Vnde in Concilio VI. sub Symmacho. *Sacrilegium*, dicitur, *fraudare orationibus animas defunctorum*.

Tertio probatur ex sacrificio Missæ, quod pro defunctis offerri solitum

Concil. Cabilon. tum in Ecclesia. Patet ex Concilio Cabilonensi, & Aurelianensi, & habetur de Consecratione cap. 1. De quo Sanctus Gregorius Papa lib. 4. Dialog. cap. 55. *Multum*, inquit, *solet animas etiam post mortem sacra oblatio Hostiæ salutaris adiuuare, ita vt hanc nonnumquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur*. Qui mos in Ecclesia Græca, & antiquus, & solemnis fuit, & à Sancto Dionysio ea doctrina traditur lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 8. & inuenitur apud recentiores: Gregor. Protosync. in Synopsi, & Simeonem Thessalonic. in resp. ad Gabrielem, & Emmanuelem Calec. lib. 4. aduers. Græcos. Alios citat Arcudius, & Leo Allatius in suis de Purgatorio libris.

Greg. P. — S.Dion. — Arcud. Allatius.

Quartò probatur ex ea differentia, quam Ecclesia faciebat inter Martyres, & Sanctos, & alios, qui Sancti non habebantur. Nam pro Martyribus, & Sanctis non orabat: orabat autem pro alijs; quod signũ erat, non omnes indigere purgatione, sed certos quosdam, qui quòd non omnino sancti erant, habebant aliquid purgandum. Hinc Augustinus tract. 84. in Ioannem. *Ideò non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios defunctos, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus; sed magis vt orent ipsi pro nobis.* Vnde piæ matres solebant corpora defunctorum filiorum in Templis Martyrum ponere, vt ab ijs post mortem iuuarentur; vti apparet ex lib. de cura pro mortuis gerenda Augustini, vbi sic cap. 4. *Cum recolit animus vbi sepultum sit carissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat.*

August. — August.

Quintò probatur exemplo sanctorum, qui commendari se morientes viuorum precibus voluerũt. In quibus fuit sancta mater Monica, quæ sic ad filios, Ostiæ moritura: *Ad Altare*, inquit, *memineritis mei.* Imò ipsemet Augustinus in eodem loco vbi hoc narrat, idest, lib. 9. Confess. ad finem obsecrat legentes, vt matrem suam Deo commendent. Tertullianus lib. de Monogamia hortatur viduam, vt pro marito defuncto precetur Deum. Ambrosius lib. 2. Epistola 8. ad Faustinum de obitu sororis, persuadet ei ne defunctam lugeat, sed iuuet precibus. Hieronymus Epistola ad Pammachium laudat eum, quòd vxori Paulinæ mortuæ Deum eleemosynis propitiet. Sanctus Paulinus in Epistola 5. ad Delphinum, animam fratris sui defuncti ei commendat.

August. — Tertull. — Ambros. — Hieron. — S.Paulin.

Probatur vltimò exemplis animarum, quæ liberatæ sunt à Purgatorio suffragijs fidelium. Sanctus Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 4. scribit Paschasij animam Sancti Germani Episcopi precibus fuisse liberatam, & cap. 53. refert se triginta Missarum suffragio cuiusdam Monachi animam è Purgatorio eruisse. Gregorius Turonensis lib. de gloria Confessorum capit. 5. narrat Sanctum Martinum, Vitalina virgo ne in Purgatorio diutius cruciaretur, suis precibus obtinuisse. In lib. vitæ Anselmi refertur is sacrificijs amici defuncti animam ex Purgatorio exemisse. Sanctus Bernardus in vita Sancti Malachiæ tradit, sororis illius animam eiusdem precibus à pœnis Purgatorij liberatam.

S. Greg. — Gregor. Turon. — Anselm. — Bernard.

CAPVT IV.

Probatur Purgatorium ex consensu omnium Gentium præter Hæreticos.

DE quo omnes consentiunt, illud videtur esse rationi consentaneum. Igitur, si constet apud omnes Gentes esse receptum, animas post mortem purgari, erit hoc egregium ad firmandum Purgatorium argumentum. Igitur Hebræi, extra sacras litteras in citato lib. Machabæorum, teste Gorione lib. de bello Iudaico cap. 19. consueuerunt orare pro mortuis, ijs tantum exceptis, qui sibi manus violentas inferebant. Gentiles hoc sibi persuasum habuerunt. Ita Plato in Gorgia, & Phædone, Cicero in somnio Scipionis in fine. Ex quibus Virgilius lib. 6.

Gorion.

Plato.

Virgilius

Has omnes vbi mille rotam voluere annos,
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno, &c.

Et magis propriè

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt.

Et maximè propriè

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, &c.

Claudian

Quem sequitur Claudianus lib. 2. in Ruffinum circa finem. Imò ex hac opinione Gentilium ortus est error eorum, qui dixerunt nullam esse pœnam æternam, ac proinde Dæmones, & damnatos aliquando esse ab inferis liberandos. In quo errauit Origenes, vti refert Epiphanius Epistola ad Ioann. Hierosolymit. & August. lib. 21. de Ciuit. c. 17.

Origenes Epiphan. August.

Mahometani etiam admittunt Purgatorium, ex doctrina sui sordidi magistri Mahometis, quæ in Alcorano expressè habetur. Tamdem ipsemet Lutherus in principio suæ apostasiæ Purgatorium recepit, vti supra dictum est. Hi ergo fermè omnes lumine naturæ ducti Purgatorium agnouerunt, sicut etiã immortalitatem animarum, Paradisum, & inferos fassi sunt.

Mahom.

Lutherus

Catholici inter Fidei articulos Purgatorium habent, vti monstrat antiquissima Ecclesiæ traditio. Qua de re Augustinus serm. 32. de verbis Apostoli: *Orationibus Sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubium mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Deo, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia.* Nec Caluinus, & Petrus Martyr negant esse hanc communem, tum Catholicorum, tum Gentilium sententiam. Sed ad Ecclesiam respondent, eam decipi. Quod dicere *insanissimæ*, vt ait Augustin. *dementiæ est.* Ad Gentiles, aiunt, fabulas illos credidisse, & Ecclesiam malè facere cum ijs sentiendo. Quasi nihil apud Gentiles, nisi fabula sit, cum tamen illi multas veritates fuerint assecuti; imò sæpè Hæretici magis credunt Gentilibus, quàm Ecclesiæ. Illos Plato, & Aristoteles abundè confutant, qui multas veritates agnouerunt. Atque vt vrgeamus exemplo: omnes penè Gentiles Philosophi, Iudæi, & Mahometani sentiunt animam esse immortalem, non tamen inde sequitur, nos qui in eadem sententia sumus fabulam amplexari. Certe insignem iniuriam suis Patriarchis, sic enim appellat Tertullianus Philosophos, Caluinus, & Petrus Martyr, cum sint hæretici, & eorum filij, intulerunt.

August.

Caluinus Petr M.

Tertull.

CA-

CAPVT V.

Ipſimet Hæretici Purgatorium fateri coguntur.

NVlla melius ratione refutantur Hæretici, quàm ſuiſmet Argumentis. More noſtro eos conuincamus, vtendo eorum principijs. Primum eſto; omnes homines per peccatum originale ita infici, & corrumpi, vt nihil ſit ſanum, nec rectum in natura. Adeo vt dicat Caluinus illo diluuio peccati totam animam eſſe ſubmerſam. Vnde fit, vt omnes homines in ſtatu damnationis ſint. Ita Caluinus lib. 3. inſtit. cap. 12. & in Antidoto Trid. ſeſſ. 6. cap. 16.

Caluin.

Secundum principium eſt: maculam huius peccati originalis, & reatum illius non auferri per baptiſmũ. Ita Caluinus lib. 2. inſt. c. 12. & lib. 4. cap. 15.

Caluin.

Tertium, omnia opera moralia noſtra eſſe peccata, ita vt & habitualiter, & actualiter mali prauique ſimus. Sic ex Caluino Dauid Paræus in ſuis theſibus de peccato, & Pleſſæus de Euchariſt. lib. 3. cap. 12. pag. 616.

Dauid Paræus. Pleſſæus.

Quartum, Sanctos in cælo fruituros viſione Dei depoſitis prius omnibus ſordibus, & maculis peccati. Quamuis enim hi Hæretici dicant, animas non eſſe viſuras Deum, niſi poſt diem iudicij, & interim expectare in atrio illum diem, concedunt tamen neminem inquinatum beatum fore.

Ex his principijs manifeſtè deducitur, Hæreticos cogi Purgatorium concedere ſibi ipſis. Ratio eſt, quia cum ij ſint immundi, & inquinati peccato originali, quod non remittitur, nec etiam per baptiſmum, & alia item actualia peccata commiſerint, quæ remitti non poſſunt in hac vita propter corruptionem originalis peccati, non poſſunt in Cælum ire, niſi prius ab illis purgentur. Cum vero omnes Caluiniſtæ dicant ſe eſſe prædeſtinatos, vt ſint beati, mundari omnino debent, ac proinde Purgatorium aliquod habere.

Reſpondebunt tamen ſe in ipſa morte purgari. Sed hoc liberè dicũt, quia non habent fundamentum in ſcripturis, nec ratione aliqua poſſunt confirmare. Impugnatur item reſponſio, quia mors non eſt actus hominis meritorius, ſed paſſio naturę, & pœna peccati. Vnde mors non habet virtutem remittendi peccata. Si enim haberet, ſicut mors omnibus eſt communis, tum iuſtis, tum iniuſtis, ita & remiſſio omnibus conueniret. Si dicant, interuenire ibi opera meritoria, facile refutantur, quia vel illa opera meritoria antecedunt mortem, vel ſubſequuntur. Si antecedunt, omnia ſunt mala in eorum ſententia. Si ſubſequuntur, iam ſunt opera extra viam, quæ meritoria eſſe non poſſunt; atque adeò nullo modo remittent peccatum, niſi tamquam actiones purgatiuæ. Vnde ſequitur dari Purgatorium.

Reſpondebunt iterum, mundari fideles qui credunt ſe eſſe ſaluandos. Verum refutantur. Quomodo enim ſaluantur hi qui ſine baptiſmo infantes moriuntur, & credere non poſſunt, cum pro ijs aliud non ſit in lege gratiæ remediũ, niſi baptiſmus, re ſuſceptus? Quod ſi dicant per fidem parentum ſaluari, iſta fides apud eos nulla eſt, quia ijs authoribus peccatum eſt. Igitur aut debent admittere Purgatorium poſt mortem, aut ianuam ſalutis claudere.

Verum concedamus ijs mundari poſt mortem immediatè ab illis ſordibus peccati originalis, & maculis actualium. Inde conuincimus eoſdem ad aliquod genus Purgatorij admittendum. Dicent admittere

se Purgatorium, sed sine dolore: nimirum assueti delicijs pęnas post mortem horrent; homines delicati negabunt etiam infernum, ne tormenta concedant. Librum vitæ genio suo fingunt, affirmantes omnes Caluinistas esse prædestinatos, cum Scriptura neget scire homines vtrũ amore, an odio digni sint. Concludo Caput dicendo rectè Caluinistas negare Purgatorium, quia pro ijs Purgatorium non erit, cum omnes Caluinistæ sint ad inferos detrudendi.

CAPVT VI.

Pro quibus personis, & sordibus institutum sit Purgatorium.

QVandoquidem datur Purgatorium ad purgandas animas superest scire, quæ, & à quibus sordibus animæ sint purgandæ? Constans est Ecclesię doctrina multis locis ab Augustino tradita: homines ex hoc mundo decedentes in triplici statu esse posse. Quidam enim tam possint esse boni ac iusti, vt non egeant purgatione, quia omnino puri sunt, v. gr. martyres, & infantes qui post baptismum ante vsum rationis moriuntur. Alij tam mali vt non possunt purgari, neque iuuari; quales sunt ij qui in peccato mortali moriuntur, aut cum peccato originali decedunt, quibus non est salus, nec spes æternæ salutis adipiscendæ. Tertij qui nec sunt tam boni, vt primi, nec tam mali vt secundi, ac proinde indigent aliqua purgatione & auxilio, & possunt mundari, & iuuari. Hi sunt illi, qui decedunt in statu gratiæ cum aliquibus tamen peccatis venialibus, & residuis adhuc quibusdam mortalium peccatorum temporalibus pœnis; non enim sola pœna æterna debetur peccato mortali, sed aliqua etiam temporalis, vt nos probauimus in materia de Pœnitentia, & Indulgentijs. Vnde constat hos tertios ab his culpis venialibus, & pœnis temporalibus esse purgandos. Hæc est communis Ecclesiæ doctrina, quam tradunt Theologi in 4. distinct. 45. secuti Augustinum qui in Enchiridio cap. 110. & lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 1. & cap. vltimo, hanc diuisionem statuum ponit. Ex quo eam sumpsit Innocentius tertius cap. cum Marthæ, vbi disertè ait: *Ex mortuis valde bonos non egere suffragijs, valde malos non posse iuuari: mediocriter bonos & posse iuuari, & egere adiutorio.* Hos tres status, siue differentias accuratè proponit, & explicat Gennadius Scholarius in defensione quinque capitum Concilij Florentini c. 3. sect. 1.

August. Auguft. Inn. III. Gennad.

Prima necessitas purgationis desumpta ex temporalibus pænis patet, quia supposita illa doctrina; hominem iustũ qui admiserat mortalia gratiam per iustitiam consecutum liberum esse à culpa mortali, & pæna, non tamen ab omni temporali quæ distincta est ab æterna, supponitur mori cum obnoxium huic pęnæ temporali, ac proinde cum hoc debito non posse beari. Igitur opus est ei pro illa satisfacere; atque adeò aliquod genus pęnæ satisfactoriæ subire. Ita Doctores Catholici cum Bellarmino lib. 1. de Purgatorio cap. 11. & Becano in Manuali lib. 1. cap. 8. Cuius rei argumentum in Augustino inuenio lib. 50. Homiliarum Homil. 16. *Qui temporalibus* inquit, *pænis digna gesserunt per ignem quemdam Purgatorium transibunt, de quo Apostolus*, inquit, *saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quo loco Schismatici, qui negant ignes purgatorios conuincuntur. In hac autem pæna temporali probanda multus est Becanus loco citato, ad quem studiosos remitto.

Bellarm. Becanus. Auguft. Becanus.

Se-

Secunda necessitas ex remissione peccati venialis constat, quia peccata venialia sæpè manent in homine iusto, cum oppositionem non habeant cum gratia, imò cum ea simul stent, & in statu gratiæ committantur. Ergo poterit homo iustus mori in gratia, & cum peccatis venialibus à quibus in alia vita purgandus sit. Igitur pro his dari Purgatorium necesse est. Sic argumentantur Scholastici ex Scripturis

Bellarm. Becan. quæ videri possunt in Bellarm. lib. 1. de Purgatorio cap. 11. & Becano lib. 1. Manualis cap. 8. in tertio argu-

Augnst. mento, & sumitur ex August. lib. 83. qq. q. 26.

Sunt tamen quidam Theologi, qui negant remitti peccata venialia in Purgatorio, quia non vident locum actioni meritoriæ, cum status ille post mortem capax meriti non sit. Horum authorum meminit D.

D. Thom Thomas in 4. dist. 21. qu. 1. art. 2. Et quoniam de hac re accuratè disputatum est in materia de pœnitentia, & Indulgentijs. Modo breuiter dico, eos teneri concedere ista peccata venialia remitti homini iusto post mortem: fatentur enim cum ijs mori sæpè homines iustos, ergo in Purgatorio remittuntur. Respondent illi tamen, hæc venialia post mortem immediatè remitti per actũ amoris Dei super omnia quem eliciunt. Sed retorqueo argumentum quia iste actus amoris Dei post mortem iam est extra viam, ergo est incapax meriti in eorum sententia, ergo non potest per illum remitti peccatum veniale. Quod si dicant adhuc reputari pro viatore hominem immediatè post mortem, obijcimus, cur non etiam in Purgatorio ante beatitudinem pro hac re viator existimabitur? Nec enim maior vel minor distantia temporis facit, aut non facit viatorem quando semel supponitur mortuus. Quare cum D.

D. Thom Thoma in 4. dist. 21. qu. 1. art. 2. Concedendum remitti in Purgatorio peccata venialia non per modũ meriti, sed satisfactionis, sublato impedimento complacentiæ de dictis venialibus. Hoc enim satis est ad remissionem venialis peccati. Et ita tenet expresse Bellarmin. lib. 1, Bellarm.
cap. 24. vbi ait hanc sententiam esse conformem Scripturæ, & Becanus Becan.
lib. 1. cap. 8. ad 3. argum.

Pro hac sententia obseruo: Patres de remissione venialium perspicuè loqui docentes, & supponentes ea ibi remitti, vti videre est in illis qui explicant illum locum Pauli 1. ad Corinth. 3. *Ipse autem saluus erit, sic* 1. Cor. 3.
tamen quasi per ignem, quos latè refert Bellarmin. lib. 1. cap. 5. omnes Bellarm.
enim per *lignum*, *fœnum*, *stipulas* intelligunt peccata venialia quę per ignem purgantur, idque manifestè docet Augustinus lib. 21. de Ciuitate, vbi *venialia* vocat, & affirmat August.
ea igne purgari post mortem. Addo fundamentum magis firmum; nempe in sacris Litteris expressè fieri mentionem de hac remissione peccatorum post mortem, vti in eo loco Machabæorum 2. vbi perspicuè dicitur, *vt à peccatis soluantur* Macha. 2.
quod vocabulum propriè accipiendum est de veris peccatis, non autem est expressus locus pro remissione pœnarum temporalium post hanc vitam. Nam qui de pœnis temporalibus textus loquuntur, non loquuntur de pœnis post mortem, sed de pœnis temporalibus in hac vita, vti est ille locus de morte infantis filij Dauidis ex adulterio. Imò nullus fortè dabitur locus expressus Scripturæ in quo dicatur tẽporales pœnas peccatorum post mortem remitti. Intelligere autem per pœnas peccata venialia, non est propria locutio. Quare cum peccatorum post mortem remissionem habeamus, fateri debemus ea in Purgatorio remitti, quamquam non negemus pœnas item temporales remitti.

ti. Quomodo autem remittantur in Purgatorio peccata venialia? ea Scholastica potius, quam positiua quæstio est. De qua nos in materia de Indulgentijs. Obiter tamen dicere possumus cum Henriquez lib. 7. cap. 3. num. 3. & cap. 9. num. 2. remitti indirectè peccata venialia remissa pœna. Vnde quando aliquis in Purgatorio finiuit soluere omnem debitam pœnam peccati venialis, consequenter & per accidens tollitur venialis culpa; quia non potest vna sine altera manere. Qui modus, quamquam videatur facilior, non est tamen omnino certus, quia videmus remisso iam peccato mortali, remanere postea temporales pœnas, ergo illa regula vera non est. Suarez negat disp. 11. de Indulg. sect. 4. modum remittendi peccata in Purgatorio, & ait remitti immediatè post mortem per actũ amoris Dei. Quę sententia mihi non placet. Si enim semel post mortem remittuntur venialia, cur non etiam in Purgatorio remittentur? Itaque dico directè remitti venialia in Purgatorio quando homo satisfacit Deo per illam pœnam offerendo illam Deo tamquam iustam: nec enim est necessaria alia dispositio ad remittendum peccatum veniale in Purgatorio. Quare per indulgentiam, per aspersionem aquæ benedictæ, & applicationem Sacramentalium, si piè ac deuotè suscipiantur, peccata venialia ex opere operato remittuntur.

Henriqu.

Suarez.

CAPVT VII.

Quæ & cuiusmodi sunt pœnæ Purgatorij?

VBi est satisfactio; non est dubium quin sit solutio. Quæ cum in Purgatorio, vbi est satisfactio, fieri merendo nequeat, nec enim ibi merito, aut demerito locus est, oportet eam fieri per passionem pœnarum. De his quæritur. Igitur multa, & varia in eo esse possunt pœnarum genera, & ex reuelationibus eas diuersi generis esse constat. Atque vt ab his quæ ad animum pertinent incipiamus: in Purgatorio est carentia visionis Dei, atque adeo dolor similis pœnæ damni. Quo necesse est torqueri eos, qui Deum amant, ac eo frui desiderant. Præterea sunt alij dolores instar cruciatuum, quibus animæ illę affliguntur ad satisfaciendum pro culpis. Nam si pro ijs in hoc sæculo affligi merentur, cur in alio pro iis non luent pœnas? Græci igitur nullum pœnarum genus, excepto igne, purgantium esse negant. Ignem negandi duas causas afferunt. Primam, nullam in sacris litteris ignis post mortem purgantis mentionem fieri. Secundum, ne confundatur ignis Purgatorii cum igne inferni. Nam in inferno esse ignem ex Scripturis constat. Si ergo eum in Purgatorio admittamus, vtrumque prorsus confundemus. Itaque concludunt, vnũ tantum ignem in sacris Litteris inueniri, idest, æternum infernum; alium purgantem, & temporarium, esse tum fictitium, tum periculosum. Ita ratiocinatur Barlaam Græcus, cum Cabasila, Palama, Phule, Psello, & aliis apud Arcudium in tract. de Purgatorio, & addunt, admisso Arcud. isto igne temporario dari occasionem errori Origenis, qui affirmabat infernum finem habiturum. Quæ opinio Græcorum habetur in Concilio Florentino in principio adhuc Ferrariæ in Collectione Seuerini Seuerin. Binii pag. 420. Cum his Græcis sen- Binius. tit Thomas Anglus in suo illo infe- Thomas Angl. lici libello de medio animarum statu, imò absurdius sentit, quod omnem pœnam torquentem ab extrinseco negat.

Conclusio tamen sit, in Purgatorio esse ignem temporarium crucian-

ciantem. Ea satis probata est testimonijs Patrum cap. 1. huius Controuersiæ aduersus eosdem Græcos. Nunc quia ij negant mentionem ignis purgantis inueniri in sacris litteris, ostendamus hoc fallum esse, & postea soluemus rationes negandi. Igitur quoad locum sacræ Scripturæ non omnino ille necessarius est, cum ex traditione multa credantur. Quare non sequitur ex defectu loci sacrarum Scripturarum ignis defectus. Verum afferamus Scripturæ locum. Quo Patres Latini aduersus Græcos vsi sunt in Concilio Florentino ad probandum ignem Purgatorium initio Concilij ante session. 1. pag. 420. Est apud Paulum 1. ad Corinth. 15. *Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fænum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit mercedem accipiet: Si cuius opus arserit detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Scio quæstionem hic moueri à nostris Authoribus, vtrum de omnibus fidelibus, an de Doctoribus tantum loquatur Apostolus? Vtcumque sit, certè per argentum, & aurum, & lapides pretiosos, insignes virtutes, & & opera perfecta: per lignum verò, & fœnum, & stipulas opera bona imperfecta intelliguntur, quæ est communis sententia Patrum. Quorum catalogum ponunt Interpretes, at imprimis Estius, & Cornelius in eum locum Pauli.

Concil.

1. ad Corint. 3.

Estius

Cornel.

Quis sit iste dies Domini, de quo Paulus loquitur? maior quæstio est? Bellarminus lib. 1. de Purgatorio c. 5. pugnat pro die iudicij vniuersalis. Caietanus pro die iudicij particularis in morte singulorum. Caietano subscribo, quia video nō posse quadrare in Purgatorium istum ignem si ad illam diem iudicij extremi referatur: nec enim tunc est locus Purgatorio. Et miror Bellarm. cōtra sentire, & Caietani sensum tam vehementer oppugnare, cum Lyranus ex nostris, & multi Hæretici Purgatorij hostes diem hunc Domini, particularis iudicij esse affirmēt. Sic enim Caluinus & Petrus Martyr exponunt. Quo non parum Purgatorio fauent. Certè Concilium Florentinum ita videtur intellexisse, cum definiuit animas iustorum tum puras, tum purgatas ante diem iudicij in Cælum recipi: satis quippe eo docuit, illum ignem quo purgantur in die Domini, esse diem iudicij particularis, non vniuersalis. Et qui legat illā de Purgatorio quæstionem id facilè perspiciet. Cum Concilio sentit Gennadius Scholarius de Purgatorio sect. 7.

Bellarm.

Caiet.

Lyran.

Calu. n.

Pet. Mar.

Florent.

Gennad.

Statuto igitur hanc diem Domini esse iudicij particularis de vnoquoque, post mortem, currit manifestè sensus. *Si quis*, inquit, *aurum, & argentum, & gemmas affert*, idest, opera inculpata, quando venerit ad examen particularis iudicij nullo igne purgabitur. Quia his debetur præmium non supplicium, remunerandus est ille non puniendus. Si quis autem attulerit fęnum, lignum, & stipulas, id est, opera imperfecta, mundabitur igni Purgatorio, & saluabitur cum ea pęna, & ibit ad gloriam vstulatus. Itaque vnus hic est Purgatorij ignis discernens, & purgans, abstinendo à bonis, & perfectis quos reuereretur, & comburendo imperfectos, & purgando illos.

Bellarminus duos ignes ponit, alterum discretiuum iudicij metaphoricum, qui probet aurum, & argentum iudicando opera inculpata, & approbando ea, & discernendo illa à reliquis imperfectis, quæ arserint, quia imperfecta sunt & purgāda:

Bellarm

da: alterum verum, & torquentem ignem per quem transeat is qui saluatur. Nec enim, ait, potest intelligi quomodo iste ignis torquens, & purgans opera sancta, & inculpata probet, & adurat? Quare iudicium, & examen de his operibus ignem vocat metaphoricum.

Mihi mens Bellarmini minus probatur: nec enim credibile est vno in loco Apostolum in duobus diuersis sensibus ignem fuisse sumpturum. Itaque de vno tantum igne non metaphorico, sed vero, & purgatorio loqui Paulum existimo. Nec ratio Bellarmini valet, quia vt sit verũ opera bona probari, & discerni ab imperfectis, non est opus, vt ignis opera bona, & perfecta incendat, sed sufficit abstinere ab his, & exurere alia, nam hoc ipso quòd parcit vnis, iam illa probat, & discernit ab alijs, quæ vrit, & cremat. Deinde quamuis loquatur de operibus, nõ excludit homines operantes: nec enim opera examinantur solitaria, & vt aiunt, in abstracto, sed in concreto, & cum personis. Itaque non est necessarius duplex sensus, vnus cadens in opera, alter in operantes, cum sufficiat vnus, qui operantes illa, & opera comprehendat. Et quidem de vero, & materiali igni non metaphorico interpretatur Estius, & Bellarmini tacito nomine sententiam refutat. Estius

Sensus ergo est: in iudicio cuiusque particulari, ita examinandos esse mortuos, vt qui inuenti sint iusti, & immaculati in vita, hi non transeant per ignem Purgatorij, seù emendatorio, vti Augustinus appellat. Omnes autem penè Patres hũc locum interpretantur de igne Purgatorij vero, ac germano; qui videri possunt apud Bellarm. lib. 1. cap. 5. & Arcudium lib. contra Barlaam, & Gennadium Scholariũ de Purgatorio sect. 7. & 8. Quod verò quidam objiciunt; illum ignem non esse verum, quia Paulus dicit: *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, perinde, ac illud *quasi* similitudinem significet, non verum ignem, futile est; nam illa phrasis nihil detrahit de vera significatione ignis; perinde enim est illud dicere, ac dicere saluus erit, sed ita vt in eo appareant signa ignis, quo vstulatus est. Qua ratione de aliquo, qui cecidisset in flumen, & madidus euasisset, rectè, diceretur, tu quidẽ euasisti ex flumine, & venis quasi madidus, retines enim vestigia quædam aspersionis. Alio item modo soluitur obiectio, respondendo, illud *quasi* nihil auferre de vero igne, imò illum confirmare. Vti cũ Ioannes cap. 1. sui Euangelij dixit: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*: illa particula *quasi*, nihil detraxit de gloria Trinitatis, imò eam affirmauit: vt ex multis Patribus notat Maldonatus ibidem, qui docent, illud *quasi* habere vim particulæ *sicut*, vel *tanquam*, prout æqualitatem significat, quo pacto vnigenitus Patri æqualis significatur, veluti cum dicimus, ilie homo rex est, & quasi rex incedit.

Aug.

Bellarm.

Arcud.

Maldon

Secunda obiectio Græcorum de confusione vnius ignis naturalis, & temporalis cum alio naturali item æterno, quoniam à Schismaticis vrgetur, accuratè soluenda. Primum igitur inepta est argumentatio, quæ ita procedit, ex eo quod vnum ponitur, tollitur alterum. Vti enim non sequitur. Ego pono mare mediteraneum; ergo tollo Oceanum: pono astrum Mercurij: ergo tollo astrũ Veneris: pono ignẽ mixtũ, ergo tollo elementarem, vel hæc duo inter se confundo; ita non sequitur, posito igne temporali Purgatorij, auferri æternum, aut cum illo confundi.

Secundò si hęc argumentatio valet, aduersus eosdem Græcos retorquetur, nam ipsi ponunt in Purgatorio carcerem, & tenebras, & alios dolo-

dolores: at hi sunt in inferno; ergo eos Græci cum pęnis inferni confundunt. Si enim Grecis illis positis nihil detrahunt inferno, nec inter se Purgatorium, & Infernum confundunt, nec item nos posito igne Purgatorij vel negamus ignem inferni, vel miscemus vtrumque, sed suum damus Purgatorio, suum inferis relinquimus.

Igitur contra id quod opponunt, in sacris litteris solum ignem æternum pęnalem inueniri, falsum hoc esse monstratur ex loco Pauli proximè adducto, vbi est mentio eius ignis per quem aliquis saluatur, qui inferni esse non potest. Præterea Scriptura sacra quando agit de igne inferni solet apponere particulam *æternum*, vti cum dicit, *in ignem æternum*, vel cum dicit *Gehennam ignis*. Vnde retorqueo coniecturã, quia Scriptura adijciens has particulas significauit velle distinguere hunc ignem æternum ab aliquo alio qui non est æternus, nec gehennalis, cuiusmodi est ignis purgatorius. Si enim solus vnus ignis pænalis erat post hanc vitam, quæ necessitas erat ponendi hanc notam distinguentem, æternitatis, & gehennæ? Hæc igitur coniectura est duos esse pęnales ignes, vnum æternum, & gehennalem: alterum temporarium, & purgatorium. Quemadmodum Patres Florentini Græcos docuerunt initio Concilij adhuc Ferrariæ. Concil. Flor.

Quartò, argumentor ad hominẽ: Si enim ex eo quod non inuenitur perspicuè ignis temporarius in sacris litteris ille est negandus, erunt etiam negandæ illæ tenebræ temporariæ, quas inducunt Schismatici Græci. Græci. Nescio enim vbi eas inuenerunt; non dabunt locum in Scripturis idoneum. Inuenimus quidem tenebras exteriores pro inferno apud Matth. cap. 8. num. 11. *Mittite*, ait, *eum in tenebras exteriores*, quibus tenebris iuxta communem Patrum interpretationem tum Græcorum, tum Latinorum Infernus significatur. Ita Basilius, Damascenus, Theophylactus, Hieronymus, hoc in loco, & Augustinus epistola ad Honoratum, & Ambrosius libro 6. in Lucam, & alij, excepto Origine tractatu 25. in Matthæum, qui de Purgatorio vnus interpretatur, quẽ sequi maluerint Græci Schismatici. Hieron. Aug. Ambr. Lucam Matt.

Inuenimus tenebras pro peccatis, & ignorantia positas, vti ostendit Maldonatus Lucæ 2. num. 32. Reperimus eas mortem significare apud eundem eodem loco ad illum versum; *Lux in tenebris lucet*. Rursum tenebras, aut persecutorem diabolum, & ministros eius, aut animas peccatrices designare, & similia, quæ accuratè recenset Maldonatus ibidem. Nusquam tamen Purgatorium inuenimus significare. Itaque his argumentis corruit Schismaticorum opinatio. Quibus addimus rationem idoneam, nimirum hanc. Non videtur aliud genus pænæ magis proportionatum purgationi quam ignis, cuius proprium est purgare, & probare aurum, & metalla, quique ad morbos curandos adhibetur, cuius ardor est maximè sensibilis & actiuus, & ad inferendum dolores accommodatus, quod ex multis Scripturæ locis apparet. Duos affero. Primus est Isaiæ 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem lauerit de medio eius Spiritu iudicij, & Spiritu ardoris*. Quem locum exponit Augustinus lib. 20. de Ciuitate cap. 25. de Purgatorio. Secundus Malachiæ 3. *Ipse sedebit quasi ignis conflans, & purgabit filios Leui*. Qui ab Origene Hom. 6. in Exodum, & Ambrosio in Psalm. 36. & Augustino lib. 20. de Ciuitate cap. 21. & Hieron. super eundem locũ exponitur de igne Purgatorio. Pro hac Latina, & Catholica doctrina pugnat Luc. 2. Maldon. Idem. August. Ambr. Augst. Ambr. Hieron.

gnat Gennadius Scholarius lib. de Purgatorio sect.7. vbi disertè ponit duos ignes, alterum temporarium purgatiuum, alterum æternum punitiuum.

Gennad. Scholar.

CAPVT VIII.

Qualis, & cuiusmodi sit ignis Purgatorij?

CORporeum esse negant quidã. Primo quia nusquam hoc definitum inuenitur; imò Florentinum sess. vltima, vbi definitur Purgatorium esse, nullam mentionem ignis facit, & Tridentinum cum tribus in locis affirmet Purgatorium, nimirũ sess.6. Can. 30. & sess. 22. cap.2. & imprimis sess. 25. & in qua apertè definitur Purgatorium, nunquam tamen de igne mentionem facit; quod argumentum est, vel nullum fore ignem in Purgatorio, vel eum ignem corporeum non esse. Secundo, quia ignis corporeus non potest animas, quæ spiritus sunt vlla ratione torquere, quia corporis in spiritum actio esse non potest: atqui in Purgatorio solæ animæ cruciantur, non corpora, ergo in eo non est ignis corporeus. Tertio, quia Patres videntur sentire incorporeum ignem illum esse, vti est D. Gregorius qui lib. 15. Moralium cap. 17. dicit, *ignem gehennæ esse incorporeum*. Fauet Augustinus ea de re dubitans lib.21. de Ciuitate cap. 10. Vnde sequitur si gehennæ ignis non est corporeus, multò minus fore corporeum Purgatorij ignem, cum ignis gehennæ damnatorum corpora cõburat. Confirmatur iterum ex Augustino negante lib. 12. de Gen. ad Litteram cap.33. loca animarum esse corporalia, nam si animæ in loco corporeo esse non possunt, nec ab igni corporeo pati poterunt. Imò grauis author Maldonatus in Lucam cap.16. num. 23. ait, Augustinum sentire duos esse ignes, alterum torquẽtem animas ante resurrectionem generalem, alterum post resurrectionem, & ex his illum esse metaphoricum, hunc esse verum. Ex quo sequitur sensisse Augustinum ignem Purgatorij, qui est ante resurrectionem, esse metaphoricum, non corporeum, nec verum.

Florent. Trident. Greg. August. August. Maldon. Luc 16. August. August.

Affirmatiua sententia videbitur alicui esse de fide, quia Scripturæ ita loquuntur, vt ignem propriè vsurpare, non metaphorice videantur, quemadmodum animaduertit Maldonatus Com. in Lucam cap.1. vbi agitur de anima diuitis Epulonis in flammis cruciata. Satis tamen est dicere, illam esse certam & indubitatam, & communem Theologorũ, vt idem author obseruat, & Bellarm. lib.2. de Purgatorio cap. 11. & Leo Allat. de Purg. pag.159. vbi perspicuè ait non esse de fide propter illud argumentum Concilij Florentini, cui si addatur aliud, quod nos adiecimus de Trident. manifestè apparet id definitum nõ esse, sed proximum tamen Fidei esse.

Bellarm. Leo Al.

Probatur igitur verum, & corporalem esse ignem Purgatorij. Primò, quia sacra Scriptura ignẽ simpliciter ponit, ac ita de eo loquitur, vti de nostro igne materiali, & vulgari. Vnde colligitur verum, & corporalem, ac proinde ignem esse.

Secundo, quia omnes fermè Interpretes eos locos Scripturæ ita interpretantur, & Scholastici communi consensu tradunt illum ignem Purgatorij esse verum, & proprium ignem.

Tertiò, quia verus ignis in inferno est, & ideò ponitur vt corpora damnatorum habeant pœnam proportionatam; vnde fit hæc argumentatio. Si apud inferos torquentur igni corpora, hic est corporeus, & realis. Esse autem eundem ignem, qui corpora, & spiritus exurit: patet ex loco Matth. vbi dicitur. *Ite in*

Matt.

in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius. Diabolus autem, & angeli eius spiritus sunt.

August. Quartò, quia Patres ita sentiunt; nam Augustinus lib. 21. de Ciuitate cap. 11. ei sententiæ adhæret, quæ tenet illum ignem esse verum, non metaphoricum. Idemque tradit Gregorius lib. 4. Dialogorũ cap. 29.
Gregor. vbi expressè ait, ignem quo puniuntur animæ, esse corporeum. Et quanquam Patres loquantur de igne gehennæ, non negant tamen idem dicendum de igne Purgatorij, imo de vtroque ita loquuntur.

Quintò probatur ex varijs Historijs animarum sustinentium pœnas Purgatorij. Nam ex his constat in ijs locis, vbi torquebantur, veros, & proprios fuisse ignes. Quæ exempla frequenter occurrũt in vitis sanctorum, presertim in Dialogis D. Gregorij.

Quod attinet ad solutionem argumentorum. Primum, illud tantum probat, quod nos admittimus, rem non esse de fide, quia nusquam definitum est. Non probat autem id certum, & indubitatum non esse, quod nos volumus contra Hæreticos, & Schismaticos. Secundum argumentum postulat integram quæstionem singulari Capite tractandam. Tertium oportet examinare, & locos Sanctorum citatos expen-
Greg. dere. Quoad locum D. Gregorij lib. 15. Moral. cap. 17. dicendum primò illud vocabulum, *incorporeũ*, irrepsisse in textum pro particula *corporeum*, quod apparet ex sequentibus verbis, vbi dicitur, *ignem illum corporaliter vrere*, quæ est res-
Bellarm. ponsio Bellarmini, & probabilis. Sed quoniam D. Gregorius ibi opponit ignem nostrum materialem illi igni gehennæ, de quo loquitur his verbis: *Ignis*, inquit, *corporeus, vt esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. At contra gehennæ ignis, cum sit incorporeus, & corporaliter exerceat, &c.* videtur ex contrarietate propriè accipiendum illud vocabulum *incorporeus*. Retenta hac lectione dicendum: D. Gregorium appellasse ignem illum gehennæ *incorporeũ*, non eo sensu, vt sit metaphoricus, & imaginarius, sed quia tenuis est, & subtilis, nec indiget pabulo, vti noster ignis, qui non potest cremare, nisi in materia sustentetur, eaque nutriatur. Qua ratione ignis elementaris esse dicitur purus, & inuisibilis circa concauum Lunæ, qui non indiget pabulo, & in eo distinguitur à nostro, quia hic nimis crassus est, & pabulo corporeo indiget.
In quo etiam sensu Damascenum Damasc.
accipit simile quiddam D. Gregorij phrasi dicentem Leo Allatius lib. de Leo All.
Purgatorio: vbi accuratè ostendit ignem Purgatorij, & Gehennæ non esse imaginarium, sed verum, & materialem.

Quoad Augustinum, ille ignem Gegennæ, & Purgatorij propriè accipit; nec Maldonatus Augustinum rectè intellexit, & sinistre exposuit. Nusquam enim Augustinus dixit, duo esse ignium torquentium genera, aliud ante, aliud post resurrectionem: quorum hic sit incorporeus, ille corporeus. Hoc enim sibi finxit Maldonatus, vir sanè diligens, & acutus, sed in Augustino legendo, & intelligendo parum in- Maldon. August.
terdum accuratus: id tantum dixit eum ignem, quo diues ille torquebatur apud inferos, videri eiusdem rationis esse cum lingua, & digito animæ, de qua ibi Lucæ 16. loquebatur. *Vt mittat digitum suum in* Luc. 16.
aquam, & refrigeret linguam meam. Sicut enim illæ animæ non habebant linguam, nec digitum, quia Spiritus sunt, ita fortasse nec ignis ille refrigerandus verus erat. Quia nimirum dubitabat Augustinus, an omnia illa per speciem, & metaphoram exhiberentur, quia re ipsa nec anima poterat habere digitum,

nec linguam. Igitur cum hoc sciret Augustinus, dubitauit, an illle ignis esset imaginarius, & metaphoricus: non quod negaret ignem verum esse in Gehenna, quod alibi sæpe affirmat; sed quòd ambigeret, an ille ignis, in quo Epulo esse dicebatur, esset ignis Gehennæ. Itaque ne somniauit quidem Augustinus, quod ei Maldonatus imponit. Quare nō admisit duos ignes, vnū corporeum alterū incorporeū; sed dubitauit, vtrū ignis ille singularis, de quo erat sermo in parabola diuitis Epulonis, esset verus, an imaginarius. Porrò Maldonatus lapsus est, & Augustino calumniam nouam imposuit: Quando hoc in loco dixit: Augustinum dubitasse cum Tertulliano vtrùm anima esset corporea? quo nihil absurdius dici, & iniuriosius potuit, cum Augustinus præcipuus sit assertor naturæ spiritualis animæ rationalis, & acerbè reprehendat Tertullianum, quia sentit animam esse corpoream, vti patet ex sexcentis locis, quos adduco in meo Hyperaspiste Augustini. Indico quatuor: lib. de Orig. anim. ad Hieronym. Epist. 157. Epist. 213. lib. 15. de Trinit. Addo lib. 10. de Genes. ad litter. cap. 25. ad finem; in quo capit. 25. Tertullianum reprehendit.

August. Maldon. | August. Tertul. | August. | Tertul.

Miror autem incogitantiam Interpretis aliàs acuti. Ait Augustinum hic sensisse ignem esse incorporeum, quia vidit ita de igne fieri mentionem, sicuti de membris animæ, cum potius inde deberet argumentari Augustinū nō sensisse ignē incorporeum esse, vti non sensit animam habere membra. Sed in vtroque Maldonatus errauit existimans Augustinum dubitasse, vtrum anima corporea esset, & vtrum ignis esset incorporeus? Neutrum Augustinus dixit: sed dubitauit, vtrùm illa Historia Lazari, & diuitis Epulonis esset parabola, an historia, quoad illam præsertim partem, in qua de digito, & lingua animæ sermo erat. Quod non potest Maldonatus reprehendere, quia idem super illud Cap. 16. Lucæ nu. 19. opinatur eandem illam pertem de lingua, & digito animæ esse metaphoricam, nec ad historiam, sed ad parabolam pertinere. Quod etiam sentiunt multi Patres Græci, & Latini, quos ibi eruditè citat idem Maldonatus. Quare argumentum ex authoritate Augustini sumptum contra verum ignem Gehennæ, & Purgatorij nihil colligit. Nec S. Augustinus vnquam verum eum ignē esse dubitauit.

Maldon. | August. | Maldon.

CAPVT IX.

Quomodo, & quatenus Animæ ab igne Purgatorij torqueantur?

GRauis difficultas, & quæ torquet ingenia; adeò vt Durandus in 4. dist. 44. quæst. vltima dicat id in hac vita sciri non posse. Cui assentitur Bellarm. lib. 2. cap. 12. authore August. qui ait lib. 21. de Ciuitate cap. 10. *animas cruciari quidem ab igne miris, & veris modis*. Et D. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 29. affirmat ex igne visibili existere inuisibilem pœnam, quæ occulta est, & incognita nobis. Sed quoniam Augustin. conatur eam explicare, & Bellarmin. item citatus, & Theologi id ipsum tentant, conabimur, & nos exponere. Communis sententia est: eum ignem torquere animas per alligationem, & apprehensionē: sed quæ alligatio & apprehensio sit, non satis exponitur, & est difficile explicatu. Quomodo enim potest Spiritus igni addici & alligari? nam per vnionem intrinsecam esse nequit. Si autem sit extrinseca applicatio, quæ erit alligatio, aut quid illa operabitur in Spiritu? Apprehensio

Duran. | Bellarm. | Aug. | Greg. | Aug. | Bellar.

ſio enim ignis, non eſt ignis, nec habet aliquid commune cum igni, nec torquet vti ignis, eſt quippe imaginatio. Vnde ſequitur ignem Inferni, & Purgatorij eſſe in torquendo metaphoricum, contra id, quod dictum eſt. Quare Suarez in materia de Angelis excogitauit nouum modum philoſophandi, nempè illum ignem materialem eleuari à Deo ad producendam qualitatem doloriferam, & pœnalem, & ſpiritualem, & hac immiſſa in animas, affligi illas illas, & torqueri. Quæ ſententia videtur primo aſpectu facilis, ſed expenſa difficilis eſt, & improbabilis. Primò, quia illa qualitas ſupernaturalis dolorifera, ſi eſt ſpiritualis, nihil habet commune cum igne, nec poteſt habere vim vrendi ignis materialis, quia omnino corporea eſt. Si vero eſt corporea illa qualitas, non poterit recipi in Spiritum. Sentio enim cum Vaſquez accidens corporeum non poſſe inhærere in ſubiecto ſpirituali. Secundò, quia ſi illa qualitas ſupernaturalis eſt, ex conſequenti reponitur in ſtatu diuino, in quem non cadit illa ratio torquendi. Indignum eſt enim ſupernaturali qualitate officium, illa carnificina animarum, quia entia ſupernaturalia inſtituta ſunt ad perficiendum, non ad deſtruendum. Quid ergo dicendum? Ego ſic iudico.

Suarez. Vaſquez.

In Inferno, & Purgatorio eſſe verum, & corporalem ignem, & in iſto igne volui, & pati dæmones, & animas: Et quemadmodum corpora ardeſcunt illo igni, & ex iſto ardore animæ dolent, & cruciantur mediante corpore, ita Spiritus puros intra illum ignem poſitos imaginando concipere vim illius ignis vrentis, quam optimè norunt, eaque imaginatione torqueri, & cruciari, tamquam ſi eſſent in corporibus, quæ ignem materialem ſentirent. Quemadmodum enim illa pœna corporis communicatur animæ vnitę corpori per vnionem phyſicam, cum tamen nihil corporeum tranſeat in animam, quæ dolet, & torquetur corpore vſtulato, ita per quandam ſympathiam animæ, quæ exiſtunt in medio igni per apprehenſionem ſentiunt dolorem ſimilem ei, quem ſentit anima quando eſt coniuncta corpori. Et hoc ſatis eſt ad tormentum & dolorem ex igne capiendum. Quem modum philoſophandi probabit, qui experiatur quanta ſit vis imaginationis ad hominem affligendum. Itaque illa damnati ſpiritus apprehenſio formabit ſibi tormẽtum ſimile ei, quod patitur anima vnita corpori, quando ſentit ardorem ignis. Et hunc puto eſſe verum & mirum modum quem Auguſtinus ponit loco citato. Ac ita exponitur illa communis ſententia de ignis alligatione, & apprehenſione. Itaque certum eſt, animas torqueri ab igne quicumque ille tandem ſit. Vna hic mihi occurrit difficultas quę me vehementer ſolet torquere. Communis, & recepta ſententia, & quæ pro certa habetur eſt ignem illum Purgatorij acerbiorem eſſe omnibus tormentis huius vitæ. Sic enim docet Auguſtinus in Pſalm. 37. & Gregorius in Pſalm. 3. Pœnitentialem, & Beda ibidem, & Bernardus ſerm. de S. Humberto. Et ex hiſtorijs ſanctorum deducitur. Satis eſt Auguſtini teſtimonium in Pſalm. 37. vbi ſic. *Grauior erit ille ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita*. De hoc autem D. Thom. in 4. diſt. 20. qu. 1. art. 2. *Minimam*, inquit, *pœnam Purgatorij eſſe maiorem maxima pœna huius vitæ*. Hoc ego certè non capio. Quia ſi pœna reſpondet culpæ, eique commenſuratur, quomodo peccatum veniale leuiſſimum in eo igni, tam atrocem pœnam requirit, quæ ſuperet omnes pœnas huius vitæ, quæ quando graues ſunt, non

Auguſt. Gregor. Beda. Bernard. D. Thom

non nisi pro sceleribus atrocissimis infliguntur? Pœnæ autem relictæ ex mortali peccato iam remisso graues certè non sunt, cum homini iam posito in gratia debeantur. Itaque non video quomodo peccatum veniale in alia vita puniatur atrocius, quam in hac vita puniretur? Augu- (Augus. D. Thom.) stinus, & D. Thomas & cæteri PP. hoc sensu intelligendi sunt, vt dicant ignem illum ex natura sua cum purissimus, & subtilissimus sit, esse quidem acerbissimum, sed Deum ita eius ardorem moderari, vt non multum affligat animas. Et hoc necessarium est dicere, cum ille ignis diuersas animas vrat, & torqueat propter culpas inæquales, & in torquenda eadem anima intendatur, & remittatur, nimirum crescente satisfactione, & imminuta grauitate culpæ, atque adeò acerbitate supplicij. Hæc quoad modum, & rationem cruciandi. Quod attinet tempus, fuerunt Græci, qui dicerent. Animas fore in locis Purgatorij vsque ad diem iudicij: quos indicat (Leo Allatius.) Leo Allatius in suo de Purgatorio libro. Et aduersus quos scripsit Eu- (Eustrat.) stratius Presbyter Constantinopolitanus, cuius ibi opusculum exhibet idem Allatius. His consentit Tho- (Thomas Anglus.) mas Anglus huius ætatis author infelix libro de medio Animarum statu: quo cum postea super hoc errore latius expostulabimus. Eius erroris origo in Origene reperitur ho- (Origene.) mil. 14. in Lucam: vbi sic: *Ego puto quod & post resurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos atque purgante: nemo enim absque sordibus resurgere poterit.* Nituntur eo loco Pauli superius citato 1. Co- (1. Cor. 3.) rinth. 3. nam ibi est. *Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.* Qui dies extremum Iudicij diem significat. Vnde constat eo die fore purgationem, & dimissionem è Purgatorio, non antea. Hic tamen error est manifestus. Primò, quia Mater Ecclesia suffragijs ita defunctorum iuuat animas, vt doceat eas à pœnis Purgatorijs liberari. Secundò, quia recta ratio id persuadet. Nam pœna debet esse proportionata culpæ, & debito satisfactio. Atqui illæ Animæ nexæ sunt leuibus culpis, & debitis, ergo breuiter possunt & purgari, & satisfacere. Tertiò, quia tolleretur ratio iuris, & æquitatis, si nulla exiret anima è Purgatorio ante diem iudicij; nam cum animæ aliæ minus, aliæ magis culpentur, & debeant, æquum non est, vt omnes tandiu patiantur, vel detineantur in Purgatorio, quod argumentum maiorem vim habet apud Græcos, qui vulgo negant ignem, & tantum horrorem, & tenebras Purgatorio assignant. Itaque, eorum opinione, cum disparibus culpis luent pares pœnas: quæ solæ apud illos sunt carceris, & tenebrarum. Quartò: quia si expectare debent diem iudicij, dum illud non venit, patientur, & non satisfacient; atque adeo illa erit satis passio, non satisfactio, & pura pœna, quam negat Thomas ille Anglus quem citaui. (Thomas Anglus.) Has omnes rationes significat S. Thomas An- (D. Thom.) gelicus Doctor opusculo contra errores Græcorum titulo: *Quod est Purgatorium*, & explicatius opusc. 2. contra Græcos, & Armenos, & Saracenos; vbi inter alia sic. *Differre gloriam propter venialia vsque ad diē iudicij, omnino improbabile est, scilicet vt pro leuibus culpis tantam pœnā patiatur aliquis in gloriæ dilatione.* Idcirco Concilium Florentinum (Concil. Florent.) hanc veritatem à S. Thoma assertam, & à nobis acceptam aduersus Schismaticos Græcos definiuit in Decreto Fidei, siue definitione Eugenij IV. his verbis. *Eorum animas pœnis Purgatorijs post mortem purgari: & vt à pœnis huiusmodi releuentur, &c.* & infra. *Illas, quæ sunt purgatæ, in Cælum mox recipi.* Non

post

post diem iudicij. Locum Pauli, quo nitebatur illa opinatio, satis superius ex mente Sanctorum Patrum expositus fuit. Nunc afferemus in-
D.Thom. tegrum locum Diu. Thomæ, in eo opusculo 2. de erroribus Græcorum, & Armenorum vbi. *Hinc etiam*, in-
1.Cor.3. quit, *Apostolus dicit* 1. Corinth. 3. *Vniuscuiusque opus, quale sit ignis probabit, &c. Non autem hoc potest intelligi de igne Inferni, quia qui illum ignem patiuntur, non saluantur. Dicitur ergo, quod intelligatur de igne qui præcedit faciem iudicis, præcipuè quia præmittitur. Dies Domini declarabit. Dies autem Domini intelligitur dies vltimi aduentus eius ad iudicium vniuersale totius mundi, sicut Apostolus*
1.Th.5. *dicit* 1. Thessal. 5. *Dies Domini sicut fur in nocte: ita veniet. Ideo attendendum est, quod sicut dies Iudicij dicitur dies Domini, quia est dies Aduentus eius ad iudicium vniuersale totius mundi, ita dies cuiuscumque dicitur dies Domini, quia ad vnumquemque in morte venire dicitur Christus remuneraturus, vel condemnaturus. Tum dies ergo Domini quoad vniuersale iudicium in igne reuelabitur, qui faciem eius iudicis præcedit, quo reprobi ad iudicium trahentur, & iusti, qui viui reperientur, purgabuntur. Sed & dies Domini, quo vnumquemque in sua morte iudicat, in igne reuelatur, qui purgat bonos, & impios condemnat. Sic ergo probatur Purgatorium post mortem*. Quo nihil aptius, & validius ad confirmandam sententiam de Purgatorio igne ante iudicium, & refutandum errorem negantium animas purgari ante illum diem, & exponendum, ac retorquendum in eos locum Pauli, afferri potest. Et apparet quanto iure à Bellarmino, à quo non nisi in-
Bellarm. uiti dissentimus, hac in parte recessimus. Confirmat huiusmodi ex-
Caleca. positionem Emmanuel Caleca lib.
Leo Allatius. 4. aduersus Græcos, & qui eum citat Leo Allatius de Purgatorio pag. 311. adductis Chrysostomo, Nazianzeno, Hieronymo, Augustino.

Superest vna quæstiuncula: vtrū animæ Purgatorij à Dœmonibus torqueantur? Ex reuelationibus videtur constare torqueri. Scholasticis tamen placet non torqueri in 4. dist. 20. art. 5. & D. Thomas ibid. sic sentit. Verum si non torquen- D.Thom
tur à Dæmonibus, sequitur ab Angelis torqueri, quod non decet Angelos. Mihi videtur eas non torqueri à dæmonibus, quia nullo modo sunt in potestate illorum, & sunt in gratia Dei, & Dæmonum victores extiterunt. Vtrum autem ab Angelis crucientur? Nego, ne faciam angelos tortores animarum iustarū. Et quamuis angeli in hoc mundo multos ex mandato Dei torserint, & occiderint, ij certè peccatores erant, & angeli non videbantur: at ibi angeli videntur, & animæ non sunt peccatrices. Igitur sentio animas ab angelis in Purgatorium deduci, easque per se in ignem intrare, & ibi tamquam in Carcere pati, donec earum tempus impleatur, nec alio opus est tortore. Angelos ad solatium relinquo, non ad torturam amandari volo. Si autem vnum ex his eligendum est, malo animas iustorum ab angelis, quàm à dæmonibus puniri.

CAPVT X.

De statu Animarum in Purgatorio.

LVtherus quandiu Purgatoriū concessit, periculosum, & miserum statum illum fecit. Vtrumque patet ex eo, quod aiebat animas purgantes esse in via ad merendum, & demerendum, atque adeò damnari. Imò & addebat omnino esse damnandas, quod horror eas continuus, & desperatio occupabat, quem

quem horrorem, & desperationem peccata esse dicebat, ac proinde affirmabat animas illas perpetuò peccare, quod sanè constat ex libro, quem scripsit de Purgatorio, & Echius refutauit.

Echius. Hic error Lutheri manifestè conuincitur, quia cum illæ animę sint extra viam, & in gratia Dei, nec possunt peccare, nec mereri: ille autem timor pęnarum quem fingit Lutherus est somnium: nec enim omnis timor est culpa, & ille timor non affert desperationem, quia non est gehennæ, sed si quis est, oritur ex pęna satisfactoria. Quanquam ille timor propriè non sit, quia animæ purgantes non timent pœnas, sed eas libenter suscipiunt pro debita satisfactione, & cum patientia offerunt Deo. Dolent quidem, sed non damnant, neque fugiunt supplicia.

Reiecta hæresi Lutheri cum Catholicis disputandum. Sunt enim qui existiment animas illas esse propriè in via, ac proinde mereri, quòd nihil, aiunt, ad meritum deest. Vtuntur autem ratione, exemplo, & authoritate. Ratione, quia ad meritum satis est actus liber, & gratia: illæ animæ sunt in gratia, & operantur liberè, ergo nihil ijs deest ad merendum. Confirmant, quia illæ animæ sunt in gratia, & operantur liberè, ergo nihil ijs deest ad merendum. Confirmant, quia illæ animæ satisfaciunt pro peccatis venialibus, & pro pœnis relictis ex peccatis mortalibus: ergo etiam merentur. Exemplo, quia Christus cum esset comprehensor, merebatur tamen vti viator. Ergo etiam illę animæ, quamuis sint extra viam instar cõprehendentium, nihilominus merebuntur, præsertim cum Deum nõ videant. Authoritate quia D.Tho. in 4. distin. 21. quæst. 1. ar. 3. affirmat post hanc vitam locum esse merito animarum. His accedunt nonnulli, qui sentiunt illas animas non esse certas de sua salute, sed eã ignorare, atque adeò miseras esse. Ita docet Michael Baius lib. 2. de meritis operum cap. 8. & videtur docere Dionysius Carthnsianus li. 4. de 4. Nouissimis, art. 47. & deducitur ex sententia Gersonis lectione 1. de vita spirituali, & Roffensis contra art. 32. Lutheri, qui admittunt veniale peccatũ ex natura sua mortem æternam mereri, nisi Deus sua misericordia illud remittat. Vnde sequitur animas illas Purgatorij cũ habeant peccata venialia nescire, an Deus velit illarum misereri. Et cõsequenter de sua salute certas esse non posse.

D.Thom (margin) — Baius — Cartus. — Gers. — Roffens.

Conclusio tamen sit. Animas Purgatorij certissimas esse de sua æterna salute, nec posse in eo statu mereri, aut demereri. Prima pars non tam facilis est probatu, ac videtur. Certè lectis auctoribus non inuenio rationem multum firmam, de qua non possit vtcumque ambigi. Ego interim sic suadeo. Primò quia cõstat illis animabus post mortem, in quo statu sint gratiæ, an peccati. Sed animæ purgatorij sciunt se esse in gratia. Ergo non possunt de sua salute dubitare. Maior sola dubia est. Minor autem ex ea dependet. Probo autem maiorem, quia illæ animæ quæ decedunt ex corpore statim subeunt particulare iudicium, & sententiam à iudice accipiunt, ergo sciunt in quo statu sint ex lata sententia. Vnde sequitur minor: animas Purgatorij nõ ignorare esse in statu gratiæ, cum videant se ad inferos non esse damnatas. Assumptũ autem ad probandam maiorem patet, quia est commune principium inter Catholicos singulas animas iudicari statim post mortem. Suadetur, secundo, quia animæ damnatæ eunt ad inferos, immaculatæ volant ad superos iuxta Decretum Eugenij toties citatum. Ergò anima

ma quæ videat se neutrò ire, uouit se esse in medio statu, ac proinde in Purgatorium mitti. Suadetur tertio quia status ille dubius in Purgatorio est impossibilis, quia non distingueretur ille status post mortem à statu huius vitæ, in quo nescit homo, an sit in gratia, & in illo dubio esset via post viam. Itaque decet, vt qui moritur transeat à statu viæ ad terminum, atque adeo sciat de statu suo, an sit salutis vel damnationis. Suadetur vltimò, quia illa anima corpore soluta perfectius intelligit, quam cũ est in corpore, & debitas sibi species à Deo accipit; quæ autem magis debita esse potest, quam ea per quam cognoscat in quo tandem statu sit constituta?

Secunda pars ita probatur. Status merendi, & demerendi finitur per mortem, ergo post eam non est locus merito. Antecedens præterquam quod est doctrina Patrum, & Theologorum communis, patet ex sacris litteris. Do aliquos locos. Primus est Ecclesiastici 9. *mortui nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem*. Vbi Hier. *mortui, inquit, nihil valent ad id addijcere, quod semel secum tulere de vita*. Secundus Ioannis 9. *Venit nox quando nemo potest operari*. Cuius sensus est, mors venit, post quã nemini licet mereri. Ac ita locum interpretantur teste Bell. Origenes Hom. 3. in Psal. 36. Chrysost. Euthymius, Theophylactus, Augustinus in hunc locum, & alij apud Maldonatũ Ioan. 9. quamuis hic aliter, & minus meo iudicio, rectè interpretetur. Vnde Gregorius lib. 4. Dial. c. 39. citatis pro eadem re alijs locis infert: *qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio præsentatur*. Tertius sit Pauli 2. ad Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout in corpore gessit, siue bonum, siue malum*. Qui locus August. authore intelligitur de operibus quæ fiunt in corpore dum viuimus, iuxta quæ iudicandi, & remunerandi sumus. Itaque rectè dixit Damascenus lib. 2. de Fide Orthodoxa c. 4. *Quod est angelis casus idem est hominibus mors*.

Hieron. — Bellarm. — Origenes Psal. 36. — Chrysost. — Theoph. — August. — Maldon. — Greg. — August. — Damasc.

Argumenta proposita ex hac doctrina soluuntur. Quod autem ait D. Thomas de merito accidentali, intelligẽdũ est de satisfactione, quæ fit in Purgatorio pro culpis venialibus, & pœnis residuis mortalium, quam ille satisfactionem meritum vocat accidentale, hoc est, improprium, & nihil continet contra nostram conclusionem. Sed tamen.

D. Tho.

Vnum est importunum argumentum sumptum ex oratione quadam Ecclesiæ, quæ recitatur post Euangelium in missis defunctorum, huiusmodi; *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu: Libera eas de ore Leonis, ne absorbeat eas tartarus, nec cadant in obscurum*. Quem locum non iuueni sufficienter explicatum ne apud Bellar. quidẽ. Quamuis enim lib. 2. de Purgatorio cap. 5. in 2. Responsione sufficienter videatur exponere, mihi non satisfacit, quia putat Ecclesiam in ea Oratione de pœnis Purgatorij loqui, quod certe non videtur stare cum sensu verborum: nam *pœnæ inferni, & lacus profundus, os Leonis, & tartarus* non quadrant in Purgatorium; sed inferos significant. Præterea non est credibile quod Ecclesia velit orare, vt omnium defunctorum fidelium animæ immunes sint à Purgatorio, cum magna fidelium pars venialibus pœnis post mortem sit obnoxia. Quarè dico hunc esse sensum, vt Ecclesia oret, ne quis fideliũ defunctorum cõdemnetur, prescindendo ibi à consideratione Purgatorij. Quod autem oret pro omnibus defunctis, quorum multi iam sunt extra illud periculum, quia nimirum multi ante multa secula

Bellarm.

obierunt, & sunt vel in cœlo, vel in inferno, rectè ad hoc respondet Bellar. Ecclesiam ita loqui quasi repręsentando diem mortis illorum: quando enim facit commemorationem de illis, ita se gerit quasi tunc mortui fuerint, vti cum in festo Aduentus & Natalis Domini ita procedit, ac si præsentem habeat illam temporis differentiam, in qua Messias, expectatur & nascitur, vti apparet in Antiphonis, quæ habent præfixum, O, & eo quod canit. *Rorate Cœli desuper*, Et versu. *Veni Domine noli tardare*, quæ significant desideriũ absentis & venturi Messiæ, qui tamen à mille sexcentis, & eo amplius annis iam venit. Sed quoniã sibi repręsentat illum diem præteritum quasi præsentem, ita de eo loquitur, ac si præsens esset. Sic etiã cum ecclesia de defunctis agit quãdo eos Deo commendat, & orat ne damnentur, proponit sibi illorum memoriam, in eo euentu in quo mortui sunt, & pro ijs quasi tum moriantur precatur. Qua ratione soluitur argumentum, & nihil inde contra nostram conclusionem deducitur.

Bellarm.

CAPVT XI.

An sit, & vbi sit locus Purgatorij?

Rectè aduertit Bellarm. lib. 2. cap. 6. nihil de hac quæstione ab Ecclesia esse definitum. In hac ergo Hæretici locum Purgatorij negant, & illud fabulam putant. Ita Caluinus lib. 2. Institutionum cap. 16. par. 1. Beza Com. in caput Act. 2. eiusque magister Bucerus in cap. 25. Matthæi. Catholici quidã nullum certum assignant locũ Purgatorio animarum, aiuntque animas ibi purgari vbi peccauerunt. Media sententia est, dari certum quemdam Purgatorij locum destinatum à Deo ad purgationem animarum, extra hunc tamen dari alios extraordinarios locos, in quibus certæ animæ Deo ita volente purgentur. Hoc vltimum de locis particularibus animas purgantibus constat ex varijs Historijs, quæ referuntur in vitis Sanctorũ, ac pręcipuè ex lib. Dial. 4. Gregorij Magni, & ex epistola Petri Damiani de miraculis sui temporis, & ex Laurentio Surio in Historia anno 1537. & ex Purgatorio Sancti Patritij.

Bellarm. Calu. Bucer. Beza. Greg. Petr. Dam. Surio

Porro qui locus iste ordinarius sit, & qualis, dubitant Authores, quibus videtur occasionem dedisse Augustinus, quem Bellarm. ait ambigere vtrum animæ in loco corporali claudi, & contineri possint. Pro qua sententia citat Augustinum lib. 12. de Genesi ad Litterã cap. 33. Itaque non defuerunt qui dicerent solam conscientiam accusantem & mordentem intra vnumquemque esse verum Purgatorium. In qua sententia fuit Philo lib. de Congressu, & Origenes, vti refert Hieronymus epistola ad Auitum.

Bellarm. August. Philo. Origen. Hieron.

Omnes hæ sententiæ refutandæ sunt. Et quidem Caluini, & sequacium opinio, quæ negat omnes locos Inferni, heresis est manifesta, quia negant descensum Christi ad Inferos, & Limbum Patrum, & gehennam, quam constat esse sub terra, vti egregie demonstrat Bellarm. lib. 4. de Christo c. 5. & Maldonatus in cap. 16. Lucæ in parabola de Lazaro & diuite. Quia tamen Infernus damnatorum nõ est locus Purgatorij animarum, sed damnationis, non omnino apparet errorem esse negare locum certum Purgatorium admissa Gehenna. Quod verò attinet ad locum Augustini, ille vbi citatur, id est lib. de Gen. ad lit. 12. c. 33. non agit propriè de Purgatorio, sed de locis Inferorum. Nec ibi dubitat, quod insinuat Bellarminus, an sint, & possint esse animæ in locis

Caluin. Bellarm. Maldon. August. Bellar.

cis

cis corporalibus, sed quærit rationem, & modum quo ibi sunt, & omnino sensit animas ibi esse, vti patet ex Epistola ad Euodium, & ex lib. 2. retract. cap. 24. vbi apertè dicit esse locos Inferorum, & animas ibi esse. Et idem tradit lib. de baptismo paruulorum cap. 28. & cum eo Author Hypognosticon lib. 5. Nec vero in lib. 12. de Gen. ad Litteram cap. 33. contrarium sensit, aut de eo dubitat, nec se retractauit lib. 2. retract. cap. 24. in quo fallitur Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 6. quia in eo loco solum ait se ita de his locis Inferni esse locutũ in eo loco Genesis, quasi dubitaret de ijs, cum tamen minimè dubitandum esset; quod non est retractare dicta, sed exponere. Audiamus Augustinum in lib. 2. de retract. cap. 24. *De inferis*, inquit, *magis mihi videor debuisse dicere, quod sub terris sint, quam rationem reddere cur sub terris esse credantur, siue dicantur, quasi non ita sit*. Vnde apparet Augustinum de eo non dubitasse, quandoquidem non se corrigit, sed modum loquendi, dubitantis instar, emendat. Iam verò sententia Philonis, & Origenis quod Purgatorium sit conscientia vniuscuiusque, facilè refutatur: quia hoc modo Purgatorium erit in hac vita, vbi nos conscientia mordet, & cruciat. Præterea ista conscientia nihil habet commune cum igni, neque cum alijs pœnis Purgatorij, atque adeo corruit opinatio, cum præsertim etiam de peccatis mortalibus mordeat nos conscientia, quæ tamen peccata mortalia ad Purgatorium nullo modo pertinent.

August.

Bellarm.

August.

In communi sensu Purgatorium subtus terram collocatur propè locum Inferorum: qui cuiusmodi sit inquirendum. Ac primum animaduerto apud Patres veteres me non inuenire perspicua testimonia de loco isto subterraneo Purgatorij. Itaque Bellarminus lib. 2. cap. 6. nullos pro hac re adducit, sed tantum ait hanc esse communem Scholasticorum, & Theologorum sententiam. Imo fatetur multos Patrum dicere locum Purgatorij esse in aere caliginoso, vbi Dæmones versantur. Hi sunt Gregorius Nissenus lib. de anima, & resurrectione, & Chrysostomus Homilia de præmijs beatorum, & Author imperfecti in Matth. Homil. 52. & Beda lib. 3. Histor. Angelorum cap. 19. vbi narrat Sanctum Fursium euntem ad Paradisum vidisse ignes supra aerem seruatos ad mundi conflagrationem, & animarum Purgatorium. Nec aliquid in contrariũ constat ex sacris Litteris. Nam duo loci quos affert Bellarminus cap. 6. non sunt manifesti. Horum 1. est Actorum 2. *Solutis doloribus Inferni*, vbi Petrus loquitur de Christo ad inferos descendente. Hunc autem locum Bellarm. lib. 2. cap. 2. ait intelligi de Purgatorio ab Augustino Epistola 99. quia affirmat aliquas animas ibi detentas ab ijs doloribus fuisset liberatas. Hic tamen textus variè exponitur à Patribus: multi illum intelligunt de doloribus, & tormentis inferorum, qui dicuntur à Christo soluti, quia ad Christum minimè peruenerunt, & à quibus inter mortuos liber fuit, ita interpretantur Augustinus, & Lyranus: sic enim Augustinus proxima Epistola: *Solutis*, inquit, *doloribus, vt non teneant, non quia tenuerunt*. Quo refutatur impudentia Caluini affirmantis Christum tormenta inferni passum esse. Alij Patres explicant de doloribus mortis, & sepulturæ, quos Christus soluit, quia nec mortuus est in inferno, nec corruptus in sepulchro, est expositio Chrysostomus, & Oecumenij. Aliorum sententia est, illos dolores fuisse carcerem Limbi, in quo erant Sancti PP. quorum vincula Christus

Bellarm.

Greg. N.

Chrysost.

Beda.

Bellarm.

August.

August.
Lyranus.

Caluinus

Chrysost.
Oecum.

ſoluit. Quæ interpretatio placet Auguſtino, & Lyræ. Quare non eſt conſtans, nec certa huius loci pro Purgatorio interpretatio. Nec eatam aſſeueranter tribui poteſt Auguſtino, vti tribuit Bellarminus, nam vt verum fatear, in ea Epiſtola nihil perſpicuè Auguſtinus dicit de Purgatorio, imo de ſolo Inferno loqui videtur. Secundus locus ille eſt Eccleſiæ in Oratione in Miſſis defunctorum poſt Euangelium poſita, in quo magnam vim facit Bellarminus, quia vti proximo cap. dictum eſt ea oratio de pœnis inferni non Purgatorij intelligenda; alios non affert Bellarminus, nec video quì afferri poſſint, nec de iſto loco ſubterraneo quidquam vel Florentinum, vel Tridentinum Concilium ſtatuit in Decretis de Purgatorio. Imo Florentinum ſeſs. vlt. ait: Limbum infantium ſine baptiſmo decedentium apud Inferos eſſe: hic enim definit, tam eos, qui moriuntur cum peccato mortali, quam eos qui cum ſolo originali decedunt mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendos. Quo videtur ſignificare in inferioribus terræ partibus non alia eſſe loca pœnarum niſi inferos damnatorum, vel ad pœnam ſenſus & damni deſtinatam mortuis in peccato mortali, vel ſolam pœnam damni aſſignatam infantibus mortuis cum ſolo peccato originali. Accedit quod Beda lib. 5. Hiſtor. cap. 13. affert viſionem, cui credit, factam cuidam animæ quæ poſt mortem vidit prata quædam amæna, & viridia floribus conſita, arboribus opaca, aquis irrigua, vbi animæ degebant non dum Paradiſo idoneæ, quæ quidem videbantur ſola triſtitia ex carentia beatitudinis cruciari. Cui ſimiles alias affert Dionyſius Carthuſianus Dialogo de Iudicio particulari art. 31. & Bloſius in Monili ſpirituali cap. 15. Et probabile exiſtimat Bellarminus cap. 7. hunc locum eſſe Purgatorium animarum aliàs mundarum, ſed non ex integro Purgatarum, ac pœnam ibi damni ſentire. Quod ſi verum eſt, multi ſunt Purgatorij loci extra terram, non vnus ille ſubtus terram, vti communiter creditur.

Bellarm. Concil. Florent. Beda. Carthuſ. Bloſ. Bellarm.

CAPVT XII.

Vbi tandem ſit Purgatorium, & vtrum ſit de fide Purgatorium eſſe?

COmmunis ſententia Theologorum ponit circa centrum terræ locum Purgatorij; Ita docet Diu. Thomas in 4. diſt. 21. q. 1. ar. 1. quæſtiuncula 2. & D. Bonauent. ibi artic. 2. q. 2. & alij cum Suario tom. 5. de Pænitentia diſp. 41. ſect. 1. & 2. & Bellarmino lib. 1. de Purgatorio cap. 6. Conſentiunt Scripturarij cum Maldonato in Lucam cap. 16. num. 21. & Abul. in Paradoxis. Vt autem conſtet vbi ſit iſte locus, ponunt 4. Sinus, ſeu Cauitates circa centrum terræ hoc ordine. Inferior ſinus propè terræ centrum continet locum inferorum, in quo damnati torquentur. Propè illum locant ſinum, qui ſit Purgatorij locus. Supra hunc conſtituunt tertium pro Limbo infantiũ in peccato originali mortuorum. Vltimum ſinum ponũt magis remotum ab inferis, nobiſque vicinum, quem dicunt fuiſſe ſinum Abrahami in quo animæ Sanctorum Patrum detinebantur. Et hic ordo placet omnibus Theologorum & ſcripturarijs communiter, vti apparet in Bellarmin. & Maldonat. citatis. De his cauitatibus, ſiue ſinubus egit accuratè præter alios Bartholomæus à S. Fauſto in ſuo Theſauro to. 1. lib. 5. de 4. animarum receptaculis.

D. Thom. Bonau. Suarez. Bellarm. Maldon. Abul. Bellarm. Maldon. Barthol. à S. Fauſto.

Ego de numero cauitatum ſiue ſinuum communi ſententiæ aſſentior.

Ve-

Verum de ordine discrepo; iudico enim Purgatorium non esse ponendum inferno vicinum, sed in tertio loco, vbi dicitur esse Limbus infantium, quem propè inferos collocandum prorsus existimo. Et ne sim singularis, nitor authoritate, & ratione. Authoritas est Concilij Florentini supra citati, quod ait, animas decedentium in peccato originali infantium in infernum descendere pœnis disparibus à damnatis adultis puniendas. Ex quo deducitur pueros huiusmodi deputari inter damnatos inferni, & tantum differre in genere pœnæ, quia damnati vltra pœnam damni etiam pœnam sensus patiuntur: at vero infantes seclusa pœna extrinsecus illata sensus, pœna damni puniuntur; quod videtur significare Concilium dum ponit locum inferni pro vtrisque damnatis, & tantum inter pœnas distinguit. Ratio qua ducor ea est, quia hi pueri sunt in peccato originali, filij iræ, & in odio Dei, & potestate diaboli constituti, ac proinde non solum priuati visione, sed etiam reprobati, & eiecti ad loca illa inferni tenebrosa, in quibus post diem iudicij per totam æternitatem erunt conclusi. Non enim sequor Catharini, & aliorum, qui pios se dici volunt, Theologorum sententiam, qui affirmant istos infantes post diem iudicij habitaturos esse hunc mundum, & beatitudinem naturalem habituros. Quæ opinio improbabilis est, nec meo iudicio conformis Catholicæ doctrinæ, nec longè abest à sententia Pelagij, qui dicebat istos pueros futuros in statu quodam beatitudinis naturalis, ac solum differre quod Pelagius negabat peccatum originale, isti autem misericordes Theologi fatentur peccatum originale, ac eo non obstante affirmant eos pueros fore beatos; in quo certè non loquuntur consequenter: quomodo enim erunt beati naturaliter qui natura sunt filij iræ, & naturam habent peccato infectam, & sunt in potestate diaboli? In qua certè dum sunt, fœlices nullo modo esse possunt. Sentio cum Patribus, & Bellarmino istos infantes numerandos esse inter damnatos, & propè inferos ponendos, vbi quamquam pœnam ignis non sentiant, tamen tristitiam, & mærorem ex carentia visionis Dei sentiunt, quam penam D. August. mitissimam vocat respectu eius quam alij damnati adulti patiuntur.

Concil. Florent. — Cathar. — Bellarm. — August.

Ex hac ratione apparet locum Purgatorij magis debere ab inferno distare, quia locus est animarum iustarum, & quæ sunt in gratia Dei & in potestate Angelorum, non vero in seruitute Dæmonum. Quare hanc sententiam secutus fui in tomo de Clauib.

Superest vna quæstio: vtrum animæ Purgatorij aliquando ante finitum tempus inde egrediantur, & appareant viuis? Hæretici negant, & obijciunt locum Dauidis: *Spiritus vadens, & non rediens*. Affirmandum tamen cum Augustino lib. de cura pro mortuis gerenda, eas animas de lege ordinaria non apparere, sed interdum Deo disponente apparuisse, quod omnes penè Historiæ Ecclesiasticę testantur, & apud Gregorium, & Bedam suppetunt exempla. Vnum est in sacra Scriptura quod negare Hæretici non possunt lib. 1. Regum, vbi narratur animam Samuelis Sauli apparuisse; & quamuis Hæretici inficientur fuisse veram animam, communis tamen Patrum, & Expositorum sententia est veram Samuelis animam extitisse. Satis sint Basilius Epist. ad Eustath. medio. Augustinus lib. de cura pro mortuis gerenda, & Hieronym. in cap. 7. Isaiæ. Locus Dauidis non cogit, intelligendus est enim de lege ordinaria, quæ non tollit casus extraordinarios. Vel intelligitur de re-

August. — Gregor. Beda. — Basilius. August. Hieron.

reditu ad proprium corpus per resurrectionem, qui non erit nisi in die iudicij.

Quod attinet ad secundam partẽ capitis: Hæretici negant Purgatorium ad fidei dogmata pertinere. Imprimis Petrus Martyr in Com. 1. Epistolæ ad Corinth. cap. 3. his rationibus, primo quia Purgatorium non reperitur in Scripturis. 2. quia Ecclesia Græca non recipit Purgatorium. 3. quia D. Dionysius lib. vlt. suæ Hierarchię dubitat, cur Antistes in Ecclesia orat pro defunctis. 4. quia Augustinus in Enchiridio, & alijs locis probabile tantum dicit Purgatorium esse de fide. Nostri tamen Authores acerrimè defendunt Purgatorium esse dogma fidei.

Peti. M.

Dionys.

August.

Prima conclusio sit. Iuuari animas post mortem suffragijs, & purgari à leuibus culpis, & pœnis, dogma fidei est. Patet ex adductis primis capitibus huius Controuersiæ, vbi ex Scriptura, & traditione, & Concilio, & communi Patrum doctrina probatum est; idque definit Concilium Florentinum sæpè in vlt. sess. & in Decreto Eugenij. Ita habet Tridentinum sess. 6. Canone 30. & sess. 22. cap. 2. & sess. 25. initio in Decreto de Purgatorio.

Concil. Florent.

Trident.

Secunda conclusio, dari vnum & certum, & communem locum Purgatorij post mortem, in quo animæ purgentur antequam Deum videant proximum fidei est, quia modus loquendi Ecclesiæ & Patrum hoc indicat, & vulgo sentiunt fideles omnes. Vnde Tridentinum in Decreto ait, *animas in Purgatorio detentas*, quod verbum significat esse aliquẽ certum ad illarum custodiam locum. Qui certè textus Tridentini vim habet ad persuadendum determinatũ esse Purgatorij locum. Vtrum tamen is in sinu terræ, vel alibi collocetur, hoc non exprimit Concilium, significat tamen fidelium consensus.

Idem.

Tertia Conclusio, de fide definitum est in Purgatorio esse aliquas pœnas in genere, non tamen est de fide quæ species & sortes pęnarum ibi sint. Hanc Conclusionem pono propter Concilium Florentinum, quod statim afferemus. Concilium quippe Tridentinum non facit mentionem harum pœnarum. Statuit quidem esse Purgatorium in quo animæ iuuentur suffragijs, & purgentur à culpis, & residuis pœnis, sed de tormentis, & igni nulla sit mentio. Igitur sess. 6. cap. 30. sic ait. *Si quis dixerit ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ ita deleri, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio antequam regni cælestis aditus patere possit, anathema sit*. Nihil hic de tormento, nec pœna sensus sess. 22. cap. 2. solum dicitur missam pro defunctis nondum ad plenum purgatis offerri. Similis est locus sess. 25. in Decreto vbi solum habetur animas in Purgatorio detentas iuuari suffragijs, & missa. Vnde apparet in toto Tridentino nihil de igni, alijsue pœnis definiri.

Concil. Trident.

Nihilominus Florentinum sess. vltima in editione Binij folio 505. sic habetur: *Medias animas (id est, quæ habent peccata venialia, & reatum temporalis pœnæ) esse in loco tormentorum: sed siue ignis sit, siue caligo ac turbo, seu quid aliud non contendimus*. Ita Græci. Latini ita proponebant. *Animæ in ignem abeũt Purgatorium*. Hi clarè ignem nominant. Iterum Græci folio 558. affirmant, se fateri animas illas purgari per orationes. In definitione Eugenij IV. folio 606. dicitur animas pœnis Purgatorij post mortem purgari, nulla tamen facta mentione ignis alteriusue certi tormenti. Ex quo apparet definitum esse dari pœnas in genere, non vero species pœnarum.

Concil. Florent.

Eug. IV.

Ar-

Argumenta Hæreticorum nihil valent. Patet ex Scriptura & Traditione Ecclesiæ, Concilijs, & doctrina Patrum esse post mortem Purgatorium. Patres autem falsò citantur, quia D. Dionysius cap.7. Hierarchiæ apertè docet suffragia. D. August. autem manifeste tradit doctrinam de Purgationi in genere, & quoad suffragia in Enchir. c.110. quæst.2. ad Dulcit. lib. 21. de ciuit. c.24. lib. de cura pro mortuis gerẽda c.1. & serm. 17. de verb. Apost. tanquam certam, & de fide, quamuis circa modum purgandi nihil ille definiat certo & constanter, nec enim oportebat cum nihil hactenus definitum esset. Vehementer tamen inclinat ad communem sententiam, quæ ponit in Purgatorio ignem, & tormenta, vti patet ex commentarijs in Psal.37. duobus manifestis locis; vnus est. *In hac vita purges me, & talem me reddas cui iam emendatorio igne opus non sit.* Secũdus: *dicitur saluus erit quasi per ignem, & quia dicitur, saluus erit, contemnitur ille ignis: ita plane quamuis salui per ignem, grauior tamen est ille ignis, quã quidquid potest homo pati in hac vita.* Ita corruunt argumenta hæreticorum præcipuè P.Martyris. Dionys. August. Pet.Mar.

Quia tamen ille argumentatur ex Ecclesia Græca, opus est ei accuratius respondere, quod fieri nequit nisi sequentem quæstionem excitemus, quæ ad doctrinam Orientalium magnopere conducet.

CAPVT XIII.

Quæ olim fuerit, quæ sit hodie de Purgatorio Græcorum sententia?

NOn sine magna iniuria Græcorum affirmauit Petrus Martyr hæreticus Ecclesiam Græcam negasse Purgatorium: & iniuriæ pœnas dedit prodita sua hac in re ignorantia: quæ illi cum alijs sui furfuris hominibus communis est: de quibus meritò queritur initio sui de Purgatorio libri Leo Allatius. Ferendi essent hi scioli, si tantùm dicerent Græcorum nonnullos in eo errore fuisse; sed quod dicunt, errasse Grçcos indefinitè, vix quidẽ, Ecclesiam vero errasse Græcam, ferri certè non potest. Cum ea Catholica, sit, & Catholicè senserit. Pet.Mar Allat.

Distinguamus igitur Ecclesiam à Personis, & inquiramus, qui, & quatenus Græci errauerint? Errasse aliquos omnino constat. Nam D. Thomas Opusculo 1. contra errores Græcorũ prope finem, & Opusculo 2. contra Græcos, & Armenos, & Saracenos, dum aduersus eos argumentatur, supponit in ijs errorem, quem impugnat: sed impugnando palam facit eum non esse communem: Sic enim ait cap. 9. Opusculi 2. *Nunc restat considerare de opinione quorundam.* Nec dubiũ est quin tempore Concilij Florentini de Purgatorio quidam male senserint, quos Latini Patres ad iustam mentem reducere studuerunt. Propter quos in definitione Eugenij ea fuit veritas manifestè proposita. Ac ni forent eius hæresis sectatores, non scriberet aduersus eos Gennadius Scholarius librum vnum qui est tertius de Purgatorio: nec inscriberet totũ opus, *Defensio quinque Capitum quæ in Florentina Synodo continentur*, nec vulgo diceretur. D.Thom Conc.Fl. Gennad.

Quin-

Quinque fuisse errores Græcorum, inter hos quippe numeratur hic: *non esse Purgatorium*: quē ijs attribuunt Iodocus Coccius, Guido & Guaguinus, & Thomas ab IESV Biatensis. Confirmat id Arcudius lib. de Purgatorio, contra Barlaam. Nec inficias sit Leo Allatius initio libri de Purgatorio, quanquam vindicē ibi agat, & Ecclesiæ & nationis: & distinguat inter Græcos, & nonnullos grę corum. Comperto errasse aliquos: quinam hi & quo tempore fuerint? inquiri oportet.

Arcud.

Allat.

Primum illud constat antiquam Ecclesiam Græcam docuisse orationes, oblationes, sacrificium missæ, vno verbo, suffragia, mortuis prodesse: ijsque animas Purgatorij iuuari, atque adeo & statum illum, & locum, & pœnas esse. Patet ex his quæ superius diximus: cum id ex Grę cis Patribus probauimus, & tradit Arcudius & Allatius. Deinde non fuisse illum errorem Grę corum communem, perspicuè apparet ex Concilio Lugdunensi secundo tempore Gregorij X. in quo est illa Cōfessio Imperatoris Michaelis Palęologi fatentis Purgatorium esse, eadem prorsus ratione, qua in definitione Eugenij IV. in Florentino Concilio traditur, vt vna & eadem videatur esse. Nec minus perspicuè patet ex Actis Concilij Florentini. Primum initio adhuc ante sessionis titulo, *Quæstio de igne Purgatorio*. Proponentibus Latinis doctrinam Romanę Ecclesia de medio animarum statu, de loco, de pænis, de igne Purgatorij, responderunt Gręci ore Ephesij. *Quæcunque dixistis & Sanctorum testimonia, quæ recitastis, Græcorum Ecclesia recipit & legit*. Rursum postea cum concurrissent, & quid vtrique sentirent, prodidissent, constitit eo tantùm differre, quod Latini verum ibi & temporarium ignem ponebant. At verò Græci omni alio pęnarum genere admisso solum ignem reijciebant: *Neque enim* inquit ibi textus *Græci fatentur actionem Ignis, vt Itali, sed operatur tantùm oratio, & precatio, & Elemosina*. Et rursum *Græci enim pænam, mærorem & locum pænæ assignant: sed per non per hoc ignem. Itali vero pænam purgationemque per ignem*. Pręterea sess. 25. iam sub finem Concilij, Episcopi Græci, nomine cęterorum ad Eugenium Papam pro vnione facienda missi: erant autem Rhutenus, Nicenus, Trapezuntius, & Mitylenensis) ita loquuntur. De Purgatorio determinatum sic est. *Sanctorum animas perfectam in Cælis adeptas esse coronam quatenus animæ sunt. Peccatorum vero animas perfectè luere pænas: medias autem esse in loco tormentorum, sed siue ignis sit, siue caligo, ac turbo, siue quid aliud non contendimus*. Quæ doctrina Grę corum cōmunis erat. Latinorum autem, quę solum addebat ignem Purgatoriū, in eodemmet loco post recipiunt aiunt. *Quod vero de igne Purgatorio dicitis hoc etiam suscipimus*. Ex his constat non esse errorem Grę corū. Immo, ne omnium quidem Schismaticorum erat: quod animaduertit Leo Allatius de Purgatorio prolato Gabriele Seuero Philadelphiēsi tractatu de Purgatorio aduersus Latinos: & Michaele Glyca epist. ad Nilum monachum, & Simeone Thessalonic. Dialogo aduersus Hęreses, & Georgio Coresio de Purgat. & imprimis Cabasila in exposit. Liturgię. Poterat autem adijcere Hieremiam Patriarcham in Censura Orientalis Ecclesiæ, & Pachomiū Hieromonachum, qui quamuis magna ex parte negent Purgatorium, agnoscunt tamen discrimina statuū & animarum, & admittunt suffragia & orationes pro medijs illis animabus. Itaque neque hi in eo sunt in errore versati. Paucorum igitur illa hęresis. Quorum Principes sunt Bar-

Conc. Lugd.

Conc. Fl.

Allat.

Glyc.

Coresius.

Pachom.

Hier. Pa.

Barlaam Arcud. Mic.Pel. Barlaamus Monachus, contra quem scripsit Arcudius, & Meletius Patriarcha,& Michael Peloponnesius. Numerat etiam Leo Marcũ Ephesium, de quo mihi liceat per doctissimum virum ambigere, malo eum ab hac nota liberare, quod videam Con. Fl. in Concilio Florentino, cum tam pertinaciter, & obstinatè Processionem à Filio Spiritus Sancti negasset, Purgatorium nec sustulisse, nec de eo cũ Latinis vsquam disceptasse: imò initio Concilij ante sessiones oblata quæstione de igne Purgatorio doctrinæ Romanæ Ecclesiæ acquieuisse. Sic enim ibi pag. 420. *Quæcumque* ait *de Purgatorio dixistis, & sanctorum testimonia quæ recitastis Græcorum Ecclesia recipit, & legit, parumque inter nos hac in re differt*. Neque eum legimus in eodem Concilio eidem doctrinæ aduersatum; quod si contra sentiret, vti erat argumentator acer & vehemens temperare sibi non posset, quominus se opponeret & dogma illud Purgatorij impugnaret. Quare liber ille, quem Hæretici quidam nostri temporis aiunt contra Purga- Mar.Ep. torium à Marco Ephesio scriptum, & Basileensi conuentui oblatum,cõmentum prorsus est, quemadmodũ Leo All. erudite ostendit Leo Allatius in suo Purgatorio pag. 239. quod ex eo insuper probatur,quod Marcus Ephe- Mar.Ep. sius nunquam illum Conuentum legitimum post inchoatum ab Euge- Eug: IV. nio IV. Ferrariæ Concilium agnouit, vti nec alij qui ex Oriente venerant Græci, qui Florentinum dũtaxat Concilium venerati sunt, nec Mar.Ep. Marcus Ephesius eò potuit diuertere, durante Concilio Florentino, cũ Conc. Fl. ex actis illius constet semper in eo adfuisse, & dimisso Concilio, nec fuisse Basileensem conuentum, & ipsum Marcum rectà in Græciam redisse: quomodo ergo,aut quando potuit Basileam ire, & libellum illũ coràm offerre? Commentum illud illud est Heterodoxorum, & impostura.

Hinc duo illa, quæ inquisiuimus, patent. Qui errarent ex Græcis? id est paucos ex schismaticis; & quatenus errarint? idest paucissimos statum & locum Purgatorij negando, quosdam pænas extrinsecus illatas auferendo, & carcerem dumtaxat, horrorem,& tenebras asserendo. Vtrum ignem aliqui eorum admiserint, id quidem minus apparet, quemadmodum ex locis proximè Florẽtini Concilij adductis pa- Conc.Fl. tet, vbi legitur eos ignem nõ agnouisse, nec is in definitione Eugenij inuenitur; quod argumento est voluisse Pontificem Græcos ad ponendum in Purgatorio ignem obligare, quem non admitterent. Nihilominus Leo Allatius de Purgatorio Leo Al. monstrare pergit duo: alterum Catholicos Græcos verum in Purgatorio ignem posuisse: quod quidem certissimum est: nam plerique id Patres Græci tradiderunt, quos supra non vno in loco citauimus. Et quidem de igne Purgatorio vtraque nostra & Græca consensit Ecclesia. Alterum plures ex Schismaticis illud aliud purgantis ignis genus tormenti admisisse. Nominat autem Ioseph. Iosephum Philagrium tract. de con- Philag. trouers. inter Græcos & Latinos. Si- Sim. Thessal. meonem Thessalonicensem, Gabrie- Coresf. lem Philadelphiensem, Georgium Greg. Coresium, Gregorium Hieromona- Hiero. chium, qui ignis nõ meminit. Concedunt hi eodem igni infernali, nec enim alium admittunt extra inferos, nonnullas animas medias, idest culpis venialibus dumtaxat obnoxias purgari, & purgatas ex inferis exire. Itaque locum Purgatorij, & ignem in eo excoquentem negant, quod gehennalem dumtaxat agnoscunt, concedunt vero rem Purgatorij intra infernum, dum aiunt eo purgari animas illas solis venialibus inquinatas, vti animaduertit Leo;

hac eos ratione compellens ad ponendum Purgatorium ignem extra inferos, cum illum temporariũ apud inferos ponant. Errant quidem hi, & Origenem sapiunt, cum dicant è Gehenna nonnullos exire, & aliquã in Inferno esse Redemptionem: non errant tamen dum dicunt esse quendam ignem non æternum, sed temporarium, quo animæ leuiter sordidatæ depurgentur. Error igitur circa locum, non circa ignem versatur. Dixi, excepto Simeone Thessalonicensi, quia is nullam in suo testimonio ignis mentionem facit.

Constant hæc. Non ideo tamen falluntur, qui affirmant Græcos Schismaticos ignem excludere, quod hi pauci eum admittant, nam maior eorum pars excludit, & hi qui admittunt, omnino locum Purgatorij negant, & ignem alienum maiori errore inducunt. Adeo qui extra Romanam Ecclesiam est, tam deuiat à veritate, vt cum in eam incurrat, minimè sincere teneat, & in apprehendenda erret, quòd ab ostio aberrauerit.

APPENDIX.

Singularis Thomæ Angli de Purgatorio sententia examinatur.

Th. Ang. EXijt nuper libellus quidam in lucem authore Thoma Anglo Londini cusus, de medio statu animarum, nouæ & insolentis, cuiusiusmodi Authoris esse solet, doctrinæ, de qua ego iam tum cum eo Londini expostulaui. Hanc quod perniciosa est oportet examinare. Proponam illam fideliter, & perspicuè, vt ab omnibus intelligatur, ac de lectoribus benemenebor, quod ijs exponam, quæ nonnisi difficulter legendo propter styli huiusce hominis duritiem, insolentiamque perciperent.

Primum docet: quasdam ex animabus morientium cum solis peccatis venialibus decedere: quæ ille admittit à mortalibus distingui. Hactenus rectè: addit vlterius eo venialia distingui à mortalibus; quod affectus mortalium sit consensus & affectus absolutus, at vero venialiũ sit conditionatus sine illo consensu, & affectu prauo absoluto, v.g. In homicida est effectus absolutus occidendi, isque peccatum est mortale: cessat hic, & manet adhuc in eo homine quidam remissus affectus conditionatus dicentis, *O si liceret? ego certè occiderem*: & hunc esse peccatũ veniale. Ait ergo animabus quæ è corpore excedunt, sine illo affectu absoluto mali, inesse interdum illum conditionatum, qui sit peccatum veniale, in eoque post mortem, dum ille medius status durat, perseuerare. Durare autem vsque ad diem iudicij. Quod est secundum authoris peccatum. Docet quippe Purgatorium illum tantum ignem esse, qui in die iudicij descendet, vt incendat mundum, & probet, & purget corpora, & spiritus resurgentiũ, qui ituri sunt in Cœlum, illo igne examinari, & probari. Addit vero nullum expertem fore illius ignis quãuis iustus sit vel Petrus & Paulus, quod omnes eo probandi, licet non omnes purgandi. Itaque neminem ante eum ignem liberari à peccatis venialibus, nec exire è loco Purgatorio.

Tertium tradit: Iustos qui sine vllo peccato & macula decedunt, videre quidem Deum post mortem, sed non ascendere in Cœlum ante diẽ iudicij, verum extra Cœlum in quibusdam receptaculis morari, & ibi frui diuina visione, interim dum fit non illa generalis Resurrectio mortuorum.

Quartum affirmat orandum esse pro iustis, & sanctis etiam Apostolis, & Martyribus: præterea suffragia viuorum admittit, sed negat quic-

quicquam prodesse animabus, quæ sunt in Purgatorio ante iudicij diē. Itaque nullam inde educi, nec liberari dum mundus durat: atque adeo vanam esse doctrinam communem de Indulgentijs, & suffragijs, & Iubilæis, quæ in Ecclesiæ Catholica eo animo fiunt, vt per ea purgentur, & iuuentur animæ, quæ in Purgatorio torquentur, quod nulli exitus detur ante diem mundi extremum.

Tandem concludit: Indulgentias & suffragia quatenus conceduntur à Pontificibus, & applicantur animabus ad remittendas eis pœnas Purgatorias, & aditum ad Cælum parandum esse pia quædam spectra, & imagines religionis ad excitandā Fidelium deuotionem, non ex solida doctrina profecta, sed ex historiolis compositis ad dulce illud pietatis lenocinium, & illecebras Religionis: ac ideo à Summis Pontificibus concedi, & permitti, ne populi turbentur, & à pijs illis exercitijs deterreantur.

Si autem quæras ex Thoma, an sint pœnarum genera in eo, quicunque demum sit, loco Purgatorij, & quid ibi faciant animæ? Respondet pœnas ibi nullas omnino esse, quæ sensus vocantur, & quæ extrinsecus inferantur. Pati animas tristitiam quandam ex illo affectu conditionato peccandi, & ex ea in mœrorem vehementem, & rabiem deuenire, ac inde cruciari: & affert rationem dignam tanto ingenio, quia mala purè pænalia & dumtaxat vindicatiua nullo pacto admitti debent. Quare omnes illi cruciatus, quod purè inquit pœnales sunt, prorsus exterminandi. Hæc est pura putaque Thomæ Angli doctrina fideliter expressa. De ea sic censeo.

Thomæ Angli.

Quot illius sunt capita, tot errores esse. Incipiamus à primo. Illa distinctio peccati venialis futilis & absurda, & erronea est. Futilis & absurda, quoniam ponit in hominibus iustis illos affectus conditionatus, quorum non recordantur, nec ijs in mentem venerunt: de me fateor, eos antequam Thomam Anglicum legerem nunquam mihi occurrisse: quomodo autem peccet, quis in eo de quo non cogitat? Deinde raro quisquam peccabit venialiter si eo tantum modo operetur. Nam qui de peccatis suis mortalibus contritus, siue attritus confitetur, ita certè illa detestatur, vt doleat commisisse, & proponat se minimè commissurum, quod non solet stare cum illa conditionata voluntate. Ecquis est enim qui dum vel conteritur, vel atteritur nolit omnino non peccare, & voluntatem non conetur cum Diuina Gratia à peccato prorsus auertere? Præterea multa sunt peccata venialia commissa per voluntatem absolutam, puta quando dicimus verba otiosa, mendacia officiosa, parua furamur, indignamur, minus deuotè, & attentè oramus, & similia: quæ voluntate absoluta volumus, non conditionata. Omitto peccata subreptionis, quæ venialia sunt, & non fiunt affectu conditionato. Vbi ergo relinquit ista venialia peccata, quæ omnes Doctores ponunt? & vbi inuenit illa, quæ nemo inuexit? Tandem illa distinctio non est bona, quia illæ voluntates conditionatæ possunt interdum esse peccata mortalia. Si quis enim cogitans de fornicatione, quam absolutè damnat, conditionatè de illa delectetur dicens *O si liceret*! & tunc sub hac conditione delectetur, consentiat, seque periculo pollutionis exponat, ille peccabit mortaliter; igitur non est bona illa regula ad distinguenda, & discernenda peccata venialia à mortalibus. Imo in ea error continetur. Aliunde igitur petenda est differentia, vnde eam petunt Theologi cum D. Thoma, & nos suo lo- D.Thom

eo dicemus, id est in Controuersia de peccato, & iustificatione à peccato.

Quod attinet ad secundum vbi negat vllum alium ignem esse Purgatorium, præter illum Iudicij extremi, & affirmat omnes Sanctos eo probatum iri, duo sunt pericula, & vnus error. Periculum est negare ignem Purgatorij cum in Latina Ecclesia receptum sit illum esse, eoque animas post mortem purgari. Periculum item est dicere illum ignem Iudicij esse omnium animarum purgatiuum; cum ille institutus sit ad comburendum mundum, & purificandum: non ad purgandas animas, quæ alio purgari debent: quod si quæ sunt animæ illo purgandæ, illæ tantum sunt, quæ illo die ex corporibus excedent, non omnes. In quo est error. Nam animæ Beatorum eo igni non purgabuntur, cum præsertim in Thomæ sententia corpora vstulari, & per ea probari, & purgari animæ debeant, quod est falsum, quia corpora non resurgent, nisi post illud incendium, quomodo ergo eo comburentur? nec beatorum corpora erunt vlli igni obnoxia, cum resurgant incorrupta. Itaque ea doctrina est absurda, & periculosa, & erronea. Iam verò negare ante illum diem vllam animam exire ex Purgatorio hæresis est, de qua inferius dicemus.

De tertio pronuntio. Illud hæresim continere: negare enim animas Beatorum esse in Cælo, ac in illud recipi post mortem iam purgatas, est contra Definitionem Concilij Florentini, & Eugenij IV. in quo sic habetur. *Illas etiam quæ post contractum peccatum, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in Cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum*, non igitur eæ manent extra Cælum in ijs, quæ fingit Thomas, receptaculis. Et Concilium visionem Dei illis attribuit, & Cælum locum assignauit. Concil. Florent.

Quartum plenum est erroribus. Errat sentiendo pro sanctis, & Apostolis, & Martyribus, atque adeo beatis orandum, cum hi iam sint extra viam, & omnino in statu beatitudinis, à quo non possunt excidere. Deinde quomodo orandum pro eis quos inuocamus, & quorum nos precibus commendamus? Videtur hic author tollere inuocationem, præsidia, opemque Sanctorum. Nam qui nostris orationibus indigent, qua nos poterunt ratione iuuare? Quamuis enim quidam dicant animas Purgatorij pro nostris orare dum purgantur, non admodum certum puto, propter authoritatem Sancti Thomæ id 22. q. 83. art. 11. ad 3. negantis, ac proinde in hac loquor argumentando sententia. Errat iterum enormiter iudicando nullam prorsus animam purgari, nec exire purgatam de illo in quo detinetur post mortem loco. Hoc enim est euertere Catholicam de Purgatorio doctrinam, quemadmodum apparet ex dictis tota proxima controuersia. Quid enim quæso est tollere Purgatorium, si hoc non est? Imo est illud tollere irridendo, & ludos eam veritatem facere, & Catholicam doctrinam contemnere, & contra totam Ecclesiam pugnare, & traditioni à temporibus Apostolorum receptissimæ contradicere. Certè Florentinum Concilium manifestè docuit, & decreuit. *Animas Pœnis Purgatorijs post mortem purgari, & vt à pœnis huiusmodi releuentur prodesse ijs Fidelium viuorum suffragia*. Neque locum reliquit confugiendi ad diem iudicij cum statim adijciat: *Purgatas in Cælum mox recipi*, idest suo quamque tempore ante extremum Iudicij diem. Nequit sanè Thomas ab hæresi excusari. D. Thom. Concil. Florent.

In quinto capite continuat eumdem

dem errorem, & negat apertè Indulgentias, & suffragia in eo sensu, quo ea probat, & exercet Ecclesia: & insuper infamat Pontifices Romanos imponendo ijs turpissimam calumniam, dum ait eos permittere, ac tolerare illas fictæ pietatis imagines, quod perinde est ac eos facere, aut stolidos, aut impostores; & fideles omnes superstitiosos, & Catholicam Ecclesiam cæcam, & delusam, quod vtitur illis suffragijs, & Indulgentijs quasi profint filijs suis, cum nihil prodesse possint. Certè non minus perniciosè Thomas hic, quam Lutherus errauit: hic enim dixit Ecclesiam falli, ac decipi indulgentiarum credulitate: ille vero dicit Ecclesiam fideles decipere illa specie pietatis obiecta, eosque in fraudem inducere. Quod quam sit alienum à matris erga suos filios officio, & amore, in confesso est. Fecit igitur Lutherus Ecclesiam ignorantem, Thomas mendacem, & deceptricem.

Denique in vltima parte varij item sunt errores. Labitur in eo, quod negat vllas ibi pœnas, quæ sensibiles vocentur esse; & turpius quam Græci errat: nam hi exceptis flammis alia genera pœnarum admittunt. At Thomas cum flammis omnia inficiatur, & vnam dumtaxat concedit mæstitiam cum peccato veniali coniunctam, & ex eo ortam, quæ rabies dicatur. Quæ certè pœna proprior est culpæ, quã pęnę: nec est castigatio iustorum, sed supplicium damnatorum, qui in desperationem, & rabiem aguntur. Indignus sanè est ille puniendi modus Animabus iustis, & Sanctis, quæ Deum diligunt super omnia, & illos cruciatus sponte subeunt, vt satisfaciant. Iam verò dicere illas pęnas esse purè vindicatiuas, nec est verum, nec ad illius sententiam consectaneum. Nam illæ pœnæ sunt satisfactoriæ, & emendatoriæ, & multum differant à pœnis damnatorum, quæ sunt omnino vindicatiuæ, & punitiuæ, sine vlla spe veniæ, & emendæ: cum per illas fiat satisfactio, & emendatio, & purgatio, & ex ijs beatitudo consequatur. Præterea suo Thomam argumento conuinco. Ille ignis nouissimus, quem fatetur Purgatorium, etiam in eius sententia est purè pœnalis, non est enim capax inducendi meriti, sed solum satisfactorius pro venialibus earum, quæ eo cruciabuntur animarum, cuiusmodi est, quem nos cum tota Ecclesia ponimus Purgatorius ante eum diem. Igitur si noster est pura in Thomæ sententia pœna, etiam ille quem admittit pura pœna erit: atque adeo vel debet vtrumque recipere, vel vtrumque excludere. Nam quod vnus sit breuior, alter longior, id ad tempus interest, non ad rationem pęnę, quæ eadem cum sit, semel admissa vna, debet alia etiam admitti. Illud ad calcem animaduerto, nihil esse in sententia Thomę tutum ab errore: nã in eo quod verè dicit obiter, & enormiter errat. Iustorum animas Deo frui ante diem iudicij, ac esse beatas eum videndo; verè dixit Thomas. At corrupit eam veritatem dicendo. Eas adhuc esse probandas, & purgandas in die iudicij illo igni nouissimo: quód certè sine errore dici nequit. Nam qui Deum videt, ac beatus est, non potest esse vllo modo inquinatus, *nihil enim*, inquit Ioannes *coinquinatum intrabit in eã*. Et *Beati*, inquit, Christus apud Matthæum *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Qui autem purgandus est, ille non est mundus, sed inquinatus. Ergo non potest Deum videre, nec esse Beatus. Atqui Thomas Anglus iudicat iustos ante illum diem esse Beatos, ac videre Deum, & vlterius affirmat eos esse purgandos; vnde sequitur esse inquinatos. Igitur sentit non opus esse, Thomas Anglus.

se, vt qui videt Deum ac beatus est, sit mundus,& non inquinatus.Quod contradicit Scripturæ. Quæ Apoc. 21.n.27. perspicuè dicit. *Non intrabit in eã aliquod coinquinatum.* Ex dictis patet Thomam Anglum in hoc libello sæpius à veritate & doctrina Fidei Catholicæ aberrasse: & malè eum locos Pauli, & Patrum quos citat intellexisse; quomodo autem ij intelligendi sint, docebunt eum Interpretes,& Commentatores Catholici. Nos eos superius memorauimus. Tres tamen afferre volumus, & doctos, & solidos. Iustinianum,Cornelium, ac Gulielmum Estium. Scio eum nolle hos sibi citari, & suo sensu omnia velle metiri, de quo mihi olim cum eo fuit Londini concertatio, sed demat de supercilio, & videat se non esse his quos nomino, vel ingenio, vel doctrina, vel iudicio, vel eruditione superiorem: & discat magnos viros non contemnere, sed vereri. De me nihil dico, tantum affirmo, vt in alijs cedam: studio & lectione Scripturarum, Concilium, & Patruum, & Theologorum, minimè ei esse cessurum: eo minor illo sum, & videri volo, quod puto me cum ijs, quos citare soleo, authoribus, & ille solet contemnere, non esse comparandum.

Thomas Anglus.

SCHO-

SCHOLA XVI. DE CONTINENTIA CLERICORVM.

CAPVT PRIMVM.

Quæ sit Continentia, seu Cælibatus Clericalis.

CONTINENTIA est abstinentia, siue temperantia à rebus venereis. Ea vel est virginalis, vel vidualis, vel coniugalis. Virginalis abstinet ab omni coitu, & effusione seminis voluntaria: quæ est perfectissima species castitatis. Nam vti eam definit Augustinus lib. de Sancta virginit. cap. 13. *Est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio*. Includit perpetuum seruandæ integritatis propositum. Hinc illa cum Angelis similitudo, qui natura cum sint spirituali, sunt incapaces corruptionis, cuius se virgines voluntate, & gratia expertes efficiunt. Tam est integra, & inuiolata, vt semel admissa corruptione amittatur, & semel amissa reparari non possit, iuxta Basil. lib. de vera virginit. Hieronym. Epistola 22. ad Eustach. de custodia virginit. S. Thom. 2.2. qu. 152. art. 3. ad 3. Amittitur autem per quamlibet voluntariam pollutionem, authore S. Thom. 2.2. q. 252. art. 1. ad 4. Caietan. ibidem artic. 6. Lessio lib. 4. cap. 2. dub. 6. num. 110. Layman. lib. 3. sect. 4. num. 8.

Castitas vidualis secunda est, propria illius status, qui post statum virginitatis celebratur à Patribus. Hinc liber Augustini de bono viduitatis, & Ambrosij de viduis. Harum castitas, licet post matrimoniũ initum, & amissam in eo citra culpam virginitatem: perpetua est vsque ad finem vitæ. Et constituit secundum statum continentiæ, qui commendatur, & laudatur à Paulo, vti proximè diximus, & in primitiua Ecclesia magni fieri solitus, & virginitati proximus habitus. Vnde in Actis Apostolorum, & in Epistolis Pauli magna ratio viduarum habetur. Atque adeo ex ijs Diaconissis, & cæteræ sacris addictæ fœminæ plerumque eligebantur. Quarum illæ, quæ verè viduæ erant, voto castitatis obstringebantur, ex quibus si qua votum violarat, luebat in Ecclesia pœnas. De quo Augustin. lib. de bono viduitatis cap. 9. vbi respicit locum Pauli eas damnantis, *quia primam fidem irritam fece-*

(Marginalia: August. — Basilius. — Hieron. — D.Thom — D.Thom — Caietan. — Lessio. — Layman. — August. — Ambros. — Actor. 7. — S. Paul. — August.)

fecerunt. Id est votum iuxta Chrysostomum, & Oecumenicũ, & alios. Chrysost.

Tertius gradus castitatis coniugalis, quæ etiam virtus est, & donum Dei, & à Paulo *sanctificatio, & sobrietas* dicitur 1. ad Timoth. 2. quam idcirco multi vouent, quamuis nec satis sit illud votum ad Religiosum statum propriè constituendum, quemadmodum dixit Diu. Thomas 2. 2. q. 186. art. 4. ad 3. & Gloss. in Clem. *Ex eo*, de sentent. excommunic. Eiusmodi sunt omnes ordines militares, exceptis Hierosolymitano, & Theutonico. Verum castitas huius status suam perfectionem iustam, & idoneam habet, quod sit vnius solum coniugis. Vnde D. Paulus ad Timoth. postulauit, vt Episcopus *vnius tantum vxoris vir esset*, adeo vt bigamus haberetur, qui viduam duceret, non quòd id non liceret, sed quod perfectior erat castitas vni tantum matrimonio cum fide tori addicta. De qua Augustinus lib. de bono coniugij cap. 18. & 19. & 24. & lib. 1. de nupt. & concup. cap. 10. Qua ratione matrimonium fidelium significat vnionem verbi cum natura humana: & Christi cum Ecclesia, & Sacramentum magnum à Paulo appellatur ad Ephes. 5. iuxta Ambros. lib. de Abraham cap. 7. & August. lib. 7. super Genes. ad litter. & docet D. Thom. in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. q. 2. ad 1. Agimus in hac controuersia de statu continentiæ, quæ includit abstinentiam ab omni peccato mortali venereo, à quo omnino sacri homines debent cauere, & abstinere, vt se puros conseruent à macula pollutionis voluntariæ, & lethalis. Imo debent à copula etiam licitè abstinere, qualis est matrimonij, quę etiam pugnat cum statu ordinis sacri, eo modo quo infra dicemus. Itaque homini sacro temperandum est ab omni concubitu, siue illicito, siue licito, atque adeo à matrimonio abhorrere, cuius statũ ordo sacer (loquor de latina ecclesia) excludit. Imo in ratione status magis videtur pugnare cum statu ordinis sacri status matrimonij cum copula licita, quam casualis quidam cum fęmina illicitus concubitus: nam hic per accidens est ad statum, & sequitur personam, & est peccatum hominis, non error status, quod peccatum per Pœnitentiam remittitur, per quam reditur ad statum cõtinentiæ. At vero status matrimonij, cum sit quiddã stabile, & perpetuum, pugnat directè, & propriè cum statu continentiæ: quæ debet esse cum animo perpetuo ab omni concubitu in perpetuum abstinendi.

[Margin: D.Thom; Glossa.; Timot.; August.; Ambros.; August.; D.Tho.]

CAPVT II.

De continentia Clericorum.

CVm Hæreticis primum, deinde cum nonnullis Catholicis intra Fidem disceptandum. Sponsam Christi Ecclesiam esse omnium vox est. Puram & Virginem Catholici volunt, vti decet eum, qui Matrem Virginem habuit. Negant Hæretici virginitatis hostes. Reprehendunt continentiam nostram: irrident votum, & legem castitatis Ecclesiasticæ. Connubia indicunt. Cælibatum damnant. Hunc Lutherus horruit, & Zonam in Catharina Bora cum voto Monialium soluit. Caluinus Virginitati crimen imputauit, quod nuptias legem fecit. Et castos transgressores dixit. Philippus Melancthon coniugium iure Diuino præcipi illo Genesis loco. *Crescite, & multiplicamini* affirmauit. Petro Martyri visa est continentia insolens monstrum. Magdeburgenses decem argumentis castitatem Clericalem impugnant.

[Margin: Lutherus; Caluinus; Melanct.; Pet.Mar. Magdeb.; Lutherus]

Argumenta præcipua sunt hæc. Primum est illud celebre Lutheri aientis, vtì naturale homini est,

ede-

edere, dormire, bibere, excreare, ac superfluos humores proijcere, ita coire cum fœminis, & genitale semen collectum expellere ad naturā hominis pertinere. Quæ certè ratio cum impudens est, tum absurda, & homine indigna. Licebit quippe homini, & fornicari interdum cum ancilla venire si vxor noluerit, & se voluntariè polluere, quod dixit Lutherus. Sardanapalus id certe non ausus esset dicere. Astutius arguit Caluinus ex loco Pauli 1. Timot. 4. vbi dicit notam esse hæreticorum *prohibere nuptias*, perinde ac Catholici suadentes continentiam, sint hæretici, quod nubere vetent. Ineptè tamen vtitur loco, nec enim qui castitatem, aut suadet, aut profitetur, damnat, vel prohibet nuptias: sed cum admittat nuptias, eligit melius. Alioqui Christus cum dixit esse quosdam, *qui se castrant propter Regnum Cælorum*, nuptias damnauit: & Paulus, qui virginitatem commendat, & vult vt omnes sint sicut ille, idest virgines, coniugatos damnat. Et qui virginem suam non dat nuptui, peccat, cum tamen dicat Paulus. *Melius facit*. Mens Pauli fuit notare illos, qui nuptias malas esse dicebant qualis fuit Tatianus, Marcion, & Manichæus.

Luc.

Caluinus Paul. Timoth.

Marcion. Manich.

Secundò arguit Caluinus, & sequaces ex loco eiusdem Apostoli 1. Timoth. 3. & Tit. 1. vbi ad ideam Episcopi, requirit vt sit, *vnius vxoris vir*, ergo requirit coniugatum, & præcipit etiam in Episcopo coniugium. Respondeo, male Paulum Caluinum interpretari. Paulus hic non aufert continentiam: imo tam eam vult, vt ex coniugatis Episcopum bigamum nolit, & ita Lutherus ipse melior hic interpres intellexit. Sin contra mentem Apostoli egerūt omnes illi Sāctissimi Episcopi Athanasij, Basilij, Nazianzeni, Chrysostomi, Cyrilli, Damasceni, Ambrosij, Cypriani, Augustini, Prosperi, Fulgentij, Gregorij, quos cælibes fuisset constat.

Calu. Timot. 3.

Calu.

Athanas. Basil. Chrys. Cyril. Damas. Amb. Cypr. Aug. Greg.

Tertio arguit ex loco ad Hebreos cap. 13. vbi: *ait Apostolus Honorabile esse inter omnes coniugium. Cur ergo inquit, non inter Sacerdotes?* Per peram colligit Caluinus. Verum est apud omnes honorabile coniugium esse: & illud nemo sanus, & Christianus vituperat, cum ex eo nascamur omnes. Non tamen inde sequitur, nos omnes coniugium amplexuros: aut Sacerdotes, qui non amplectuntur illud probro habere, & dehonestare; vti quos litteræ delectant, non idcirco arma ij detestantur.

Caluin.

Quartò argumētatur Melanchthon aiens Deum iussisse, *vt homines crescerent, & multiplicarentur*, contra quod est continere. Sed esto. Solùm pro tempore preceptum illud erat, si tamen erat præceptum, quod auibus & animantibus dictum fuit, certe necessaria tunc erat propagatio gētis humanę. Postea facta iam propagatione cessante causa cessauit mandatum. Sin minus Christus cum commendauit virginitatem, & Ioannem virginem elegit legem hanc transgressus est: & Baptista illā violauit. Quot præcepit Deus, & tūc, & postea populo suo, quæ hodie, nec seruantur, nec seruari possunt? Plena iam hominibus terra, de explendo cælo agendum est. Irridet hoc responsum Melanchthon. Irridet ergo Tertullianum lib. de monogam. Irridet Cyprianum lib. de habitu virginum. Irridet Hieronymum lib. 1. in Iouinian. Irridet Augustinum lib. de sancta virginitate cap. 5. qui sic respondent.

Melacth.

Melacth. Tertull. Cypr. Hieron. August.

Quinto vrget idem Melanchthon obiecto loco Pauli 1. Cor. 7. *Propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat*. Hic tamen locus permissionem, & consilium continet. Si quis enim vritur, præstat eum habere vxorem: vti & dixit fæminis,

Melacth. Cor. 7.

Melius est nubere, quam vri. Et si non se continet nubat. Si nupserit virgo non peccabit. Quod non tollit id quod est præstantius. *Meliùs est autem si sic permanserit*. Quo pacto exponunt Hieronym. Chrysostom. & communiter Patres, & Interpretes. Præterea Paulus loquebatur ad eos, qui ex Paganismo venerant ad Ecclesiam, quos docet non teneri vxores suas relinquere, sed posse illis vti, quæ est Tertulliani lib. de Monogam. & Hieronym. lib. 1. cont. Iouinian. expositio.

Hieron. Chrys.

Tertul. Hieron.

Argumentantur deinde afferendo varios Canones, qui Cælibatum, nec imperant Sacerdotibus, nec permittunt. Ita Melanchthon, & Magdeburgenses Centur. 9. cap. 10. colum. 54. Sunt autem Canones. Primus ille qui est sextus inter canones Apostolor. *Episcopus, aut Presbiter vxorem propriam nequaquam obtentu religionis abijciat*. Huic Canoni respondetur Apostolos iussisse ne Episcopi & Presbiteri, qui ab vxoribus abstinebant quoad thorum, earum curam abijcerent, id que prouidit etiam Concil. Toletan. 2. can. 8. quod argumentum est continentiæ. Hac de re Leo Papa IX. Can. *Omnino d. 31. Omnino confitemur non licere Episcopo, Presbitero, Diacono, Subdiacono propriam vxorem causa religionis abijcere à cura sua, scilicet, vt ei victum, & vestitum largiatur, non autem vt cum illa ex more carnale iaceat*. Quæ responsio erat Humberti Cardinalis Legati aduersus Nicetã dicentem licere Episcopo, & Presbytero vti carnaliter vxore. Attribuitur autem illius responsio Papæ cuius erat Legatus. Secundus ille qui in Gangrensi Concilio quartus est Can. *Quicunque discernit à Presbytero, qui vxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, Anathema sit*. Huius tamen Canonis is est sẽsus; vetare ne quis vituperet sacra eius Presbyteri, qui rectè ordinatus post coniugium, sacra ritè administrat, videtur enim qui eam administrationẽ vituperet de matrimonio malè sentire, & illã ordinationem hominis antea coniugati improbare, quæ apud Græcos licita erat. Hoc autem Concilium Gangr. nuptias defendere ex Canone 1. apparet: & in hoc ipso Canone 4. versione 3. id exprimitur *Tãquam occasione nuptiarum*, has tũ in Laicis tum in Clericis, qui post matrimonium ordinabantur contra Eustachiũ, siue Eutactum defendit Concilium. Tertius est Trullani Concilij, idest Quini sextæ Synodi Can. 13. quod damnat morem Romanæ Ecclesiæ iubentis Clericos in sacris abstinere ab vxoribus quas ante susceptos ordines duxerant, & *postulantis tempore ordinationis, vt profiteantur se à legitima vxoris consuetudine abstenturos*. Ait enim hoc in nuptiarum iniuriam cedere, & tandem concludit. *Si quis presbyter vel Diaconus suam vxorem priuato prætextu eiecerit, segregetur, & si perseueret deponatur*. Sed hic Canon tertius est Trullanæ Synodi, quæ dicitur quinisexta, estque reprobata à Sergio Papa tunc sedente, teste Beda lib. de sex ætatibus in Iustiniano II. eamque ob id Erraticam vocat, & Paulus Diaconus lib. 8. cap. 9. & latè ostendit Binius. Præterea hic Canon, & si permiserit vsum coniugij ante sacros Ordines contracti, nunquam permisit coniugium post ordines susceptos: imo & vsum primi coniugij omninò vetuit Episcopis, & inferioribus tãtum Clericis concessit, vt liquet ex Canon. 6. 12. & 48. Quartus adducitur mixtus ex varijs Canonibus Concilij Carthaginensis 2. siue 4. sub Siricio: in cuius Canone 11. 12. 14. Filij Episcoporum, vel Clericorum nominantur, & pro ijs leges feruntur. Supponitur ergo ijs licuisse liberis operam dare: apparet autem hoc ex Canone 14. Epis-

Melanct. Magdib.

Conc. Tolet. Leo Pap

Nicetam

Cangr. Concil.

Conc. Gangr.

Trull.

Serg. Pa. Iustin. II

Bin.

Concil. Carthag.

Episcopi, vel Clerici à sua potestate per emancipationem filios suos exire non sinant. Hoc omnino vxorium est. Similes sunt Canones in Concilio Hipponensi abbreuiati apud Binium tempore eiusdem Siricij. tom. 1. fol. 582. sunt autem Canones 13. 14. 15. Huic quarto facilis est responsio. Episcopos, & Presbiteros habuisse liberos ex matrimonio ante ordines susceptos, eosque post ordines, & educare, & instituere debuisse. Nihil autem ex his Canonibus deducitur vnde probent, vel Episcopos, vel Presbyteros, aut eos liberos post ordines suscepisse ex prioribus vxoribus, aut nouas vxores duxisse, quæ illis Filios procrearent.

Concil. Hippon.

Quinto Canone maximè premũt aduersarij, ille habetur in Carthaginensi V. Concilio, vbi sic legunt Nouatores ex Græca lectione. *Cum de quorundam Clericorum quamuis erga vxores proprias incontinentia referretur, placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos secundum proprios terminos etiam ab vxoribus continere*, vbi *proprij termini*, significant ordines vicium, quibus contingebat sacris operari, ita vt ijs dumtaxat noctibus abstinerent, quas dies operatorij sequerentur, & ita vertit, ac exposuit Synodus Quinisexta Can. 13. vbi sic: *scimus, sicut qui & Carthagine conuenerunt, vt Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri secundum proprios terminos à consortibus abstineant.* Et clarius infra. *Oportet eos, qui Diuino Altari assident in Sanctorum tractandorum tempore esse omnino continentes.* Vnde apparet alijs temporibus licuisse vxoribus vti.

Carth. V. Concil.

Synod. Quinis.

Hunc Canonem difficilem reddidit Erratica Quinisexta Synodus, vertens *proprios terminos*. Quod est Latinè, *secundum propria statuta*, vel *secundum priorum statuta* quibus constat vetari vsum vxorum post ordinum susceptionem: quod vero Græcè sit, *secundum proprios terminos*, nihil obstat. Primo, quia Canon Latinus est. Deinde quia illud vocabulum Græcum *orus* significat etiam definitiones, quæ præscribebant non vti vxoribus. Nec aliter intelligi Canon potest: cum æquè loquatur de Episcopis, & Presbyteris. Episcopis autem nunquam permissus fuit ne à Trullana quidē Synodo vsus vxorum: quomodo ergo permitteretur à Patribus Africanis; cum præsertim inter eos esset Augustinus acerrimus continentiæ Sacerdotalis vindex? Versionem nostram Latinam, & sensum istum castum, & purum seruant Latina exēplaria apud Binium 1. tom. fol. 760. & notat Bellarminus lib. 1. de Cler. cap. 21. Audiamus auctorē antiquũ, & forte coætaneum Augustini inter eius opera lib. de Quæst. vet. & noui Testam. quæst. 127. & huic textui respondeat. *Sed forte dicatur. Si bonum est nubere, cur Sacerdotibus non licet vxores habere, idest, vt ordinatis iam non liceat conuenire. Quis nesciat vnumquodque suam legem habere.* Iubet lex, & statutũ priorum, vxores non habere, aut si habeant, cum ijs non conuenire.

Synod.

Græc.

August.

Binium Bellarm.

August.

Sextus Canon habetur d. 31. estque Stephani Papæ, sic *Aliter se*, inquit, *Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam eorum Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi matrimonio copulantur. Istius autem Ecclesiæ Occidentalium nullus Sacerdotum à subdiacono vsque ad Episcopum licentiam habet coniugium sortiendi*, quem Canonem affert Iuo Carnotens, in Panorm. lib. 3. cap. 84. Sed retorquetur Canon. Patet enim ex traditione apud Græcos, à principio Ecclesiæ Cœlibatum permissum non fuisse, nedum præceptum. Latinam vero Ecclesiam illum legem noua & propria introduxisse, vti suo loco dicemus.

Step. Pa.

Iuo Car.

Augſt. Septimus ex Auguſt. doctrina Canon, *Cum igitur* 35. *quæſt.* 1. qui *Eccleſia*, inquit, *poſt Apoſtolica inſtituta quædam conſilia perfectionis addidit, vt potè de continentia Clericorum.* Liquet conſilium hoc eſſe, atque adeò liberum Clericis ſacris. Quare qui legem, & præceptum facit, iniuſtè facit. Permittatur ergo Sacris hominibus, ijs qui volent, vxorum vſus. Reſpondetur ſermonē eſſe de Clericis in minoribus cōſtitutis, nō autem de alijs conſtitutis in ſacris: illis enim non eſt præceptum, his vero præceptum eſt, ſiue ex voto, ſiue ex precepto Eccleſiaſtico. Octauus ex Concilio Ancyrano profertur à Brentio in Prologom. contra Petrum à Soto impugnante virginitatis profeſſionem, ſic enim ait Can. 19. *Quotquot virginitatem pollicitam præuaricati ſunt profeſſione contempta, inter bigamos habeantur.* Ex quo deducit matrimonium poſt votum non eſſe peccatum: cum hi qui promiſſa virginitate illud ineunt, bigami habeantur, & bigamia non ſit peccatum. Quare licebit Clericis in Sacris vxores ducere. Reſpondetur: perperam arguere Brentium: nam Concilium ideo reijcit ad bigamos illos violatores voti, vt eos puniat, & inhabiles reddat ad Sacerdotia, reſque ſacras obeundas: quemadmodum multa Concilia preuaricatores voti, vel legis continentiæ ad Laicos redigebant. Preterea Canon loquitur de lapſu fortuito, qui accidit hominibus, qui profeſſi ſunt caſtitatem, & ex fragilitate peccant, non ijs, qui vxorem ducunt & mutant ſtatum.

Concil. Anc.

Soto

Brent.

Nonum argumentum ſumitur ex malis, quæ ex hac Clericorum continentia oriuntur; nam multi ex ijs libidinoſi ſunt, & cum vxoribus careant, alijs paſſim fœminis immiſcentur, & ſacrilegia committunt. Hinc ſpurij, hinc incerti liberi, hinc bona Eccleſiaſtica diſſipata, hinc ſacra polluta, & quæ illi magnopere exaggerant. Adijciunt momentum ex Epiſtola S. Vdalrici inſerta operi, quod inſcribitur Orthodoxologia Sanctorum Patrum, vbi ſic narrat. *B. Gregorius Magnus Papa aliquando ſuo quodam decreto vxores Sacerdotibus ademit. Deinde paulo poſt cum idem Gregorius iuſſiſſet ex piſcina ſua piſces aliquot capi, piſcatores pro piſcibus ſex millia capitum infantium ſuffocatorum repererunt, quam cædem infantium cum intelligeret S. Gregorius ex occultis fornicationibus, vel adulterijs Sacerdotum natam eſſe, continuo reuocauit decretum, & peccatum dignis pænitentiæ fructibus purgauit.* Imprimis epiſtola ſuppoſita eſt. Eſt enim ſcripta ad Nicolaum I. qui ante Vdalricum mortuus fuerat: vti patet ex Chronicis: & monſtrat Bellarm. de Clericis l. 1. cap. 22. Deinde vt conſtet ætas, ea epiſtola Vdalrici eſſe non poteſt; cum fabulā narret. Nam neque Gregorius illius decreti author fuit, cum eſſet antiquiſſima à tempore Apoſtolorum illa lex cōtinentiæ, præſertim in Eccleſia Latina, neque illud reſcidit, neque huiuſmodi res ab authoribus illius vita ſcribitur. Præterea illa ſex millia capitum, quomodo tam breui tempore potuerunt colligi, & proijci in piſcinam? Certè alio Herode opus fuit. Hæretici ad genium ſuum finxere hiſtoriam. Quod illi patrarent, ſi poſſent ad infamandam continentiam, id alijs affinxerunt. Sed non exiſtimo eos ſuos eſſe liberis capita preciſuros. An putant matres illud eſſe paſſuras? Quod ſi vera fuit hiſtoria, illi infantes mortui Clericorū non erant, ſed ex omnium domibus collecti. Vno verbo; nego hiſtoriam veram eſſe, quòd non erant tunc noſtri temporis Hæretici, homines, & ſalaces, & ſagaces, ad fornicandum proni, & ad audendum prompti. Iam hæc illis magna ex parte obiecerat Staphylus, qui negat hanc

Greg. Magn.

Nicol. I. Vdalr.

Bellarm.

Vdalr.

Staph.

hanc Epiſtolam inter opera Sancti
Vdalrici extare. Hæretici, vti trun-
cant ſcripturas, ita gloſſemata ad-
dunt, & libros fingunt, & quòd
Scripturas non poſſunt augere, fa-
bulas augent.

Quod attinet ad mala, quæ oriun-
tur ex continentiæ præceptis, ea sũt
priuata hominum vitia, non publi-
ca legum. Alioqui tollantur leges,
ne violentur. Suas, opinor, leges he-
retici habent, contra quas delin-
quunt multi, an idcirco eo ſunt ab-
rogandæ? Sed vereor ne admittant
nullas ſe leges pati, atque adeo ex-
leges eſſe. Quod ſi multi cadunt,
& tranſgrediuntur, plures ſunt, qui
ſtant, & cuſtodiunt. Rogandus eſt
Deus cuius donum eſt continentia,
vt eam nobis concedere dignetur.
Auguſtinum reſpiciant, qui cum
putaret ſine fœmina, dum erat Ma-
nichæus, non poſſe viuere, vbi Ca-
tholicus eſſe cœpit, Angelicam vitę
integritatem profeſſus eſt. Nec ca-
ſtitatem ſolitariam in Eccleſia, ſed
magna multitudine ex omni ordinũ
genere ſtipatam vidit, ſe ad imi-
tandos tot pueros, puellaſque ſan-
ctiſſimas cohortantem. Audiant
Auguſt. eum ſi imitari nolunt. Sic enim in
lib. 8. confeſs. cap. 11. *Aperiebatur
caſta dignitas continentiæ, ibi tot pue-
ri, & puellæ, ibi iuuentus multa, &
omnis ætas. Irridebat me irriſione ex-
hortatoria, quaſi diceret. Tu non po-
teris, quod iſti, & iſtæ? An vero iſti,
& iſtæ in ſemetipſis poſſunt? Ac non in
Domino Deo ſuo? Proijce te in eum.
Noli metuere, non ſe ſubtrahet, vt ca-
das. Proijce te ſecurus. Excipiet te, &
ſanabit te. Et erubeſcebam.* Erubeſcant
ergo Hæretici ſe non poſſe, quod
multi, ſed Deo authore, & adiuto-
re, poſſunt. Erubeſcant non poſſe
ſe, quod multi etiam Gentiles po-
tuerunt. Sed non poſſunt, quia
Catholici non ſunt. Fiant Catho-
lici, & poterunt. Hoc argumentum
eſt, extra Eccleſiam eſſe, quod con-
tinentiam Eccleſiaſticam non aſſe-
quuntur, nec probant. Caſti non
ſunt, quia ſuperbi. *Nemo*, inquit,
Auguſtinus in Pſalm. 137. *præſumat* Auguſt.
*viribus ſuis reddere, quod vouerit.
Qui te hortatur, vt voueas, ipſe ad-
iuuat, vt reddas*; & rurſum lib. 6.
confeſs. cap. 11. *Vtique Domine da-*
res continentiam, ſi gemitu interno Idem.
pulſarem aures tuas. Quod ſi alium
præter Auguſtinum audire malunt,
audiant Ambroſium lib. 3. de Vir- Ambroſ.
ginibus. *Scit creator omnium, affectus
eſſe varios ſingulorum, & ideo præ-
mijs virtutem prouocauit, non infir-
mitatem vinculis alligauit.* & lib. de
viduis. *Spadones, qui ſe caſtrauerunt
propter regnum cælorum: ſed hoc non
imperatur, ſed ab omnibus flagitatur.*
Audiant Chryſoſtomum ad illud E-
uangelij. *Non omnes capiunt ver-* Chryſoſt.
*bum hoc. His datum eſt, qui ſponte id
eligunt. Quod ideo dixit, vt oſten-
deret ſuperiore nobis auxilio opus eſſe,
quod quidem omnibus paratum eſt, ſi
volumus in hac lucta euadere ſuperio-
res* Sed hæretici non habent audien-
di aures: obdurauerunt ad has cæle-
ſtes voces. Sirenum ſuarum cantu
trahuntur, & in mare vitiorum de-
merguntur. Edunt, potant, ludunt,
indulgent ventri, & genio; quid mi-
rum ſi Veneri litent. Hæc eorum
numen eſt. Excuſant tamen ſalaci-
tatem exemplo Salomonis Deam
Sydoniorum Aſtarten colentis, &
hanc eſſe meliorem eius Sapientiæ
partem putant: Mancipare ſe fœ-
minis.

Decimò arguunt ab exemplo A-
poſtolorum, quos non ſolum vxo-
res habuiſſe, ſed etiam ſecum cir-
cumduxiſſe teſtatur Paulus 1. Cor. 9. 1. Cor 9
Numquid, ait, *non habemus poteſta-
tem ſororem mulierem circumducendi,
ſicut cæteri Apoſtoli, & fratres Domi-
ni, & Cephas?* Quæ enim *ſoror mu-
lier*, niſi vxor? quem locum forti-
ter obijcit Petrus Martyr in hoc ca- Petr. M
put. Deinde alius eſt ad Philip. vl. ex

quo

quo liquet, aiunt, Paulum coniugatum fuisse. nam illud. *Rogo, & te germane compar adiuua illas, &c.* Græcè est Zizigos, quod sonat *vxor*. Vnde potest verti *Germana coniux*. Hæc tamen testimonia rem non cōtinent. Non primum: quia Apostolus nomine sororis mulieris accepit non vxores, sed pias fœminas, quæ sequebantur Apostolos, tamquam discipulę, vt ministrarent eis exemplo illarum, quæ Christum olim in Euangelio secutæ, **Luc. 8.** *ministrabant ei de facultatibus suis*. Lucæ 8. **Chrysost. Theodor. Oecum. Theoph. Ambros. Haymo. Tertull.** & sic exponunt Chrysostom. Theodoretus, Oecumenicus, Theophylactus, Ambrosiaster, & Haymo in hunc locum Pauli. Et ante omnes Tertullian. lib. de Monogam, & **Hieron. August.** post eum Hieronymus lib. 1. in Iouinian. & Augustin. lib. de opere Monachor. cap. 4. & 5. Quam consuetudinem habuisse apud Hebręos fœminas religiosas erga magistros suos, docet Hieronym. commentar. **Matt. 27.** in caput 27. Matth. *Consuetudinis, inquit, Iudaicæ fuit, vt mulieres de substantia sua victum, atque vestitum præceptoribus ministrarent*. Imo id **Isaiæ 32.** Prophetatum ab Isaiæ cap. 32. nu. 9. illis verbis: mulieres opulentæ surgite, & audite vocem meam, filiæ confidentes, percipite auribus orationem meam affirmat, contra Marcionem, **Tertull.** Tertullianus. Itaque non vxores, sed discipulæ Apostolorum erant, vbi obseruandum est Hæreticos, & exemplum impudice, & sensum locorum impudenter corrupisse. Nam Simon Magus, Nicolaus, Marcion, Apelles, Montanus, Donatus, Arius, Elpidius meretriculas secum circumduxere: quod ijs **Hieron.** exprobat Hieronym. Epist. ad Ctesiphontem; qui hac ratione imitari Apostolos fingebant: sicuti & nostri Nouatores, quod de pijs fœminis dictum est à Paulo, ad vxorios vsus conuertunt. Egregijs illis Apostolis similes Euangelistæ. Vti illi viuebant, ita hi docebant. *Similes habent labra lactucas.*

Secundum testimonium tangit celebrem illam quæstionem. Vtrum Paulus, & cæteri Apostoli, excepto Petro cælibes, an coniugati fuerint? Et quidem locus hic Paulum indicare videtur vxorem duxisse. Ita Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. **Clemens Alexand.** quem sequuntur Eusebius lib. 3. Histor. cap. 32. & Nicephor. lib. 2. Histor. c. 44. **Eusebius Niceph.** Ex recentioribus idem affirmant eodem loco nixi Faber Stapulensis, & Erasmus, qui Zizygos vxorem vertunt. **Stapul. Erasmus** Arripuit hoc auidè Caluinus, & Petrus Martyr, & cæteri Nouatores. Sed hoc testimonium non vrget. Illud vrget, quod Ignatius Epistol. ad Philadelphienses **S. Ignat.** perspicuè dicit *Petrum, & Paulum* coniugatos fuisse. Imo & reliquos Apostolos. Quod sanè idoneum est, quod sit antiquissimi Patris, & Apostolorum Synchroni testimonium. Antequam rem definiamus. Illud constat; argumentum hæreticorum contra continentiam nihil valere. Dato enim omnes Apostolos fuisse ante Apostolatum coniugatos, non inde sequitur eos vxoribus vsos fuisse. Quod hæreticis erat probandum. Aliud quippè est vxorem habere, aliud rem veneream cum vxore exercere. Hoc autem non probant de Apostolis Hæretici incontinentes. Vnde Hiero- **Hieron.** nymus lib. 1. in Iouinian. docet Apostolos postquam secuti sunt Christum, officio coniugali renuntiasse. Idque colligitur ex verbis Petri. *Reliquimus omnia*, & ex ijs quæ addidit Christus. *Omnis qui reliquerit Patrem, aut matrem, aut vxorem*. Itaque nihil euincunt. Deinde, quod attinet Paulum: virgo, & cælebs fuisse videtur. Ac ita deducitur ex varijs Epistolarum locis: ac ex illo præcipuè 1. Corinth. 7. **1. Cor. 7.** *Volo vos omnes esse, sicut me ipsum*. Quem adducit D. Ambrosius lib. exhortat. **Ambros.**

ad Virgines, & omnes penè ad eum textum interpretes. Idem magnaui Tertullian. affirmat lib. de Monogam. cap. 8. & cap. item 3. & in vtroque libro ad *vxorem*. Et Epiphan. hæresi 58. & Hieronymus Epist. ad Eustoch. de custodia Virginit. q. 22. Hilar. in Psalm. 127. & Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenicus, & Theophylactus, & indicat Augustinus lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 4. quod latè probat Cardinal. Baron. tom. 1. Annal. sub anno 57. & Bellarm. lib. 1. de Cleric. cap. 20. & Vasquez dist. 249. cap. 8. & Henriquez lib. de ordin. Imo & Nicephor. lib. 2. histor. cap. 44. ait multos ex Græcis existimare Paulum, non habuisse vxorem.

Tertull. Epiph. Hieron. Hilarius. Chrysost. Theod. Oecum. Theoph. August. Baronius Bellarm. Vasquez. Henriq. Niceph.

De alijs Apostolis an coniugati fuerint, dissentiunt Patres. De Petro non loquor, quem constat socrum habuisse; atque adeo vxorem. Ignatius citatus, & Clemens, Euseb. & Nicephorus affirmant, omnes, nullo excepto, coniugio copulatos fuisse. Negant tamen Tertullianus lib. de Monogm. & Hieronym. lib. 1. in Iouinian. vti eum citat Bellarmin. & Baron. qui cum Spenceo, & Pamelio solum Petrum coniugatum fuisse contendunt. Bellarminus in hac controuersia ita se gerit, vt nihil definitum relinquat. Vasquez postquam dixit, non constare eos vxores habuisse, tantum tribuit authoritati Ignatij, vt iudicet omnes Apostolos coniugatos fuisse. Ego sic sentio. Paulum, & Ioannem virgines extitisse: cæteros non dubito, quin vxores habuerint: etsi de vtroque Iacobo minus certò affirmem: nam Maior Patrem habebat, & in eius potestate videbatur esse, atque adeo iuuenis cælebs: de Minore insignis sanctitas virginem fuisse persuadet. Quare hos etiam volo exceptos. Et quidem de Ioanne videtur id ab Ecclesia doceri in officio illius Anniuersario, estque communis Patrum sententia graui authore Maldonato in cap. 1. Ioann. vbi adducto Tertulliano, & Hieronymo. *Omnes*, id inquit, *authores tradunt*.

Tertull. Hieron. Bellarm. Baronius Spenceus Pamelius Vasquez. Maldon. Ioann. 1. Tertull. Hieron.

Superest tamen respondere testimonio Ignatij ad Philadelphieñs. Igitur cum Baronio, & Pamelio, Bellarm. & Vasquez aiunt in Vaticano Codice, & Oxomensi quodam per vetusto, & in alio Matthiæ Coruini Regis Pannoniæ, & in alijs vetustis nomen Pauli non haberi: atque adeo locum ab aliquo virginitatis hoste corruptum. Ita Paulus coniugio eximitur. Quod attinet ad Ioannem, quem non excepit Ignatius, respondendum, nec illum nominare: itaque Ignatium generaliter locutum, de maiore Apostolorũ parte intelligendum esse: idque satis videri ad illam generalem locutionem sustinendam: qua ratione vterque Iacobus maior, & minor etiam excipi possunt, ac debent.

CAPVT III.

Quænam & quanta sit obligatio continendi in Clericis Sacris initiatis?

De triplici statu quæstionis sermo est. Primo vtrum quis, & quomodo obligetur ad continentiam, qui ordinari velit? Secundo: An & quatenus coniugatus ordinatus post coniugium continentiam seruare debeat? Tertio: Possit ne aliquis post sacros ordines susceptos vxorem ducere?

Quoad primum. Error Græcorum fuit oportere Clericos ante susceptum ordinem inire matrimonium. Cuius author dicitur fuisse Nicolaus vnus è septem Diaconis Antiochenus. Sed eum Iouinianus inuexit teste Hieronymo contra Vigilantium. *Prole! nefas*, inquit, *Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui*

Hieron.

qui non ordinant Diaconos, nisi prius vxores duxerint, nulli cælibi credentes pudicitiam. Eundem sunt amplexi Patres Quinisextæ Synodi circa annum Domini 700. vt patet ex Can. 13. in quo damnant Canones Romanæ Ecclesiæ continentiam ab ordinandis exigentis, & statuũt vt Clerici ante Subdiaconatum vxores ducant. Eidem adhæsit Nicetas quidam Abbas, contra quem scripsit Humbertus Cardinalis, de quo Glossa cap. *Omnes* dist. 31. Hunc errorem esse apparet ex traditione Romanæ Ecclesiæ, & Patrum doctrina, quemadmodum inferius dicemus.

Synodus Quinisex.

Nicetas. Abbas. Humber. Cardin.

Quoad secundum: fuerunt, qui dubitarent, an liceret hominibus sacris initiatis, vti vxoribus ductis ante ordinationem? Sed omnino licitus fuit olim in Ecclesijs Orientis vsus ille vxorum, & Græcis hodie permittitur, & patet cap. *Cum olim* de Clericis coniugatis. Et Greg. Magnus lib. 1. Epist. 42. permittit Subdiaconis, vt liberè suis, quas ante ordinationem habebant, vtantur vxoribus, quamquam vetet eos ordinari deinceps, nisi voto continentiæ emisso. Ita Henriquez lib. 10. cap. 14. & Bellarm. de Cleric. lib. 1. cap. 18.

Greg. M.

Henriqu. Bellarm.

Circa tertium statum Iouinianus dum matrimonium virginitati antepOsuit, occasionem dedit errandi ijs, qui dixerunt licere Sacris ordinibus initiatis ducere vxores. Cuiusmodi, ait Bellarminus lib. 1. de Cleric. cap. 19. fuit Vvicleffus, qui primus docuit apertè licere post ordinationem vxorem ducere, quem secuti sunt Lutherus lib. de abrog. Missa, & Sectatores. Et quidem Lutheranos in eo errore esse constat. Verum primum eius authorem fuisse Vvicleffum, eo tantum sensu verum est, quod ille in Latina Ecclesia primus illum errorem docuit: nam inter Græcos multò fuit antiquior, vt apparet in Nestorianis, qui post susceptos ordines matrimonium contrahunt. Eius autem erroris haud dubiè Iouinianum authorem facit Henriquez lib. 10. de Sacrament. ordinis cap. 14. *Quem ducem*, inquit, *hæretici sequuntur*. Vt sciant à quibus id hauserint Nouatores. Itaque in neutra Ecclesia licitum fuit post sacros ordines matrimonium. Imò & insolens, & detestabile. Hac omnia certa, & recepta sunt, apud Catholicos Authores. Ad quæstiones veniamus.

Iouinian.

Bellarm. Vvicleff.

Lutherus

Henriqu.

SECTIO I.

PRimo statuendum. Lege continentiæ aliqua ordinatos in sacris, si comparentur cum Laicis, ratione ordinis sui teneri. Hoc quia ad vniuersos pertinet, tum Græcos, tum Latinos ante omnia præmittendum. Patet ratione ducta ex conditione status perfectissima tractandi, quæ non nisi hominibus electis committũtur: quibus aliquid singulare inesse debuit. Atque vti charactere impresso distinguuntur à cæteris, ita & professione externa debuerunt distingui. Suadetur deinde exemplo Sacerdotum legis veteris: qui vti constat ex lib. 7. Paral. cap. 24. & Luc. 1. & Exod. 19. tempore vicium suarum, idest quando ministrare sacra debebant, à tabernaculo, à domo, ab vxore abstinebãt. Quo exemplo continentiam sacerdotum in lege noua confirmant Siricius in Epist. ad Himerium, & Innocentius I. ad Victricium, & Beda in cap. 1. Lucæ. Imo duo illi Pontifices vtuntur illo testimonio Leuit. 11. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Audiamus, qui manifestiùs loquitur, Innocentium ad Victricium c. 9. *Præterea quod dignum, & pudicum, & honestum est tenere Ecclesia*

Exod. 19. Luc. 1.

Siricius in Himeriũ. Innoc. I. Beda.

Leuit. 11.

clesia omni modo debet, vt Sacerdotes, & Leuitæ cum vxoribus suis non coeant, quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim. Sancti estote quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester. Nam si priscis temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis suæ non discedebāt, sicut de Zacharia legimus, nec domū suam omnino tangebant, quibus vtique propter sobolis successionem vxorius vsus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præterquam ex semine Aaron ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis hi Sacerdotes, vel Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel Sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel à sacrificijs diuinis, vel à baptismatis officio vacent. Nam si B. Apostolus Paulus ad Corinthios scripsit dicens abstinete vos ad tempus, vt vacetis orationi, & hoc vtique laicis præcepit; multò magis Sacerdotes, quibus, & orandi, & sacrificandi iuge officium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere, &c. Et paulo post. *Sed fortè licere hoc credit, quia scriptum est vnius vxoris virum, non permanentem in concupiscentia generandi dixit, sed propter futuram continentiam. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait, vellem omnes esse sicut & ego. Quod apertius declarat, sic dicens: Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu.* Locum integrum adduxi, quod multis argumentis abundat ad continentiam de qua loquimur Clericorum astruendam. Multa enim præoccupauit Innocentius, quæ dicenda erant. Eandem vero Epistolæ partem misit idem Pontifex ad Exuperium Tolosanum Episcopum de continentię obligationibus quædam interrogantem: cui & sua, & Siricij antecessoris sui authoritate respondet. Summa est: Sacros homines castos deinceps fore oportere. Quare hæc pars Epistolæ Innocentij in Canonem transijt, qui habetur cap. *Tenere* dist. 31. Cui concinit illa ad Exuperium relata cap. *Eos* dist. 31. sententia. *Eos ad sacrificia fas sit admitti, qui vel cum vxore non exercent carnale officium.* Quę maiorem vim habet cap. *Proposuisti* dist. 31. sic enim ait. *Neque eos ad sacrificia fas sit admitti, qui exercent vel cum vxore carnale consortium.*

Sunt alij item veteris testamenti loci ad id probandum idonei. Exod. 18. præcipitur comesturis Agnum Paschalem, *vt renes suos accingant.* Quo significabatur authore Gregorio Homil. 22. super Euangelium, debere eos libidinem frenare, & continere. Exodi 19. Legem populo accepturo à Deo Moyses. *Estote*, inquit, *parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* Ex quo deducit Ambrosius lib. 4. de officijs cap. vltim. Clericis castimoniam esse seruandam Exod. 28. præcipit Deus, vt Aaron, & filij eius ingressum tabernaculum fœminalibus lineis à renibus vsque ad fæmina tegantur. Quo docerentur Clerici noui testamenti, aut esse virgines, aut ab vxoribus suis continere Beda interprete lib. 3. de tabernaculo cap. 9. 1. Reg. 21. Abimelech sacerdos noluit Panes Propositionis Dauidi, & socij edendos permittere, nisi explorata prius continentia. Vti Hieronymus in cap. 1. ad Titum obseruat, ac ex eo deducit multo maiori iure ab ijs, qui Panem Cælestem, idest Christi Corpus conficiunt, & sumunt, esse castitatem exigendam.

Exod. 18. Gregor. Exod. 19. Ambros. Exod. 28. Beda. 1. Reg. 1. Hieron. Titum.

Nec solis figuris, & exemplis huiusmodi Clericalis continentia suadetur. Sed perspicuis locis commendatur; quorum aliquos in Epistola Siricij, & Innocentij vidimus. Accedat ille 1. ad Titum. *Oportet Episcopum esse hospitalem, benignum,* Titum.

sobrium, iustum, sanctum, continentem. Hieron. *Continentem*, ait *Hieronymus ab vxoris amplexibus*. Et ille 1. Corinth. 7. in quo iubet Laicos abstinere vsu matrimonij ex consensu ad tempus ad vacandum Orationi. Vnde deducit Origenes Homil. 23. in Numer. & Epiphanius in Hæresi Catharorum, & Hieronymus lib. 1. in Iouinian. & in cap. 5. ad Titum Sacratis hominibus abstinendum esse ab omni concubitu cum quotidie Deo sacrificare debeant, & orationi insistere. Quo argumento vtitur grauis author Henriquez lib. 10. de ordine cap. 14. & lib. 12. de matrim. cap. 5. n. 9. & Bellar. lib. 1. cap. 19. de Clericis.

1. Cor. 7. Origenes Epiphan. Hieron. Henriqu. Bellarm.

SECTIO II.

A Testimonijs Sacræ Scripturæ ad Canones Pontificum veniamus. Initium esto à Canone Petri, quem ab eo se accepisse testatur Clemens Romanus Epist. illa ad Iacob. fratr. Dom. vbi sic. *Ad Dominica ministeria tales eligantur, qui ante ordinationem suam coniuges suas nouerint. Quod si post ordinationem ministro altaris contigerit proprium inuadere cubile vxoris sacrarij non intret limina, nec sacrificij portio fiat*. Insignes hac de re sunt Canones Siricij, & Innocentij I. dist. 31. quos proximè in eorum Epistolis adduximus. Et quidem tota illa distinctio 27. & 28. & 29. & 30. plena est Canonibus vetantibus Clericis in Sacris constitutis vsum coniugij. Ille illustris habetur, qui Callixti I. olim putabatur esse, ac eidem tribuunt Pighius, & Sotus, & Bellarminus, sed Callixti II. est vt apparet in Decreto nouo, & notat P. Vasquez disp. 248. cap. 1. n. 2. huius tenoris. *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus*. Licet enim non loquatur de coniugatis ante ordines susceptos, nec ijs expressè interdicat vsum coniugij, cum eorum non meminerit, tamen ex seueritate, qua vtitur deduci potest minimè eos concubitus in ijs Clericis esse passurum. Clarior est ille Canon Martini Papæ dist. 27. *Diaconus qui eligitur, si contestatus fuerit, pro accipiendo matrimonio, & dixerit non posse in castitate permanere hic non ordinetur. Quod si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimonium desiderauerit, alienus sit à ministerio, & vacat à Clero*. Vbi Gratianus. *Hac authoritate datur intelligi, quod illi qui & vxores habent, vel accipere volunt, nec Diaconi, nec Sacerdotes fieri possint, nisi continentiam profiteantur*. Similis huic est Gregorij Canon dist. 28. *Nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit*. Et adhibet rationem. *Quia nullus ad ministerium Altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata*. Canon. *Decernimus* eadem dist. horum confirmatio est. Ita in eo Innocentius II. *Decernimus vt ij qui in ordine Subdiaconatus, & supra vxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque Ecclesiastico beneficio careant*. In ratione pondus est. *Cum enim ipsi templum vasa Domini, & Sacrarium Spiritus Sancti debeant esse, & dici indignum est eos cubilibus, & immunditijs deseruire*.

Clem. R. Innoc. I. Pighius. Bellarm. Vasquez. Martini Papa. Gratian. Gregor. Inn. II.

Huc pertinet cap. *Maximianus* dist. 81. in quo is ab Innocentio laudatur, *quod non patitur Ecclesiam pollui ab indignis presbyteris, quos in presbyterio asserit filios procreasse*.

Maxim. Innoc.

Ille Canon memorabilis est dist. 81. qui incipit. *Ministri*, vbi sic Lucius Papa. *Ministri Altaris presbyteri, siue Diaconi ad Dominicalia eligantur officia, qui continentiam seruent. Si vero post ordinationem suam ministros contigerit propriæ vxoris inuade-*

Luc. Pap.

uadere cubile, Sacrarij non intrent limina: neque sacrificij portitores fiant, neque altare contingant, &c. Nonnulla huiusce generis reperiuntur, distin. 82. 83. 84. Sed illi duo sunt egregij Canones, vnus Leonis, aut Nicolai II. *Omnino* distin. 31. alter: *Presbyter quidam* dist. 32. nam in illo iubetur Sacro viro, *ne cum uxore carnaliter iaceat*. In hoc laudatur Diaconus, qui *presbyteram suam vt vxorem diligebat, & quasi hostem cauens ad se accedere non permittebat.* Nicol. II.

Simile habetur cap. *Tenere*. cap. *Eos* dist. 31. & cap. *Erubescant*, & cap. *Multorum*, & cap. *Eos*, & cap. *Omnium* dist. 32. vbi sic Leo. *Ne Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur, & qui habent sint sicut non habentes, & qui non habent permaneant singulares. Quod si in hos ordine, qui quartus est à capite dignum est custodiri, quanto magis in primo, vel in secundo tertioue seruandum est, ne aut Leuitico ministerio, aut presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate vxoria, nec dum frenasse detegitur*. Clarius adhuc Gregorius cap. sequenti eadem distinctione. *Multorum relatione comperimus hanc apud vos olim consuetudinem tenuisse, vt Subdiaconi, suis licitè miscerentur vxoribus, quod ne denuo quisquam præsumeret à seruo Dei Sedis nostræ, Diacono ex authoritate nostri decessoris est isto modo prohibitum, vt eodem tempore ij, qui iam vxoribus fuerant copulati vnum è duobus eligerent, idest, aut à suis vxoribus abstinerent, aut certè ministrare nulla ratione præsumerent*. Vrbani II. duo sunt expressi Can. d. 32. alter. *Eos de Subdiaconis*, alter erubescant de omnibus sacris hominibus. Quem idcirco produco. *Erubescant impij, & apertè intelligant iudicio Spiritus Sancti eos, qui in sacris ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt positi, nisi mulieres abiecerint, & castè vixerint excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate*. Hæc pro Canonibus sint satis. Leo Pap. Greg. P. Vrba II.

SECTIO III.

Citemus Concilia. Primum sit Elibertinum antiquissimum sub Marcello I. Canone 33. *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus positis in monasterio abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios. Quod quicumque fecerit ab honore Clericatus exterminetur*. Secundum sit Concilium Neo-Cæsariense. Cuius Canon I. sic. *Presbyter*, inquit, *si vxorem duxerit ab ordine deponatur*. Habetur dist. 28. & in Decreto Iuonis lib. 3. Concilium Carthaginense II. Can. 2. *Omnibus placet*, inquit, *vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant pudicitiæ custodes, etiam se ab vxoribus abstineant*, citatur distinct. 31. capit. 3. & distinct. 84. capit. 3. Concilium Toletanum I. sub Anastasio. *Placuit vt Diacones, si vel integri, vel casti sint, & continentis vitæ etiam si vxores habeant in ministerio constituantur: ita tamen vt si qui etiam ante interdictū, quod per priores ante nos Episcopos constitutum est incontinēter cum vxoribus vixerint presbyterij honore non cumulentur*. Vnde colligitur Diaconis fuisse interdictum vsum coniugij, & non nisi continentes in gradu retinendos. Concilium Carthaginense V. cap. 3. *Placuit Episcopos, Presbyteros, Diaconos, secundum priora statuta etiam ab vxoribus abstinere: quod nisi fecerint ab Ecclesiastico remoueantur officio*, & ibi reprobatur à Glossa lectio Græca *de terminis, & vicibus*: quas Balsamon inducit, sed haud fideliter: nam hoc ait Glossa *ab originalibus alienum est*. Adducitur dist. 32. cap. 13. Concil. Elibert. Concil. Neo-Cæsariense. Concil. Carthag. Concil. Tolet. I. Concil. Chartag. Balsam.

Concil. Chalced. Huc facit ille Canon 14. Concilij Chalcedonensis. *Quibusdam in Prouincijs concessum est Lectoribus, atque Psalmistis vxores ducere. Statuit sancta Synodus non licere cuiquam ex his accipere alterius vxorem*. Affertur dist. 32. cap. 15. Ex quo Canone apparet cæteris Gradibus non licuisse vxores ducere: quod Sacri erant.

Concil. Roman. Synodus Romana II. sub Syluestro I. tomo Concil. Can. 8. *Nullum*, inquit, *Subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus, ne aliquam præuaricationem sumpserit*. Illud præcipimus perinde videtur esse, ac *Permittimus*, ac ita Bellarminus intellexit l. 1. de Cler. c. 19. (Bellarm.)

Concil. Arelat. Concilium Arelatense II. sub Siricio Papa Can. 2. quod citatur dist. 28. cap. 6. *Assumi aliquem ad sacerdotium non posse in vinculo coniugij constitutum, nisi fuerit promissa conuersio*. Sed quoniam hic Canon, vt animaduertit Gratianus, de Sacerdote tantum loquitur. (Gratian.) Adiungamus, & tertium in quo sic. *Si quis Clericus à gradu Diaconatus in solatio suo mulierem præter auiam, matrem, sororem, filiam, vel conuersam secum vxorem habere præsumpserit à communione alienus habeatur*. Ecce vxorem conuersam dicit, quod viueret castè, & in eodem loco ponitur, quo auia, & mater, & reliquæ, & Diaconi adijciuntur Sacerdotibus, & vxorum vsus vtrisque interdicitur, quæ causa fuit cur Gratianus cap. 7. *Præterea placuit*, eadem distinct. ponit Canonem expressum ne ordinentur Diaconi, nisi promissa castitate, cum id non exprimat Concilium, vt obseruat Glossa ibi, sed Gratianus ita deduxit ex hoc Canone 2. Ex quo item Ioann. de Fano. Ita collegit. (Gratian. — Ioan. de Franc.) *Hæc est quinta pars distinctioni in quo probatur, quod nullus debet esse Sacerdos, siue Diaconus, siue Subdiaconus, nisi promissa castitate*. Cum tamen in tota hac parte distinctionis Subdiaconi nulla sit mentio. Nisi illo vocabulo Sacerdotij omnes Sacros ordines intellexerint.

Concilium Turonicum I. sub Simplicio Papa. Apertè definit abstinendum esse ab vxorum vsu Sacerdotibus, & Leuitis, ita Can. 1. & 2. Imò vtentes coniugia Sacris & celebrandis, & ministrandis arcet. Concilium item Turonicum II. cap. 20. Anno Domini 570. Idem vetuit Concilium Agathense cap. 9. sub Symmacho, ex instituto Siricij & Innocentij. (Concil. Turon. — Concil. Turon. — Concil. Agath.)

Concilij Aurelianensis III. ille est Canon 2. *Vt nullus Clericorum à Subdiacono, & supra si fortè iam habeat misceatur vxori*. Sub Vigilio Papa. (Concil. Aurel.)

Concilium Toletanum II. III. VIII. Omnibus item Subdiaconis vsum vxorum prohibet. (Concil. Toletan.)

In Concilio Matisconensi I. graue Decretum est. Ita conceptum cap. 11. *Episcopi Presbyteri, vel vniuersi honoratiores Clerici repudient Carnale consortium, ac permixtionis pristinæ contubernium permutent germanitatis affectu, & quisquis ille est diuino munere benedictione percepta vxori prius suæ frater illico efficiatur ex coniuge*. Concilium est priscum Anno 582. Pelagio I. Papa celebratum. (Concil. Mātisc.)

SECTIO IV.

SEd quoniam Hæretici, aiunt, Continentiam Clericorum in Germania, quam sordibus impudicitiæ contaminarunt, inauditam ante annum millesimũ fuisse, omissis nonnullis alijs aliarum nationum Germanica duo Concilia adducamus.

Primum Aquisgranense tempore Ludouici I. sub Stephano Papa V. Anno 816. vbi cap. 6. & 7. continentia indicitur Diaconis, & Subdiaconis. De his ita cap. 6. *Placuit Pa-*

Patribus, vt quia sacra contrectant casti, & continentes sint ab vxoribus, vt omni carnali immunditia liberi, iuxta quod illis Propheta dicente iubetur. Mundamini, qui fertis vasa Domini.

Concil. Vvarm. Secundum Vvormatiēse Hadriano P.II.& Ludouico II. Imperatore anno 868. Canone 9. *Placuit vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, subdiaconi abstineant se à coniugibus, & non generent filios.* In Concilio Moguntino sub Stephano Papa VI. & Arnulpho Rege 1. est hic Canon. Ordine 10. *Vt Clericis interdicatur mulieres in domo sua habere omnibus modis decernimus. Quamuis enim sacri Canones quasdam personas fœminarū simul cum Clericis in vna domo habere permittant &c. Idcirco constituit Sancta Synodus, vt nullus presbyter vllam feminam secum in domo permittat, quatenus occasio malæ suspicionis, vel facti iniqui penitus auferatur.* Hæc hereticos mendacij conuincunt. Aduersus Græcos

Concil. Mogun.

Synodus Trullana. Argumentum esto illud ipsum Trullanum, quod maximè Cominentiam laxauit Concilium: Nam hoc Can. 6. sic. *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est eorum, qui non ducta vxore in Clerum promouētur solos lectores, & cantores vxorem posse ducere, & nos hoc seruantes decernimus, vt deinceps nulli penitus Hypodiacono, Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem hoc fuerit ausus deponatur.* De Episcopo autem ita Can. 48. *Vxor eius, qui ad Episcopalem dignitatem promouetur communi viri sui consensu separata, postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus monasterium ingrediatur, procul ab Episcopi habitatione, & Episcopi prouidentia fruatur.* Misso Concilia recentia, & inter ea Tridentinum, nam de his nemo ambigit Catholicus, & nemo ijs Hęreticus, Schismaticus vel mouetur. Ire pergo ad Patres. Plurimos affert Bellarminus illo cap. 19 lib. 1. de Cler. ex Gręcis Origenem. hom. 28. in lib. num. Eusebium lib. 1. demonstr. Euang. 1.9. Epiphanium hæres. 55. & in fin. operis contra hęreses. Chrysostomum homil. 2. de patient. Iob. Gregorium Nyssenū l. de Virgin. c. vlt. Cyril. Catech. 12. Oecumen. in c. 3. 1. ad Timoth. ex Latinis Cyprianum, seu eius nomen proferentem authorem lib. de Singular. Cleric. Ambrosium lib. 1. de offic. cap. vltim. & lib. 82. ad Ecclesiam Vercelens. & in c. 1. Epist. ad Timoth. Hieronymū lib. aduers. Vigilant. circa init. & in fine Apolog. contra Iouin. Augustinum lib. de Adulter. coniug. cap. 20. Gregoriū Magnum præter Decreta, quę citarat lib. 6. cap. 1. in lib. Reg. Gregorium Turonensem lib. 4. hist. cap. 4. Anselmum epistola 8. Bedam lib. 3. de Tabernac. cap. 9. Aratorem in Acta Apostol. cap. 30. Græcis addit Arcudius lib. 6. de Matrim. cap. 33. Athanasium, & Basilium. Sed non perspicuè loquitur Basilius, Athanasius vero narrat historiam Leontij, quæ non omninò rem continet. Ac ideo eos vir doctissimus Bellarminus minimè fortasse citare voluit. Ex Latinis duos ego adiecero, D. Maximum, & Petrum Damianum. Maximus ergo in responso ad Thalasij quæstiones ait *Sacerdotibus Noui Testamenti interdictum fuisse vxores, & earum consuetudinem habere, quia eorum Sacerdotium est secundum ordinem Melchisedech, qui non legitur habuisse vxorem.* Petrus autem Damianus in Epist. ad Cunibertum Episcopum Taurinensem, vbi postquam ipsum reprehendit, quod contra Canonicam authoritatē sineret Sacerdotes vxoribus commisceri sic: *Nunc autem quia ex omni populo Christiano passim fit Sacerdotalis electio in promotione Clericorum nō discretio generis, sed prærogatiua duntaxat exquiritur Sanctitatis, cessant iura coniugij dum præcedens aboletur cen-*

Bellarm.

Origen. Euseb. Epiphan. Chrysost. Greg. Nyss. Cyrill. Hierosol. Occum. Cyprian. Ambros. Hieron. August. Greg. M. Gregor. Turon. Anselm. Arat. Athanas. Basil. Leont. Arcud. Bellarm. D. Max. Pet Dam.

censura mandati, sicut Apostolus in Epistola ad Hebræos ait: Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem.

Leo Ma. Claudat agmen Patrum Leo I. in Epistola ad Anastasium, & huic capiti coronidem imponat. Grauiter ille ac vti solet eleganter. *Omnium* inquit, *Sacerdotum tam excellens est electio vt hæc quæ in alijs membris Ecclesiæ vacant à culpis in illis tamen habeantur illicita. Cum enim extra Clericorum ordinem constitutis nuptiarum Societati, & procreationi filiorum sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, vt & qui habent sint tanquam non habentes, & qai non habent permaneant singulares, & innupti. Quod si quis in hoc ordine, qni quartus extat à capite dignum est custodiri quanto magis in primo, vel secundo tertio id seruandum est, nec aut Leuitico ministerio, aut Presbyterali honore, ac Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate vxoria nec dum frenasse detegitur.*

Atque hęc testimonia pro continentia Sacrorum hominnm confirmanda sint satis. Mirabitur fortasse Lector, cur non adduxerim aliquos Canones Conciliorum, qui solent ab authoribus nostris adduci: cuiusmodi sunt Canones Concilij Ancyranico, Niceni tertium, & alios Pontificum in Decretis contentos. Consulto id me sciet lector fecisse; causam ex sequenti capite cognoscet.

CAPVT IV.

Vtrum, & quatenus, & quando Græcis in sacris constitutis licuerit vsus vxorum.

FVerunt, qui negarent Græcis licitum fuisse vxorum vsum, & Nicol.I. ijs tanquam minus malum permissum nixi decreto Nicolai I. ad Consulta Bulgarorum cap. 7. & cap. finali, d. 28. vbi consultus à Bulgaris c.finali. num Presbyteri vxores habentes sustinendi essent, respondit, *Licet ipsi valde sint reprehensibiles vos tamen Deum conuenit imitari, qui solem suũ oriri facit super bonos, & malos.* Bulgari autem retinuerunt, & retinent morem Græcorum. Hoc fuit assertum Turriani de quo satis diximus Turian. tum lib. de Synodis, tum de Dogmat. Character. Verum cõstat licuisse Græcis hominibus in sacris constitutis vti suis vxoribus extra vices tamen, & temporibus vacuis à ministerio, cap. *aliter d. 31.* Stephani cap. *Cum olim.* Innocentij II. de Cler. coniug. c.I. Quęsitũ Clem.III. & Concil. Lateranense sub Innocentio III. Gloss. c. de libellis in d. 20. Conc. Lateran. & communis sentẽtia quã latè probant Azor. lib. 13. instit. cap. 12. q. 2. Azor. & Sanchez l. 3. d. 28. & Vasq. d. 247. cap. 6. Neque argumentum ex res- Sanch. Vasq. ponso Nicolai vrget, nam ille de Sacerdotibus Bulgaris consultus respondit, quibus cum essent ex Latina Ecclesia non licebat more Grecorum vti: quemadmodum respõdet Vasquez citatus. Qui hanc sententiam probat decreto Canonis Concilij Gangrensis V. & Trullani Canone 13. & rectè idem latè. ac cruditè ostendit P. Lauræa de Concil. Ganger. Lauræa Ordin. d. 9. a. 9.

Quatenus vero illi continentiam seruarent. Paucis dico. Primò abstinebant cõcubitu, diebus sacro ministerio dicatis, qui vices dicti quẽad-

Vasq. Azor. Henriq. admodum Sacerdotes legis veteris. Id constans est apud omnes. Vasqu. d.248. cap.1. & 2. & Sanch. d.28. & Azor l.13. cap. 12. & Henriq. lib.2 cap. 14. vbi sic: *Sacerdotibus Græcis nunc licet vti priori matrimonio, sed tempore quo monogamus ministrat Altari*, idque ex longo annorum vsu, & communi authorum consensu firmatur. De quo nemo est, qui dissentiat.

Humber. An verum sit, quod refert Humbertus legatus Leonis IX. in libro aduersus calumnias Michaelis Patriarchæ, & Leonis Acridani Episcopi: Bulgaris ante annos fermè sexcentos Grecorum morem fuisse, vt ordinandi prius interrogaremur, vtrum vxores haberent, an non? Quorum ij, qui non haberent cogerentur eas ducere ante quam ordines susciperent, vt non nisi coniugati essent? Fides sit penes authorē. Illud constat hodie apud Græcos id minimè fieri, sed illud solummodo, vt ijs qui in castitate viuere nequeant, vxores accipiendi potestas fiat; antequam ordinentur: quemadmodū narrat Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in Censura Orientalis Ecclesiæ. Quod longè diuersum est: nam aliud est cogi ad nuptias, aliud permittere nuptias. Illud affirmat Humbertus, hoc fatetur Hieremias. Hierem Patriar.

Ea item Græcorum consuetudo fuit Episcopos ex monachis eligere, qui iam continentiam professi erant, eamque hodie seruari. Obseruauit hoc Alberti Pigh. controu. 15. & tradit Arcudius d. 40. de Matrimon. & Vasq. d.248. cap.1. nu.6. qui ait ita se Romæ ab ipsis viris Græcis fide dignis accepisse. Et ego ipse hoc ipse quo scribo tempore ab Episcopo Sardicensi Ordinis, ac instituti mei hoc in Collegio de Propaganda Fide commorante, audiui. Qui vix alios, quam Monachos, ad Episcopatum à Græcis admitti mihi ex eo quęrenti confirmauit. Quæ certè magna laus Monachorum est, persuasum Græcis esse, qui Monachi sint apud eos certam, & inuiolatam castitatis professionem fore. Considerent hoc Latini, nec Monachos despiciant. Sed hi eo fortasse despiciunt, ne Græcis similes esse videantur, verum hac in re præstaret eos imitari. Pichius Arcud. Vasquez

SECTIO I.

VEnio ad aliam quæstionem, quæ difficilis est. Quando cæperit in Ecclesia Græca hic vsus. nempe vxorum in Clericis coniugatis ante ordines susceptos. Bellar. lib.1. de Cler. cap.19. ait à tempore Synodi Trullanæ, quæ dicitur Quinisexta cæpisse: auctum vero, & cōfirmatum Leone IX. Pontifice. P. Vasquez eiusdem videtur esse sententiæ d.248. cap.5. vbi ea duo, quę Bellarminus affirmat, de Synodo Trullana & Leone IX. adducit, sed eius tacito nomine. Quam tamen sententiam ex parte moderatur Vasquez, vti paulo infra obseruabo. Bellarm. Vasqu. Synod. Trull.

Mihi tamen compertum est multo antiquiorem fuisse apud Græcos istum vsum coniugij ante ordines contracti. Id vero accurate ostendo. Primo ex Canone 4. Concilij Gangrensis suppari Niceno. *Si quis discernit Presbyterum coniugatum tamquam occasione nuptiarum, quod offerre nō debeat, & ab eius oblatione ideo abstinet, Anathema sit*. Perspicuè dicit Presbyteros esse coniugatos: atque hoc nequit negari. At negeț quis sequi, eos vti coniugio. Id deducitur ex eo, quòd nonnulli eorū sacris abstinebant quasi impuris ob vsum vxorum, quod certè non facerent si ij à coniugio abstinerent. Quarè idcirco ratio auersandi eorū sacra illa erat, quod eos sciebant vti vxoribus, quod cū ijs liceret, vetat damnari eorum sacra Concilium. Concil. Ganger

Secun-

Synod. Trull. Secũdo ex ipſamet Synodo Trullana, quæ non auderet improbare morem Eccleſię Romanæ, in qua ſacri homines ab omni concubitu vxoris abſtinebant, niſi mos contrarius apud Græcos antiquus eſſet. Imo ſi ei adhibenda eſt fides: non cum vſum de nouo conceſſerunt; ſed *antiquum* aiunt, *Canonem ſequẽtes Apoſtolicæ diligentiæ, & conſtitutionis ſacrorum virorum legales nuptias &c.* & Gloſſa in cap. 13. *Quoniam d.* 31. citans hunc Canonem Glossa *Statuit*, inquit, *iuxta antiquum Canonem Apoſtolorum, vt vnuſquiſque Clericus ſuam poſſit habere vxorem.*

Stephan Papa. Tertio ex c. *Aliter 3 in diſt.* et quo ſic Stephanus Papa. *Aliter ſe orientalium traditio habet Eccleſiarum, aliter huius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ: Nam earum Sacerdotes Diaconi, atque Subdiaconi matrimonio copulantur.* Traditionem vocat: quo nomine, opinor, non vocaret, ſi à Synodo Trullana ille vſus incepiſſet, nec eum opponeret Traditioni Eccleſiæ Romanæ, niſi eſſet antiquiſſimus, & legitimus: non autem à Synodo Erratica, & notha, & damnata à Sergio Papa, inductus. Huc facit c. *Quæſitum* de Pœnit. & remiſſ. & c. Vt Clericorum mores. de vita & honeſt. Clericor. ex Concil. Concil. Lateran. Lateran. ſub Innocentio III. & c. *Cum olim. de Cler. coniug.* vbi dicitur *Nos attendentes, quod Orientalis Eccleſia votum continentiæ non admiſſit.* Hoc quomodo Innocentius diceret, ſi continentiæ votum ab initio vſque ad Synodum Quiniſextam hoc eſt annis fermè 700. reiectum non fuiſſet? Itaque videtur ex hoc modo loquendo deduci, apud Græcos ſemper ab initio Eccleſiæ morem hunc ſeruatum fuiſſe.

Ratio item pro hac conſuetudinis antiquitate manifeſta eſt. Tum quia Græci vtuntur matrimonio, quod putant eſſe remedium incontinentiæ, ac difficilem cælibatum exiſtimant, tum quia exprehendunt morem Latinæ Eccleſiæ; quod ſanè non auderent, ſi nouus ille ac recens mos ducendi vxores eſſet; tum quia negant Apoſtolos virgines, ac cælibes fuiſſe: tum demum quia ad coniugia ſua probanda vtuntur locis, & argumento ſcripturæ. Quemadmodum videre eſt in Arcudio l. 7. de Matrim. c. 34. Arcud.

Confirmant quoque Græci morem ſuum authoritate magni Concilij Niceni, cuius tempore iam ille inoleuerat: & ab eodem fuit Conſilio confirmatus. Concil. Nicen. Narrant Patres Concilij Niceni ſtudio continentiæ tuendæ ſtatuiſſe ferre legem, qua ſacri homines, qui tunc ſuis ante ordines ductis vxoribus vtebãtur, ijs deinceps abſtinerent. Interceſſiſſe autem decreto Paphuntium Sãctiſſimum, & magni in eo in Concilio nominis Epiſcopum, quòd doceret non expedire veterem morem aboleri, permittendamque eſſe Gręcis liberam vtendi vxoribus ſuis vacuis à miniſterio diebus facultatem; ſatiſque fore ſi qui Cælibes ordinarẽtur ij ducere poſt ordines vxores non poſſent. Ita refert Socrates I. lib. Eccleſiaſt. hiſt. c. 8. & Sozomen. 1. lib. cap. 23. & Gelaſ. Cyzicen. in Actis Conc. Nicen. cuius meminit Photius in Bibliotheca, & Matthæus Blaſtarius in Nomo canone. litt. T. Socrates Niceph. Gelaſ. Cyzicen. Blaſtar. Verum quidem eſt hiſtoriam Paphnutij haberi pro fabula à multis authoribus, in quibus ſunt ex Ieſuitis duo grauiſſimi Bellarminus lib. 1. de Cler. cap. 20. & Turrianus lib. de 6. 7. & 8. Synodo, quos ſequuntur Arcudius lib. 7. de Matrim. c p. 38. & Allier. Bellarm. Turrian. Arcud. Allier.

Multis hi, nec vulgaribus argumentis mendacij Socratem arguunt. Detrahunt ei fidẽ hæretici, qui eam fabulã ad labefactandam continentiã Latinam magna vi intrudunt. Hi autem quid non ad eam improbandam colligerent? Sed eam tamen

alij

alij non minores authores recipiũt. Medina Michael Medina lib. 1. de Contin. cap.19. & lib.4. Controuerſ.cap.vlt. & Clicthο. de Cælib. Sacerdot. c.7. Clictho. Syluest. Spenc. Lippon. Suid. & Spencæus lib.1. cap. 4. Lippon. tom.4. fin. de vit. & Suida. in Lex. 10. & *Paphnutius*, & Syluester in summ. v. Matrimonium 8. qu. 12. dicto 6. & duo insignes Iesuitæ; Henriquez lib. 10. de ordine, cap. Henriq. Vasq. 14. Vasquez dist.247.cap.4.qui eam certè asserit, & vindicat firmis, & & solidis rationibus, & Turrianum, & Bellarminum refutat: Cui addo momentum ex Couarr. qui ait vi- Couar disse se Codicem Niceni Concilij Græcum,& priscum, in quo hæc historia continebatur: sic habet Addit.2. p. de sponsal. §.3. num. 2. ad finem. Quare his assentior, & quia Cassiod. Cassiodorus tantus author eam admisit in sua Historia Tripartita: eandemque Alphonsus Pisanus suæ Alphon. Pisan. Con.Ni. Concilij Niceni editioni, vti probatam inseruit: & habetur lib. 3. ad fin. pag.343. apud Binium, & quod amplius est citatur c. Nicena 31. dist. narrat, eam Gelasius Cyzicenus. Eaque miratio mouet, quod affirmantibus magis credendum est, quam negantibus, nec enim solet inter homines cordatos fabula fingi,& narrari, nec recipi à doctis: cuiusmodi sunt, qui eam admittunt. Itaque affirmatio nititur veritate, negatio coniecturis: cum præsertim ea in historia nihil inueniatur absurdum. Quod optimè ostendit Vas- Vasq. quez citatus.

SECTIO II.

Maior quæstio est. An aliquando Ecclesia Latina eum morem Græcorum, vlla in prouincia seruarit? Nostri authores communiter negant. Exceptis Subdiaconis, quibus ait Gloss. in c. Quidam 27. dist. c. Lector 34. d. & d.& Gloss. in Vasquez. Diaconis, 77. dist. *Licuit à tempore Siricij vsque ad Gregorium, vti iam, contracto matrimonio*, & fatetur Vasquez, & est constans sententia. Ita sentit P. Laurea de Ord. d.9.a.9.§.3. Lauræa. De Diaconis, & Presbyteris quæritur. Et quidem Concilium Eli- Conc. Elibert. bertinum videtur id supponere Can. 33: *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, vel omnibus Clericis positis in monasterio abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios: quicunque verò fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* De quo Vasquez ait d. 248, cap. 2. Vasq. num.6. *Fateor talem legem de Continentia latam fuisse, vt aliquam interruptionem antiquæ legis Apostolorum præcessisse indicari videatur*, & prolato textu, inquit, *Cum* ait, *Conciliũ in totum, videtur denotare legem illam latam fuisse de seruanda continentia omni tempore, & non tantum tempore vicis ministerij, sicut tunc in Ecclesia Græca seruabatur.* Confirmatur textu c. *Præterea*.27. dist. qui sic *Præterea placuit, vt deinceps non ordinentur Diaconi, nisi qui prius conuersionis proposito professi fuerint castitatem.* Ergo ante profitebantur. Facit c. *Proximum Assumi*: ex Concilio Arelatensi: in quo vetatur Conc. Arel. ne quis ad Sacerdotium asumatur in coniugij vinculo constitutus, nisi promittat conuersionem, vbi Gratianus. *Videtur Diaconis permitti* Gratian. *coniugium cum ad Sacerdotium tantum coniugati prohibeantur assumi.* Tertius textus c. Quia, 28. distin. vbi Gregorius puniri iubet eam

qui viduam Diaconi relictam marito tradidit. De quo ita Gratianus in cap. *De Syracusana* eadem dist. Illud Gregorij duobus modis soluitur: *vel quia Ecclesia illa cui Diaconus ille ministrauerat nondum Continentiæ votum susceperat, in Diaconis, & reliquis ministris: vel quia ante Subdiaconus, memoratus Diaconus eā in vxorem duxerat.* Perspicuè dicit Ecclesiam illam, quæ Latina videtur fuisse, nondum legem illam continentiæ accepisse. Quartus c. *Tenere*. 31. dist. nam ex eo, authore Glossa, constat Rhotomagi in Normannia nonnullos presbyteros, & Leuitas, idest Diaconos, vxores, & earum vsum habuisse. Ac super eo, *An liceret*, consuluit Episcopus Victricius Innocentiū I. quid ocuit non licere, ex quo liquet vetitum antea non fuisse: sed permissum. Quintus Can. 3. & 14. Concilij Carthag. 5. relatus c. *Cum de quorundam*. 84. dist. verbis. *Cum de quorundam Clericorum quamuis erga vxores proprias incontinentia referretur, placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos secundum propria statuta etiam ab vxoribus continere.* Ex hoc Canone id saltem obstinetur: eos, cum ex coniugatis assumpti essent ab vxoribus non abstinuisse; quod quamquam illicitè facerent, toleratum tamen eatenus fuisse: ac omnino id ne serperet noua lege prohiberi opportuisse: quod de Græcis fatetur Laurea a. 9. §. 3. & de latinis item §. 4.

Gratian. Gloss. Conc. Carthag. Lauræa.

His textibus videtur significari illam consuetudinem continendi ab vxoribus, vt inquit Vasquez citatus, cum Ecclesiastica esset fuisse interruptam, vel vti ego existimo, non in omnibus Ecclesijs fuisse receptam, quod mirum non est, cum de iure Diuino non esset. Hoc tradit apertè Laurea ar. 9. §. 3. saltem de Græcis. Imo Michael Medina acerrimus Continentiæ Clericalis vindex lib. 2. de Contin. c. 16. Illum Canonem Apostolorum 5. alias 6. in quo dicitur: *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus vxorem suam non eijciat, religionis prætextu. Si autem eijciat segregetur, & si perseueret deponatur.* Intelligit, vt illa retentio vxorum ad vsum coniugij pertineat: qui tum illo tempore permittebatur, ac ex eo probat præceptum illud continentiæ circa vxores proprias non esse de iure Diuino, sed Ecclesiastico. Itaque hanc ego sententiam non iudico improbabilem. Eamque de omnibus ministris sacris, etiam Presbyteris sequitur tanquam veram, & maximè probabilem P. Lauræa d. 9. ar. 9. §. 4. & probat eruditè, vt solet, multis textibus Conciliorum, & iuris Canonici. De Episcopis nullatenus hoc affirmandum: his enim nunquam licuit in vlla Ecclesia vsus vxorum:

Vasquez. Medina. Lauræa.

CAPVT V.

Vtrum in Ecclesia Græca, vel Latina, permissum fuerit post susceptos sacros Ordinis Matrimonium?

QVi cum Medina, Clicthoueo Turriano, & multis Doctoribus Sorbonicis, quos infra memorabimus, sentiunt Matrimonium post susceptos Sacros Ordines iure Diuino esse prohibitum negare omnino tenentur. Alij quid opinentur videamus. Nemo quod sciam, est author qui affirmet, (vtcumque sit de Diaconis) vlli presbytero licitū aut concessum fuisse vxorem ducere siue in Ecclesia Occidentali, siue Orientali. Id omnes tum antiqui, tum nuperi Authores testantur. Ex quibus Vasq. d. 249. c. 2. *Negare certè non possumus à tempore Apostolorum vsque ad præsens, tàm à Græcis, quam à Latinis absque vlla intermissione id seruatum esse, vt nullus Sacerdos, aut Episcopus post Ordinem ad matrimo-*

Medina Vasq.

nium transire possit. idque in fine cap.2. dixerat. Layman.vero tract. 9. cap.11.lib.5. *Id semper in omnibus Catholicis Ecclesijs etiam Orientalibus obseruatum fuisse constat, vt nullo ex omnibus seculis desumpto exemplo hæretici nostri temporis ostendere possint Sacerdotem, idest Episcopum, vel Presbyterum cum approbatione Ecclesiæ Orientalis, aut Occidentalis vxorem duxisse.* Loquuntur autem de Sacerdotibus, & Episcopis, quasi Diaconis id fuerit, aut concessum, aut permissum, quemadmodũ expressit Layman: *Nam Diaconis*, inquit, *si in susceptione ordinis continentiam non promiserunt, quibusdam locis permissum fuisse vxores ducere colligi videtur ex Concilio Ancyrano cap.10.* (Layman. / Layman.)

Verum prima sententiæ authores de omnibus Sacris Ordinibus negant. Rem accuratè tractemus. Contra primos authores dicentes esse id prohibitum iure Diuino omnibus constitutis in sacris Matrimonium, sunt duo textus qui videntur conuincere.

Concil. Ancyr. Primus ille Concilij Ancyrani Can. Diaconi.28. dist. vbi sic: *Diaconi quicunque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerũt velle se coniugio copulari, quia sic manere non possunt si postmodum vxores duxerint in ministerio maneant, propterea quod his Episcopus licentiam dederit. Quicunque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem, & postea nuptijs obligati sunt à ministerio cessare debent.* Ex quo patet Patres huius Concilij permisisse in aliquo casu Diaconos post ordinationem matrimonia cõtrahere. Nemo autem vnquam dubitauit Diaconatum ordinem Sacrum esse. Et quamquã authoritatem huius Cõcilij infirmare conentur Medina, & Turrianus, eam contra illos tuetur Vasquez illo cap.2. Hic textus expressus videtur. (Medina. Turrian. Vasqu.)

Conc.Tr. Secundus est ille Concilij Triburiensis, quem citat Petrus Damiani in epist.ad Cunibertum Episcopum Taurinensem: in eis quippe dabatur facultas promotis ad sacros ordines ducendi postea vxores: quod Concilium licet hodiè non extet in Collectione Conciliorum citatur tamen à Damiano, & probatur à P.Vasquez d.247.c.2.nu.21. & d.249.nu.18.qui eum Canonem vendicat, eumque affert ad probãdum Matrimonia viris sacris post coniugium vetitũ non esse iure Diuino. Addo tertium textum validiorem ad hoc probandum. (P.Dam. / Vasquez.)

Tertius textus est, in Concilio Romano Canon.19.qui est eiusmodi. *Nemo presbyter à die oneris presbyterij sumat coniugium, & si è neglecto egerit, decem annis eum dicimus priuari honore.* Liquet ex eo id vetari presbyteris coniugium, quod est signum, antea esse permissum, si enim esset antea vetitum cur vetabatur de nouo. Sed in eo vis est, quod ait, *si è neglecto egerit*, idest si neglexerit præceptum, & vxorem duxerit, *priuatur honore decem*, vel alias *duodecim annis*, hoc enim monstrat coniugium tenere, ac permitti eum pœna illa temporali persoluta ad sacrum honorem, & ministerium redire. Quem locum miror, cum validissimus sit, minus pressisse Vasquez, quàm par erat ad suam sententiam de iure Ecclesiastico aduersus Medinam, & Turianum stabiliendam, cum meo iudicio sit Achilles. (Conc. Rom. / Vasq.)

De hac re ardua sanè, ac difficili authores varie sentiunt; quidam negant authoritatem Concilij Ancyrani, & illam Canonem proscribunt: quidam accipiunt, sed dubitant de sensu. Alij admittunt, de Diaconis, & subdiaconis, & ferunt. Mihi certum est, & Concilium, & Canonem esse legitimos, & ita putant Vasquez, & Laym.& tradit Allier l.5. de conf. ordinan. fol.207. Et (Con. An. / Vasq. Laym.)

quidem illi duo Vasquez, & Layman perspicuè dicunt cum Canonem de Diaconis intelligendum, & pro Græcis esse conditum. Præstat Vasquez. Vasquez virum doctissimum audire. Cuius locos adduco.

Primus est disput. 249. cap. 2. n. 9. vbi posita sua, & communi sententia: Non esse irritum iure Diuino matrimonium post ordines susceptos, producto textu Ancyrani Concilij: *Cum Patres, ait, in hoc Concilio permiserint in aliquo casu Diaconos, & Subdiaconos post ordinationem matrimonia contrahere, consequitur planè eos sensisse his sacris hominibus ipsa institutione Christi, & natura ordinationis interdictum non esse post ordinationem matrimonia contrahere: alioquin hi Patres turpiter lapsi essent.* Tam verum illud putat, vt vertat in argumentum sententiæ quam tuetur. Et ibid. num. 24. & 15. & 16. asserit hunc Canonem legitimum esse, & verè huiusmodi matrimonium Diaconis permisisse. Balsam. Addit num. 15. *Refert Balsamon, quod tempore Leonis Imperatoris consuetudine receptum erat, vt sacri viri intra biennium potestatem haberent coniugia ineundi, quam ipse Leo constitutione sua abrogauit.* Hoc de Ecclesia Græca. Apparet quid sentiat Vasquez Vasquez de illo Canone Ancyrano, quomodo eum de Diaconis, & Subdiaconis intelligat in Ecclesia Græca.

Idem. De Latina: sic idem Vasqu. disp. 248. cap. 2. §. *Atque*: *Si verum est, quod ait Petrus Damiani in Epistola ad Cunibertum, videlicet in Concilio Triburiensi concessum fuisse Sacris hominibus, vt post ordinationem etiam ad matrimonia transire possent, & lex huius Concilij Prouincialis in aliqua parte recepta fuit, sequitur in aliqua parte Ecclesiæ Latinæ præceptum de seruanda continentia interruptum fuisse in vsu coniugij contracti post ordinationem.* Istum autem Canonem Triburiensem Vasquez defendit d. 249. cap. 2. Vasquez.

Iterum idem author disp. 249. c. 7. n. 68. contra secundum argumentum Philippi sic. *Cum ostensum*, inquit, *fuerit neutrum, idest matrimonium ante, & post ordines contractum esse vetitum iure Diuino, sed tantum Ecclesiastico, mirum non est, si aliqua Concilia ob aliquas causas vtrumque concesserint.*

Vltimus locus huius Authoris sit eadem disp. 249. cap. 4. num. 27. *Et quidem quod attinet ad præceptum, certum esse debet ab initio Ecclesiæ id vetitum fuisse, & solum tempore Ancyrani Concilij in Ecclesia Græca hoc præceptum ex parte cessasse. In Latina vero tempore Triburiensis, si verum est id quod ex Petro Damiano allegauimus capite præcedente.*

Illud videtur mirabile, quod Hallier vir doctus, & grauis dicat, dubium esse, an ille Canon Ancyranus ad Presbyteros, & Episcopos etiam se extenderit: quod item visus est significare Arcudius idoneus certè author. Sic enim de matrimonio lib. 7. cap. 37. *Concilium*, inquit, *quandoquidem concessit illis vsum coniugij, sine vllo scrupulo permisit quoque vxorem ducere. Matrimonium enim quà matrimoniũ non aduersatur Sacramento Ordinis, nisi ratione exercitij. At nos concedimus permittere Ecclesiam Græcis post susceptos ordines vsum matrimonij, quid ergo mirum si Concilium, etiam matrimonium ipsum concesserit, cum istud non prohibeatur, nisi propter illud?* Nimium dant hi duo authores. Sumo ex ijs, quod satis est. Nego tamen concedi matrimoniũ Presbyteris, & Episcopis. Hallier. Arcudius.

Post hæc est scripta incidi in locum Patris Laureæ viri nostra ætate doctissimi, qui de Sacramento ordinis disp. 9. art. 9. §. 3. sic ait, adducto Canone Concilij Ancyrani relato in dist. 28. cap. Diaconi. *Imo* Laurea.

de

de omnibus Sacris Ministris Græcis apertum est Decretum Stephani P. III. in Concilio Romano, & habetur dist. 31. cap. fin. vbi sic dicitur. Aliter se Orientaliũ traditio habet, aliter huius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: nam earum Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi matrimonio copulantur, istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium nullus sacerdotum à Subdiacono vsque ad Episcopum licentiam habet coniugium sortiendi. Ergo saltem pro aliquo tempore Græcis fuit toleratum, vt in quolibet sacrõ ordine existentes possent vxorem vnam ducere. Et licet ferè omnes explicent locum hunc, non de matrimonio contrahendo, sed de vsu contracti, ego vt verum apertè fatear absque simulatione dico extortam esse declarationem, nisi mutentur nomina rebus: copulari enim matrimonio, & sortiri matrimonium, non significant vti eo, sed illud contrahere. Non dubitem viro doctissimo assentiri dummodo tamen excipiat Episcopos: quos omnino volo esse exclusos.

CAPVT VI.

Vtrum continentia ab vxoribus, ante ordines susceptos ductis, sit iuris diuini?

Fr. Turr. PRimam sententiam docuit Frãciscus Turrianus adhuc iunior lib. de 6. 7. & 8. Synod. Gener. in exposit. 3. Canon. Sextæ Synodi, & postea lib. de Dogmat. character. vbi defendit prohiberi iure Diuino Clericis coniugatis ante susceptos ordines vxoribus suis commisceri. Vasquez. In quo ait Vasquez, eum solum ita sensisse, nec vllum secum habere socium authorem disp. 247. cap. 1. Claud. Spenceus nu. 2. & idem etiam affirmat Claudius Spenceus lib. 1. de continentia Vasquez. cap. 3. qui cum Vasquez de Turriano sic iudicat. Hic vti erat singulariter doctus singularem hãc suam sententiam multis argumentis, & authoritatis, & rationis confirmat, locos Scripturæ affert. Imprimis tres. Primum Deuteron. 33. Deut. 33. vbi Moyses ait ad Leuitas. *Perfectio tua, & doctrina tua, &c.* & mox. *Qui dixit Patri suo, & matri suæ nescio vos, & nesciunt filios suos.* His autem significatur Sacerdotes, & Leuitas debere negligere carnem, & sanguinem, & filios suos contemnere. Nam authore D. Paulo. *Qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi.* Corinth. 7. additque Diu: 1. Cor 7. Dionysius Areopag. Dionysium Areopagitam lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 5. par. 3. vbi ait Episcopos, & sacerdotes omnes carnales affectus, & appetitus debere comprimere. Inter quos concubitus primum numeratur. Confirmat authoritate Clem. Alexandrini, Clemens Alexand. quem in eundem sensum interpretari affirmat locum illum Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem, & matrem, & vxorem.*

Secundum adducit ex Epistola Petr. 1. cap. 5. vbi cum præmisisset 1. Petr. 5. Pastores. *Pascite qui in vobis est gregem Dei*: adiungit. *Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum.* Quo vocabulo *solicitudo* intelligitur *cura vxoria*, quæ termino, *omnem* continetur. Tertium profert ex Apocal. 2. vbi reprehenditur Ange- Apoc. 2. lus Pergami, idest Episcopus, qui permittebat Sacros Clericos vxoribus suis vti, ad exemplum Nicolai, qui vxorius erat, & doctrinam Balaam tradebat, hoc est cum vxoribus filios Israel, electos Domini fornicari. Vnde colligit Turrianus Nicolaum non potuisse iam tum, quod Turrian. erat Diaconus, vti vxore. Quod probat Clemente Authore lib. 3. Stro- Clemens Alexand. mat. à quo id Eusebius mutuatus est Eusebius lib. 3. histor. cap. 28. & in eandem sententiam trahit Epiphanium lib. Epiph. aduers. hæret. hæresi 25. qui culpat Nicolaum, quod vxore sua vteretur,

tur,& propter hoc peccatum reprehenditur: nec enim aliud habuisse videbatur. Imo deducit in errorem Nicolai esse Nouatores nostri temporis, dum negant continentiam Sacrorum hominum, & Græcos, qui vxoribus suis nō abstinent postquam ordines suscepere, quod ijs obiecit Humbertus Cardinalis aduersus Abbatem Nicetam Pectoratum.

Humber. Nicet.

Concilia, Canones, & Patres multos citat pro eadem sua sententia Turrianus, qui apud eum, & Vasquez disp.247. qui locos latè, & fideliter refert, videri possunt. Rationes in expensione locorum obiter adducit Turrianus: nec eas exprimit Vasquez; sed producit, & expendit Michael Medina lib.1.de continentia à cap.49. Illa capitalis esto, & vnde reliqua petantur, & ad quam redeant. Perfectio sacrificij legis gratiæ, & traditio antiquissima istius continentiæ Clericalis, & erga illam reuerentia, & obseruantia, quæ iure altiore, quam humano fundata videntur. His argumentis suam inducit, & firmat opinionem Turrianus. Quem eius solitarium, atque adeo insolentem in ea tradenda vult Vasquez esse authorem. At eiusdem ante Turrianum author videtur fuisse Vvaldensis tomo 2. de Sacramentis cap. 128. vbi damnat, tamquam errorem Vvicleffi doctrinam aientis Sacerdotibus vetitum esse humana lege coniugium. Vnde apparet sentire Diuina esse lege prohibitum. Præterea dum confert castitatem Pontificum veteris legis, cum continentia Sacerdotum nouę, ait: sicut illis temporalis ab vxoribus per vices continentia à Deo erat præcepta: ita his perpetuam continentiam esse imperatam. Verum quidem est in alijs locis quos diligenter, & affert, & expendit Vasquez disp.247. cap. 2. ad finem, oppositum perspicue

Vasquez. Michael Medina. Vvalden. Vasqvez.

magis, & constanter tenere. Vnde nequit certò constare eum in ea, quam tradit Turrianus fuisse sententia. Tertium vero quem nonnulli socium addunt Turriano Clicthouæum, animaduertit Vasquez id tantum de lege vetante matrimonium post ordines contrahi, tradidisse. Hoc enim existimat iure Diuino prohiberi, cum Turriano placuerit affirmare vsum matrimonij, & post ordines, & ante ordines susceptos celebrati nullo, nec Ecclesiastico, nec Diuino licitum esse: Itaque Græcos contra facientes, non dubitat erroris Nicolaitarum insimulare. Hæc est fideliter commemorata de continentię lege Turriani singularis sententia.

Clicth. Trull.

Contraria tamen quæ negat esse de iure Diuino præceptam sacris hominibus continentiam, quæcumque illa, vel Latinorum, vel Græcorum sit, hoc est ne matrimonio ante susceptos ordines vtantur, siue ex toto, vti Latini qui omnino eius sunt expertes, siue ex parte, idest ne vtātur coniugibus nisi tempore permisso, idest diebus vacuis à sacris: est communis authorum penè omnium. Eos citat Vasquez disp.266.cap.3.& Bellarminus lib.1.de Cleric.cap.18. & Henriquez lib. 10. de ordine cap. 14. & Azor. lib. 13. instit. cap. 12. q. 1. & Valent. 4. par. 1. de Sacram. Ordinis disp.9. q. 5. par. 5. & Couar. 4. Decreti 2. par. cap. 6. §.3. & Squillante de obligat. Clericorum par. 1. §. 35. & Sanchez tom. 2. lib. 7. & Brancat. Lauræa de ord. dist.9. art. 9. dist. 27. Et perspicuè D. Th. 2. 2. q. 88. artic. 11. docet votum continentiæ annexum esse ordinibus sacris ex solo Ecclesiæ Decreto. Proindeque dispensabile. Et Scotus idem sentit in 4. dist. 37. q. vn. §. *Dico igitur*. Etsi de origine huiusce obligationis aliter ac D. Thomas cum Paludano sentiat, neuter quippe dubitat, quin de iure Eccle-

Vasquez. Bellarm. Henriqu. Azor. Valent. Couar. Lauræa. Sanchez. D.Thom

siastico sit illa obligatio continentiæ Clericalis. Vtrum autem sit ex statuto Ecclesiæ, an ex voto annexo? alia quæstio est de qua proximè agemus.

Hæc sententia probatur validè, & eruditè ab authoribus adductis. Vasquez. Sed præcipuè à Patre Vasquez, qui accuratissimè, & solidissimè hanc doctrinam confirmat, & Turriani sententiam deijcit. Cui nihil addi ratiocinando potest. Videat Lector eius disput. 247. Sed quoniam prolixa est, breui studeo illam communem, & nostram sententiam probare. Primò ratione à priori. Nullatenus pugnat cum iure Diuino actus coniugalis: ergo non est prohibitus secundum se illo iure. Assumptum patet, quia actus coniugalis non est ex se culpa, imo licitus, & in noua lege Sacramenti effectus. Igitur non pugnat natura sua cum iure Diuino, Si obijciat Turrianus pugnari in homine Sacro supposita consecratione. Negandum ex vi iuris Diuini: nam vsus ille vxorius non est contra religionem, nec contra iustitiam. Imo est castitatis coniugalis. Quæ donum Dei est. Quomodo ergo vetabitur iure Diuino? Secundum nullus extat locus Scripturæ, in quo illa lex à Deo lata sit, igitur non est inducenda. Assumptum patebit ex responsione ad argumenta Turriani. Tertium. Quia dictamen illud: quod videtur esse secundum rationem, vt sacer homo seruet integram continentiam propter reuerentiam debitam ordini, & ministerio est intra terminos conuenientiæ, non necessitatis, atque adeo ex consilio, non ex necessitate iuris Diuini, quæ ex illa reuerentia minimè probatur. Quartum. Quia Græca Ecclesia hunc vsum retinet, & olim retinuit, & Latina illum Græcis permittit. Ergo non est contra ius Diuinum: nam si esset, numquam liceret, nec toleraretur. Mirum est autem in tot Concilijs eum permissum, in nullo esse abrogatum. De quo suo loco dicemus. Quintum ex Concilio Tridentino manifestè colligitur cōtinentiam Clericalem esse Ecclesiastici iuris, non Diuini, igitur hæc satis est ab Ecclesia obligatio. Concil. Trident. Verba Tridentini sunt sess. 24. Can. 9. *Si quis dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares, Castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractúmque validum esse non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium, posséque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis etiamsi eam vouerint habere donum, Anathema sit.* Ecce Concilium tam exactè de continentia Clericali loquens, & circa illam errores hæreticorum impugnans, ne verbum quidem de iure Diuino fecit, quo eorum omnium ora posset obturare; cum præsertim de matrimonio post ordines susceptos, cuius maior est multò difficultas, & cum vsu sacrorum repugnantia, loqueretur. At ne de hoc quidem dixit vetitum esse iure Diuino. Sed tantum meminit legis, & voti. Sanè si iudicaret iure Diuino prohiberi eum matrimonij vsum, vno illo verbo hæreses illas omnes iugularet. Quod autem ea continentiæ professio à tēpore Apostolorum fuerit, & ab ijs etiam tradita, non efficit argumentum esse de iure Diuino, cum inde non sequatur maius, quam Ecclesiasticum ius, & præceptum: imo ne præceptum quidem, sed consilium, si loquamur vniuersaliter, quod patet in Græcis, qui eum, siue morem, siue legem saltem in vsu matrimonij ante ordinationem accipere noluerunt: quod addiderim Patri Sanchez cuius est responsio lib. 7. dist. 27. Sanchez.

Probatur vltimo, & efficaciter argu-

Vasq. gumento P. Vasquij disp. 247. cap. 7. num. 94. Si iuris Diuini esset huiusmodi obligatio sequeretur Sacerdotem Latinum, qui propria vxore ante ordines ducta vteretur, duplex peccatum eo in vsu commissurum, & triplex, si cum soluta peccaret. Hoc autem nemini vnquam Theologo venit in mentem. Patet assumptum. Nam peccaret contra ius Diuinum: vti supponitur. Deinde peccaret contra votum, quod in susceptione ordinum emittit. Hæc autem duo esse ex diuersa malitię ratione peccata communis doctrina in materia de voto statuit: ac ita docet Vasquez, tum hic, tum disp. 246. quam citat. Iam vero Concilia, hoc idem tradunt. Quinque adducit Michael Medina, Vasquez tria. Hæc afferam. Primum sit Gangrense Can. 4. & habetur Cap. *Si quis*. 28. dist. quem supra citauimus. *Si quis discernit Presbyterum coniugatum, tamquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo abstinet, Anathema sit*. Hic Canon latus est contra eos, qui nolebant missam Sacerdotis coniugati audire, quod existimarent ipsum illicitè celebrare. Censuerunt ergo Patres illius Concilij licere illi Sacerdoti coniugato sacris operari: vti constat, atque adeo non esse de iure Diuino; imo in Gręcia ne quidem de Ecclesiastico, cum liceret ijs celebrare & vxorem retinere. Secundum sit Carthaginense Sextum Can. 18. & Quintum Can. 3. *Placuit Episcopis, & Presbyteros, & Diaconos secundum propria statuta etiam ab vxoribus continere*, vbi non aiunt secundum ius Diuinum, sed statuta propria, vel priora aliorum Conciliorum, vti legit Bellarminus lib. 1. de Cleric. cap. 21. Tertium Lateranense sub Innocentio III. cap. 14. vbi cum Patres animaduertissent in Clericos incontinentes in fine subiungunt.

Medina. Concil. Gangren.

Concil. Carthag.

Bellarm.

Conc. Lateran.

Qui autem secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam, si lapsi fuerint grauiùs puniantur, cum legitimo matrimonio vti possent. Est autem manifestus textus pro nostra sententia, cum Concilium dicat coniugatis iuxta morem suæ Ecclesiæ, indicans Græcam, Sacerdotes, vti matrimonio antè ordines inito posse, atque adeo putare grauiùs, & acerbiùs puniri debere, si in carnale peccatum cum alia fœmina laberentur, quod satis est ad probationem: nam ideo peccabant grauiùs, quia cum possent libidinem suam vtendo vxoribus temperare, ne ab alijs equidem abstinebant.

Vtitur præterea Vasquez testimonio Synodi Trullanæ, quæ Quinisexta dicitur. Quod minus probo: cum illa Synodus notha, & nullius authoritatis sit. Vnde miror Vasquez illam citasse ad faciendam fidem. Præterea ille Canon meo iudicio nihil cõfert ad causam. Quia Patres improbant morem continendi in Ecclesia Romana, & iubet ne contineant Clerici, nec ab vxoribus suis abstineant, imo videtur legem connubij in Clericis de iure Diuino facere, vtendo illo testimonio Euangelico. *Quod Deus coniunxit homo non separet*: eumque morem retinendi, & vtendi vxoribus ad Canonem Apostolorum referunt, & perfectioni attribuunt: arbitranturque multo esse perfectiùs vxores habere, & ijs vti in Sacerdotio, quam ijs carere, & ab iis omnino, & ab earum concubitu abstinere. Quod certè rem non continet. Tamdem citant Canonem Concilij Carthaginensis VI. sensu alieno, quod & nos supra cum Bellarmino aduertimus, & Vasquez hic obseruat. Quare magis hac in re assentior Turriano vocanti Trullanos illos Panes (si tamen Patres sunt appellandi) *Luxuriæ magistros, & libidinis Patronos*, quam Vasquio eo-

Synodus Trullan.

Vasquez.

Concil. Carthag.

Bellarm. Vasquez.

eorum testimonijs fidem habenti, & ijs sententiam communem, quam conantur euertere, confirmanti.

Fundamenta Francisci Turriani facili negotio soluuntur. Miraturque merito Vasquez, tam insigniter doctum virum ijs inniti ad nouam suam opinationem adstruendam. Soluit ea idem Vasquez apertè cap. 9. disp. 247. soluit item occultè Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 18. Primum ex cap. 33. Deuter. bene intellectum corruit: nam illud *nescire filios*, non est liberos non habere, neque illos minimè procreare, sed illos Deo non anteponere. Quod patet ex eo, quod idem locus ait, nescire item oportere *Patrem, & Matrem* An id est Patre, & Matre carere? Igitur sicut nescire Patrem, & Matrem, hoc est eos præ Dei lege, & cultu contemnere, si obstare velint, ita & liberos nescire, idest eos, cum Religioni officiunt, ac impedimento rebus sacris sunt, negligere. Iuuat hunc sensum locus Euangelij adductus. *Qui non odit Patrem, & Matrem, & vxorem*. Qui sic intelligendus, vt velit Christus, ne illorum amor, suo præponatur, & vbi ille de hoc detrahit, etiam gladio præcidendum. Qua ratione dixit. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Consulat Turrianus hominem sui instituti Maldonatum ad hunc locum Matth. 10. & sensum idoneum assequetur. Scio multum esse in Deuteronomij testimonio explicando Patrem Vasquez, sed hac ego sum expositione contentus.

Vasquez. Bellarm. Maldon.

Secundus locus ex Epistola Petri nihil prorsus concludit. Quæ enim de continentia mentio? Illa solicitudo ad omne genus curarum pertinet: quæ nos auocant ab animi pace, & tranquillitate, & ab studio rerum Diuinarum auertunt, quas omnes monet Petrus in Deum esse proijciendas, ac ei fidendum, qui possit nobis prouidere, & ijs quas secum afferre solent perturbationibus liberare.

Tertij ex Apocalypsi non est ille quem inuehit Turrianus sensus, nemo enim vnquam interpres dixit hæresim Nicolaitarum fuisse licere homini sacro vsum connubij. Sed aliam, quæ doctrinam Balaam tradebat, vt inquit textus. *Quia habes tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balaac mittere scandalum coram filijs Israel, edere, & fornicari*. Quod item constat ex cap. Num. 31. vbi scribitur Balaamum missis in castra Israelitarum mulierculis ea occasione excitasse libidinem, & ea expleta arsisse illos in amorem earum, & ad idololatriam deflexisse. Quod postea accidit Salomoni. Hęc igitur erat hæresis Nicolai, & Sectatorum, qui dicebant rem veneream esse hominum naturæ consentaneam, atque adeo quotidie, & cum quacumque fœmina exercendam, ad idque suam ipsam Nicolaus vxorem, quæ speciosissima erat prostituit. Et hac delectatione coitus, multos demētauit, ita vt ad idola defecerint. Quemadmodum tradunt Clemens Alexandrinus, & Epiphanius hæresi 25. ac ex ijs interpretes Apocalypsis, & Vasquez disp. 247. cap. 8. deducunt. Vnde nihil concluditur aduersus sententiam communem. Atque adeo fundamenta Turriani corruunt. Et quāquam ille adducat Concilia, & Patres, certè nullum testimonium est idoneum, & omnia facilè soluit Vasquez cap. 9. Ac ego vt verum fatear, cum omnia diligenter expendissem, nihil in ijs, quod vel leuiter suaderet, inesse comperi: ac miratus sum, tam docto homini illa probari potuisse. Animaduertit hic autem optimè Vasquez d. 247. cap. 6. num. 92. sententiam Turriani, licet sustineri circa Diaconatum, & Superiores eo ordines pos-

Clemens Alexand. Epiphan. Vasquez.

ſet, nullo modo in Subdiaconatu ſuſtineri poſſe, cum Nicolai II. & Innocentij III. ſententia Subdiaconatum, ſine obligatione continentiæ collatum olim fuiſſe conſtet, eumque homines coniugatos obtinuiſſe, ac geſſiſſe, quod cap. 3. diſp. 248. accuratè oſtendit Vaſquez, & nos cum de Chorepiſcopis ageremus, lib. 1. de Clauibus oſtendimus. Vaſquez.

CAPVT VII.

Vtrum ſaltem Matrimonium poſt Ordines ſuſceptos iure Diuino vetitum ſit?

MAior hæc quæſtio eſt. In qua vltra S. Bonauenturã in 4. diſt. 37. Turrianus, & ante illum Iodocus Clicthouæus Pariſienſis Doctor, lib. de continentia cap. 13. affirmauit, & maior pars Sorbonæ, in quam etiam inclinat Maior. in 4. diſt. 24. q. 2. licet admittat in aliquo caſu diſpenſari poſſe. Quod argumento eſt minus hoc eum conſtanter ſenſiſſe. Firmiùs hanc ſententiam tenuit Michael Medina lib. 2. de continentia cap. 7. qui nouis vtitur fundamentis. Primò teſtimonio Pauli ad Timoth. 3. cum ait de Epiſcopo *vnius vxoris vir*. Et cum idem in Presbytero requirit ad Titum I. Secundo Canone Apoſtolorum 26. alias 25. vel 27. vbi dicitur. *Innuptis autem qui ad Clerum prouecti ſunt, præcipimus, vt ſi voluerint vxores accipiant, ſed Lectores, Cantoreſque tantummodo*. Ex quo apparet Sacris hominibus vetitum eſſe connubium. Tertio Canone Concilij Romani, ſub Syluestro, & Canone antiquioris Concilij Neocæſarienſis, *in quibus decernitur, vt Presbyter qui vxorem duxerit poſt ordines deponatur*. Imo & Canone 8. Concilij Romani idem, ac ſine pœna Subdiaconis prohibetur. Quarto Decreto Concilij Aurelianenſis III. Can. 7. vbi ſub pœna excommunicationis eadem lex iubetur. Quinto duplici Canone Concilij Toletani VI. & VII. in quibus contra Sacerdotes, & miniſtros, qui ducebant vxores, grauis ſtatuitur pœna, & dicitur huiuſmodi peccatum eſſe contra litteras, & Patrum Conſtitutiones. Vltimum argumentum & efficax eſt, quod cum matrimonium ante contractos ordines licuerit Græcis Presbyteris, & poſt illud Sacrorum vſus, numquam tamen permiſſum ijs fuit poſt ordines ſuſceptos ducere vxores, quod ſanè ſignum eſt illud iure diuino prohibitum eſſe. Hanc primus omnium tradidit S. Bonauentura in 4. diſt. 37. eumque citat Lauræa diſt. 9. art. 9. §. 5.

(Margin: Bonauen. Turrian. Clicthou. Maior. Michael Medina. Tim. 3. Canone Apoſtol. Conc. R. Concil. Neocæſ. Conc. R. Concil. Aurel. Concil. Tolet. Bonau. Lauræa.)

Oppoſita ſententia probabilior eſt, quæ tenet non repugnare Diuino iuri matrimonium poſt ordines ſuſceptos. Eam tradidit Scotus in 4. diſt. 37. per totam S. Thom. 2. 2. diſt. 88. art. 11. Syluestr. in ſumm. verb. *Matrimonium*. 8. q. 12. lib. 7. de iuſt. qu. 6. art. 2. Viguer. lib. inſtit. Theolog. cap. 6. Caietanus to. 1. opuſcul. titulo 227. & P. Henriqu. lib. 10. de ordine cap. 14. & Bellarminus lib. 1. de Clericis capit. 18. Vaſquez diſp. 249. cap. 2. & Arcudius lib. 7. de matrimonio diſt. 40. P. Brancatus Lauræa de ordine diſt. 9. §. 5. Eſt autem hæc ſententia meo iudicio expreſſa in Concilio Ancyrano Can. 9. aut 20. qui habetur 28. diſt. vbi ſic. *Diaconi*, inquit, *quicumque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt velle ſe coniugio copulari, quia ſic manere non poſſunt, ſi poſtmodum vxores duxerint in miniſterio maneant, propterea quod eis Epiſcopus licentiam dederit. Quicumque ſanè tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem profeſſi continentiam, & poſtea nuptijs obligati ſunt, à miniſterio ceſſare debent*. Hunc autem textum ci-

(Margin: Scotus. D. Thom. Syluestr. Viguer. Caietan. Henriq. Bellarm. Vaſquez. Arcudius. Lauræa. Concil. Ancyr.)

Caietan. citat imprimis Caietanus, & Vasquez, cumque capitalem puto. Quod perspicuè dicat. *Si postmodum vxores ducant, maneant in ministerio, quod ijs Episcopus licentiam dederit*, ac proinde dispensarit. Quod non liceret in iure Diuino. Neque Balsamoni credendum hunc Canonem temere reijcienti, quem sequutus immeritò est Medina citatus, & Turrianus vt suam opinionem defenderent. Idem videtur statuisse Concilium Triburiense, quem citat Petrus Damianus in Epistola ad Cunibertum: in eo quippe dabatur facultas ministris ordinatis ad ducendas vxores: sed cum non expresserit ordines, quos haberent, & hic Canon hodie non reperiatur, minus in eo est momenti ad rem hanc probandam. Quæ obseruat P. Vasqu. d. 249. cap. 2. Equidem diligenter inspectis duobus (nec enim plura sunt) Cōcilijs Triburiensibus, altero Formoso, altero Benedicto IX. habitis, huiusmodi Canonem minimè potui reperire.

Balsam. Turrian. Concil. Tribur. Vasquez,

Potest etiam hæc veritas confirmari Decreto Concilij Tridentini proximè allato, quod generale est, & ad vtramque continentiam, tum matrimonij ante ordines, tum post ordines contracti pertinet, nulla de iure Diuino, sed de lege, vel voto mentione facta. Potest præterea stabiliri ratione illa multiplicati in vno Clericali concubitu ratione peccati ex motiuo iuris Diuini, & ex motiuo emissi voti: qua rursus vsus est Vasquez ad hanc partem confirmandam disp. 249. cap. 3. n. 20. Sed illud ego præcipuum existimo argumentum: Si iure Diuino prohibitum esset post susceptos ordines matrimonium, nulla humana potestas in eo dispensare posset, sed Pontifex non modo potest, sed etiam de facto in eo dispensauit, ac dispensat, ergo non est de iure Diuino. Maior est vnum ex principijs moralibus receptissimis, & traditur communiter à Theologis in materia de legibus, & tradit vtendo hac ratione Vasquez citatus numer. 21. Minor patet experientia: nec Maior grauis author oppositæ sententiæ negare potuit, imò ea conuictus dixit se non ita esse addictum sententiæ Parisiensium, vt existimaret non posse vlla de causa in eo matrimonio dispensare Pontificem, ita in 4. dist. 24. q. 2. §. *Ecce paruulus*. Consequentia est recta.

Concil. Trident. Vasquez. Vasquez. Maior.

Verùm respondet Medina lib. 2. de continentia cap. 15. Pontificem, etsi dispēsare in matrimonio vt illud à Presbytero contrahatur possit, non posse tamen efficere, vt Sacerdos coniugatus retineat vsum, & ministerium Sacerdotij, vt simul sit Sacerdos, & maritus. Sed facile refutatur, quia ad dispensandum in impedimento illo Sacerdotij potest interuenire idonea, & decens, & vrgens causa, vti hæreditas Regni in Presbytero Principe: & similis potest esse causa ad retinendum vsum Sacerdotij cum vsu connubij. Et quidem cum matrimonium ordinetur ad eum vsum data ad illud dispensatione datur etiam ad effectum vsus. Puta ad generandū hæredem Regni. Ac ita fermè respondet Vasquez cap. 3. num. 73. & adijcit nonnihil, quod prætereo, ne sim prolixior. Exempla dispensationum à Pontificibus Romanis affert Lauræa §. 5. Sed nullum est circa Presbyterum. Omnia vno excepto (quod est Diaconi) sunt Subdiaconorum.

Medina. Vasquez. Lauræa.

Aliud item par fundamentum esto. Illud matrimonium, si esset vetitum iure Diuino, irritum, ac nullum esset: at qui non est irritum, & nullum: igitur non est vetitum iure Diuino. Minus est certus hic Syllogismus, quam superior: nam minorem negat Paludan. in 4. dist. 37. qu. 1. & Syluest. in summ. verb. *Matrimonium* octauo qu. 12. dist. 6. &

Paludanus Syluestr.

Carioph. Arcudius Vasquez. Cariophylus apud Arcudium lib. 7. de matrimonio cap. 40. verum ea affirmatur à P. Vasquez disp. 249. capit. 4. vbi eam communem omnium Scholasticorum sententiarum dicit, & Arcudius proximè citatus. Qua de re vellem, vt Vasquez copiosiùs ageret. Sed quod in eo desideraui, in Arcudio, & alijs inueni. Itaque illam minorem accuratiùs probo. Primum Canone Neo-cæsariensis Concilij I. Presbyter, inquit, si vxorem duxerit ab ordine suo amoueatur. Amouendum dicit, sed non separandum ab vxore: quo indicat matrimonium irritum non fuisse, sed cum eo vsum coniugij stare non posse. Concil. Ancyr. Secundum Ancyrani Can. 16. *Si postea ad nuptias venerint à ministerio cessare debebunt*. Eadem pœna plecti iubet, non illa separationis, quæ matrimonia Diuino iure vetita sequeretur. Concil. Toletan. Tertium Toletani I. Can. 4. *Subdiaconus defuncta vxore si vxorem aliam duxerit ab officio remoueatur*. Aufertur officium, sed vxor relinquitur. Quartum Mart P. Martini Papæ cap. 1. Decretum dist. 27. Diaconus *Si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimonium desiderauerit, alienus sit à ministerio, & vacet à Clero*. Sed non ait: *Vacet ab vxore*. Synodus Quinisext. Synodus Quinisexta Canone 6. sic: *Decernimus, vt deinceps nulli penitus hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur*. Expendo illam particulam, deinceps, quasi antea fieret. Quod si fiebat, non erat nullum matrimonium, imo dum decernunt, ne fiat, significant illud à se, non à iure Diuino præcipi: Deinde deponi iubent, non sciungi.

Concil. Neocæs. Patet magis hæc veritas ex collatione pœnarum, quibus peccata libidinis puniebantur. Neocæsarienses Patres iterum produco, sic statuentes Can. 1. *Presbyter si vxorem duxerit ab ordine suo illum deponi, quod si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit extra Ecclesiam penitus expelli, & ad pænitentiam inter laicos redigi oportet*. Hoc discrimen indicat vsum vxoris minorem esse noxam, quàm fornicationem: cum leuius plectatur. Vnde colligitur matrimonium illud irritum non esse, nam si esset copula, fornicaria esset, atque adeo vti fornicatio puniretur: Cum igitur non ita puniatur, Fornicatio non erat cum soluta, sed copula illicita cum coniugata. Blastar. Vnde Blastarius in suo Nomocanone litt. G. sic exponit. *Primus Canon Neo-cæsariani Concilij Presbyterum legitimè sane cum vxore coniunctum Sacerdotio spoliat*. Video minus probare cum dicat *legitimè coniunctum*, perinde ac non sit prohibita coniunctio in eo matrimonio, sed fortasse voluit matrimonium ratum, quòd non esset quoad vinculum irritum: legitimum appellare. Arcudius. Quod minimè obseruauit Arcudius apud quem reperi.

Concil. Toletan. Est vero hic quod adijciam Concilium Toletanum I. Can. 4. à me supra citato: vbi sic. *Subdiaconus*, inquit, *defuncta vxore, si vxorem aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat remoueatur, & habeatur inter ostiarios, vel Lectores, ita vt Euangelium, & Apostolum non legat. Remouetur, non separatur*. Quamuis minus libenter vtor hoc loco, quòd possit aliquis ambigere. An Subdiaconatus eo tempore (nam satis est antiquum illud Concilium) inter sacros Ordines haberetur, atque vtrum ea pœna non vsui matrimonij, qui Subdiacono liceret, sed bigamiæ, cum vxorem ille secundam duxerit, responderet. Ideo tamen afferre volui, quod expressè de matrimonio post susceptum Subdiaconatum, quem puto saltem in Hispania fuisse ab initio pro Sacro habitum, in eo agatur, & quod cum esset

esset bigamia, non idcirco tamen irrita erat, quo nostra magis sententia de matrimonio simplici confirmatur.

Sunt alij Canones, quibus vti video Arcudium, sed minus mihi satisfaciunt. Primus est ille Siricij II. *Quisquis sanè Clericus, aut viduam, aut certè secundam coniugem duxerit omni Ecclesiasticæ dignitatis priuilegio mox nudetur. Laica tantum communione concessa*. Nam hic Canon de Clericis vniuersim loquitur: deinde de ijs, qui bigami sunt: de quibus nos propriè non agimus, sed de ijs, qui cum in sacris sint semel vxorē ducunt. Verum quidem est à fortiori, vt aiunt deduci non esse irritum matrimonium, semel initum, si non est irritum secundum. At cum Siricius non exprimat de quibus Clericis loquatur, non inuenio firmum argumentum.

Secundus est ille Concilij Turonici I. in cuius Canone 2. ita: *Licet à Patribus nostris è commissa authoritate id fuerit constitutum, vt quicumque Sacerdos, vel Leuita filiorum procreationi operam dare fuisset conuictus, is à communione Dominica abstineret*. Hic certè Canon minimè declarat, an ista liberorum procreatio sit ex matrimonio ante vel post ordines contracto. Imo quod sit Ecclesiæ Latinæ Concilium videtur de vsu matrimonij ante ordines initi intelligendus. Cum inauditum sit in Latina Ecclesia matrimonium post sacros ordines celebratum. Quare non rectè meo iudicio Arcudius ex hoc textu deducit rata esse post susceptos ordines inita coniugia.

Eadem ratione abstineo à citando Decreto Innocentij, siue Siricij in Epistola 2. Innocentij quo iubet submoueri à Sacris eos, qui se non abstinent à procreatione liberorum, quippè quòd non videtur de ijs agere, qui prius ordinati vxores duxerant, & liberos ex ijs suscipiebant.

Iam vero illo alio 26. Canone Synodi Quinisextæ. *Quo Presbyter nefarijs nuptijs implicatus, à functionibus sacris (retenta solum cathedra) amouetur*. Idcirco non vtor, tum quia illæ nefariæ nuptiæ, vel sunt secundæ, vti vult Gratianus dist. 31. & Glossa: vel incestæ, cum consanguinea, vel sacrilegæ cum moniali contractæ: quemadmodum Canonistæ Græcorum volunt: tum quia proponitur casus ignorantiæ: de quo alia quæstio est: tum præcipuè quia videtur agere de nuptijs ante susceptos ordines per ignorantiam celebratis, authore Balsamone, qui sic intelligit, quem sequitur Vasq. disp. 249. cap. 5. num. 29, & tenet Arcudius cap. 40. Illud certè firmum & solidum fundamentum est, quod supra ex diuersitate pœnarum tetigimus, & Vasquez disp. 249. cap. 4. num. 54. Quoties enim de matrimonio contracto à Monacho sermo est; hanc culpam Fornicariorum pœna sequitur: vti habetur in Synodo Trullana Canone 44. Quoties vero de alijs, crimen depositione punitur: quod argumento est. Matrimonia Monachorum esse nulla, & concubitus fornicationes, ac ipsos fornicarios, non maritos: quia votum continentiæ in monastica professione emittebant: quod alij minimè faciebant. Idque prudenter obseruat Arcudius, qui duo genera pœnarum vidit esse distincta, & ex discrimine, quid interesset inter matrimonia, agnouit, & statuit. Itaque illo capite 40. lib. 7. de matrimonio paulo ante finem sic ait. *Exemplum Monachorum potius facit pro nobis. Propterea enim eos pœnis fornicariorum subijciebant, quod eorum matrimonia nulla essent. Idque propter eorum votum, siue expressum, siue tacitum. Cum igitur non vera, & legitima essent matrimonia, sed fornicationes meritò fornicatiorum subibant pœnas. At Sacerdotes Græcorum bigami*

Siricius. | Concil. Turon. | Arcudius | Siricius | Gratian. | Glossa. | Balsam. | Vasquez. | Synodus Trullan. | Arcudius

gami relicto munere Sacerdotij numquam pænas fornicariorum sustinuerunt. Imo eorum post susceptos ordines matrimonia ex sententia Concilij Neocæsariensis Canone 1. à fornicationibus, & adulterijs secernuntur, vt antea notauimus. Et concludit. *Quãdiu igitur Romana Ecclesia non declarat valida ne sint huiusmodi matrimonia Græcorum Presbyterorum, nec ne, mea quidem sententia secundum præsentem consuetudinem Græcorum rata esse censentur.* Tandem aduerto, etsi illa matrimonia irrita essent, & nulla, non inde sequi irrita esse iure Diuino, sed tantum Ecclesiastico: aliud enim est irritum esse iure aliquo, aliud tali, vel tali iure, quare licet rectè sequatur matrimonium ratum post susceptos Ordines non est vetitum iure Diuino; non rectè tamen sequitur: matrimonium quod est irritum, est irritum iure Diuino.

Maneat ergo doctrina: Matrimoniũ post sacros Ordines contractum illicitum prorsus esse, & prohibitum à tempore Apostolorum, non tamen iure Diuino, sed Ecclesiastico. Hæc conclusio esto. Quam Henriq. tradit Henriquez l. 12. de Matrim. c. 5. num. 9. his verbis. *Qui sacro Ordine cum rationis vsu sine coactione graui s metus initiantur, hi per votum continentiæ solemne, quod implicitè emittunt, inhabiles fiunt matrimonio non iure Diuino, sed Ecclesiastico à principio Apostolorum.* Hoc testimonium validum est, cum etiã supponat in susceptione Ordinis votum continentiæ implicitum. Eãdem doctrinam tradiderat. l. 10. de Ordine cap. 14. & latissimè P. Vasquez d. 249. contra Michaelem Medinam. Varij huius authoris loci sunt, in quibus hãc thesim perspicuè proponit. Affert duos. Primus esto c. 2. num. 7. *Negare* inquit, *certe non possumus à tempore Apostolorum vsque in præsens seruatum esse, vt nullus Sacerdos, aut Episcopus post Ordinem ad matrimonium transire posset; verum id non tantum Diaconis, & Subdiaconis, sed etiam Episcoeis, & Presbyteris solo iure Ecclesiastico vetitum esse probabilior opinio Scholæ fert,* & cap. 5. nu. 44. Soluendo argumenta Medinæ, *Vnico verbo respondeo: solũ ijs probari vetitum esse Sacros homines post ordinationem ad matrimonia trãsire: quod non negamus, non tamen id veterum esse Diuino iure. Nam neque ea omnia, quæ Apostoli, aut Concilia in suis Canonibus tradideruut sunt diuinæ leges à Christo acceptæ. Quis hoc non videat? Vnde ergo Medina speciatim de hoc præcepto id colligere potuit?*

Vasqu. (margin)

Bellarm. Bellarminus l. 1. de Cler. cap. 18. *Probandum est non iure Diuino, sed humano dumtaxat prohibitũ esse coniugium Sacerdotibus, & proinde in hoc dispensari posse.* Et in probando *Licuit Sacerdotibus iure Diuino habere vxores, quas ante matrimonium duxerant, & eis vti maritorum more. Cur quæso non licuisset etiam post ordinationem ducere?* Paulo post, *Probatur secundo, quia in tota Scriptura nullum tale extet præceptum. Nam in testamento veteri sacerdotibus licitum erat vxores ducere: in Nouo autem nihil hac de re Dominus locutus est. Apostolus quidem ad Timotheum, & Titum iubet Episcopos, & Diaconos eligi castos, sed quod Apostolus præcipit, non diuinum, sed Apostolicum præceptum est.*

Sanchez. Sanchez l. 7. disput. 28. *Sententia* inquit, *cui adhæreo tanquam communiori, & multo veriori, ait solo Ecclesiæ statuto dirimi matrimonium subsequens per ordinem Sacrum. Sententia hæc probatur ijsdem prorsus rationibus quibus disputat. præcedenti n. 5. probauimus solo iure Ecclesiastico annexam esse Continentiam ordini Sacro.*

Lauræa. Brancatus Lauræa de Sacram. Ordin. d. 9. art. 9. §. 5. sic. *Dico. Non di-*

diuino, sed humano tantum iure sacris ministris est prohibitum matrimoniũ contrahere. Et num. 208. solutis argumentis contrarijs. *Quid aliud*, inquit, *dicendum restat, nisi quod Ecclesiastico tantum sit iure prohibitum?*

D. Thom. Sed quid Authores quærimus, vbi est authoritas S. Thom. qui grauissimè hac de re statuit 2.2. dist. 88. art. 11. loquens de obligatione voti Castitatis Religiosæ? Mota enim quæstione. *An in voto solemni continentiæ possit fieri dispensatio?* Dum affert rationem, cur votum continentiæ Religiosæ dispensabile non sit, inducit pulcherrimum discrimen inter obligationem continentiæ ortam ex ordine sacro, & ex voto solemni Religionis. Sic enim in corpore. *Est ergo considerandum vtrum continentia sit essentialiter annexa ei ad quod votum solemnizatur, quia si non ei essentialiter annexa, potest manere solemnitas consecrationis sine debito continentiæ, quod non potest contingere, si sit essentialiter annexum ad quod votum solemnizatur. Non est autem essentialiter annexum debitum continentiæ ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ. Vnde videtur, quod per Ecclesiam posset dispensari in voto continentiæ solemnizato per susceptionem sacri ordinis. Est autem debitum continentiæ essentiale statui Religionis, per quem homo abrenuntiat sæculo totaliter Dei seruitio mancipatus, quod non potest simul stare cum matrimonio, quo incumbit necessitas procurandæ vxoris, & prolis, & familiæ, & eorum quæ ad hoc requiruntur. Vnde Apostolus dicit* 2. Corinth. 7. *quod qui est cum vxore solicitus est, quæ sũt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et ideo in voto solemnizato per professionem religionis, non potest per Ecclesiam dispensari*. Patet ergo Authorem esse D. Thomam matrimonium post Sacros ordines susceptum non pugnare essentialiter cum eo statu, ac esse dispensabile, atque adeo non esse de Iure Diuino.

CAPVT VLT.

Variæ quæstiones adnexæ proponuntur & soluuntur.

PRima. Vtrum obligatio Cælibatus Clericalis sit ex lege Ecclesiastica imposita ordinandis? An ex voto ab ijs sponte suscepta? Vt autem quæstio difficultatem habeat, sic proponi debet. An sola lex Ecclesiastica vi sua, etiam nullo interueniente voto obligaret ad cælibatum, vel id faciat virtute voti adnexi? Scotus in 4. d. 37. q. vnic. §. *Dico igitur*, & Palud. ibid. art. 2. nu. 14. Valentia par. 4. tract. de Sacr. ordinis disp. 9. qu. 5. par. 5. §. 1. Dec. in cap. At si Clerici, in noua edit. n. 235. de iudic. sentiunt ex lege immediatè oriri, secluso voto. Idque ab initio Ecclesiæ manasse. At D. Thomas in 4. dist. 37. qu. 1. art. 1. Castr. lib. 13. aduers. hæres. verb. Sacerdos hæres. 4. Tolet. in summ. lib. 7. capit. 8. num. 7. Bellarminus lib. 1. de matrimonio cap. 21. & lib. 1. de Cleric. capit. 18. Aragon. 22. qu. 88. art. 11. colum. 2. & 4. Azor. lib. 13. instit. cap. 12. qu. 6. Emmanuel summ. tom. 2. edit. 7. c. 96. num. 4. concl. 4. Glossa in cap. Coniugatus verb. Continentiam de conuers. coniugat. Abbas in cap. Ioannes numer. 1. de Clericis coniugatis Syluest. verb. Matrimonium 8. q. 12. dictò 2. & Henriquez lib. 10. cap. 14. & Vasquez dist. 248. cap. 2. docent nasci ex voto emisso, ita vt illius virtute Clericus ad seruandam continentiam obligetur. Alij sunt, qui dicunt teneri ex vtroque, adeo vt secluso voto lex obliget vi sua, adeo vt si ordinatus suscipiendo ordines sacros nolit se obligare voto, adhuc ex lege ad castitatem teneatur. Et sic tradit Palac. in 4. dist. 37. d. vnic. con-

Scotus. Paludius Valentia Decian. D. Thom. Castro. Toletan. Bellarm. Aragon. Azor. Emman. Abbas. Syluestr. Henriqu. Vasquez. Palac.

Sanchez. D.Anto. conclus. 7. & Sanchez lib. 7. distin. 27. num. 12. cum D. Antonino, Durando, & alijs. Illud iudico in praxi has 3. sententias minimè discupare. Nam omnes conueniunt ordinatum in Sacris, siue emittet expresè votum, siue non censeri emittere: atque adeo voluntate se, ac proposito suo teneri. In eo autem differunt, quod qui negant votum interuenire negabunt ex voto præcisè teneri, qui autem admittant teneri etiam ex voto affirmabant. Omnium item communis sensus est radicem huius obligationis esse statutum Ecclesiæ, vel immediatè iubentis continentiam, vel præcipientis votum. Itaque siue immediatè, siue mediatè ad legem Ecclesiasticam reditur. Simpliciter tamen melior est meo iudicio sententia Scoti, quia altior videtur illa obligatio ex muneris dignitate, & traditione Ecclesiæ emanans.

Posse autem Ecclesiam obligare suos ad continentiam profitendam, & vouendam, quamuis negent hæretici patet: quia etsi continentia sit res Consilij cap. *Integritas* qu. 2. tamen, sicuti quilibet potest in rei suæ traditione legem, & conditionem apponere *l. in traditionibus*, ff. de pactis. Ita Ecclesia in traditione ordinum Sacrorum potest legem continentiæ ijs, qui accipere velint, imponere. Quod autem votum exegerit, constat ex cap. 1. dist. 28. & ex cap. *Cum olim* de Cleric. coniugat. & ibi Glosa. Glossa. Vnde in multis locis iuris, votum appellatur cap. *De his* 28. dist. cap. vnico de voto in 6. & alibi. Suadetur exemplo matrimonij, quod voluntarium est, si quis tamen illud post Concilium Tridentinum contrahere velit, tenebitur ad acceptandas conditiones de Parocho, & testibus ab eo appositis.

Nonnulli ex hac quæstione casus existunt. Primus si quis velit suscipere sacros ordines ignorando votum annexum, an teneatur ad castitatem? Communis sententia cum Azor. cap. 14. q. 10. Sanchez lib. 7. Sanchez. disp. 27. num. 11. Respondet teneri eum: nam qui vnum sciens, & prudens facere vult, videtur aliud annexum velle. Secundus si ille nouit votum, ac expresè nolit vouere? Respondet ex vi voti non teneri Vasquez Vasquez. dist. 247. cap. 6. num. 99. cum Caietano ait peccare peccato fictionis, Caietan. & in copula carnali sacrilegium omnino esse commissurum. An vero teneatur ex lege Ecclesiastica? Sanchez. Sanchez affirmat cum Palac. Palacius. in 4. dist. 37. d. vnica concl. 7. quia res est grauissima. Imo Squillante Squillan. de obligat. Cleric. par. 1. num. 78. ait obligari secundum omnes. Ego distinguerem. In opinione Scoti asserentis ex lege obligationem oriri, teneri ex ea, & contra eam peccare secluso voto: at in sententia Sancti Thomæ affirmantis ex voto D.Thom. adnexo nasci obligationem solum contra votum peccare. Idque deduco ex doctrina Vasquij disp. 247. Vasquez, cap. 7. num. 97. & 98. Ea quippe lex obligat ad votum: quare is qui non vouet, non tenetur ad continentiam. Alioqui committeret peccans duo peccata, alterum contra legem, alterum contra votum. Audiendus vero est Vasquez hac de Vasquez, tota quæstione num. 98. *Si quis omnino ignarus huiusmodi votum emitti solitum in ipsa ordinis susceptione, ita ab Episcopo, vt ab eo votum non exigeret, neque expresè, neque implicitè votum emittere censeretur, sed liber omnino maneret, vt propriam vxorem cognoscere posset, sicut manserunt Subdiaconi in Sicilia ordinati, de quibus loquitur Gregorius in illa Epistola 43. citata.* Et quidem de voto illud dixerim: verum esse, quod docent Scotus in 4. dist. 37. Scotus. q. vnic. §. *Hæc est* versic. *Contra.* Durand. ibid. q. 1. num. 5. & Paludan. Durand.

q. 1.

q. 1. art. 3. obligationem voti nullo statuto, aut lege, neque ex facto alterius alicui imprimi posse, nisi ipse consentiat, & promittat. Itaque opus esse, vt illud vel expressè, vel tacitè emittatur: vt autem censeatur emitti, supra diximus, quid esset opus.

Tertius casus est. An qui ordines suscepit coactus metu graui, & tamen in illo metu volens, ita vt validè ordinetur, ex ea voluntate seruare continentiam teneatur? Affirmat Abbas cap. Maiores. §. fin. num.7. de Baptismo. Armilla verb. ordo num.14. Paludan. in 4. dist.38. qu. 3. art.4. conclus. 6. Rota in nouissim. par. 1. decis. 560. num.7. ex regula *Accessorium* de regul. iur. in 6. nam si ordo valet, tenebit obligatio continentiæ, quæ est accessoria. Deinde quia voluntas extorta est voluntas cap. *Merito* 15. qu. 1. ergo qui voluit ordines, voluit continentiam. Sed negandum cum Richardo in 4. art. 4. q. 3. ad 3. Henriquez lib. 20. cap. 14. nu. 3. Azor. lib. 13. cap. 14. Petro Ledesm. de Sacram. cap. 1. differ. 1. c.3. dict.2. Barthol. de Ledesm. de Sacram. ord. dub. 14. col. 4. §. Adnotare. Saa verb. Ordo num.24. Nauar. in Man. cap. 22. numer. 51. Rebuff. in concord. Rubric. de Regia ad Prælat. nominat. §. 1. verb. Sponte. Rota in nouiss. par. 1. decis. 561. num.1. Sanchez disp.27. num. 6. Ratio est idonea, quia cum ordo Sacer non obliget ex se, sed ex vi voti vt aiunt, & hoc per metum extortum, qui cadat in virum constantem, irritum sit cap. *Perlatum*, & cap. *Cùm dilectus. De ijs quæ vi*. Nulla ex eo existit obligatio continentiæ. Vnde sic ordinatus, si ordine vti noluerit, poterit licitè contrahere matrimonium. Vti expressè Sanchez n.6.

Idem sentiendum de eo, qui ante vsum rationis sit ordinatus: etsi enim characterem recipiat, non tenetur tamen ad continentiam, & poterit relicto Ordine ad matrimonium transire. Sic Abbas, & Ioann. Andr. in 1. de Cler. per saltum promoto. Rebuff. in praxi benefic. regular. de Cler. ad Sacram. ord. malè promotis Glossa 2. n. 10. Azor. lib. 13. cap. 14. q.9. Sot. de iust. lib. 1. q. 2. art. 5. Squillante par. 1. num. 83. Maius dubium est de eo, qui ante pubertatem suscepit ordines? Aiunt enim Glossa in cap. *Pueri* verb. ad Sacros 1. q. 1. & cap. vndec. verb. Discretionis de Cleric. per salt. Sot. lib.7. de iustit q.v. ar.5. & Imola in cap. Ioannes, num. 22. de Cleric. coniug. à quo hæc sententia limitatur cum Glossa ad impuberem doli capacem. Negant Ioan. Andr. & Abbas cit. num. 3. Rebuff. proximè adducti. Sanchez lib. 7. dist. 30. num. 8. Maiolus lib. 1. de irregular. cap. 30. num. 6. Barbosa refert non esse improbabile teneri eum voto castitatis, & onere recitandi officium: ita de offic. & potest. Episcop. par. 2. allegat. 15. num. 4. Ego ita sentio: si ratos habeat ordines teneri ex noua voluntate cap. 1. & cap. Illud 20. q. 1. & cap. Ad nostram de regular. Sin minus haud teneri ob eamdem rationem idoneæ voluntatis ad votum, quæ non censetur idonea ante pubertatem. Et adijcio cum Sanchez num. 9. hodie post Concilium Tridentinum requirente ad valorem Professionis annũ decimum sextum completum, eumdem quoque ad Sacros ordines requiri, quod item sentit Bernardus Diaz in pract. Can. nou. edit. cap. 16. num. 4.

Secunda quæstio est. Vtrum, & quando matrimonium post susceptos ordines sit irritum, & inualidum? Quoad primum: licet iure Diuino non sit irritum, constat Ecclesiastico iure inualidum esse. Patet

tet ex cap. *Quod votum*, *vnico*. *De voto*, *& voti* redempt. in 6. & ita supponit in cap. Diacono, & in cap. *Ex litterarum*, *qui Clerici vouentes*, affirmat Vasquez disp.249. capit. 4. num. 39. Sed hæc duo capita ambiguè loqui videntur. Imò ibi Glossa. *Nota*, inquit, *quod Episcopus potest dispensare cum ijs*, *qui in Sacris ordinibus contrahunt matrimonium*. Verùm huiusmodi Glossa meo iudicio ineptè colligit, nec enim ex eo textu illud deduci potuit. Dum enim cum eo dispensatiuè proceditur, vt Diaconatus ei reddatur, & postea *si perfectæ vitæ*, *& conuersationis fuerit presbyter ordinatur*. Non potest cùm retentione vxoris consistere cum supra dicat Pontifex. *Dimissa illa*. Ex qua particula apparet, aut matrimonium fuisse nullum, vti vult Vasquez, aut omnino esse dissoluendum. Eadem est doctrina capitis. *Ex litterarum*. De Subdiacono, qui vxorem duxerat, & ad monasticam vitam inuitatur. Nihil enim inde pro sententia Glossę colligitur: imò plus ex vtriusque tenore pro Vasquij opinione deducitur: cum vterque ab vxore separetur, tū Diaconus, tum Subdiaconus. Ex quo videtur constare illas nuptias esse irritas, & inualidas. Pro doctrina tamen satis est cap. *Quod votum*, vbi perspicuè Bonifacius VIII. docet matrimonium post ordinis, & Professionem Religiosam vi voti solemnis inualidari, & notat Vasquez citat. & cap. Vt lex 27. q. 1. Quod est Innocentij cap. 2. Idem definiunt Nicolaus II. & Alexander II. quorum Decreta referuntur cap. *Nullus* Missam & cap. *Præter* hoc dist. 32. & cap. *Si quis* eorum dist. 33. Idem tradidit Ioannes XXII. in sua Extrauag. *Antiqua* de voto, & nouissimè Concilium Tridentinum sess. 24. Can 9. vbi inter alios quos damnat recenset eum, qui dicit. *Clericos in Sacris constitutos posse matrimonium contrahere*, *contractumque Validum esse*. Et latè probat Sanchez disput. 27. num. 2. & dist. 27. num. item secundo.

Vasquez. Glossa. Bonifac. VIII. Nicol. 2. Alex. II. Ioan. 22. Concil. Trident. Sanchez.

Quoad secundum. Quando inceperit hæc lex irritans in Ecclesia. Maior quæstio est. Syluester sentit à temporibus Apostolorum, & vetitum, & nullum fuisse apud Græcos. Sed textus quos ad id probandum affert, non sunt idonei, vti ostendit Vasquez dist. 249. cap. 4. num. 33. & nos supra negantes esse vetitum iure Diuino, id obiter exponendo illos monstrauimus. Huc itaque illa doctrina trahenda. Constat quidem prohibita, sed non irrita, & inualida habita. Primum Concilium in quo lex irritans apparet Authore Vasquez, est Concilium Toletanum VIII. cuius ille citat c.7. in quo capite qui relabitur ad coniugium pro Apostata habetur, & in monasterij claustra retruditur, donec vixerit. Sed illo verbo *Relabi*, non tam significatur matrimonium, iam ante contractū, quàm post ordines susceptos irritum. Nos autem agimus, non de vsu illius matrimonij, sed de contractione matrimonij post ordines susceptos. Capite autem 5. eiusdem Concilij, quod Vasquez non citat, vxores item nominantur, & à Sacris hominibus ijs vtentibus separantur. Verum ne hoc quidem caput exprimit, sint ne illę vxores iam ante ordines copulatæ, an post eos ascitæ? Quare nihil certè ad quæstionem ex isto Concilio deducere possumus. Canonem alium Quinisextæ Synodi VI. iam supra diximus, nihil iuuare, cum in eo tantum, vel iniustæ, vel sacrilegæ nuptiæ vetentur: vel certè non nisi de matrimonio ante ordines suscepto intelligatur.

Syluestr. Vasquez. Concil. Toletan. Synodus Quinis.

Igitur à Calixto II. initium habuisse videtur huiusmodi lex irritans

Calist. II.

tans

tans matrimonium post susceptos ordines. Sic enim Lateranense Concilium eo Pontifice celebratum Anno 1122. Can. 21. quem 2. citat Vasquez, & habetur 27. dist. *Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis, concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus, contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, & personas ad pænitentiam debere redigi iuxta Sacrorum Canonum definitionem iudicamus*. Qui Canon videtur fuisse antiquior cum sit inuentus in Codice Vaticano in fragmento cuiusdam Concilij ab Vrbano II. habiti. Vtrius sit non multum laboro. Aio in eo irritari, imo & irrita esse declarari hæc coniugia liquet ex disiunctione personarum, quæ cum separatio sit manifestè significat nullum illud fuisse connubium. Et ita Glossa ad eum Canonem verbo *Disiungi*. *Non enim*, inquit, *debet dissimulatione culpabili nefanda sententia corroborari. Cod. de incestis nuptijs*, leg. vlt. in fine, & rursus. *Disiungi, quoad carnis copulam, quia quod non est, non potest dissolui, neque accusari. Extra de dispensatione impuberum ad dissoluendum, sed dicit lex quod matrimonium non dicitur dissolui, quod ab initio nullum fuit, vt in Authent. de nuptijs* §. *Si vero ab initio*. Vnde disiunguntur personæ, non matrimonium dissoluitur. Quia non poterant coniungi, qui copulati non erant. Patet hæc doctrina ex cap. *Vt lex* 27. dist. q. 1. sumpta ex Concilio Romano celebrato ab Innocentio II. qui successit Honorio II. Successori Calixti. Postquam enim præcepit, vt hi, qui vxores duxerint separentur, subiungit causam his verbis. *Huiusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam matrimonium non esse censemus*. In quo textu apparet iam antea latam fuisse legem irritantem.

Concil. Lateran. — Glossa. — Conc. R. Innoc. II.

Tertia quæstio. Vtrum qui post ratum matrimonium ignorante, vel inuita vxore ordinatur sacris, debeat redire ad vxorem, nec ne? Respondetur cum distinctione; vel matrimonium erat ratum solum, vel etiã consummatum. Si ratum non dissolui matrimonium, secundum ius, sed teneri eum nec petere, nec reddere debitum vxori, iuxta Abb. c. 7. de conuers. coniugat. Verum quia ius permittit, vt quisque post matrimonium ratum, non consummatum ingredi possit religionem etiam in vita vxore, non autem vt suscipiat sacros ordines, nemo licitè potest ordinari ante ingressum religionis, etiam si animo illam ingrediendi faciat, nec Episcopo licet eum ordinare: itaque ille ordinatus manet irregularis. Ita Vasquez d. 245. cap. 10. ex Abbate, ac Extrauagan. Ioannis 22. *Antiquæ*. *De voto, & voti redemptione*. Si autem matrimonium sit consummatum, sic ordinatus debet ad vxorem redire, & debitum reddere: licet petere nequeat: nam sicut is qui inscia, vel inuita vxore professus est in Religione, extrahendus, ac reddendus est vxori, vt habetur in cap. *Quidam* & cap. *Plures*. *De conuersione coniugatorum*. Ita qui ea inuita, & ignorante ordinatur. Iuxta Panorm. c. 1. de conuers. coniugat. 7. Angel. in summ. verb. Matrimonium 1. qu. 3. Armilla Diuortium num. 21. Rosella verb. Matrimonium, & verb. Impedimentum. Idem dicendum si vxor metu ad id cogatur, ex cap. Accedens, & doctrina Vasq. d. 247. cap. 10. num. 135. Licet autem de consensu vxoris, siue rato, siue consummato matrimonio ordinari, dummodo vxor voueat continentiam, quod si est in periculo post votum in seculo, debet intrare religionem. Ita Concilium Agathen-

Abbas. — Vasquez — Panorm. — Angel. — Armilla. — Rosella. — Vasquez

ſe relato in cap. *Epiſcopus* 77. & Gloſſa verbo *Religione*. Eſtque doctrina D.Tho.in 4.d.37.q.1.art.1. ad 2. Vnde hæc regula ſumitur. Si vxor ſenex eſt, & ſine periculo manere poteſt in ſeculo opus non eſt eam ingredi Religionem, ſi autem iuuenis ſit, & periclitetur, Religionem ingredi tenetur, iuxta ſtatutum ab Alexandro III. cap. *Coniugatus*. De conuerſione coniugatorum, & Vaſquez citatum, & Sanchez lib. 7. diſput. 22. Hæc de hac Schola ſint ſatis.

SCHOLA XVII.
DE
FVNERE
ET
SEPVLTVRA.
CAPVT PRIMVM.
Proponuntur Argumenta Hæreticorum.

HAERETICI, inquit Garcias Loaysa Archiepiſcopus Toletanus in notis ad Concilium Valentinum ſub Ioanne Papa I. tom. 2. Conciliorum pag. 631. *In viuos, & mortuos Chriſtianos bellum immane gerunt*. Quare Bohemi apud Aeneam Syluium de origine Bohemorum cap. 31. ſepeliri corpora in locis ſacris, & cæmeterijs reprehendunt. Fundantur eo loco Lucæ, *ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hac non habent amplius quid faciant*. Quaſi nihil de cadaueribus curandum, quibus nec noceri poſſit, nec proficì.

Ioann I.

Alij recentes Hæretici, ac imprimis Geneuenſes duce Caluino in præfatione inſtit. quamuis mortuos ſuos ſepeliant, cæremonías tamen, & ritus Catholicos irrident. His argumentis.

Caluinus

Primò, quia, quos Catholici obſeruant ritus, ij in Litteris ſacris non extant. Secundò quia Romanæ Eccleſiæ modus in funerandis mortuis ſapit Gentiliſmum, videntur enim Romani fideles ſentire cum Poetis, animas inſepultis corporibus errare, nec poſſe fluuium Acheronta, & Paludem ſtygiam, niſi in Charontis cymba tranare. Tertiò quia ita cum corporibus Catholici agimus, quaſi poſt mortem aliquid ſenſus retineant. Quartò, quia multa fiunt ſuperſtitioſa erga defunctos, & multa iniuſta aduerſus viuos. Inter ſuperſtitiones memorant vſum cereorum, acerrarum, roſariorum, & aliarum rerum ſacrarum, quæ defunctis adhibentur. Contra cereos adducunt Concilium Elibertinum Canone 34. in quo prohibetur accendi cereos. *Ne*, inquit, *ſpiritus defunctorum inquietentur*. Contra res alias ſacras argumentantur ex eo, quod nihil ijs iuuantur animæ, & corpora, vt aiunt, mortua illis amuletis non indigent. Concil. Elibert.

Præ-

Præterea comitatum, & pompam funeris, ornatum feretri, & sonitum cymbalorum vanitati tribuunt, & obijciunt Augustinum lib. 1. de cura pro mortuis gerenda, vbi dicit. *Sepulturæ ac funeris officia solatia viuorum esse, non præsidia mortuorum.* Vnde cap. *Sacris*, extra de sepulturis habetur. *Nihil obesse hominibus pijs sepulturam vilem, aut nullam.*

August.

Fortiora videntur esse, quæ opponunt ex parte eorum ad quos pertinet cura funeris, & sepulchri, quia ingens est illorum auaritia in exigendo pretio pro sepultura, ingens violentia in extorquendis cereis, & vestibus, & tapetibus, quibus cadauera ornantur, & induuntur. Quæ accidunt, inquiunt, quotidie, & seuerè prohibentur, & puniuntur varijs Canonum Decretis, quæ Catholicorum vitia castigant: quales sunt caput *Questa*, causa 12. q. 2. & caput *Postquam*, & caput *in Ecclesiastico* ibid. & alij: in quibus præcipitur ne quid vel pretij, vel muneris pro sepulturis exigatur, & illud vitium appellatur. Quod tamen in Romana Ecclesia inoleuit, in qua Parochi mercedem funeris, & sepulturæ pretium exigunt, & cereos, & alios ornatus defuncti, sæpè vi detrahunt, & cadauera spoliant, quod turpissimum est.

Præterea in multis capitibus iuris taxatur præsumptio illorum, qui credunt iuuari corpora defunctorum sepultura in locis sacris. Insuper in cap. *Non æstimemus* 13. qu. 2. reprobatur sepulturæ finis, quia ex proprio amore carnis procedit. Et cap. *Vbicumque* ibidem improbatur electio sepulturæ. Et cap. 27. & 28. Reprehenduntur lacrymæ, & preces pro defunctis, tamquam signa pusillanimitatis, & diffidentiæ. Tandem anniuersaria pro defunctis, & legata in perpetuum pro missis, & officijs defunctorum inutilia sunt, quia non est credibile eos non esse iam in termino, vel beatitudinis, vel damnationis. Hæc sunt obiecta Hæreticorum.

CAPVT II.

Defenditur vsus Catholicus funeris, & sepulturæ ex Sacris Litteris.

FVneris, & sepulturæ officium, tam est perspicuum in scripturis, vt mirum sit Hæreticis, qui solis ijs duci se iactant, non placere. Gen. cap. 23. illius authorem habemus Patrem fidei Abraham. De eo mortua Sara dicitur. *Venit Abraham vt plangeret, & fleret eam. Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est, date mihi ius sepulchri, vt sepeliam mortuum meum.* Et sequitur: *Appendit Abraham pecuniam, quam Ephron postularat, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ.* Qui locus omnia continet, funus, lacrymas, ius, & pretium sepulturæ. Capite 22. eiusdem libri de Abraham mortuo dicitur. *Sepelierunt eum Isaac, & & Israel filij sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron, quam emerat à filijs Heth. Ibi sepultus est ipse, & vxor eius.* Capite tertio duæ fœminæ sepeliuntur. Prima Debora nutrix Rebeccæ ad radices Bethel: altera Rachel vxor Iacob dilecta. Huic erectus titulus, vt defendamus ab Hæreticis epitaphia, & arma gentilia defunctorum. Gen. 49. Iacob moriens curam habet de sepulchro, & iubet sepeliri extra Aegyptum in sepulchro patrum suorum. Et cap. 50. defletur à filio Ioseph, & conditur aromatibus. Eodem capite idem erga se fiat, rogat Ioseph moriens fratres suos, nimirum, vt exportent ossa sua de Aegypto, & vterque defunctus defletur. Numeri cap. 14. minatur Deus rebellibus: *Cadauera,* inquit, *vestra iacebunt in solitudine.* Quod

Quod nisi esset supplicium, Deus non minaretur. Vnde colligitur sepulturam beneficium esse. Numeri 20. moritur Maria, & Aaron eius frater, & vterque iustè funeratur. Deuteronomij 34. celebre est sepulchrum Moysis, cuius cura Deo tribuitur. *Mortuus est*, inquit, *Moyses iubente Domino, & sepelivit eum.* Iosuè vltimo, ipsius Iosuè, & Eleazari sepultura memoratur, & Iosephi ossa in Sichem reperiuntur.

Regum 1. cap. 25. moritur Samuel, & sepelitur in domo sua in Ramatha, vbi Dauid, nunciato ei, quod viri Iabes Galaad sepelissent Saul, misit ad eos nuncios his verbis. *Benedicti vos à Domino, qui fecistis hanc misericordiam cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum, & nunc retribuet vobis Dominus.* Melior adhuc est alius cap. 3. eiusdem libri, vbi Rex Dauid comitatur feretrum Abner occisi, & ait: *Plangite ante exequias.* Et ipse cum populo flet super tumulum Abner. Accedit cap. 21. eiusdem libri Respha custodiēs septem filiorum Saul crucifixa corpora, ne à feris, & coruis lacerentur. Eorumque ossa Dauid cum Saulis, & Ionathæ ossibus curat sepeliri in sepulchro Cis patris Saul.

Illud obseruo omnium Regum Iuda, vno tantum excepto, commemorari sepulturam, Regum verò Israel, quia erant idololatræ paucorum funera memorari, quod argumento est curam sepulchri pietatis esse. Vndè Deus prohibet sepultura Ieroboam, & sobolem eius lib. 3. cap. 16. *Comedent eos*, inquit *canes.* A qua maledictione solus liberatur vnus infantulus. Hinc est, vt rex Ioram careat sepulchro, & carnes Iezabelis comedantur à canibus lib. 4. Regum cap. 9. Esse autem beneficium sepulturam constat, quia Iehu dixit: *Sepelite eam, quia filia regis est.* Certè si cadauera non essent curanda, nec sanctorum ossa veneranda, non excuteret Samuelis corpus latronis cadauer in sepulchrum suum illatum, nec ei vitam restitueret, vt habetur quarto Regum 18.

Constat magis hæc veritas ex officio Tobiæ, qui capite 1. & 2. mortuos vel domi suæ sepeliebat. Hoc autem laudat Angelus Raphael cap. 12. inter alia opera misericordiæ: vbi dicitur. *Quando orabas ad Dominum, & sepeliebas mortuos: ego obtuli orationem tuam Domino.* Ecce Angeli amant, & laudant, quod hæretici horrent, & detestantur. Libro Iudith. capite vltimo, ea cum viro suo in Bethulia sepelitur, & defletur diebus septem. Tandem in Libris Machabæorum illustria sunt exempla 1. enim cap. lib. 1. funus Mathatiæ, cap. 9. Iudæ cap. 13. Ionathæ procuratur. Sed præcipuus est locus ille lib. 2. cap. 12. vbi Iudas mortuos in bello sepeliuit, & suffragijs iuuit.

CAPVT III.

Probatur hæc veritas ex Testamento nouo, & traditione Ecclesiæ.

PRimus locus est de filia Iayri Archisynagogi Matth. 9. in quo habetur officium funeris cum cantu tibicinum, qui mos & si Iudaicus; imo & Gentilicus esset, non reprehenditur à Christo, tantum enim dicit, *non enim est mortua puella, sed dormit*, quasi locus non esset in dormiente, ei quod fieri soleret in mortua. Secundus fit apud Lucam: illud funus adolescentis filij viduæ Naim, in quo Christus nihil taxauit, nec matris lacrymas reprehendit, nec comitatum sigillauit, imo feretrum accessit, & pium illud officiū miraculo quodammodo confirmauit. Tertius Marci 6. vbi discipu-

cipuli Ioannis Baptistæ venerunt, & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumento; neque Herodes ausus est prohibere. Quartus illustrior est Matth. 22. vbi refertur Pharisæos illos triginta argenteos pretium sanguinis Christi conferre voluisse in emptionem agri ad sepulturam peregrinorum, vt eo boni operis prætextu malitiam tegerent, itaque authore Origine iudicarunt illam pecuniam non nisi in pijs vsibus consumendam, in eo pio prætextu impietatem suam velarũt. Quod expendit Maldonatus, ibi, & opus illud sepeliendi peregrinos *bonum* appellat.

Origen.

Maldon.

Sed nulli loci magis faciunt ad rem, quam ij, qui pertinent ad sepulturam Christi. Qualis est ille Marci 14. in quo Christus vnctus à Magdalena calumniantem Iudam redarguit dicens: *bonum opus operata est in me, præuenit enim vngere corpus meum in sepulturam*. Quod etiam narrat Ioannes cap. 12. eadem fermè responsione, quæ significat curam sepulturæ esse religionem. Imo totum ipsum officium funeris exhibitum corpori Christi mortuo hanc rem confirmat. Inuoluitur enim, vngitur, conditur aromatibus, ponitur in sepulchro nouo, è saxo, vt accuratè narrant omnes Euangelistæ. Neque obijcias excipiendum esse à communi regula Christi corpus, quia erat vnitum supposito diuino. Nam licet hoc sit verum, non permitteret in se Christus quod alias, vel non liceret, vel non deceret. Præterea Ioannes ait Christum fuisse sepultum sicut mos est Iudæis sepelire, quem morem admittens probauit cap. 19. In Actibus Apostolorum Sapphira sepellitur cum Anania coniuge quanuis ambo à Petro essent damnati. Melius exemplum est Dorcadis seu Tabithæ: *quam cum lauissent posuerunt eam in cænaculo circumdatam viduis plorantibus* Act. 9. de Stephani sepultura paulo post dicetur.

Nec opponas Christum improbasse hoc officium sepulturæ, quando respondit illi, qui se excusabat à vocatione propter officium sepeliendi patrem suum. *Sine*, inquit, *mortuos sepelire mortuos suos*. Non enim improbauit officium, sed reprehendit excusationem. Præterea mortuos appellauit eos viuos, qui mortui sunt in vitijs, & Christo non adhærent, in morali sensu locutus. Ad hanc doctrinam pertinet, quod sepelire mortuos non erat vetitum in die festo, apud Iudæos, vti notat Baronius anno Christo 34.

Quod attinet ad traditionem: illam affirmat, & probat Baronius tomo 1. ad annum 34. agens de Stephani sepultura, quam ad hunc locum reseruaui, quia continet ideã Christiani funeris. Itaque dicitur Actorum 8. *Curauerunt autem Stephani viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum*. Vbi hanc traditionem confirmat Lorinus, & Cornelius. Est autem de hac Stephani sepultura Epistola Gamelielis ab omnibus recepta, in qua Gamaliel sic scribit. *Persuasi religiosis Christianis, vt portarent corpus eius in vehiculo ad villam meam, & ibi feci illi planctum fieri diebus septuaginta, & poni eum in meo monumento nouo in Orientali theca, & præcepi meis, vt quæcumque necessaria erant pro eius planctu de meo darent*. Ad quem locum Baronius proximè citatus sic ait: *Cæterum Apostolorum exemplo adeo splendidè per Gamelielem curantium Stephani sepulturam laudabilis in Ecclesia Dei in curandis defunctorum corporibus consuetudo permansit*. Hæc porro consuetudo in multis Concilijs, & Patribus expressa inuenitur. Summa esto in Decreto Causa 13. q. 1.

Baronius

Lorinus.

Cornel.

Gamal.

Baronius.

Hanc traditionem ipsimet Hæretici dum impugnant confirmant.

Nam

Hieron. Nam Vigilantius apud Hieronymũ contra eumdem, ritus Christianæ sepulturæ reprehendit, quod argumentum est, eos tunc temporis viguisse. Sed fortius est argumentum ex Iuliano ductum, qui vsum funeris, & sepulturæ magna ex parte voluit retinere, vt sibi honorem, & existimationem pietatis conciliaret, vti apparet ex illius Epistola ad Arsacium apud Sozomenum lib. 5. cap. 15. Sozom.

Itaque rectè contra hos Hæreticos negantes sepulturæ officium Maldonatus 14. Matth. num. 12. *Isti* ait *boni Ecclesiæ reformatores mortuos mortui noctu sepeliunt, non vt honorent, sed ne fœteant, non vt homines, sed vt asinos, & canes. Cæterum bene est, quod non contingit illis, nisi Hæreticos sepelire, qui digni non sunt vt alia quam asini sepultura, vt scriptura de impio illo rege loquitur, sepeliantur.* Maldon.

CAPVT IV.

Particulares ritus circa funus, & sepulturam Catholici afferuntur.

Probãtur hi testimonijs Patrum, ne obganniant Hæretici. Eamus per partes. Lauari olim solita corpora mortuorum constat. Actorum 9. Tabitha lauatur. Meminit huius vsus Tertullianus in Apologetico, & constat ex Historijs relatis à Gregorio Magno lib. 4. Dial. & Gregorio Turonensi lib. de gloria Confessorum capit. 17. 42. 104. Illud mirum quod fertur de Balduino rege Hierosolymæ, misisse eum in Flandriam reliquias aquæ illius, qua Christi corpus lotum fuit ante sepulturam, auctore Lorino Commentarijs in cap. 9. Actorum. Tertull. Gregor. Lorinus.

Vngi item, & condiri constat à Pollinctoribus, seu Salitoribus, sic enim dicti. Ita de Christo in Euangelio, & Stephano in epistola Luciani refertur. Nazianzenus fratrem suum Cæsarium cum myrrha sepeliuit, vt habetur in epist. eius ad Sophronium. Nyssenus idem narrat de cadauere Meletij oratione in eius funere. Prudentius in Cathemerino Hymno de defunctis: *Aspersaque myrrha Sabæo corpus medicamine seruat.* Inuolui linteis mundis liquet exemplo Christi, imo & vestiri serico velamine, vti habetur in Gregorio Nysseno de Meletio mortuo, cui sindones mundas, & pannos sericos attribuit; id testatur Prudentius citatus. *Candore nitentia clara prætendere lintea mos est.* Defleri & complorari ex funere Stephani scimus. *Viri quippe ille timorati fecerunt planctum magnum super eum*, quem planctum 40. dierum fuisse narrat citata Epistola Lucianus. Hieronymus probat hunc planctum lib. 1. in Vigilantium. Et in Epist. 25. ad Paulam, quæ Blesillam filiam suam mortuam diu & vehementer fleuit. Pertinere autem fletum ad pompam, & ritum funeris docet Hieronymus. Luxit vero Ambrosius Satyrum, & Bernardus Gerardum fratrem. Quod si excessus plorandi à sanctis reprehenditur, taxatur abusus ex nimio luctu. Nazianz. Nyssenus Prudent. Lucianus Hieron. Ambros.

Exponi autem corpora defunctorum palam consuetudo fuit. Actorum 9. corpus Tabithæ positum est in cœnaculo. Imo & multis diebus ita exponi aromatibus conditum constat. Hoc de corpore Paulæ refert Hieronymus in Epitaphio, & de corpore Pelagiæ Gregorius Turonensis lib. de gloria Confessorum cap. 14. Et idem tradit Baronius 1. tom. anno 34. agens de funere Stephani. Adhiberi thura ex Chalcedonensi Concilio constat: nã Act. 1. accusatur Dioscorus auaritiæ, quod in funere Peristeriæ pię fęminę thus subtraxit. Hieron. Gregor. Turon.

Cereorum, & Lampadum lumi-

Nazianz. na clarent in Patribus. Nazianzenus ait in funere fratris sui Cæsarij matrem faces gestasse. De corpore Constantini, illud cereis illustratum luminibus, ac multa face elatum fuisse narrat Eusebius. Hoc in funere Paulæ Hieronymus, hoc in funere Macrinę sororis Nyssenus, hoc in funere Constantis Nazianzenus factum fuisse memorat. Hunc morem probat Athanasius apud Damascenum lib. de mortuorum suffragijs, & Chrysostomus Hom. 20. ad populum Antiochenum.

Hierón. Athanas. Chrysost.

Omitti non debet locus Gregorij Nysseni in funere Meletrij vbi sic: *Vtrinque quasi amnes continentibus facibus tractu continuo, perpetuoque fluentes porrigebantur.*

Cantus, & recitatio Psalmorum celebratur à Patribus. Hieronymus in funere Paulæ affirmat Hebræo, Græco, Latino, Syroque idiomate Psalmos in ordine sonuisse per integram Hebdomadam. Simile est, quod narrat Augustinus in funere matris suæ Monicæ. Idem tradit Gregorius Nazianzenus Oratione 2. in Iulianum, & Chrysostomus Hom. 4. Epist. 2. ad Hebræos, & Sulpitius in vita Sancti Martini, & Dionysius cap. 7. de Hierarchia Ecclesiastica.

Hieron. August. Sulpitius

De comitatu, & pompa multa sunt testimonia Patrum: Hieronymi in funere Paulæ, & Fabiolæ Chrysost. Hom. 9. ad populum Antiochenum, & Nysseni in funere Meletij, Illustris autem est locus Pontij Diaconi in Actibus passionis S. Cypriani, vbi sic: *Vnde cereis à scholaribus in area cuiusdam Candidi procuratoris magno triumpho sepultus est.* Ingentes autem fieri sumptus in officio funeris, & sepulturæ Author est Tertullianus in Apologetico. *Si Arabiæ queruntur, sciant Sabæi pluris, & carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quàm Dijs fumigandis.* Quo tanti iudicio viri abundè Hæretici nostri refutantur.

Pontij Diac. Tertull.

CAPVT V.

Pium Funeris officium idoneis rationibus confirmatur.

RAtiones formandæ sunt partim ex lumine naturali, partim ex fide supernaturali petitæ. Prima naturalis esto. Corpus humanum est domicilium animæ nobilissimæ, & socium, & instrumentum illius, ergo est honorandum, & colendum, ac proinde curandum, & sepeliendum. Nam si mutas regum, parentum, & amicorum statuas, & picturas domi habemus, & magni facimus, quanto maiori iure corpus quod est quasi animę nostræ imago, & exemplar illarum imaginum venerandum erit.

Secunda. Aliqua differentia, & discrimen esse debet inter sepulturam humani cadaueris, & belluini. Hoc autem esse non potest aliud nisi honor funeris, & sepulturæ. Igitur hoc adhibendum est. Nam nisi hæc cura fit in viuis ergà mortuos, cætera inter cadauera hominum, & animalium sunt paria, cum putrescant, & corrumpantur. Quare quod multæ Gentes faciunt condiendo aromatibus corpora defunctorum, ideo faciunt, vt ea à brutis distinguantur.

Tertia. Sepulturæ honestæ, & gloriosi funeris appetitus inest homini naturaliter, ergo ea cura ad naturam pertinet. Hinc apud veteres tot ritus, & ceremoniæ sepeliendi suos, tot monumenta, tot epitaphia, tot cenotaphia, tot tituli, & arma, tot trophæa congesta.

Quarta. Apud omnes etiam barbaras nationes fuit habitum supplicij loco, priuare defunctos sepultura, eosque in sepultos relinquere, ergo à contrario sepelire erat honor, & be-

& beneficium. Hinc veteres precabantur caris, & amicis terram leuem, mitem sepulturam ea formula *sit tibi terra leuis*. Inimicis contra grauem, & infœlicem. Legimus quoque parentes à filijs, & amicos ab amicis sepeliri solitos amoris, & honoris argumento. Confirmatur, quia Romani, qui inter cæteros habentur religiosiores, officium sepulturæ sacrum existimarunt. Vnde Libitinam Deam ei ministerio præsidem assignarunt, qua de re fit mentio in iure ciuili, Nouella 93.

Transeamus ad rationem supernaturalem. Prima sit. Resurrectio corporum de fide futura est, & corpora animabus reunientur, & in hac spe fideles viuimus. Igitur æquum est, vt humanorum corporum habeatur cura, quæ fidei sequax est. Hæc monstrat, qui cadaueribus curam impendunt eos eorum resurrectionem intueri, & immortalitatem expectare.

Secunda. Relinquere corpora insepulta est velle ea despicere, & despiciendo desperare de illorum resurrectione. Hoc autem piaculo dandum est, ergo non debet admitti. In hoc argumento versatur Canon 21. Concilij Toletani Tertij qui habetur 13. q. 2.

Concil. Toletan.

Tertia. Illa funeris, & sepulturæ curatio excitat mentem in Deum, & occasione illius operis, qui illud exercent, recordantur mortis suæ futuræ, & æternitatis, quam sperant, quæ recordatio salutaris est, vti obliuio perniciosa.

Quarta. Sancta mater Ecclesia ponit inter opera misericordię mortuos sepelire. Ergo sepulturæ, & funeris procuratio ad misericordiam pertinet. Et patet, quia hoc modo tum viuis, tum mortuis consulitur, Viuis, ne illis noceant cadauera corrupta, & putrefacta: mortuis, ne maneant nuda, & turpia, & ludibria & feris, & coruis.

Quinta. Quia quando Christiana corpora sepeliuntur cum comitatu, & precibus, animæ Deo à pluribus sæpius, & impensius commendantur.

Sexta. Petitur ex Canone 6. Concilij III. Carthaginensis Prouinciali, quod confirmatum est in Sexta Synodo Generali in Trullo celebrata vbi sic. *Item placuit vt corporibus defunctorum Eucharistia non detur.* Et rursum. *Cauendum est etiam, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat, nec Eucharistiam dari licitum est*. Idem prohibetur in Concilio Antisiodorensi sub Papa Deus dedit. Canone 12. & in Concilio VI. Generali Canone 85. eadem lex habetur. Hoc titulo. *Mortuis non est danda Eucharistia*. Ex eo enim quod prohibetur, apparet quanti olim in pretio habita fuerint apud Catholicos cadauera fidelium defunctorum, vt opus fuerit excessus erga illa immodicæ pietatis, & quidem iure auferre. Vnde colligitur alia officia moderata, & iusta licuisse.

Concil. Carthag.

Concil. Antisiod.

Vltima ratio communis est nixa illo principio naturæ. *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Excutiat se quisque, & examinet, vtrum velit suum corpus insepultum relinqui? experietur omnino nolle. Ergo impendat alijs, quod sibi vellet esse impensum. Confirmatur quia quò Nationes erant cultiores, & sapientiores, eò maiori opera funera curarunt, & sepulchra erexerunt, quémadmodum apparet ex Romanorum, & Atheniensium, & Lacedæmoniorum historijs, qui videntur magis ad rationem accessisse. Quæ exempla videri possunt apud Cæliũ Rhodiginum, & Alexandrum, & Tiraquellum. Non pauca huc spectantia affert Pererius in Gen. tom. 4. lib. 5. disp. 4. & Lorinus Act. cap. 5. de sepultura Ananiæ, & Saphiræ, & cap. 8. de funere Tabithæ. Certe

prisci hæretici maiorem, quam nostrates funeris, & sepulturæ rationem habuerunt, constat quippe eos Cæmeteria fabricasse, ac in ijs orasse, & defunctorum, quos Martyres suos dicebant animas inuocasse, quemadmodum apparet ex Canone 9. Concilij Laodiceni sub Liberio in quo aditus in ea cæmeteria, & martyria Hæreticorum Catholicis interdicitur.

CAPVT VI.

De Ministris Funeris, & Sepulturæ.

Rosin. MVltiplex erat ministrorum sepulturæ apud Romanos genus. Erant alij ab vngendo pollinctores, alij politores à lauando, & tergendo, alij baiuli à portando, quorum quidam Lecticarij à lecticis, in quibus corpora efferebant: quidam Sandapilarii à sandapila tenui, & vulgari feretro. Nonnulli Vespillones, quia vespertino tempore mortuos clam, & taciti deferebant. Omnes hi Libitinarii à Libitina Dea nuncupati, in cuius æde seruabantur omnia quæ ad instructionem funebris pompæ erant necessaria. Vocabantur item Decani, quia in Decurias distributi erant. Iul Firm. Omnes item Iulius Firmicus funerarios appellat. Constantinus Imperator lege de Lecticariis iussit, vt nongentæ quinquaginta officinæ essent, quæ Lecticarios totidem suppeditarent pro funerandis defunctis, & eas immunes fecit ab omni publico munere, ac vectigali. Quam legem Arcadius, & Theodosius minor confirmarunt. Lege. *Non plures.* Codice de sacris Ecclesiæ. Auxit numerum Anastasius vsque ad mille centum, & Iustinianus Nouella 43. & Leo cognominatus Philosophus Nouella 12.

In Ecclesia Catholica item celebrati huiusmodi ministri, qui apud Ignatium Græcè *Copiontes*, apud Epiphanium *Copiatæ*, idest *Laborantes*, apud Hieronymum epistola ad Rusticum si tamen illius est, *Fossarij* nuncupati. Hi etiam obuoluere & cooperire defunctorum cadauera solebant, quorum meminit Iustinianus Nouella 43. & 59. & 61. nomine Copiatarum. Vbi Interpres, vertit, Laboratores. Verum hoc munus honestius videbatur esse, quam Sandapilariorum, cum Ignatius epistola 12. Laborantes numeret inter sacros Ministros: sic enim ait. *Saluto Hyppodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores.* Ignatius. Certè magnis hosce fossarios, seu funeris curatores Imperatores præmijs affecerunt, quæ refert Baronius tom. 1. Anno Baronius Christi 336. vbi hoc officium commendat, & ait, diu Romæ opinione pietatis viguisse, donec pene abolitum, & quasi sepultum est. Verum postea superiori sæculo instauratum, instituta Romæ Confraternitate piorum hominum, quæ *Mortis* appellatur, *Christiana*, inquit, Baronius, *pietatis dignum exemplar.*

De qua meminit non sine laude Lorinus in cap. 5. Actorum, & addit eam ex Vrbe Roma in alias Pro- Lorinus. uincias propagatam. Refert præterea Epiphanius Georgium Episco- Epiphan. pum Alexandrinum excogitasse certum numerum Lecticariorum, sine quibus nemini liceret corpora mortuorum præsertim peregrinorum efferre, quæstus tamen gratia, non pietatis. Adeo lucrum vel ex mortuis quæritur.

Hoc nomine legimus apud Gentiles celebratos clarissimos viros, inter quos numeratur Cimon Atheniensis Reipublicæ Princeps, qui teste Aemilio Probo in eius vita mor- Aemilio Probo. tuos pauperes suo sumptu efferri curabat, & Pisistratus apud Eusthatium, qui famulos secum circumduce-

cebat ad sepeliendos obuios pauperes in quos incidebat. Et Marcus Antoninus Pius, de quo narrat Capitolinus sumptu publico vulgaria funera efferri imperasse. Capitol.

Inter Christianos viri sanctissimi hoc munus sunt professi. Inter quos est Malachias apud D. Bernardum. Bernard. De Hugone Linconiensi Episcopo refert eius vitæ author inuitatum à rege ad prandium venire noluisse, vt vacaret officio piæ sepulturæ. Martyrum corpora sepelire honoratissimum fuit. Patet ex Canone 2. de Martyrum sepulchris, & honorificentia, in Carthaginensi Concilio I. Plenæ sunt exemplis vitæ Sanctorum. Vnum tantum affero Eutychiani Papæ, de quo traditur in Martyrologio 342. Martyres sepelisse proprijs manibus. Martyr. Sed nostris Hæreticis, hominibus pijs, placuit Sanctorum Martyrum, & Confessorum cadauera exhumare, & in cineres redigere. Sentiunt nimirum cum Vigilantio apud Hieronymum Hieron. immundas esse Martyrum reliquias. Sed bene est, quod feris, & coruis similes euaserunt.

CAPVT VII.

Funeris, & Sepulturæ officium ex Concilijs, & Canonibus probatur.

TAnti est hæc materia, vt multa de illa sint in sacris Canonibus, & Concilijs Decreta. Primum Canones afferamus. In 2. p. Decreti causa 13. q. 2. cap. 1. Parochiæ, & Cæmeteria ex Dionysio Papa distribuuntur, vt Cæmeteria sequantur Parochias. Caput 2. *Ebron*, & 3. statuunt, vt vxores cum viris, filij cum parentibus, fratres cum fratribus sepeliantur, iuxta doctrinam Augustini l. 9. Confess. c. 11. & Gregorij lib. 4. Dialog. cap. 34. August. Vnde Melchiades Papa cap. *Placuit* 7. vetat, ne quis temere sepulchrum paternum reijciat.

Capite *vbicumque* dicitur exceptis casibus quos infra ex Concilio Triburiensi afferemus, vbi quis decimas soluit, ibi esse tumulandum, idest, in Parochia sua. Cap. 12. & cap. 13. 14. & 15. prohibetur, ne quid pro sepultura exigatur, & permittitur, vt aliquid pro illa sponte donetur. Caput 16. & 18. videntur inter se contraria, nam illud vetat sepeliri in Ecclesia, hoc autem permittit omnes fideles ibi sepeliri. Illud Varense Concilium; istud Moguntiacum decernit. Sed hoc vltimum recipitur, & constat ex cap. 16. & 17. iuxta Augustini, & Gregorij d[o]ctrinam. Quod item confirmatur ex dictis cap. 19.

Capite 25. 26. & 28. improbatur lugeri mortuos. Sed hoc iuxta Glossam intelligitur cum nimio excessu, vel ex desperatione. Capite 28. quod deducitur ex Concilio Toletano III. Psalmi, & Cantus Sacri in funere fidelium probantur. Capite 30. suspensis in patibulo ob iustitiam conceditur sepultura in Ecclesijs, & Cæmeterijs.

In Decretalibus titulus 38. agit de sepulturis. Capite 1. statuitur mos sepeliendi in sepulchris maiorum: permittitur tamen volenti alibi sepeliri, dummodo soluat tertiam partem portionis propriæ Parochiæ. Decret. Capite 3. improbatur sepeliri in loco minus religioso, relicto proprio & magis religioso. Capite 4. & 5. inuitis Parochis non licet apud alienos sepeliri. Capite 7. declaratur vxori ius esse eligendi sepulchri, vti & viro. Ibidem decernitur licere Patri filios impuberes, vbi velit sepeliri, nisi sit vsus contrarius in Ecclesia. Capite 8. & 10. statuitur, vt qui eligit sepulturam extra Parochiam, soluat Parocho quartam portionem. Capite 12. excommunicati sepultura priuantur, & decernitur

nitur, vt si contingat sepeliri eos in Ecclesia, exhumentur, quod si non possint discerni ossa, nemo deinceps ibi fidelis sepeliatur. Capite 13. cautum, ne quid exigatur pro sepultura.

In sexto Decretalium titulo 12. de sepulturis. Capite 1. prohibentur pacta, & conuentiones de sepultura, & habentur pro irritis, si contra morem sepeliendi fiant. Capite 2. permittitur contra Canones antiquos sepeliri in locis minus religiosis antiqua sepultura dimissa. Capite 3. decernitur, vt migrans ex domicilio in rus, & ibi moriens sepeliatur in sua Parochiali. Praeterea disponitur, vt vxor, quae multos habuit viros cum vltimo tumuletur. Capite 4. vetatur ne pater, cui alioqui fas est eligere sepulturam filio impuberi, eum sepeliat extra Parochiam, quando mos est ibi sepeliri. Decernitur item, vt filio familias absque patris assensu liceat eligere sibi sepulturam, quamuis hic non possit de suis bonis disponere. Capite 5. prohibetur religiosis extra sua monasteria, nisi eo nequeant deferri. Libro 5. capite 2. excommunicatis negatur sepultura, & iubentur exhumari, & locus interdicitur. Libro tertio Clementinarum totus est de sepulturis titulus septimus. Cap. 1. excommunicantur qui tempore interdicti sepeliunt mortuos in loco interdicto, vel extra illum excommunicatos sepeliunt. Capite 2. Fratribus Praedicatoribus, & Minoribus liberum est recipere ad sepulturam fideles, dummodo tamen quartam portionem, quae dicitur Canonica Parocho restituant. Tamdem titulo 18. de pactis cap. 1. textus est, in quo dicitur Monachos pactos cum Parocho de non recipiendis Parochianis defunctis in sua monasteria, lege pacti teneri.

In Conciliis. Primum est Elibertinum sub Marcello Papa tom. 1. Conciliorum par. 1. apud Binium pag. 195. vbi sic Canone 34. *Cereos per diem placuit in caemeterio non incendi, inquietandi enim Spiritus sanctorum non sunt*. Et 3. *Placuit prohiberi, ne faeminae in caemeterio peruigilent, eo quod saepe sub obtentu orationis latenter scelera committant.*

Hic animaduerto in Concilio nō vetari, cereos noctu, sed interdiu accendi. Ait quippe diserte Canon. *Caereos per diem placuit in caemeterio non accendi*. Quare non erat in cereis superstitio, sed in tempore; idque patet ex Canone proximo in quo cauetur, *ne mulieres in caemeterio peruigilent*. Vnde constat, & moris esse vigilare viros, & lumina habere, qui enim sine ijs eo in loco pernoctarent? Igitur *dies* illos cereos suspectos reddebat. Causa tamen nec dum apparet. Eam puto esse, quod alieno tempore, idest luce, quae tenebras non patitur lumina inferebantur, ceu nox esset: atque adeo videbantur vmbras inducere, & manes euocare: nec enim alij vsui lumina per diem esse poterant: cum ijs opus ad expellendas tenebras, non esset. Verum obijcietur à quopiam in Ecclesia Catholica solere cereos etiam de die super sepulturas accendi, idque in media fieri Roma videmus, nihilque inde oriri, aut suspicionis, aut scandali, imo pium id & religiosum habetur. Respondeo aliam esse illorum temporum rationem, & nostri. Tunc enim idest tempore Concilij Elibertini, adhuc magna pars Hispaniae idolatriae dedita erat, & Christiani ab illa recentes arcendi erant ab ijs ceremonijs, quae similitudinem aliquam cum gentilitatis ritibus habebant: ne quid periculi crearetur neophytis: quemadmodum apparet ex multis Canonibus huiusce Concilij quibus multa prohibentur, & haereticorum propria. Ij vero sunt 1. & 2. & 3. & 13. & 16. & 17. & 18. & 59. & 60. Quae ostendunt eo tempore

pore vigere magna ex parte in Hispania gentilismum, multaque ob periculum superstitionis quæ alias tolerari possent, prohibita fuisse. Eiusmodi autem erat illa ceremonia cereorum quæ de die in cæmeterio incendebantur.

Concil. Valent. Concilium Valentinum sub Ioanne II. Papa Canone 4. statuit, vt corpus Antistitis dum non sepelitur stipetur à fratribus, & religiosis, & aliis cantantibus Psalmos. Et in fine Concilii decernitur, vt mos antiquus in sepeliendis Sacerdotibus seruetur. Est apud Binium tomo 3. par. 1. fol. 631.

Concil. Aurel. Concilium Aurelianense secundum Vigilio Papa decernit Can. 5. & 6. nonnulla quæ ad sepulturam Episcopi attinent, & cauet ne diù insepultum corpus Episcopi Ecclesiæ relinquatur. Canon 5. idem prosequitur argumentum. Toletan. In Toletano III. Pelagio II. Pontifici est insignis Canon 21. hoc titulo. *Quod qui spem futuræ resurrectionis habent de mortuis tristari non debent*, qui rem funeralem, & sepulchralem continet, & tradit. Antisiod. In Concilio Antisiodorensi, sub Papa Deus dedit Canon 12. 13. 14. 15. ad hanc doctrinam pertinent.

Tol. IV. Concilij Toletani IV. Honorio Pontifice Canon 45. cauet ne Clerici sepulchra demoliantur. Toletan. Est Canon Concilij Toletani VII. Papa Theodoro, qui de funere, & exequijs Episcopi, & Presbyteri agit. Mogunt. In Concilio Moguntino sub Leone III. Canon. 51. & 52. Sepulturæ doctrinam tradunt.

Inter Concilia tom. 3. p. 1. sess. 2. habetur Epistola Nicolai I. quæ statuit, vt seipsum interficiens sepeliatur sine exequijs, & vt missa pro ipso non offeratur. Statuit item ex Greg. P. D. Gregorio Papa, vt Christiani in suis Cæmeterijs sepeliantur: habetur pag. 533.

Concilium Triburiense sub Formoso Papa tom. 8. par. 2. par. 2. pag. 124. tres Canones habet. Tribur. Decimus quintus statuit, vt sepultura sit in Ecclesia Episcopali, sin minus in Ecclesia Canonicorum, aut Monachorum, aut Monialium, vel saltem vbi decimæ soluuntur. Decimus sextus statuit, ne pro sepultura pretium exigatur. Decimus septimus iubet, vt nemo Laicus in Ecclesia sepeliatur, nisi iustus sit. Qui sic intelligendus est Canon, ne quis publicus peccator sepeliatur, vt ex sequentibus patet, ne contingat exhumari corpus, vti habetur in Concilio Valentino.

Concilium Londinense sub Paschali 2. tertio tom. par. 2. decernit, Londin. vt quisque in sua Parochia sepeliatur, ne priuet Parochum debita portione, habetur p. 439.

Concilium Lateranense III. sub Lat. III. Alexandro III. tom. 3. par. 2. pag. 571. statuit primo, licere cuique sibi eligere sepulturam, dummodo ne fraudetur Parochus portione. Deinde 2. ne Monachi authoritate propria, apud se mortuos sepelliant.

In Concilio Salisburgensi sub Salisbur. Martino V. deciditur, ne quis excommunicatus in sacris locis tumuletur, ac si id eueniat exhumetur pag. 968. ac ne pretium extorqueatur pro sepultura. Inter Concilia huius tomi est Constitutio Riculfi Suessionum Episcopi pag. 988. vt sepulturæ curentur, ac ne xænia pro ijs exquirantur. Vetatur item ne quis in Ecclesia sepeliatur, quod intelligendum est, vti proximè dictum est.

In Concilio Frisingensi sub Eu- Frising. genio IV. tom. 2. par. 2. pag. 1003. cauetur ne suspensi, aut decollati, vel vtcumque damnati per sententiam, nec ipsi in Torneamentis, & spectaculis interfecti Ecclesiasticam habeant sepulturam, & ne quid mercedis pro sepultura exigatur præter

soli-

ſolitum ſalarium. Idem Concilium prohibet tempore interdicti ne ſepultura Eccleſiaſtica, qui ſunt in interdicto culpati ſepeliantur. Cæteri autem ſine campanis, & ſolemnitatibus ſilentio tumulentur.

Concilium Colonienſe tom. 4. p. 2. pag. 195. decernit vt magnifica pompa in exequijs negligatur propter vanam gloriam.

In Concilio Mediolanenſi par. 2. titulo *de Funeribus, & exequijs* accuratiſſimè agitur de omnibus requiſitis in ſepultura, & funere. Commendantur preces, & eleemoſynæ pro defunctis. Comeſſationes, & crapulæ prohibentur, & nihil prætermittitur, quod ad ſacras ceremonias, & ritus pertineat.

CAPVT VIII.

Hæreticorum Argumenta ſoluuntur.

LOcus Lucæ obiectus nihil obſtat, quia ſenſus illius eſt, non eſſe timendum à Tyrannis, qui vltra mortem torquere non poſſunt, cum ſolus Deus ſit timendus, qui poſt mortem poſſit in gehenna torquere. Nihil hoc habet contra ſepulturam.

Prima ratio ducta ex ſuperſtitione, quod Chriſtiani Gentiles imitantur facilè ſoluitur. Prima negando eſſe ſuperſtitionem, quia ſuperſtitio habet aliquid contrarium diuino cultui, illud autem officium funeris nihil habet contra cultum diuinum, imo exercetur ex intentione honorandi Chriſtiana corpora propter Deum. Deinde quia eſt opus miſericordiæ, & pietatis fundatum in fide Chriſtianæ reſurrectionis. Soluitur 2. quia non omnia quæ fiunt à Gentilibns ſuperſtitioſa ſunt, imo religioſa fiunt, ſi reducantur ad vſum Chriſtianum. Nam Gentiles faciunt eleemoſynas, & ieiunant, & ſeruant fidem in contractibus, & in matrimonijs. Nos autem Chriſtiani dum eadem facimus ſuperſtitioſi non ſumus, imo & meremur gratiam, & gloriam quando ad finem ſupernaturalem referimus. Hæretici tamen qui hoc obijciunt imitantur Gentiles in ludis, & crapulis, & non timent eorum ſuperſtitiones.

Secunda ratio ſumpta ex abuſionibus, & peccatis commiſſis in officio funeris, & ſepulturæ futilis eſt. Nam hæc proueniunt ex culpa hominum in particulari, non ex obiecto, & genere rerum. Multa quippè indifferentia, & bona ſunt, quæ detorquentur ab hominibus ad malum finem, & tamen non ideo mala ſunt. Multi enim ieiunant ob hypocryſim, multi dant eleemoſynas propter vanam gloriam, & tuba canunt, multi frequentant Eccleſias, vt fœminas videant, multi ex hæreticis cibo, & potu abutuntur, & tamen cibus, & potus mali non ſunt. Præterea Eccleſia noſtra iſta peccata punit, & laudat officium ſepulturæ. Ergo diſtinxit mala quæ ſolent irrepere à bonis quæ ſunt inculpata, quod patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. ſub Pio IV. de miſſa in Decreto *de obſeruandis*. Certè ſi propter peccata, quæ homines in vſu rerum committunt auferendæ ſunt res in quibus peccamus, oportet vt Hæretici nec edant, nec bibant, nec pacta, & contractus ineant, nec mercaturam exerceant: nec quod ijs moleſtiſſimum erit, vxores ducant. Nam illi ſæpè inebriantur, ſæpè fallunt fidem, ſæpè adulterant. Vnde neceſſe eſt eos abſtemios eſſe & religioſos, & eunuchos, quod maximè horrent. Si tamen illi hæc fecerint, nos funera non curabimus. At tam certum eſt eos non eſſe facturos, ac ſolem cras eſſe oriturum. Curabimus ergo funera, dum illi cuticulam curant, ideſt ſemper.

Ca-

Canones quos Hæretici objiciebant, contra illos militant; præoccupant ea, quæ objiciunt, distinguendo officia à peccatis, prohibent enim peccata,quæ solent interuenire in rebus quæ sunt bonæ. Itaque has probarunt,illa improbarũt, non tamen sustulerunt officium, sed culpas intercurrentes auerterunt. Imitentur ergo Hæretici Canones nostros, probent officia, reprobent culpas.

Quod attinet ad excessus lugendi, & alia quæ arguunt diffidentiam, & pusillanimitatem dicimus, à nobis item damnari nimios illos excessus, qui degenerant à virtute, sed non idcirco auferendæ sunt virtutes quia extrema habent vitiosa, sed vitanda extrema, & amplectendæ virtutes. Ex argumento Hæreticorum sequitur neminem debere liberalem esse,quia sępè liberales prodigi sunt, quod est absurdum. Sicuti ergo possunt homines liberales esse excluso vitio prodigalitatis, ita & possunt esse pij erga defunctos sine illo excessu nimio diffidentiæ, & pusillanimitatis.

De anniuersarijs iam dictum est, ea fieri ad maiorem securitatem, quia ignoramus in quo statu animæ sint, & ideo continuamus suffragia, vt tandem aliquando ijs liberentur animæ ex Purgatorio. Si enim sciremus eas esse beatas desisteremus à suffragijs, vt potè qui scimus sanctos in beatitudine non indigere orationibus, imò verò nos eorum ope indigere. Præterea sunt illæ commemorationes solatia viuentium, dum eorum quos diliximus recordamur. Tandem illæ preces, & suffragia non perduntur, cum in Thesauro Ecclesiæ maneant, de quo in materia de Indulgentijs dictum est.

Superest vnus difficilis locus Cõcilij Elibertini, quod Canone 34. vetat accendi cereos. Textus est. *Cereos per diem placuit in cæmeterio non accendi, inquietandi enim Sanctorum spiritus non sunt. Qui hæc non obseruauerint arceantur ab Ecclesia communione, ne inquietentur spiritus sanctorum*; qui textus torquet ingenia, ac proinde in eo sudarunt Loaysa, & Binius in notis, & Baronius tom.1.anno 34. & Suarez to.1. de Religione. Duæ sunt expositiones 1. Loaysæ quam non improbat Binius. Ea verò est. Spiritus Sanctorum esse animas fidelium viuentium, qui solebant scandalizari ea ceremonia, quòd Gentilitatem redoleret, cum ea vterentur Neophyti, in quibus adhuc quædam vestigia superstitionis cernebãtur. Quod autem fideles viui, Sancti appellentur, mirum non est, cum Paulus hoc nomine illos afficiat ad Ephesios 4. dum ait: *Ad consummationem sanctorum*, id est, fidelium. Et clarius 1. ad Philip. *Omnibus Sanctis, qui sunt Philippis*. Et Petrus Epistola 1. cap. 2. *Vos autem genus electum, gens Sancta*. Baronius tamen, & Suarez fatentur Concilium loqui de animabus Sanctorum defunctorum, quos dicunt inquietari illa ceremonia, dum Neophyti more Gentili conabantur illas excitare, atque è sepulchris excire, vti antea cum erant Gentiles facere soliti. Vtitur autem Concilium verbo *inquietare*, quo Scriptura vsa est loquens de anima Samuelis cum à Pithonissa fuit excitata 1. Reg. 28. vbi. *Quare inquietasti me vt suscitarer?* Hac igitur ratione vetuit Concilium, ne accenderentur illi cerei, cum intentio accendentium esset defunctorum animas euocare. Hæc explicatio bona est, & placet Binio.

Suarez. Loaysa. Ephes 4. 1.Petr.2. Baronius

Ego sic iudico. Primò loqui Concilium de animabus defunctorum, non de viuis, in quos non quadrat ille modus loquendi; *Spiritus Sanctorum*. Secundo non placet hæc interpretatio, quia Concilium sup-

Zzz po-

ponit animas defunctorum inquietari posse illo ritu, quod non supponeret, si sensus esset posse illas more gentilico excitari; nam animę Gentilium non excitabantur, sed laruæ quas dæmones fingebant excitari. Non poterant ergo hoc modo animæ sanctæ inquietari. Nec obstat exemplum Samuelis, quia illę casus miraculosus fuit, hic vero supponitur animas defunctorum posse quoties ille ritus fieret excitari. Quare sic explico, inquietari animas, esse tristari de illo ritu, qui erat proximus superstitioni à quo abhorrebant, quia cum animæ defunctorum sciant reuelantibus Angelis, quæ pro ijs fiant suffragia, quòd sciebant illos ritus superstitiosos fieri affligebantur, & tristabantur. Sunt enim capaces doloris, & tristitiæ. Quæ interpretatio videtur idonea & prorsus soluit difficultatem.

Coronidem impono Controuersiæ illo Canone Arelatensis Concilij III. sub Leone I. qui totus ad rem funebrem pertinet, & traditam magna ex parte doctrinam confirmat. Sic igitur Canon ille qui est IV. *Vt laici qui excubias funeris obseruant cum timore, & terrore, & reuerentia hoc faciant. Nullus ibi diabolica carmina præsumat cantare, nec iocos, nec saltationes facere, quæ Pagani docente Diabolo adinuenerunt. Quis enim nesciat Diabolicum esse, & non solum à Religione Christiana alienum, sed etiã humanæ naturæ esse contrarium? ibi lætari, cantare, inebriari, cachinnis ora dissolui, & omni pietate, & affectu charitatis postposito, quasi de fraterna morte exultare, vbi luctus, & planctus flebilibus vocibus debuerit resonare pro amissione chari fratris. Patres siquidem veteris, & noui testamenti mortes Sanctorum virorum legimus multis in locis cum fletu deplorasse: in nullo autem loco de illis qui à sæculo discesserant, exultasse. Nam & Iacob Patriarcham tota fleuit Aegyptus 70. diebus. Et Ioseph, & fratres eius cum Patrem deferrent in terram Chanaan ad sepeliendum celebrantes exequias, planctu magno, atque vehementi impleuerunt septem dies. Tantus autem fuit planctus, vt locus inde nomen acceperit. Et de Beato Stephano legimus, quod sepelierunt eum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum. Et ideo talis inepta lætitia, & pestifera cantica ex auctoritate interdicenda sunt. Si quis autem cantare desiderat,* Kyrie eleison *cantet; si autem aliter omnino taceat. Si autem tacere non vult in crastino à presbytero taliter coerceatur, vt alij timeant.*

SCHO-

SCHOLA XVIII.

DE POSSIBILITATE ET IMPOSSIBILITATE MANDATORVM DEI.

CAPVT PRIMVM.

Varij circa hoc Hæreticorum errores.

PRIMVS error fuit eorum, qui putarunt mandata esse impossibilia. Potest autem duobus modis mandatum esse impossibile: vel ex obiecto, veluti si præcipiatur id quod fieri nequit, v.g. homini volare, vel ex impedimento, veluti si vincto præcipiatur ambulare. Primus modus significatur illis verbis Moysi Deuteron. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, & deferat illud ad nos?* Quis enim potest in cælum viuus ascendere? Cui loco Paulus cap. 10. ad Rom. 6. addidit. *Christum deducere*: & rursum, *aut quis descendet in abyssum, id est, Christum à mortuis reuocare?* Cum de operibus iustitiæ, quæ operatur per fidem loqueretur. Vtriusque, opinor, sensus fuit dicere, quæ à Deo erant præcepta non esse ex obiecto impossibilia: nec enim Lex Moysi præcipiebat Iudæis, vt in cælum ascenderent, nec Lex gratiæ Christianis, vt Christum de cælo deducerent, vel ex mortuis suscitarent, sed tantum, vt crederent legem à Deo datam, & Christum iam incarnatum, mortuum, & suscitatum. Vnde vterque posuit obiectum facile, & obuium ad credendum, & implendum. *Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, idest*, fides in ore, charitas in corde, ad quæ reducuntur omnia mandata, quibus obseruatio legis continetur.

Roman.

Secundò modo præcepta dicunt impossibilia nostri temporis Hæretici, Lutherus, & discipuli: Caluinus, & sectatores, qui negant ex impedimento seruari posse. Aiunt enim ex corruptione naturæ per peccatū originale adeò animam fuisse infectam, & debilitatam, vt nemo sine

fidelis, siue infidelis, etiam cum magna gratia mandata seruare possit; affirmantque ipsam concupiscentiam, & motus eius esse peccata, quæ cum vinci non possint, neque vitari, ineuitabile omnino esse peccatum: vnde multa consequentia deducunt. Primum, nullum esse opus bonum, meritum nullum. Secundum opera omnia moralia etiã iustorum esse peccata. Tertium, iustitiam fieri per solã fidem, eumque tantum esse iustum, qui fidelis sit. Quartum, peccata non remitti, sed tantum non imputari.

Hanc esse constantem Hæreticorum doctrinam mihi, & eorum opera legenti, & cum ijs agenti perspectum est. Malo tamen citare DD. idoneos nostros, quibus maior habenda sit fides. Ita referunt Stapletonus lib. de peccato originali in proœmio, & totis 6. libris sequentibus, præsertim lib. de perfectione iustitiæ. Driedo lib. de concordia, & lib. 2. de gratia, & lib. arbitrio. Bellarminus toto fermè lib. 4. de iustificatione, & Vasq. tomo 1. 2. disput. 112. & 113.

Stapiet. Dried. Bellar. Vasq. Concil. Trid.

Contra hos scribit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. de possibilitate mandatorum, & cap. 3. de iusti ficatione Can. 9. contra fiduciã inanem Hæreticorum. Eos verò damnat Can. 6. & 7. 9. & 21. 12. & præcipuè canone 18. 20. & 24. & sequentibus, in quibus exactè omnes isti errores, & proponuntur, & condemnantur; illorum autem caput, & fontem iam ante damnauerat Concilium in Decreto 5. sessionis, vbi anathema dixit ijs qui tenent peccatum originale non omnino tolli per baptismum, & qui affirmant concupiscentiam esse verũ, & proprium peccatum. Ex hoc enim fõte omnes alijs errores emanarunt.

Secundus eorum fuit, qui dixerunt omnia præcepta tam esse obseruatu facilia, vt solius naturæ viribus sine vllo adiutorio gratiæ seruari possint. Ita Pelagius, & Cælestius, & Iulianus apud Augustinum in libris contra eos scriptis, & Lib. de Hæresibus cap. 18. de qua, cum hæresis nota sit, dicere abstineo. Tantum addo ex recentioribus Hæreticis Socinianos, & Remonstrantes qui maximè in Hollandia, & Anglia vigent, ex parte in ea esse, cum Semipelagiani manifesti sint. Refellit, & damnat eorum errorem Tridentinum in eadem sess. 6. à c. 1. ad 6. & Can. 1. & 2. quamquam breuius, quòd præcipuum eius institutum fuit damnare Lutheri, Caluini, & sequacium errores, qui erant in opposita hæresi, & magis Manichæis quam Pelagianis similes, intrusa quadam fatali necessitate peccandi, quam Pelagiani non admittebant, imò tantam libertatem dabant, vt affirmarent viribus naturæ sine gratia peccatum vitari, & salutem haberi posse, inter quos erant medij Semipelagiani, qui admittebant necessitatem gratiæ, sed illius initium in natura ponebant.

August. Trid.

Hi sunt duo circa mandatorum obseruantiam errores extremi, quia Lutherani, & Caluiniani negãt præcepta vlla gratia seruari posse: Pelagiani affirmant sine vlla gratia posse. Vterque autem error tam manifestus est, vt non indigeat refutatione. Tertius tamen error Arminij, & Remonstrantium tam subtilis est, & acutus, vt facilè possit tegi, & sic tectus obrepere, itaque accuratius est exponendus.

CAP. II.

Proponitur Arminij, & Remonſtrantium de poſſibilitate mandatorum ſententia.

HI Hæretici noſtri temporis Semipelagiani ſunt, amatores, defenſoreſque libertatis, ſi Sociniani, & Remonſtrantes ſunt. Fatentur omnes cum Arminianis neceſsitatem gratiæ excitantis, & adiuuantis, & ſine illa negant impleri mandata poſse. Eſt tamen inter eos diuerſitas, nam Socinus, & Remonſtrantes cum antiquis Semipelagianis ponunt initium quoddam meriti in natura, dicuntque nos incipere ſine auxilio gratiæ, & per iſtos actus initiales mereri gratiam; quod fuit placitum Semipelagianorum, vti conſtat ex epiſtolis Proſperi, & Hilarij ad Auguſtinum quæ habentur ante Libros de Prædeſtinatione Sanctorum, & de bono perſeuerantiæ. Arminius multò eſt acutior, & tectior, negat enim iſtud meritum in nuda natura, & illam initialem rationem ſine gratia merendi præcidit, & ad omnes actus bonos gratiam poſtulat: in modo tamen gratiæ datæ à Deo excitantis, & præuenientis differt, ait enim eam eſſe gratiam ſine qua voluntas operari non poſsit, eſse tamen auxiliũ ex ſe indifferens, & vertibile ad arbitriũ voluntatis; cuius item ſententiæ eſt author Borræus, quem citat Arminius libello de articulis vtriq; falsò impoſitis. Armin. Borræus.

Cum Arminio igitur, & Borræo concertatio erit. Nam Semipelagiani apertè ſunt hæretici, & à pleriſque refutantur. Arminius verò Catholicum ſe hac in re profitetur, & ſanè talis videtur eſse, non admittens actum, vel initium actus honeſti ſine gratia. Imò ipſe pro ſe citat multos, & graues authores noſtros, & nemo fermè ex noſtris illum hac in parte erroris conuincit, vt videre eſt in Gualtero, alijſque recentioribus Hæreticorum noſtri temporis Catalogum texentibus; ac nemo, quod ſciam, catholicus hactenus contra illum ſcripſit, præter authorem libri, qui mens Innocentij X. inſcribitur. Gualter.

Arminij ergo de poſſibilitate mãdatorum ſententiam admiſſa illius gratia perſpicuè propono. Supponit quædam principia à ſe, ac ſuis recepta. Primum, Deum voluiſſe omnes homines in ſingulari ſaluos fieri, tum affectu beneplaciti, volendo dare omnibus gloriam, tum effectu & ſigno, præbendo omnibus, & ſingulis auxilium quoddã commune, & vt aiunt ſufficiens, quo ſi homines velint vti, bene vtentes ſalui eſſe poſſunt. Secundum, auxilium iſtud gratiæ oblatum à Deo, eſſe ſecundum ſe indifferens, & poſitum in poteſtate voluntatis, eiuſque arbitrio relictum, conſtituens quidem potentiam in actu primo proximè expeditam ad operandum, in quodam æquilibrio cum æquali poteſtate ad vtramuis partem, vel contrarietatis, vel contradictionis conſtitutam. Tertium, gratiam ſufficientem hanc eſſe, quæ neceſſaria, & ſufficiens ſit ad operandum, vt ſine ea non poſſit voluntas, cum ea poſſit operari ſi velit. Quartum, gratiam efficacem nihil addere reipſa ſufficienti, ſed eandem iſtam accedente conſenſu fieri efficacem, ita vt ex cooperatione libera voluntatis gratia efficaciam deſumat, atq; adeo ſufficientia ſit à Deo, efficacia à conſenſu noſtro gratia cooperante cum arbitrio. Quintum, diſcrimen inter vtramque eſſe, quod ſufficienti non cooperetur arbitrium, efficaci autem cooperetur, quæ cooperatio cum ſit ex arbitrio noſtro, modò ab eo ſumi gratiæ efficaciam, modò tolli, nam gratiæ ex ſe nihil deeſt,

deest, sed si quid deest, arbitrio; si quid additur, eidem tribuendum.

Tria adijcit ad maiorem suæ sententiæ explicationem. Si duo homines in ijsdem circumstantijs cum æquali, vel inæquali gratia ponantur, rationem operandi non sumi ex gratia, sed ex arbitrio, & posse, imò sæpe cōtingere, vt vnus cum æquali gratia, vel minori operetur, altero cum æquali, vel maiori non operante. Cur autem id contingat, ideò esse, quia ratio operandi non sumitur ex maiori, vel minori entitate ac virtute gratiæ, sed ex attemperatione, & proportione gratiæ cum arbitrio, quam vocat congruitatem, quæ in eo sita est, vt in tali tempore, loco, & circumstantijs detur gratia, in quibus arbitrium ei respondeat.

Porrò si interroges: quomodo prouidentia Dei, quæ certa, & constans esse debet, possit stare cum illa indifferentia voluntatis, & gratiæ? Respondet, Deum scientia quadam conditionata præuidere quidquid causæ liberæ facere possint, & facturæ sint quocumque in statu, & quibuscumque circumstantijs ponantur, ac proinde cum videat quis euentus futurus sit, infallibiliter scire in quam se partem determinatura sit voluntas: quòd cum sciat, posse certò & constanter decernere absolutè concurrere illo modo, quo præuidit cōditionatè arbitrium responsurum: nulla enim ratione potest deficere prouidentia manuducta ab illa certa scientia, cum vti hæc futurum conditionatè præuidit, ita prouidentia agere decernat. Hæc est perspicuè tradita Arminij, & sectatorum sententia. Iuxta illam, de mandatorum obseruantia sic definiunt. Primò, mandatorum obseruantiam sine gratia dari non posse. Secundò omnes ad obseruantiam præceptorum saltem legis naturalis teneri. Tertiò nemini gratiam ad ea obseruanda deesse, & ad id sufficere gratiam communem, quæ sufficiens vulgò dicitur, & in nostra est posita potestate. Quartò, specialem gratiam & efficacem natura sua, & virtute intrinseca constitutam, nullam esse, ac per eam libertatem auferri. Quintò, omnes qui merentur & peccant liberè proximam potestatem ad vtramuis partem expeditam habere oportere. Sic Arminius disp. cum Francisco Iunio, & Perkinso, & lib. ad articulos sibi falsò impositos.

CAPO III.

Vtrum, & quomodo omnes homines ad seruanda mandata teneantur?

Illud omninò ante Quæstionem scire oportet. Aliud esse dari præcepta, aliud teneri ad illa seruanda. Possunt quippe esse præcepta à quorum obseruatione homines liberentur ob duas causas: siue quia ignorant, siue quia non possunt obseruare: de quo aliàs. Dari item præcepta constat, nec opus est probare, cum sit lex naturalis & diuina hominibus à Deo data. Sunt autem præcepta duplicis generis; quædam naturalia, & iuxta lumen naturalis rationis, vt præcepta decalogi: quædam, supernaturalia, quæ fide & gratia indigent; cuiusmodi sunt præcepta & mysteria à Deo reuelata, & per lumen fidei cognita. Incipiendo à supernaturalibus, de quibus est facilius iudicare, sunt quædam mysteria fidei sine quorum cognitione supernaturali nemo potuit poteritue saluari, quæ dicuntur à Theologis necessaria necessitate medij: esse autem præcepta credere huiusmodi mysteria, fide constat. Eiusmodi sūt, immortalitas animæ, Deus creator, & remunerator, Deus vnus, & trinus in personis, Christus Mediator.

tor. Sine his autem salus æterna nemini potest contingere. Non disputo quomodo debeant credi explicite ne, an implicite, quia id non est huius loci, & nos latè & accuratè tractauimus tom. de Clauibus lib. 3. à cap. 4. Igitur illa quattuor quæ memorauimus esse de necessitate medij, docent omnes Theologi cum Magistro in 3. distinct. 25. & D. Thom. 22. q. 2. Bagnes, & Lorca ibidem, Sanchez in Decalogo lib. 2. cap. 2. Turrianus disput. 26. & Coninch. de Fide disput. 14. dub. 9.

D. Tho. Turri.

De necessitate præcepti sunt reliqua præter hæc in symbolo Apostolorum contenta, & in quatuordecim articulos coniecta, quorum præcipuus est Baptismus, & Ecclesia. Ita Vasquez 1. 2. disput. 120. cap. 3. Henriquez lib. 6. de Sacramentis. Sanchez lib. 2. cap. 3. Decalogi. Valentia 22. disp. 1. q. 2. Illa priora quatuor de necessitate medij in omni lege fuerunt; hæc reliqua in lege gratiæ ad salutem consequendam credi iubentur.

Vasq. Sanch.

Dari ergo huiusmodi precepta constat. Vtrum verò aliqui excusentur, & quomodo, ab illorum obseruatione? iam statuo. Potest autem sermo esse de infidelibus, vel fidelibus: pro infidelibus sit.

Prima assertio: multi infideles habuerunt, & habent ignorantiam inuincibilem de ijs omnibus mysterijs, tum primi generis, tum secundi, & sic excusantur ab eorum fide, & obseruatione. Est cõmunis Theologorum, Vasq. 1. 2. disp. 21. Sanchez lib. 2. cap. 3. Azor. tomo 1. Institutionum moralium cap. 6. Coninch. disp. 14. dub. 11. Sayri lib. 2. c. 9. Pesantij 22. q. 1. art. 1. disput. 2. Traditur à D. Thoma 2. 2. qu. 10. art. 1. & ibi citatur à Vasq. cum Durando, est Augustini sententia multis in locis, ex quibus aliquos Vasquez adducit. Quoniam verò assumptum facto nititur, probabo illud verbis Aegydij Coninch dub. 11 num. 225. & Vasq. disp. 121. cap. 3. num. 12. Plurimi Gentiles superioribus sæculis nati in Iaponia, & America nunquam audierunt quidquam de mysterijs nostræ fidei, nec vnquam venit illis in mentem eiusmodi fidem esse, aut esse posse, nec de illa quidquam suspicati sunt: nec illam ignorantiam potuerunt expellere. Accidere ergo potuit ignorantia inuincibilis circa fidei nostræ mysteria, ita vt culpæ non imputetur, ex quo patet eos non teneri hoc præcepto, quod ignorarunt inuincibiliter, atque adeo non peccare, nullum est enim peccatum nisi voluntarium: non potest autem esse voluntarium, quod est incognitum, vti docet D. Th. 1. 2. q. 76. art. 4. in corpore. Pro fidelibus sit.

Azor. Sayr. D. Tho. Coninch. D. Tho.

Secunda assertio. Multi fidelium ignorant multa mysteria fidei ad salutem necessaria inuincibiliter, & ita ignorando non peccant contra fidem. Traditur ab ijsdem Doctoribus. Confirmatur exemplo multorum rusticorum, quibus illa nunquam in mentem venerunt, vti expresse citatus num. 226. imò addũt non paucos Hæreticos, qui nihil vnquam audierunt, nec suspicati sunt quicquam de falsitate errorum quibus imbuuntur, liberari à peccato hæresis, & saluari ex bona fide suscepto baptismo, si careant aliunde peccato mortali. Ita perspicuè docet Cardinalis Pallauicinus suo tomo in 1. 2. disp. 2. q. 2. ar. 2. nu. 3. Par. *Respondetur*, vbi sic: *ex ijs enim qui nascuntur inter hæreticos multi saluantur, quippe morientes ante illam ætatem in qua non sit eis sufficienter proposita falsitas suæ sectæ.* Quod ante dixerat Vasq. disp. 121. cap. 5. num. 15. & quidem manifestius, & fidentius. Quod autem hæc ignorantia inuincibilis nõ sit peccatum, tam certum est, vt oppositum dicere damnatum sit in Michaele Baio,

Pallauic. Cardin. Vasq.

cu-

Baius. cuius erat hæc propoſitio: *Infidelitas purè negatiua in his quibus Chriſtus non eſt prædicatus peccatum eſt*. Vnde conſtat contradictoriam eſſe veram. Infidelitas purè negatiua de Chriſto peccatum non eſt.

De obſeruatione præceptorum naturalium ſecundum lumen naturalis rationis magna quæſtio eſt. Communis ſententia tenet videri non poſſe illa prorſus ignorari. Diſtinctius itaque procedamus. Sunt quædam vniuerſalia principia iuris naturalis, ex quibus tamquam concluſiones deducuntur plurium præceptorum. Cuiuſmodi illud principium apud D. Thom. q.94. art.5. in corpore. *Iniuria non eſt alteri facienda*. Et quod communiter affertur. *Quod tibi non vis alteri ne feceris*. Quæ eſt quædam veluti explicatio prioris; nec enim tam facile ſciri poteſt quid ſit iniuriam facere, idcirco explicatur illam eſſe iniuriam, quod quiſque ſibi fieri nolit. Ex hoc principio concluſiones deductæ ſunt. *Non furari, non adulterare, non occidere*. D. Th.

Sunt ergo Doctores, qui putant omnia præcepta iuris naturalis quæ Decalogo continentur ignorari ſine culpa, & inuincibiliter non poſſe. Alex. 2.p. q.153. num.3. Dur. in 3. diſt. 25. q.1. ad 1. Gerſon. in Alfabeto, & Adrianus quodlib. 2. qu. 1. ad 2. & alij cum Alphonſo de Caſtro lib.2. de lege pœnali. Ratio eſt, quia hæc omnia præcepta ſunt de lege naturæ, & lumini rationis conſentanea. Alij tamen dicunt illa principia prima, & communiſſima ignorari inuincibiliter non poſſe, poſſe autem præcepta particularia, & veluti concluſiones deducta. Et quidem circa primum conueniunt penè omnes iuxta D. Thom. q. 94. art. 4. & 6. vbi ait: ea ſecundum rationem, & communia apud omnes, nec poſſe ex hominum mente deleri. Quod Auguſtini authoritate idem confirmat art.6. in corpore. De concluſionibus ſeu præceptis deductis ex illis principijs vniuerſalibus & notiſſimis communiter ſtatuunt Theologi, quæ ſunt expreſſa in Decalogo nudè ſumpta, & ſincerè propoſita tam eſſe naturæ conformia, vt pateant omnibus, & obligent omnes. Si verò circumſtantijs inuoluantur, & obſcurentur poſſe ignorari, & excuſare à peccato aliquando, non tamen ſemper. Alia verò præcepta quæ colliguntur ex Decalogo & remotiores concluſiones ſunt, illas poſſe homines toto vitę tempore ignorare, & ſine peccato præterire. Ita Vaſq. diſp. 122. cap.2.

Alex. Durand. Adrian. Caſtro. D.Tho. Auguſt. Vaſq.

Capitalis quæſtio eſt circa cognitionem Dei naturalem, quæ ad primum Decalogi mandatum pertinet, & videtur eſſe vnum ex primis naturæ principijs, vtrum de hoc præcepto poſſit dari inuincibilis ignorantia? quam pauci accuratè tractāt, inter quos vnus eſt Coninch. diſp. 18. ſect.2. qui author eſt poſſe in adultis dari de Deo huiuſmodi ignorantiam inuincibilem, non tamen notabiliter longo tempore, ſed breui. Citatque pro ſe Vaſq. in 12. diſput. 122. num. 3. omiſſo cap. 22. q. 10. art. 1. diſp.4. concluſione 2. *Quatenus*, ait Coninch. *docent idem de præceptis Decalogis, quorum vnum, & primum eſt cognitio & cultus Dei*. Vtitur ea ratione Coninch. quia non eſt admodum facile, & obuium noſſe Deum lumine naturali, nec de eo cogitare, nec ad illud aduertere, tam promptum, & expeditum. Quare poſſe quemquam in principio ætatis ſuæ, licet iam vtatur lumine rationis, ignorare inuincibiliter Deum eſſe. Verum non poſſe in ea ignorantia perſiſtere, cum vbique incurrat in ſigna creaturarū, quibus naturaliter ad cognitionem Dei homines ducuntur. Hæc eſt ſententia Coninch. Cęterùm hac Coninch.

Vaſquez. Cæterum hac de re diuersè ſentit Vaſquez nam illo in loco quem citat in 1. 2. nihil expreſsè de Deo dicit. At vero 1. 2. diſput. 97. capitul. 5. videtur negare Deum poſſe inuincibiliter ignoranorari, & idem ſignificauerat diſp. 20. & 35. Quamquam homines atheos eſſe fateatur. Sanchez. Pater Sanchez clarius loquitur. Peſantius multo plus dicit, ait enim diu & longo tempore poſſe Deum ab aliquibus naturaliter ignorari.

Hæc ſunt placita horum Theologorum. Alios adiungo, qui de eadem re conſentiunt. Hurtad. Nam Hurtado diſp. 123. cap. 8. num. 31. dubitat, an ſit poſſibilis in aliquo iſta ignorantia de Deo inuincibilis. Pater Ferrantinus in tomo Theoricarum diſp. 1. q. 42. ait adeo clarum eſſe lumen rationis, quod ſit Deus, vt videatur impoſſibile eſſe, à quoquam inuincibiliter, & inculpabiliter ignorari. Fatetur tamen poſſe infidelem inuincibiliter eſſe idololatram exiſtimando Solem, & Lunam veros Deos eſſe. Nemo vero Suárez, clarius Suario rem expoſuit tom. 1. de Religione lib. 6. cap. 6. vbi affirmat poſſe dari idololatriam cum ignorantia inuincibili. Vtrum autem poſſit ignorari Deus inuincibiliter, de eo hanc profert ſententiam. *Dico vel ignorantiam illam numquam dari, vel ſaltem eſſe rariſſimam, & non poſſe inueniri, niſi in homine adeo rudi, vt vix cenſeatur habere plenum vſum rationis, præſertim in his ſuperioribus rebus, vt contingere poteſt in aliquo gentili, qui & nullam rectam conſtitutionem habet, neque per ſephiloſophari valet, & multi inueniuntur in Aethiopia, Braſilia, & alijs ſimilibus*. Suarez. Hactenus Suarez. Idem videtur ſupponere 2. tomo lib. 3. de Iuram. cap. 13. Animaduerto autem Suarium non reſtringere ignorantiam ad certum aliquod tempus, ſed abſolutè affirmare poſſe illam in multis barbaris inueniri. Vtrum autem principia illa naturalis iuris communiſſima, quæ duo ferme ſunt. *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Alterum. *Homo ſecundum rationem, & conſcientiam ſuam operari debet*, admittant ignorantiam circa ſe inuincibilem? non reperi quid perſpicuè de hac quæſtione Doctores commemorent, imò videtur conſtare inter omnes illa inuincibiliter ignorari poſſe. Solus Vaſquez quod ſciam, dixit tom. 1. in 12. diſp. 122. capit. 2. ea nullo modo poſſe ignorari, poſſe tamen aliquem ea non conſiderare. Vaſquez. Hoc autem quod concedit Vaſquez accepto, illud habemus, poſſe aliquando hominem infidelem contra illa non peccare: nam dum illa non conſiderat, nec aduertit non poteſt contra illa peccare. Proponit autem illa principia Diuus Thomas primum 2. quæſt. 94. art. 5. D. Tho. ſecundum ibidem articul. 3. & 4. Oriuntur hinc duæ non vulgares difficultates. Prima, an poſſint hi in eo ſtatu ignorantiæ inuincibilis mori. Secunda, quomodo ijs ſalus æterna conſequenda ſit, quas in materia de fide dogmatica ſoluimus, eas hic omittimus, quod remotiores ſunt ab inſtituto. De quo iam agimus.

CAPVT IV.

De præceptis impositis per legem Dei hominibus fidelibus.

Concil. Trident. DOctrinam hac de re posuit Concilium Tridentin. sess. 6. cap. 11. in qua refutat hæreses nostri temporis. Igitur sic ait. *Nemo autem quantumuis iustificatus liberum se esse ab obseruatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce vti; Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere, quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis. Cuius mandata grauia non sunt, cuius iugum suaue est, & onus leue. Qui enim sunt filij Dei Christum diligunt: Qui autem diligunt eum, vt ipsemet testatur seruant sermones eius: Quod vtique cum diuino auxilio præstare possunt. Licet enim in hac mortali vita quantumuis sancti, & iusti in leuia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti, nam iustorum illa vox est & humilis, & verax. Dimitte nobis debita nostra. Quò fit vt iusti ipsi se eo magis obligatos ad ambulandum in via iustitiæ sentire debeant, quo liberati iam à peccato, serui autem facti Deo, sobriè iustè & piè viuentes proficere possunt per Christum Iesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit nisi ab eis prius deseratur. Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, vt & conglorificetur.*

Caluinus Aduersus hanc doctrinam Concilij, docet Caluinus in Antidoto, & Kemnitius in Examine Concilij Tridentini tres errores. Primus est, omnia præcepta Decalogi esse impossibilia ad obseruandum ex ratione impossibilitatis obiecti. Secundus, qui hinc sequitur nulla omnino præcepta nos obligare. Tertius, homines iustos non obligari ad præcepta seruanda. Probant autem primum errorem discurrendo per præcepta. Aiunt enim illud præceptum, non concupisces, esse de re impossibili, quia concupiscentia, & appetitus naturalis, & illius motus naturales sunt, & ineuitabiles. De re autem ineuitabili, & naturali præceptum dari non potest, nec obseruari. Deinde aliud præceptum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Non potest impleri; iuxta doctrinam Patrum, & Augustini lib. de Spiritu, & Littera cap. vltimo, & lib. de perfectione iustitiæ resp. 17. vbi ait, hoc præceptum non posse impleri in hac vita. Secundum errorem probant authoritate D. Pauli in Epistola ad Galatas cap. 3. num. 13. vbi ait. *Christus nos liberauit de maledicto legis.* Vnde sic colligunt. Si ergo nos liberauit, nulla iam est lex, nec mandata legis, quæ obligent. Tertium astruunt ex Paulo ad Timoth. 1. vbi ait. *Iusto non est lex posita.* Ergo inquiunt, iusti non tenentur legibus, quia eis lex imposita non est. Augustin. Galat. 3. Timoth.

Hi errores damnantur à Tridentino, & sunt apertè contra Scripturam. Primus refutatur loco Matth. 11. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Et Epistola 1. Ioan. cap. 5. *Mandata eius grauia non sunt.* Et Psalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Et 4. ad Philip. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Posse vero impleri præcepta patet ex verbis Christi apud Ioannem ca. 14. *Qui diligit me sermonem meum seruabit.* Et cap. 15. *Vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Secun- Matt. 11. Ioann. 5. Philip. 4. Ioan. 14.

cundus error confutatur ex ipsamet lege Decalogi, quæ tota est à naturali ratione petita, & obseruata à Iudæis. Hanc autem legem venit Christus non soluere, sed adimplere. Probatur ex loco Deuter. cap. 10. *Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt diligas eum in toto corde tuo, & custodias mandata eius?* Et cap. 11. *Ama Deum tuum, & obserua præcepta eius*. Et ex 1. Ioann. cap. 5. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus*. Tertius error hinc refellitur, quia Christus Apostolis suis suis præcepta dedit. Ioan. cap. 14. *Si diligitis*, inquit, *me mandata mea seruate*. Et Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Et cap. 11. eiusdem. *Tollite iugum meum super vos*. Et Ezechielis 36. *Spiritum meum in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis*.

Deut. 10. Ioann. 5. Ioan. 14. Matt. 19. Ezec. 36.

Porrò hi omnes errores sunt contra rectam rationem, quia etiam gentiles magna ex parte seruant præcepta naturalia, & Hebræi seruabant Decalogum, & Reges, & Principes sæculares iubent leges suas, vt seruentur à subditis. Cur ergo Deus non imponet hominibus præcepta, vt ab ijs obseruentur?

Argumenta Caluini, & Kemnitij inepta sunt. Primò quia duo tantum præcepta seruari posse negant, nempe illud: *Non concupisces*, & aliud: *Diliges Dominum Deum tuum*. Ex quo non sequitur cætera minimè seruanda. Deinde, quia non intelligunt obseruantiam horum præceptorum. Ex quo sequitur eos ignoranter procedere. De vtroque dicemus. Igitur quando Deus dixit. *Non concupisces*. Non intellexit de concupiscentia in actu primo, neque de motibus primo primis in actu secundo, qui præueniunt rationem, & deliberati non sunt, ac proinde peccata esse non possunt, quia vbi non est libertas nō est peccatum. Sed prohibuit consensum deliberatum, & cum aduertentia rationis, qui liber est, ac proinde peccatum. Quod patet ex loco Ecclesiast. cap. 5. *Ne sequaris in fortitudine tua cōcupiscentiam cordis tui*. Et cap. 18. clarius. *Post concupiscentias tuas non eas*. Et cap. ad Roman. *Non regnet peccatum in vestro mortali tempore, vt obediatis concupiscentijs eius*. Audiant Augustinum lib. 5. contr. Iulianum cap. 3. *Aliud est habere mala desideria carnis, aliud trahi eis consentiendo*. Et in expositione quarundam propositionum Epistolæ ad Roman. exposit. 17. *Non est*, inquit, *culpa in ipso desiderio prauo, sed in nostra consensione peccamus*. Vnde lib. 1. de ciuitate cap. 25. ait. *Quod illa concupiscentialis inobedientia absque culpa est in corpore dormiētis, quantò magis absque culpa erit in corpore non consentientis*. Neque Caluinus negat hanc esse Augustini sententiam cum ita fateatur lib. 3. Instit. cap. 3. par. 10. Cur ergo ab illo dissentit?

Eccles. 5. August. Rom. 17. Caluinus August.

Obijcit tamen Caluinus, hoc præceptum. *Non concupisces*. nullum esse, quia superfluum est. Nam est aliud præceptum. *Non mæchaberis*, in quo istud continetur. Respondetur diuersa esse præcepta, quia in illo præcepto. *Non mæchaberis*. Prohibetur solum peccatum cum actu externo fornicationis coniunctum. At verò in illo. *Non concupisces* prohibetur solus consensus internus, etiam sine actu externo, quod expressè dixit Christus in Euangelio Matth. 5. num. 28. *Audistis quia dictum est antiquis, non mæchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eā, iam mæchatus est eam in corde suo*. Ergo duo sunt prohibita, actus externus cum consensu: internus absque actu externo.

Matth. 5.

Præceptum diligendi Deum super omnia potest obseruari. Ideò illud posuit Deus in lege Hebræorum.

Deut. 10. rum. Patet Deuteron. 10. *Quid Dominus Deus tuus petit à te nisi vt diligas eum in toto corde tuo?* Et cap. 21. *Ama Dominum Deum tuum*. Ratio autem ipsa docet Deum esse amandum. Dilexisse eum multos sanctos patet. Dauid hoc præceptum seruauit, qui de se Psalm. 118. dicit. *In toto corde meo exquisiui te.* Et hoc de illo affirmat Ecclesiasticus c. 47. *De omni corde*, inquit, *dilexit Deum*, 4. Reg. 4. Iosias rex cap. 4. Reg. lib. 4. *Similis illi non fuit antea rex, qui reuerteretur ad eum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa iustitia sua iuxta omnem legem Moysi*. Isti in veteri lege mandata seruarunt, & in noua non solum Apostoli, & martyres, sed etiam multi alij sancti obseruarunt, hodieque cum Diuina gratia obseruant.

At negant Hæretici præceptum charitatis super omnia posse impleri in hac vita, & probant ex D. Augustino, & Bernardo, qui docent non nisi in Cælo perfectè impleri posse. (August. Bernard.) Addita ratione quia nimis arduum est amare Deum super omnia, ita vt mater anteponat Deum filio suo, & filius matri suæ. Vnde sequitur non licere matribus dolere pro filijs defunctis, nec filijs pro matribus. Facilè tamen soluitur hæc obiectio, quoad primam partem, quia obseruatio huius præcepti in hac vita, ideo non potest esse omnino perfecta, quia non possumus omnia peccata venialia vitare. Quod cum proprium sit beatitudinis, ibi tantum perfecta omnino charitas inuenitur, quod est verissimum, & Augustini, & Bernardi doctrina. Quoad secundam partem dico, amorem posse sumi vel appretiatiuè, vel sensitiuè, & satis esse ad amandum Deum super omnia illud genus amoris appretiatiui, nec opus esse amore sensitiuo. Explicatur res magis: anteponendus est Deus creaturis, vt propter illas non deseratur, nec offendatur Deus, hic autem non tollit amorem sensitiuum, qui etiam rationi conformis est. Vnde licet matri plorare mortem filij sui ex amore naturali, nec tamen Deum offendere, quia si ei proponeretur offensio grauis Dei, vel amissio filij, mallet filium amittere quam Deum offendere.

Vltimus locus qui est D. Pauli 1. ad Timoth. capit. 1. *Iusto non est lex posita*, est intelligendus duobus modis. (Timot. 1.) Primo iustum operari ex charitate, & amore, non ex metu legis. Quæ est expositio Augustini. (August.) Secundo modo intelligitur iuxta duplicem vim legis directiuam, & punitiuam. Iustus ergo tenetur ad legem punientem, quia cum ille non peccet, non indiget supplicio legis punientis. Vti enim dixit egregiè Poeta.

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

CAPVT V.

Mandata esse possibilia rationibus, & authoritate ostenditur.

PRima ratio sit. Omnis Princeps, & Legislator humanus leges condit, & vult à subditis suis seruari. Ergo etiam Deus leges diuinas iubet, & præcipit seruari. Si autem Hæretici mandata suorum Principum implent. Cur non implebunt mandata Dei?

Secunda: quia delinquentes propter præceptorum transgressionem puniuntur à Deo. Ergo culpa est in transgressione. Nec enim potest supplicium infligi propter id quod culpa non est.

Tertia, qui tollit præcepta rationi contradicit. Sunt enim multa præcepta à ratione posita, qualia sunt

sunt legis naturalis. Ergo si ista auferuntur, ratio etiam quæ illa iubet tollitur.

Quarta, si præcepta dantur, idcircò dantur vt obseruentur. Si autem impossibilia sunt obseruari nequeunt. Ergo præcepta cum impossibili non possunt consistere.

Quinta sumitur ex comparatione hominum bonorum cum hominibus malis. Videmus enim bonos qui non committunt peccata mortalia in eo distingui à malis, quod boni obediunt præceptis, mali verò non obediunt, imò & mali aliquando seruant præcepta, aliquando trãsgrediuntur illa, quod argumentum est præcepta non esse impossibilia: si enim talia essent, neque à peccatoribus aliquando, nec à iustis semper implerentur.

Vltima ratio & optima est, & cũ experientia coniuncta. Multi Sancti non solum implent præcepta, sed etiam seruant consilia. Ergo signum est mandata non esse impossibilia; cum Sancti vltra mandata progrediantur. Assumptum patet experientia religiosorum hominum, Anachoretarum, & Virginum monialium, qui vltra legem Decalogi, & præcepta Ecclesiæ seruant paupertatem voluntariam, & virginitatem cum contemptu rerum humanarum ex obedientia. Vnde Chrysost. hom. 8. de Pœnitentia. *Multi*, inquit, *& ipsa superant mandata*. Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli: *Non grande onus impositum est virginibus? maius onus imposuit maior amor, tanquam dicerent: quid iubes? ne adulteræ simus? hoc præcipis? amando te plus facimus, quam præcipis.* Chrys. Aug

Concilia, & Patres hanc veritatem perspicuè tradiderunt. Imprimis Concilium Arausicanum: *Nos etiam*, inquit, *secundum fidem catholicam credimus quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent possint, & debeant si fideliter laborare voluerint, adimplere*. Sanctus Basilius oratione in illud. *Attende tibi: Impium est*, inquit, *dicere impossibilia esse spiritus præcepta*. Chrysostomus hom. 8. de Pœnitentia. *Nequaquam*, inquit, *Deum accuses. Non mandat impossibilia*. Hilarius in illa verba Psal. 118. *Latum*, ait, *mandatum Dei est, & in omnia spei nostræ genera diffunditur, vt non difficile sit, si voluntas adsit, præcepto Domini obtemperare*. Hieronym. lib. 3. aduersus Pelagium. *Deus possibilia mandauit. Hoc nulli dubium est*. Augustinus lib. 2. de peccat. mer. & remiss. *Non præciperet Deus aliquid quod esset humanæ impossibile voluntati*. Et in Psalm. 56. *Non imperares hoc Deus, vt faceremus, si impossibile iudicaret*. Omitto cætera testimonia quæ videri possunt apud Bellarminum, & alios. Concil. Arauf. Basil. Hilar. Hier. Aug.

CAPVT VII.

Quomodo possunt præcepta seruari?

SVppono primum me agere de hominibus fidelibus, & suppono deinde hæresim manifestam esse Lutheri, & Caluini affirmantium per peccatum Adę liberum hominis arbitrium funditus perijsse, & prorsus extinctum esse? Quæ hæresis damnata fuit quondam à Concilio Lugdunensi, & superiori sæculo à Tridentino sess. 6. cap. 1. in fine. Igitur liberum est in homine arbitrium ad seruanda, & non seruanda pręcepta sufficiens. His suppositis. Trid.

Conclusio sit. Liberum arbitriũ post peccatum originale nõ est omnino in æquilibrio constitutum, sed secundũ naturam nostram per peccatum corruptam magis ad malum, quàm ad bonum inclinatum est. Hęc assertio condemnat hæresim Pelagij,

CAPVT IV.

De praeceptis impositis per legem Dei hominibus fidelibus.

Concil. Trident. DOctrinam hac de re posuit Concilium Tridentin. sess.6. cap. 11. in qua refutat hæreses nostri temporis. Igitur sic ait. *Nemo autem quantumuis iustificatus liberum se esse ab obseruatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce vti; Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere, quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis. Cuius mandata grauia non sunt, cuius iugum suaue est, & onus leue. Qui enim sunt filij Dei Christum diligunt: Qui autem diligunt eum, vt ipsemet testatur seruant sermones eius: Quod vtique cum diuino auxilio præstare possunt. Licet enim in hac mortali vita quantumuis sancti, & iusti in leuia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti, nam iustorum illa vox est & humilis, & verax. Dimitte nobis debita nostra. Quò fit vt iusti ipsi se eo magis obligatos ad ambulandum in via iustitiæ sentire debeant, quo liberati iam à peccato, serui autem facti Deo, sobriè iustè & piè viuentes proficere possunt per Christum Iesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit nisi ab eis prius deseratur. Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, vt & conglorificetur.*

Aduersus hanc doctrinam Concilij, docet Caluinus in Antidoto, Caluinus & Kemnitius in Examine Concilij Tridentini tres errores. Primus est, omnia præcepta Decalogi esse impossibilia ad obseruandum ex ratione impossibilitatis obiecti. Secundus, qui hinc sequitur nulla omnino præcepta nos obligare. Tertius, homines iustos non obligari ad præcepta seruanda. Probant autem primum errorem discurrendo per præcepta. Aiunt enim illud præceptum, non concupisces, esse de re impossibili, quia concupiscentia, & appetitus naturalis, & illius motus naturales sunt, & ineuitabiles. De re autem ineuitabili, & naturali præceptum dari non potest, nec obseruari. Deinde aliud præceptum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Non potest impleri, iuxta doctrinam Patrum, & Augustini lib. de Spiritu, & Littera cap. vltimo, & lib. de perfectione iustitiæ resp. 17. vbi ait, Augus. hoc præceptum non posse impleri in hac vita. Secundum errorem probant authoritate D. Pauli in Epistola ad Galatas cap. 3. num. 13. vbi Galat. 3. ait. *Christus nos liberauit de maledicto legis.* Vnde sic colligunt. Si ergo nos liberauit, nulla iam est lex, nec mandata legis, quæ obligent. Tertium astruunt ex Paulo ad Timoth. 1. vbi ait. *Iusto non est lex posita.* Timoth. Ergo inquiunt, iusti non tenentur legibus, quia eis lex imposita non est.

Hi errores damnantur à Tridentino, & sunt apertè contra Scripturam. Primus refutatur loco Matth. 11. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Matt. 11. Et Epistola 1. Ioan. cap. 5. *Mandata eius grauia non sunt.* Ioann. 5. Et Psalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Et 4. ad Philip. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Philip. 4. Posse vero impleri præcepta patet ex verbis Christi apud Ioannem ca. 14. Ioan. 14. *Qui diligit me sermonem meum seruabit.* Et cap. 15. *Vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Secun-

cundus error confutatur ex ipsamet lege Decalogi, quæ tota est à naturali ratione petita, & obseruata à Iudæis. Hanc autem legem venit Christus non soluere, sed adimplere. Probatur ex loco Deuter. cap. 10. *Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt diligas eum in toto corde tuo, & custodias mandata eius?* Et cap. 11. *Ama Deum tuum, & obserua præcepta eius*. Et ex 1. Ioann. cap. 5. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus*. Tertius error hinc refellitur, quia Christus Apostolis suis suis præcepta dedit. Ioan. cap. 14. *Si diligitis, inquit, me mandata mea seruate*. Et Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Et cap. 11. eiusdem. *Tollite iugum meum super vos*. Et Ezechielis 36. *Spiritum meum in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis*.

Deut. 10.

1. Ioann. 5.

Ioan. 14.

Matt. 19.

Ezec. 36.

Porrò hi omnes errores sunt contra rectam rationem, quia etiam gentiles magna ex parte seruant præcepta naturalia, & Hebræi seruabant Decalogum, & Reges, & Principes sæculares iubent leges suas, vt seruentur à subditis. Cur ergo Deus non imponet hominibus præcepta, vt ab ijs obseruentur?

Argumenta Caluini, & Kemnitij inepta sunt. Primò quia duo tantum præcepta seruari posse negant, nempe illud: *Non concupisces*, & aliud: *Diliges Dominum Deum tuum*. Ex quo non sequitur cætera minimè seruanda. Deinde, quia non intelligunt obseruantiam horum præceptorum. Ex quo sequitur eos ignoranter procedere. De vtroque dicemus. Igitur quando Deus dixit. *Non concupisces*. Non intellexit de concupiscentia in actu primo, neque de motibus primo primis in actu secundo, qui præueniunt rationem, & deliberati non sunt, ac proinde peccata esse non possunt, quia vbi non est libertas nō est peccatum. Sed prohibuit consensum deliberatum, & cum aduertentia rationis, qui liber est, ac proinde peccatum. Quod patet ex loco Ecclesiast. cap. 5. *Ne sequaris in fortitudine tua cōcupiscentiam cordis tui*. Et cap. 18. clarius. *Post concupiscentias tuas non eas*. Et cap. ad Roman. *Non regnet peccatum in vestro mortali tempore, vt obediatis concupiscentijs eius*. Audiant Augustinum lib. 5. contr. Iulianum cap. 3. *Aliud est habere mala desideria carnis, aliud trahi eis consentiendo*. Et in expositione quarundam propositionum Epistolæ ad Roman. exposit. 17. *Non est, inquit, culpa in ipso desiderio prauo, sed in nostra consensione peccamus*. Vnde lib. 1. de ciuitate cap. 25. ait. *Quòd illa concupiscentialis inobedientia absque culpa est in corpore dormiētis, quantò magis absque culpa erit in corpore non consentientis*. Neque Caluinus negat hanc esse Augustini sententiam cum ita fateatur lib. 3. Instit. cap. 3. par. 10. Cur ergo ab illo dissentit?

Eccles. 5.

August.

Rom. 17

Caluinus August.

Objicit tamen Caluinus, hoc preceptum. *Non concupisces*. nullum esse, quia superfluum est. Nam est aliud præceptum. *Non mæchaberis*, in quo istud continetur. Respondetur diuersa esse præcepta, quia illo præcepto. *Non mæchaberis*. Prohibetur solum peccatum cum actu externo fornicationis coniunctum. At verò in illo. *Non concupisces* prohibetur solus consensus internus, etiam sine actu externo, quod expresse dixit Christus in Euangelio Matth. 5. num. 28. *Audistis quia dictum est antiquis, non mæchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eā iam mæchatus est eam in corde suo*. Ergo duo sunt prohibita, actus externus cum consensu: internus absque actu externo.

Matth. 5.

Præceptum diligendi Deum super omnia potest obseruari. Ideò illud posuit Deus in lege Hebræo-

Deut. 10. rum. Patet Deuteron. 10. *Quid Dominus Deus tuus petit à te nisi vt diligas eum in toto corde tuo?* Et cap. 21. *Ama Dominum Deum tuum.* Ratio autem ipsa docet Deum esse amandum. Dilexisse eum multos sanctos patet. Dauid hoc præceptum seruauit, qui de se Psalm. 118. dicit. *In toto corde meo exquisiui te.* Et hoc de illo affirmat Ecclesiasticus c. 47. *De omni corde*, inquit, *dilexit Deum.*

4. Reg. 4. Iosias rex cap. 4. Reg. lib. 4. *Similis illi non fuit antea rex, qui reuerteretur ad eum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa iustitia sua iuxta omnem legem Moysi.* Isti in veteri lege mandata seruarunt, & in noua non solum Apostoli, & martyres, sed etiam multi alij sancti obseruarunt, hodieque cum Diuina gratia obseruant.

At negant Hæretici præceptum charitatis super omnia posse impleri

August. Bernard. in hac vita, & probant ex D. Augustino, & Bernardo, qui docent non nisi in Cælo perfectè impleri posse. Addita ratione quia nimis arduum est amare Deum super omnia, ita vt mater anteponat Deum filio suo, & filius matri suæ. Vnde sequitur non licere matribus dolere pro filijs defunctis, nec filijs pro matribus. Facilè tamen soluitur hæc obiectio, quoad primam partem, quia obseruatio huius præcepti in hac vita, ideo non potest esse omnino perfecta, quia non possumus omnia peccata venialia vitare. Quod cum proprium sit beatitudinis, ibi tantum perfecta omnino charitas inuenitur, quod est verissimum, & Augustini, & Bernardi doctrina. Quoad secundam partem dico, amorem posse sumi vel appretiatiuè, vel sensitiuè, & satis esse ad amandum Deum super omnia illud genus amoris appretiatiui, nec opus esse amore sensitiuo. Explicatur res magis: anteponendus est Deus creaturis, vt propter illas non deseratur, nec offendatur Deus, hic autem non tollit amorem sensitiuum, qui etiam rationi conformis est. Vnde licet matri plorare mortem filij sui ex amore naturali, nec tamen Deum offendere, quia si ei proponeretur offensio grauis Dei, vel amissio filij, mallet filium amittere quam Deum offendere.

Timot. 1. Vltimus locus qui est D. Pauli 1. ad Timoth. capit. 1. *Iusto non est lex posita*, est intelligendus duobus modis. Primo iustum operari ex charitate, & amore, non ex metu legis.

August. Quæ est expositio Augustini. Secundo modo intelligitur iuxta duplicem vim legis directiuam, & punitiuam. Iustus ergo tenetur ad legem punientem, quia cum ille non peccet, non indiget supplicio legis punientis. Vti enim dixit egregiè Poeta.

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Oderunt peccare mali formidine pœna.

CAPVT V.

Mandata esse possibilia rationibus, & authoritate ostenditur.

PRima ratio sit. Omnis Princeps, & Legislator humanus leges condit, & vult à subditis suis seruari. Ergo etiam Deus leges diuinas iubet, & præcipit seruari. Si autem Hæretici mandata suorum Principum implent, cur non implebunt mandata Dei?

Secunda: quia delinquentes propter præceptorum transgressionem puniuntur à Deo. Ergo culpa est in transgressione. Nec enim potest supplicium infligi propter id quod culpa non est.

Tertia, qui tollit præcepta rationi contradicit. Sunt enim multa præcepta à ratione posita, qualia sunt

sunt legis naturalis. Ergo si ista auferuntur, ratio etiam quæ illa iubet tollitur.

Quarta, si præcepta dantur, idcircò dantur vt obseruentur. Si autem impossibilia sunt obseruari nequeunt. Ergo præcepta cum impossibili non possunt consistere.

Quinta sumitur ex comparatione hominum bonorum cum hominibus malis. Videmus enim bonos qui non committunt peccata mortalia in eo distingui à malis, quod boni obediunt præceptis, mali verò non obediunt, imò & mali aliquando seruant precepta, aliquando trāsgrediuntur illa, quod argumentum est præcepta non esse impossibilia: si enim talia essent, neque à peccatoribus aliquando, nec à iustis semper implerentur.

Vltima ratio & optima est, & cū experientia coniuncta. Multi Sancti non solum implent præcepta, sed etiam seruant consilia. Ergo signum est mandata non esse impossibilia; cum Sancti vltra mandata progrediantur. Assumptum patet experientia religiosorum hominum, Anachoretarum, & Virginum monialium, qui vltra legem Decalogi, & præcepta Ecclesiæ seruant paupertatem voluntariam, & virginitatem cum contemptu rerum humanarum ex obedientia. Vnde Chrys. Chrysost. hom. 8. de Pœnitentia. *Multi*, inquit, *& ipsa superant mandata*. Aug Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli: *Non grande onus impositum est virginibus? maius onus imposuit maior amor, tanquam dicerent: quid iubes? ne adulteræ simus; hoc præcipis? amando te plus facimus, quam præcipis*.

Concilia, & Patres hanc veritatem perspicuè tradiderunt. Imprimis Concilium Arausicanum: *Nos etiam*, inquit, *secundum fidem catholicam credimus quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent possint, & debeant si fideliter laborare voluerint, adimplere*. Concil. Arauf. Sanctus Basilius oratione in illud, *Attende tibi: Impium est*, inquit, *dicere impossibilia esse spiritus præcepta*. Basil. Chrysostomus hom. 8. de Pœnitentia. *Nequaquam*, inquit, *Deum accuses. Non mandat impossibilia*. Hilarius in illa verba Psal. 118. *Latum*, ait, *mandatum Dei est, & in omnia spei nostræ genera diffunditur, vt non difficile sit, si volun as adsit, præcepto Domini obtemperare*. Hilar. Hieronym. lib. 3. aduersus Pelagium. *Deus possibilia mandauit. Hoc nulli dubium est*. Hier. Augustinus lib. 2. de peccat. mer. & remiss. *Non præciperet Deus aliquid quod esset humanæ impossibile voluntati*. Et in Psalm. 56. *Non imperares hoc Deus, vt faceremus, si impossibile iudicaret*. Aug. Omitto cætera testimonia quæ videri possunt apud Bellarminum, & alios.

CAPVT VII.

Quomodo possunt præcepta seruari?

SVppono primum me agere de hominibus fidelibus, & suppono deinde heresim manifestam esse Lutheri, & Caluini affirmantium per peccatum Adę liberum hominis arbitrium funditus perijsse, & prorsus extinctum esse? Quæ hæresis damnata fuit quondam à Concilio Lugdunensi, & superiori sæculo à Tridentino sess. 6. cap. 1. in fine. Trid. Igitur liberum est in homine arbitrium ad seruanda, & non seruanda pręcepta sufficiens. His suppositis.

Conclusio sit. Liberum arbitriū post peccatum originale nō est omnino in æquilibrio constitutum, sed secundū naturam nostram per peccatum corruptam magis ad malum quàm ad bonum inclinatum est. Hęc assertio condemnat hæresim Pelagij,

gij, qui ponebat liberum arbitrium in statu quodã integro cum æquali potestate ad bonum, & malum, veluti in æquilibrio constitutum. Patet ex libro de natura, & gratia, vbi Augustinus hoc de illo refert, & in lib. operis imperfecti, in quo affert verba Pelagij istud affirmantis. Ista etiam assertio militat aduersus Arminium, & Remonstrantes. Traditur hæc doctrina à duobus Concilijs Arausicano, & Tridentino. Primum de Arausicauo dicemus, quod celebratum est anno 529. Felice IV. Papa.

Aug.

Hoc igitur Concilium cap. 2. sic ait. *Si quis per offensam præuaricationis Adæ non totum, idest, secundum corpus, & animam in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduersatur Scripturæ*. Et Can. 7. *Si quis alius misericordia, alius verò per liberum arbitrium, quod in omnibus qui de præuaricatione primi hominis nati sũt infirmatum est, constanti sententia hominem ad gratiam baptismi venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certè ita læsum, vt tamen quidam valeant sine reuelatione Dei mysteriũ salutis æternæ per semetipsos posse conquirere*. Et Can. 13, affirmat *liberum arbitrium infirmatum fuisse*. Et Can. 25. *inclinatum*, ait, *& attenuatum*. Vnde constat non posse in æquilibrio esse; quod est in alteram partem inclinatum.

Concil. Arausc.

Concilij Tridentini eadem est cũ Arausicano sententia. Nam sess. 6. cap. 1. docet liberum arbitrium minimè extinctum esse, esse tamen attenuatum, & inclinatum. Damnat ergo Hæreticos dicentes extinctum esse arbitrium. Docet autem inclinatum esse, & attenuatum. Hoc idem habetur in Confessione Luzidi exhibita in Cõcilio Lugdunensi, vbi anathema dicitur illi, qui affirmat liberum arbitrium voluntatis ex toto esse extinctum, quia solum fuit infirmatum, & diminutum. Hanc doctrinam tradit Malderus in Antisynodica contra Arminium, & Remonstrantes c. 1.

Concil. Trid.

Concil. Lugdun.

Malder.

His suppositis de libertate inclinata, iam apparet necessariam esse gratiam, quæ erigat, & sanet hoc arbitrium. Cuiusmodi autem illa sit monstrat Conc. Trid. sess. 6. c. 11. illis verbis. *Nemo temeraria voce vtatur, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis*. Quibus verbis duplex modus gratiæ significatur, vnus illius gratiæ, qua cum facimus quod possumus; alter illius gratiæ quæ petenda est, vt faciamus quæ non possumus. Quæ sanè distinctæ sunt. Distinctionem afferamus.

Primum genus gratiæ est gratiæ paruæ, qua aliquid boni facere possumus, sed exiguum. Secundum genus gratiæ est gratiæ maioris, & intensioris, qua perfectum opus facere possumus, & quam petimus à Deo, vt illud paruum bonum, quod cum parua gratia facimus implere possimus. Has duas gratias constat esse distinctas, quia vnam iam habemus, alteram non habemus, & eam postulamus. Prima est qua facimus quod possumus. Secunda est quam petimus, vt faciamus quod cũ alia prima non possumus. Vnde illa prima est remissior & minor, cum ea non sit satis ad faciendum id quod non possumus: hæc secunda est intensior, & maior, quia illa obtenta facimus id quod antea habentes primam non poteramus; hoc est, quod perspicuè dicit Conciliũ, *facere quod possis, & petere quod non possis*. Sunt autem hæc verba Augusti-

August. gustini lib. de natura, & gratia c.40. Cuius doctrinam probat, & sequitur Concilium. Augustinus igitur duas gratias excitantes cognouit, vnam paruam, & remissam, qua fiunt opera virtutis inchoata, & parua: alteram fortem, & magnam, siue vt appellat *robustam*, qua fiant opera magna, & ardua, & perfecta. Posuit autem istas duas gratias, quia vidit duas esse in nobis voluntates bonas respectu præceptorum. Vnam paruam & remissam, quæ implet leuia præcepta, & inchoat ardua, & grauia, sed non pertingit ad implenda hæc ardua, & grauia: quæ duæ bonæ voluntates diuersarum gratiarum effectus sunt, nam illa parua voluntas est à parua gratia, ista magna voluntas est à magna gratia.

Idem. Audiamus Augustinum lib. de gratia, & liber. arbitr. cap.17. *Qui vult*, inquit, *facere Dei mandata, iam quidem habet voluntatem bonam, paruã tamen & inualidam; poterit autem cum magnam habuerit, & robustam*. Ecce quod ait Cõcilium *facere quod possis*, idest, velle facere: hæc enim voluntas iam est actus bonus: *& petere quod non possis*, idest gratiam quæ det posse implere omnino cum valida voluntate præceptum, *poterit autem cum magnam habuerit, & robustam*. Videamus quid doceat c.15. eiusdem libri: *oret vt habeat tantam voluntatem quanta sufficit ad implenda mandata*, ergo illa prima voluntas bona non erat tanta, quanta satis esset ad implenda præcepta. Erat igitur alia gratia petenda maior, vt hæc maior voluntas haberetur. Clarè Augustinus de verbis Apostoli sermone 3. *adiuuandus es, vt plenè velis*, hoc verò est *petendum*, vt idem ait cap.16. de gratia, & libero arbitrio: *ab illo petendum est, vt tantum velimus quantum sufficit vt volendo faciamus*. Eodem ore loquitur Concilium, & Augustinus, dum docent, nos interdum habere gratiam ad volendum remisse, & non habere gratiam ad volendum fortiter, ac proinde hanc petendam esse à Deo. Vnde Augustinus iterum lib. de Spiritu, & Littera cap.34. *fieret iustitia si tanta voluntas adhiberetur quanta sufficit tantæ rei*. Vt hæc igitur voluntas adhibeatur petẽda est à Deo gratia vlterior, & maior, qua voluntas fiat magna, & robusta. Quadrant hic verba August. lib. de natura, & gratia cap.69. *Hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*. Ergo agimus facilia gratia leui, difficilia verò non agimus cum ista gratia, sed cum alia maiori, & intensa, quam debemus petere, & ad petendum monemur. Quod egregiè dixit Augustinus lib.2. de peccatorum meritis, & remissione cap.3. *Ad nonnulla superanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur magnis aliquando, vel totis opus est viribus voluntatis*. Quod tandem confirmatur illa sententia cap.15. de gratia, & liber. arb. vbi sic: *Gratia Dei semper est bona, & per hanc fit vt sit homo bonæ voluntatis, per hanc etiam fit vt ipsa bona voluntas quæ iam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, vt possit implere diuina mãdata*. Et addit c.16. *Certũ est nos facere cum facimus: sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati*. August.

CAPVT VII.

Doctrina Concilij, & Augustini ad vsum, & praxim reducitur.

Posito v.g. præcepto, Non concupisces, datur gratia homini fideli ad inchoandum præceptum per leuem quemdam gratiæ motum. Hic autem motus operatur paruam voluntatem, & si parua sit concupiscentia, superabit eam. Si tamen concupiscentia fortiter, & vehementer

Deut. 10. rum. Patet Deuteron. 10. *Quid Dominus Deus tuus petit à te nisi vt diligas eum in toto corde tuo?* Et cap. 21. *Ama Dominum Deum tuum.* Ratio autem ipsa docet Deum esse amandum. Dilexisse eum multos sanctos patet. Dauid hoc præceptum seruauit, qui de se Psalm. 118. dicit. *In toto corde meo exquisiui te.* Et hoc de illo affirmat Ecclesiasticus c. 47. 4. Reg. 4. *De omni corde*, inquit, *dilexit Deum*, Iosias rex cap. 4. Reg. lib. 4. *Similis illi non fuit antea rex, qui reuerteretur ad eum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa iustitia sua iuxta omnem legem Moysi.* Isti in veteri lege mandata seruarunt, & in noua non solum Apostoli, & martyres, sed etiam multi alij sancti obseruarunt, hodieque cum Diuina gratia obseruant.

At negant Hæretici præceptum charitatis super omnia posse impleri in hac vita, & probant ex D. Augustino, & Bernardo, qui docent non nisi in Cælo perfectè impleri posse. Addita ratione quia nimis arduum est amare Deum super omnia, ita vt mater anteponat Deum filio suo, & filius matri suæ. Vnde sequitur non licere matribus dolere pro filijs defunctis, nec filijs pro matribus. Facilè tamen soluitur hæc obiectio, quoad primam partem, quia obseruatio huius præcepti in hac vita, ideo non potest esse omnino perfecta, quia non possumus omnia peccata venialia vitare. Quod cum proprium sit beatitudinis, ibi tantum perfecta omnino charitas inuenitur, quod est verissimum, & Augustini, & Bernardi doctrina. Quoad secundam partem dico, amorem posse sumi vel appretiatiuè, vel sensitiuè, & satis esse ad amandum Deum super omnia illud genus amoris appretiatiui, nec opus esse amore sensitiuo. Explicatur res magis: anteponendus est Deus creaturis, vt propter illas non deseratur, nec offendatur Deus, hic autem non tollit amorem sensitiuum, qui etiam rationi conformis est. Vnde licet matri plorare mortem filij sui ex amore naturali, nec tamen Deum offendere, quia si ei proponeretur offensio grauis Dei, vel amissio filij, mallet filium amittere quam Deum offendere.

(Margin: August. Bernard.)

Vltimus locus qui est D. Pauli 1. ad Timoth. capit. 1. *Iusto non est lex posita*, est intelligendus duobus modis. Primo iustum operari ex charitate, & amore, non ex metu legis. Quæ est expositio Augustini. Secundo modo intelligitur iuxta duplicem vim legis directiuam, & punitiuam. Iustus ergo tenetur ad legem punientem, quia cum ille non peccet, non indiget supplicio legis punientis. Vti enim dixit egregie Poeta.

(Margin: Timot. 1. August.)

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Oderunt peccare mali formidine pœna.

CAPVT V.

Mandata esse possibilia rationibus, & authoritate ostenditur.

Prima ratio sit. Omnis Princeps, & Legislator humanus leges condit, & vult à subditis suis seruari. Ergo etiam Deus leges diuinas iubet, & præcipit seruari. Si autem Hæretici mandata suorum Principum implent, Cur non implebunt mandata Dei?

Secunda: quia delinquentes propter præceptorum transgressionem puniuntur à Deo. Ergo culpa est in transgressione. Nec enim potest supplicium infligi propter id quod culpa non est.

Tertia, qui tollit præcepta rationi contradicit. Sunt enim multa præcepta à ratione posita, qualia sunt

sunt legis naturalis. Ergo si istæ auferuntur, ratio etiam quæ illa iubet tollitur.

Quarta, si præcepta dantur, idcircò dantur vt obseruentur. Si autem impossibilia sunt obseruari nequeunt. Ergo præcepta cum impossibili non possunt consistere.

Quinta sumitur ex comparatione hominum bonorum cum hominibus malis. Videmus enim bonos qui non committunt peccata mortalia in eo distingui à malis, quod boni obediunt præceptis, mali verò non obediunt, imò & mali aliquando seruant pręcepta, aliquando trāsgrediuntur illa, quod argumentum est præcepta non esse impossibilia: si enim talia essent, neque à peccatoribus aliquando, nec à iustis semper implerentur.

Vltima ratio & optima est, & cū experientia coniuncta. Multi Sancti non solum implent præcepta, sed etiam seruant consilia. Ergo signum est mandata non esse impossibilia; cum Sancti vltra mandata progrediantur. Assumptum patet experientia religiosorum hominum, Anachoretarum, & Virginum monialium, qui vltra legem Decalogi, & præcepta Ecclesiæ seruant paupertatem voluntariam, & virginitatem cum contemptu rerum humanarum ex obedientia. Vnde Chrysost. hom. 8. de Pœnitentia. *Multi*, inquit, *& ipsa superant mandata*. Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli: *Non grande onus impositum est virginibus? maius onus imposuit maior amor, tanquam dicerent: quid iubes? ne adulteræ simus? hoc præcipis? amando te plus facimus, quam præcipis.* (Chrys.; Aug)

Concilia, & Patres hanc veritatem perspicuè tradiderunt. Imprimis Concilium Arausicanum: *Nos etiam*, inquit, *secundum fidem catholicam credimus quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent possint, & debeant si fideliter laborare voluerint, adimplere.* (Concil. Arausi.) Sanctus Basilius oratione in illud. *Attende tibi: Impium est*, inquit, *dicere impossibilia esse spiritus præcepta.* (Basil.) Chrysostomus hom. 8. de Pœnitentia. *Nequaquam*, inquit, *Deum accuses. Non mandat impossibilia.* Hilarius in illa verba Psal. 118. *Latum*, ait, *mandatum Dei est, & in omnia spei nostræ genera diffunditur, vt non difficile sit, si voluntas adsit, præcepta Domini obtemperare.* (Hilar.) Hieronym. lib. 3. aduersus Pelagium. *Deus possibilia mandauit. Hoc nulli dubium est.* (Hier.) Augustinus lib. 2. de peccat. mer. & remiss. *Non præciperet Deus aliquid quod esset humanæ impossibile voluntati.* Et in Psalm. 56. *Non imperaret hoc Deus, vt faceremus, si impossibile iudicaret.* (Aug.) Omitto cætera testimonia quæ videri possunt apud Bellarminum, & alios.

CAPVT VII.

Quomodo possunt præcepta seruari?

SVppono primum me agere de hominibus fidelibus, & suppono deinde heresim manifestam esse Lutheri, & Caluini affirmantium per peccatum Adę liberum hominis arbitrium funditus periisse, & prorsus extinctum esse? Quæ hæresis damnata fuit quondam à Concilio Lugdunensi, & superiori sæculo à Tridentino sess. 6. cap. 1. in fine. Igitur liberum est in homine arbitrium ad seruanda, & non seruanda pręcepta sufficiens. His suppositis. (Trid.)

Conclusio sit. Liberum arbitriū post peccatum originale nō est omnino in æquilibrio constitutum, sed secundū naturam nostram per peccatum corruptam magis ad malum, quàm ad bonum inclinatum est. Hęc assertio condemnat hæresim Pelagii,

gij, qui ponebat liberum arbitium in statu quodã integro cum æquali potestate ad bonum, & malum, veluti in æquilibrio constitutum. Patet ex libro de natura, & gratia, vbi Augustinus hoc de illo refert, & in lib. operis imperfecti, in quo affert verba Pelagij istud affirmantis. Ista etiam assertio militat aduersus Arminium, & Remonstrantes. Traditur hæc doctrina à duobus Concilijs Arausicano, & Tridentino. Primum de Arausicano dicemus, quod celebratum est anno 529. Felice IV. Papa. (Aug.)

Hoc igitur Concilium cap. 2. sic ait. *Si quis per offensam præuaricationis Adæ non totum, idest, secundum corpus, & animam in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduersatur Scripturæ*. Et Can. 7. *Si quis alius misericordia, alius verò per liberum arbitrium, quod in omnibus qui de præuaricatione primi hominis nati sũt infirmatum est, constanti sententia hominem ad gratiam baptismi venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certè ita læsum, vt tamen quidam valeant sine reuelatione Dei mysterij salutis æternæ per semetipsos posse conquirere*. Et Can. 13. affirmat *liberum arbitrium infirmatum fuisse*. Et Can. 25. *inclinatum*, ait, *& attenuatum*. Vnde constat non posse in æquilibrio esse; quod est in alteram partem inclinatum. (Concil. Arauſ.)

Concilij Tridentini eadem est cũ Arausicano sententia. Nam sess. 6. cap. 1. docet liberum arbitrium minimè extinctum esse, esse tamen attenuatum, & inclinatum. Damnat ergo Hæreticos dicentes extinctum esse arbitrium. Docet autem inclinatum esse, & attenuatum. Hoc idem habetur in Confessione Ludouici exhibita in Cõcilio Lugdunensi; vbi anathema dicitur illi, qui affirmat liberum arbitrium voluntatis ex toto esse extinctum, quia solum fuit infirmatum, & diminutum. Hanc doctrinam tradit Malderus in Antisynodica contra Arminium, & Remonstrantes c. 1. (Concil. Trid.) (Concil. Lugdun.) (Malder.)

His suppositis de libertate inclinata, iam apparet necessariam esse gratiam, quæ erigat, & sanet hoc arbitrium. Cuiusmodi autem illa sit monstrat Conc. Trid. sess. 6. c. 11. illis verbis. *Nemo temeraria voce vtatur, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis*. Quibus verbis duplex modus gratiæ significatur; vnus illius gratiæ, qua cum facimus quod possumus; alter illius gratiæ quæ petenda est, vt faciamus quæ non possumus. Quæ sanè distinctæ sunt. Distinctionem afferamus.

Primum genus gratiæ est gratiæ paruæ, qua aliquid boni facere possumus, sed exiguum. Secundum genus gratiæ est gratiæ maioris, & intensioris, qua perfectum opus facere possumus, & quam petimus à Deo, vt illud paruum bonum, quod cum parua gratia facimus implere possimus. Has duas gratias constat esse distinctas, quia vnam iam habemus, alteram non habemus, & eam postulamus. Prima est qua facimus quod possumus. Secunda est quam petimus, vt faciamus quod cũ alia prima non possumus. Vnde illa prima est remissior & minor, cum ea non sit satis ad faciendum id quod non possumus: hæc secunda est intensior, & maior, quia illa obtenta facimus id quod antea habentes primam non poteramus; hoc est, quod perspicuè dicit Conciliũ, *facere quod possis, & petere quod non possis*. Sunt autem hæc verba Augusti-

August. gustini lib. de natura, & gratia c.40. Cuius doctrinam probat, & sequitur Concilium. Augustinus igitur duas gratias excitantes cognouit, vnam paruam, & remissam, qua fiunt opera virtutis inchoata, & parua: alteram fortem, & magnam, siue vt appellat *robustam*, qua fiant opera magna, & ardua, & perfecta. Posuit autem istas duas gratias, quia vidit duas esse in nobis voluntates bonas respectu præceptorum. Vnam paruam & remissam, quæ implet leuia præcepta, & inchoat ardua, & grauia, sed non pertingit ad implenda hæc ardua, & grauia: quæ duæ bonæ voluntates diuersarum gratiarum effectus sunt; nam illa parua voluntas est à parua gratia, ista magna voluntas est à magna gratia. Audiamus Augustinum lib. de gratia, & liber. arbitr. cap. 17. *Qui vult*, inquit, *facere Dei mandata, iam quidem habet voluntatem bonam, paruã tamen & inualidam: poterit autem cum magna habuerit, & robustam*. Ecce quod ait Cõcilium *facere quod possis*, idest, velle facere: hæc enim voluntas iam est actus bonus: *& petere quod non possis*, idest gratiam quæ det posse implere omnino cum valida voluntate præceptum, *poterit autem cum magnam habuerit, & robustam*. Videamus quid doceat c. 15. eiusdem libri: *oret vt habeat tantam voluntatem quanta sufficit ad implenda mandata*, ergo illa prima voluntas bona non erat tanta, quanta satis esset ad implenda præcepta. Erat igitur alia gratia petenda maior, vt hæc maior voluntas haberetur. Clarè Augustinus de verbis Apostoli sermone 3. *adiuuandus es, vt plenè velis*, hoc verò est *petendum*, vt idem ait cap. 16. de gratia, & libero arbitrio: *ab illo petendum est, vt tantum velimus quantum sufficit vt volendo faciamus*. Eodem ore loquitur Concilium, & Augustinus, dum docent, nos interdum habere gratiam ad volendum remisse, & non habere gratiam ad volendum fortiter, ac proinde hanc petendam esse à Deo. Vnde Augustinus iterum lib. de Spiritu, & Littera cap. 34. *fieret iustitia si tanta voluntas adhiberetur quanta sufficit tantæ rei*. Vt hæc igitur voluntas adhibeatur petẽda est à Deo gratia vlterior, & maior, qua voluntas fiat magna, & robusta. Quadrant hic verba August. lib. de natura, & gratia cap. 69. *Hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*. Ergo agimus facilia gratia leui, difficilia verò non agimus cum ista gratia, sed cum alia maiori, & intensa, quam debemus petere, & ad petendum monemur. Quod egregiè dixit Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 3. *Ad nonnulla superanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur magnis aliquando, vel totis opus est viribus voluntatis*. Quod tandem confirmatur illa sententia cap. 15. de gratia, & liber. arb. vbi sic: *Gratia Dei semper est bona, & per hanc fit vt sit homo bonæ voluntatis, per hanc etiam fit vt ipsa bona voluntas quæ iam esse cæpit, augeatur, & tam magna fiat, vt possit implere diuina mãdata*. Et addit c. 16. *Certũ est nos facere cum facimus: sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati*.

Idem. (margin, beside "tia, & liber. arbitr. cap. 17") — August. (margin, beside "de Augustinus iterum lib. de Spiritu")

CAPVT VII.

Doctrina Concilij, & Augustini ad ad vsum, & praxim reducitur.

POsito v.g. præcepto, Non concupisces, datur gratia homini fideli ad inchoandum præceptum per leuem quemdam gratiæ motum. Hic autem motus operatur paruam voluntatem, & si parua sit concupiscentia, superabit eam. Si tamen concupiscentia fortiter, & vehementer

ter tentauerit, illa parua voluntas, & gratia non satis erit ad vincendā concupiscentiam vehementem nisi augeatur gratia, & voluntas crescat. Opus ergo est petere hanc maiorem gratiam à Deo, vt ea crescat, & roboretur voluntas, ita vt vincat tentationem, & impleat præceptum. In hoc exemplo apparet doctrina Concilij, & Augustini, nam per illam primam voluntatem, & gratiam paruam facit homo quod potest, nequit autē ire vlterius propter vehemētiā tētationis, petat à Deo id quod non potest, hoc est, gratiā vehementiorem aptam ad vincendam vehementiam tentationis. Vnde cognoscitur modus quo præcepta possibilia sunt, nam cum homo possit facile cooperari illi gratiæ paruæ excitāti; quia facile est elicere paruum actū, & remissum, potest etiam petere, & pulsare, vt accipiat à Deo vlteriorem gratiam quæ ad vincendam prorsus tentationem necessaria est. Cum autem *Deus facienti quod in se est ex gratia non neget auxilium vlterioris gratiæ*. Numquam illud homini ex gratia petenti negabit. Quod fundatur in alia sententia Tridentini accepta ex Augustino lib. de natura, & gratia cap. 17. *Deus*, inquit, *neminem deserit, nisi ab eo prius deseratur*. Cum ergo ille homo operetur quod potest, & petat quod non potest: & vtrumque iam faciat per gratiam non deserit Deum, ac proinde à Deo non deseretur. Confirmo traditam doctrinam authore Suario tom. 2. de auxilijs lib. 4. c. 2. num. 3. vbi sic: *Distinctionem præmitto auxilij dupliciter sufficientis, scilicet proximè, & remotè: proximè appello, quando homo per auxilium in se receptum potest immediatè aliquam operationem efficere sine interuentu alterius prioris operationis qua impetret maius auxilium: remotè appello quando homo nondum recepit in se totum auxilium necessarium ad certum opus: habet tamen à Deo illud paratum si ad illud se disponat, vel illud impetret. Quam distinctionem sumo ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 11. dicente: Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis: & adiuuat vt possis. Nam illud verbum, facere quod possis, indicat eum cui hoc iubetur, habere auxilium proximè sufficiens. In subiunctis autem verbis, & petere quod non possis, insinuat Conciliū auxilium remotè sufficiens, nam qui nondum potest, nondum habet auxilium proximè sufficiens. Si tamen oret, recipiet illud, & iuuabitur*. En quomodo sentit, & loquitur cum Augustino Suarius. Idem cap. 4. n. 6. *Auxilium quod est actu receptum, nondum est proximè sufficiens ad illum actum, ad quem illud auxilium præueniens dicitur esse necessarium, sed tantùm remotè, quia si tale est auxilium præueniens, & à solo Deo fieri debet, dum actu non datur, non potest constitui in potestate hominis nisi mediante alio actu, quo homo se disponit ad tale auxilium obtinendum, vt c. 2. ex Concilio Tridentino declaratur. Ergo auxilium illud quod supponitur actu datum, est proximè sufficiens ad illam priorem dispositionem, & respectu vlterioris actus est tantum remotè sufficiens*. In vno dissentio à Suario quod ille vocat hoc auxilium totale sufficiens, ego verò volo efficax appellare, nam illo auxilio accepto sequitur operatio, ergo sufficiens, dicī propriè non potest. Itaque si auxilium sufficiens apud Scholasticos in eo distinguitur ab efficaci, quia caret effectu, non potest istud auxiliū quod Suarez appellat *vlterius, maius, proximè sufficiens*, *cum semper ex eo operatio sequatur*, vocari sufficiens, nunquam enim, vel teste Suario caret effectu, quod omnino est esse efficax.

Concil. Trid.

Suar.

Declaro autem exemplo à contrario tentationis vrgentis sumpto.

In-

Incipit aliquis tentari paruo quodam motu concupiscentiæ qui leuiter pulsat voluntatem, eo non inclinatur ad malum voluntas, & cum exigua gratia ei resistit. Si tamen augeatur ille motus concupiscentiæ ex aspectu pulchræ fœminæ vrget vehementer, & trahit voluntatem, quæ iam inclinatur ad libidinem; indiget ergo maiori, & fortiori gratia ad resistendum, nam per gradus per quos crescit cupiditas, descendit ad illam inclinata voluntas. Ergo vt reuocetur à consensu opus est maiore vi gratiæ, qua vincatur vis tentationis vrgentis, ita vt, inquit, Augustinus lib. 2. de peccat. meritis, & remiss. cap. 16. *Illa delectatio orta ex libidine pulchræ fœminæ per vehementem delectationem gratiæ superetur, & illius virtute peccatum vincatur*. Quæ sunt verba Augustini, qui illam virtutem vincentis gratiæ *victricem delectationem* appellat.

August.

Ita demum sentit & fatetur Suarez citatus cap. 11. & 19. & expressè cap. 4. num. 6. lib. 4. de auxilijs citans Tridentinum: *Illud*, inquit, *auxilium quod supponitur actu datũ, est proximè sufficiens ad illam priorem dispositionem, & ita ad illam includit omnia auxilia præuenientia necessaria actu data, & respectu vlterioris actus est tantum remotè sufficiens. Ergo in vniuersum auxilium proximè sufficiens includit omnia auxilia præuenientia in homine iam recepta*. Ecce Suarez contra Arminium vocat prius illud, & paruum auxilium gratiam actu datam, non tantum paratam, & ait efficere dispositionem ad alium actum perfectum. Ergo si partim efficit, partim non efficit, inefficax debet appellari. Alterum autem auxilium, ad quod disponit, per quod ponitur actus perfectus est sine dubio efficax, & sufficiens, quia includit omnia necessaria ad ponendum actum perfectum, & vltimatum. Neque id latuit Vasquium in 1.2. disput. 185. cap. 11. num. 55. vbi obseruat Patres appellare auxilium sufficiens illud quod Scholastici vocãt efficax, quia ita illud intelligunt, vt idcircò sufficiat, quia ponit actum, & sufficit ad illum ponendum, & diserte citat D. Prosperum, posset que maiori iure citare D. Augustinum. Consectaneum Arminij destruit. P. Vasquez in 1.2. d. 136. cap. 2. num. 12. *In ijs*, inquit, *voluntatibus ex quibus altera voluit inclinare intellectum ad assensum, altera non voluit, in voluntate eius qui credidit misericordia facta facta est. In voluntate autem alterius, qui non credidit, iudicium*. Idem expressius adhuc docuerat 1. par. d. 98. cap. 3. Consentit Henriquez lib. vlt. de fin. hom. c. 5. & c. 14. & Bellarm. tom. 4. lib. de grat. & lib. arbitr. c. 12. adducto illo Pauli loco. *Quis est qui te discernit? Nam si*, ait, *vera esset opinio istorum, fidelem ab infideli planè discerneret liberum arbitrium; nam si duo sint qui eundem concionatorem audiant, & eandem interius inspirationem habeant, & vnus credat, alter non credat, nonne dicere poterit is qui credidit se discerni ab infideli per liberum arbitrium, quia ipse inspirationem accepit, quam alter reiecit?* &c.

Suarez. Vasquez. Bellarm.

Hanc doctrinam sic à nobis expositam tradit vltra Suarez, & Vasquez, Henriquez Suarij magister, lib. vltimo de fine hominis, cap. 4. citato Concilio, & Augustino vti nos citauimus.

Henriq.

Illam verò scientiam conditionatam Arminij euertit P. Vasquez 1. part. dist. 89. cap. 10. & disp. 99. c. 3. vbi sic concludit postquam eam impugnauit. *Quare nihil hanc scientiam sub conditione hoc modo*, (idest quo ponit Arminius) *prodesse ad conciliandum Decretum Dei cum nostra libertate existimo, sicut ibi etiã notatum est*. Scilicet disput. 84. c. 10.

Cui omnino conſentit Henriquez de fine hominis c.4. & 5.

CAPVT VII.

Arminij argumenta ſoluuntur.

SVppoſitum Arminij qui eſt cardo totius eius doctrinæ de æquilibrio liberi arbitrij in hoc ſtatu naturæ lapſæ, præterquam quod eſt error Pelagij, corruit ex doctrina Concilij Arauſicani, Tridentini, & Lugdunenſis, ex quibus conſtat liberum arbitrium noſtrum eſſe attenuatum, læſum, infirmatum, & inclinatum, atque adeò pronum ad malum, & ideò indigens gratia fortiori, & potentiori: quod item docuit Innocentius I. & Cæleſtinus I. in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ c. 4. vbi citat verba Innocentij. Innoc. I.

Quod attinet ad primũ eius principium, ſeu argumentum, *Deum velle omnes homines ſaluos fieri*, nihil inde concluditur contra doctrinam à nobis traditam de obſeruatione mandatorum. Primò quia multi Doctores locum illum cum Auguſtino intelligunt de generibus hominum, non de ſingulis hominibus. Secundò quia alij interpretantur cum Magiſtro de voluntate ſigni, quæ verſetur circa media ſalutis omnibus propoſita, non tamen omnibus applicata, quod ſentit Bagnes. Tertiò quia nonnulli exponunt de Deo dum per nos id facit, qui procuramus omniũ ſalutem, quantum eſt ex nobis, vti explicat Eſtius in Paulum. Quartò quia Vaſquez, & Becanus negant illud axioma pertinere ad omnes, putant quippe infantes in vteris maternis mortuos carere ſufficienti auxilio, ac proinde Deum non velle illos ſaluari, quos nos citauimus lib. 3. de clauib. de fide dogmatica. Quintò quia licet admittamus intelligi de omnibus, nos hic non agimus niſi de fidelibus quos conſtat Deũ velle ſaluari, & dare illis præcepta, & gratiam ad ea ſeruanda. Qua ratione reſpondetur tertio item & quarto argumento ſeu principio Arminii, quæ aſſerunt gratiam ſufficientem nulli hominum in ſingulari negari, quia noſtrum non eſt niſi de fidelibus agere. Banez. Eſtius. Vaſquez. Becanus.

Quod attinet ad ſecundum, & quintum principium Arminij, in quibus aſſeritur gratiam communem, quam appellat ſufficientem ſatis eſſe ad ſeruanda præcepta, patet ex Concilio Tridentino, & Auguſtino contrarium, nam ea gratia quę eſt communis omnibus in communi ſententia omnibus præſtò eſt, & nemini deeſt, ſed ea gratia quæ requiritur ad mandata implenda nõ eſt communis omnibus, quia nimirum petenda eſt à Deo, & impetrãda, non peteretur autem ſi ſemper præſtò eſſet, & ex communi beneficio daretur omnibus. Deinde, quia ſi illa gratia communis ſufficit ad implendum præceptum, fruſtra eſt petere aliam, quod eſt contra Concilium, quod ait, de communi gratia nos per eam facere quod poſſumus, & petere quod non poſſumus. De hac loquitur Innocentius I. Cœleſtinus I. Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ capit. 6. *Neceſſe eſt*, inquiunt, *vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur*: quibus verbis vtitur Vaſquez par. 1. diſt. 38. cap. 4. Impugnans hanc quæ eſt Arminij ſententiam, quam alij ante illum tradiderunt, contra quos ſcribit Vaſquez eo loco. Innoc. I. Cœleſt. Vaſquez.

Tamdem quod affirmat Arminius diſcrimen vtriuſque gratię communis, & ſpecialis, ſiue ſufficientis, & efficacis ſumi ex effectu, & conſenſu, iam apparuit eſſe contra Concilium, & Auguſtinum, qui manifeſtè docent gratiam ſecundum ſe eſſe minorem, & maiorem, paruam, & magnam, remiſſam, & intenſam, & in ſuamet entitate creſcere, & augeri:

geri: ergo non fit efficax per consensum, nam si per hunc efficax fieret, data illa prima gratia posset homo sine vlteriori adhibito consensu præceptum implere. Sed ille non potest, nisi impetrata vlteriori gratia, vt faciat, quod non potest: ergo ab ipsa gratia est efficacia in consensum, qui idcirco ponitur in obseruatione mandati, quia excitatur, & disponitur per talem gratiam, quæ cum sit potentior *dat vires efficacissimas voluntati*, vt, inquit, Augustinus. Declaratur hoc magis, quia si cum quauis gratia communi, & sufficienti voluntas posset proximè operari, satis ea esset ad implendum præceptum. At hoc negat Concilium, ait enim posse aliquid, & non posse aliquid: ergo illa prima gratia nō est simpliciter sufficiens, nec ponit consensum quo fiat efficax, sed expectanda est alia gratia vlterior, quæ inferat consensum. Nec ad id opus est agere prædeterminando voluntatem physicè, sed præmouendo, & inclinando illam per maiorem suam intrinsecam virtutem, quæ cum vehementius agat, & moueat facit vt voluntas ita inclinetur, vt liberè consentiat. Nec est timendum libertati à gratia, quia ista non necessitat, sed inclinat. Si enim homo vehementer tentatus à carnali concupiscentia, ardet, & inflammatur libidine, & ita consentit tam inclinata voluntate, vt quodammodo ardere, & trahi se sentiat, & tamen retinet libertatem ad peccandum, & liberè peccat, non est mirum quod ex opposito gratia tam efficaciter moueat voluntatem, vt illam inclinet ad consensum in actū bonum, & tamen illa inclinata liberè consentiat.

Audiamus in fine contra opinionem Arminij, Bellarminum to. 4. controuersia 3. Generali lib. 1. de gratia, & libero arbitrio cap. 12. vbi sic.

Prima opinio eorum est, qui gratiam efficacem constituunt in assensu, & cooperatione humana, ita vt ab euētu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum, & ideò sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur. Itaque existimant hi authores in potestate hominis esse, vt gratiam faciat efficacem, quæ alioquin ex se non esset nisi sufficiens.

Hæc opinio aliena est omnino à sententia B. Augustini, & quantum ego existimo à sententia etiam scripturarum diuinarum. Nam S. Augustinus lib. de prædestinat. Sanct. cap. 8. dicit gratiam, efficacem videlicet, à nullo duro corde respui, quia ipsa cor emollit, vbi vides efficaciam tribui gratiæ, non voluntati humanæ, & lib. de spirit. & Littera cap. 34. quærens, cur Deus vni ita suadeat, vt persuadeat, alteri non ita, non respondet, quia vnus consentit, alter non consentit, sed exclamat. O altitudo diuitiarum. Itaque refert in arcanum diuinæ voluntatis cur vni detur gratia efficax, alteri non detur.

Deinde probat Bellarminus ex Sacra Scriptura, & adducit tres locos aduersus Arminij sententiam, & addit his locum quartum in quo magnam vim facit. Ex 1. ad Corint. 4. *Quis enim te discernit? Quid enim habes, quod non accepisti?* Tunc addit.

Denique hæc opinio euertit omnino fundamentum prædestinationis diuinæ quam S. Augustinus ex diuinis litteris solidissimè comprobauit, inde enim pendet certitudo, atque infallibilitas prædestinationis, quod electis Deus efficacem gratiam præparauit. Quos enim prædestinauit, hos vocauit vocatione illa, vt Augustinus monet in lib. de corrept. & gratia cap. 7. Secundum propositum, de qua dictum est: omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt Sancti. Quos autem vocauit secundum propositum, quod adiunctam habet perseue-

Bbbb 2 ran-

August. Bellarm. August. 1. Cor. 4.

rantiam vſque in finem, quos vero ita iuſtificauit, hos magnificauit.

Quod ſi vocatio efficax non penderet à propoſito Dei, ſed ab humana voluntate, nullus locus prædeſtinationi relinqueretur, ſed tantum præſcientiæ, neque Apoſtolus dixiſſet. Vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret: non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quoniam maior ſeruiet minori, ſcriptum eſt Iacob dilexi, Eſau autem odio habui Rom.9. Omitto quod eſſet abuti vocabulis, vocare gratiam efficacem, eamque à ſufficienti diſtinguere, ſi nulla omnino in ipſa gratia diſtinctio eſſet, & totum diſcrimen ab humana voluntate penderet. Hæc Bellarminus loco citato.

SCHOLA XIX.
DE
CANONIZATIONE
BEATITVDINE CVLTV,
ET
INVOCATIONE
SANCTORVM.

CAPVT PRIMVM,
Quid sit, & quotuplex sit Canonizatio?

QVAE Græcè dicitur Apotheosis, Latinè, Canonizatio appellatur. *Quid autem est*, inquit Innocentius cap. 1. de reliquijs, & veneratione Sanctorum. *Canonizare Sanctos, quam regulariter statuere quod aliquis honoretur pro Sancto.* Vnde Hostiensis ibi num. 3. & Ioann. Andreas perspicuè. *Canonizare est aliquem per Papam Cathalogo aliorum Sanctorum adscribere, & publicè, & solemniter declarare.* De quo Theologi, & Canonistæ Doctores nostri consentiunt. Anton. in summ. par. 3. art. 22. cap. 5. Viguer. in instit. Theolog. cap. 10. de virt. fidei §. 5. num. 14. Bellarmin. tom. 1. controuers. 7. Generali lib. 1. de beatitud. Sanct. Turrian. 22. dist. 17. dub. 1. Granad. in 2. 2. controuers. 1. de fide tract. 7. dist. 3. Cardin. Tusch. in Repertor. verbo Canonizatio Castellin. de Canonizat. Sanct. Contelor. de Canonizat. cap. 2. Porrò Canonizatio iuxta Bellarminum de Sanctor. beatitudine lib. 1. *Est publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate, & gloria hominis iam defuncti, & simul est iudicium, ac sententia, qua ei decernuntur honores illi, qui debentur ijs, qui cum Deo fæliciter regnant.* Quæ definitio descriptio potius est, cum hæc secunda pars de iudicio, & sententia decernendi honores sit effectus primæ. Itaque satis est dicere. *Canonizationem esse idoneum, & publicum Ecclesiæ Catholicæ testimonium de sanctitate, & beatitudine alicuius defuncti.* Hæc quippe est iusta definitio. Hoc enim solo testimonio Sanctus canonizatur: nec est opus

Anton. Turrian. Bellar.

alio

alio effectu, quamuis enim non sequeretur, satis esset illud testimonium ex quo illi effectus sequerentur. Nam ex eo quod Ecclesia iudicet, & declaret aliquem esse Sanctum, & Beatum, oritur in eo ius ad omnes illos honores, qui Sanctis exhiberi solent. Dicitur autem *testimonium Ecclesiæ Catholicæ*, quia particularis Ecclesia non satis est ad aliquem canonizandum, quia hæc potest errare, non autem vniuersalis Ecclesia. Dicitur, *hominis defuncti*, quia viui canonizari non possunt, cum sint in statu viæ, & possint à Sanctitate excidere, atque damnari. Quare quando Nicolaus V. Papa in canonizatione Sancti Bernardini, de S. Antonino, qui viuebat, dixit, tam posse canonizari Antoninum viuum, quam Bernardinum mortuum, non ideò dixit, quòd ille viuus capax esset canonizationis, sed quod eo modo voluit exaggerare sanctitatem Antonini. Verum quidem est, quod si Deus reuelaret Pontifici aliquem esse prędestinatum, posset hic canonizari rigorosè loquendo. Quemadmodum erant illi de quibus Paulus scribit ad Philipp. 4. *Quorum nomina sunt in libro vitæ*. Et quales erant Apostoli, de quibus dixit Christus, *gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in Cælis*. Et quidem B. Virgo Maria adhuc viua canonizata quodammodo fuit, quia Iacobus maior Apostolus eius viuenti Templum, vti aiunt, erexit Cęsaraugustæ in Hispania. Cuiusmodi autem sit publicum testimonium Ecclesiæ, hodie manifestum est, nam illa Bulla canonizationis, quæ à Papa promulgari solet inspectis prius gestis, & exploratis virtutibus, & miraculis illius Sancti, de quo agitur, est idoneum, & publicum testimonium. Vtrum autem solemnis Missa Pontificis publica de illo Sancto ingrediatur rationem formalem canonizationis? ego certè non puto. Quia existimo solam declarationem per Bullam factam sufficere ad canonizationem, vnde illam Missam existimo effectum, quam si Papa omitteret, nihil detraheret canonizationi.

Nicol.V.

Canonizatio autem duplex est, altera expressa per Bullam, vel declarationem Pontificis, de quo proximè cum Hostiensi, & Andrea, alia tacita, & præsumpta per communem consensum populorum, & comsuetudinem receptam cultus. In qua interuenit tacita voluntas Pontificis, quod expresse dixit S. Thomas 2.2.qu.98. *Ita*, inquit, *alicuius Sancti cultus ex consuetudine Ecclesiarum generaliter introductus vim habet ex approbatione tacita, vel expressa Summi Pontificis*. Hic autem secundus modus canonizandi per annos fermè septingentos in Ecclesia obtinuit: nec enim canonizatio fieri solebat per Bullas, & testimonia publica Pontificia. Itaque sine his Sancti declarati sunt Apostoli, & multi Martyres, vti Laurentius, Sebastianus, Agnes, Cæcilia; Nazianzenus, & Augustinus. Imò & postquam Papæ canonizare cœperunt per Bullas, aliqui sicut Diuus Rocchus, per communem consensum populorum Sancti canonizati euaserunt. Quorum ingentem Catalogum texit Castellinus citatus, & obseruat Bellarminus, & Granado.

D.Thom

Castell.

Quo autem tempore cœperit iste modus canonizandi non admodum constat. Vulgò tamen dicitur incępisse post annos 700. Christi, tempore Caroli Magni Imperatoris, & Leonis Tertij Pontificis. Qui Leo teste Surio 2. tom. Sanctorum 1. Martij ad instantiam Caroli Magni, & Hilebaldi Archiepiscopi Coloniensis Suibertum Confessorem solemniter canonizauit. Quod obiter animaduertit Seuerinus tomo tertio

Surius.

Con-

Conciliorum par. 1. in notis ad vitam Leonis Tertij. Post quem Innocentius Secundus Sanctum Hugonem Episcopum iu fastos sacros retulit, & ab eo deinceps ea consuetudo inualuit. Sed vide Baronium Anno 237. 1. in Ponciano.

Baronius

Obijciunt tamen Hæretici, hoc esse inuentum sine fundamento Sacræ Scripturæ, & quærunt vbi hæc reperitur.

Respondetur primo in his quæ spectant ad regimen Ecclesiæ satis esse moralem prudentiam, nec opus esse loco Scripturæ id suadente, dũmodo nullus sit in contrarium. Cum ergo nullus vetet fieri, licet Ecclesiæ canonizare. Secundò respondetur, non deesse locos in sacris litteris, quibus canonizatio confirmetur. Primus est Ecclesiastici 4. vbi multi laudantur, & publicantur Sancti, vti Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, Aaron, & alij. Hoc autem quid est, nisi canonizare? Secundus in Euangelio, vbi Christus dixit, *multi venient, & recumbent, cum Abraham, Isaac, & Iacob in Regno Cælorum*. Vbi hi tres declarantur Sancti. Tertius item Euangelij est, vbi dicitur Lazarus ille pauper portatus esse ab Angelis in sinu Abrahæ, quæ est canonizatio ipsius. Quartus apud Paulum cum dixit. *Quorum nomina sunt in libro vitæ*. Præterea Ioannes in Apocalypsi duos illos canonizauit, de quibus scripsit. *Hi sunt duo oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum*. Accedit alter locus Ecclesiastici 4. vbi sic. *Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudes eorum nunciet Ecclesia*. Tandem in Cantico Benedictus, Sancti appellantur Prophetæ illis verbis. *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæcula sunt Prophetarum eius*.

CAPVT II.

De causis, & effectibus canonizationis.

Causa duplex est. Prima martyrium pro causa fidei, vel virtutis, qui solus titulus satis est ad martyres consecrandos. Secunda eximia sanctitas exemplis, & miraculis illustris in Confessoribus.

Obseruandum tamen primo ad canonizandum martyrem non requiri aliud, nisi quod constet illum passum fuisse pro Christo, quamuis nihil antea virtutis in eo esset, nec postea miracula fuerint. Vnde ille qui immediatè ante martyrium fuit infidelis, vel hæreticus, & in eo momento conuersus martyrium passus est, potest ac debet canonizari: quemadmodum habemus in multis Historijs, quæ in Libro qui appellatur Flos Sanctorum, & in Martyrologio, narrantur. Imò & legimus ipsosmet persecutores subitò ad Christum conuersos cum ipsismet, quos persequebantur martyribus canonizatos.

Obseruandum secundò infantes baptizatos Sacramento baptismi, & statim mortuos non solere, nec debere canonizari, etiam si constet eos in cælo esse. Si tamen baptizentur in sanguine suo canonizari debere ac posse, cuiusmodi videmus fuisse Innocentes ab Herode pro Christo interfectos. Ratio est, quia ad canonizationem requiritur, si propriè loquamur, actus heroicus virtutis, cui respondeat honor ille excellens, & cultus canonizationis. Quemadmodum enim apud veteres summi honores militares, vti coronæ, ouatio, triumphus non decernebantur nisi militibus, & ducibus qui magna facinora patrassent, & insignes reportassent victorias, ita maximi honores sacri, qualis est

cano-

canonizatio, non decernuntur, nec donantur nisi ijs, qui eximiæ sanctitatis exempla præbuerunt, & preclaras de animæ hostibus victorias reportarunt. Igitur consuetudo Ecclesiæ est non canonizare Sanctos mediocres, sed magnos, & illustres.

Obseruandum vltimò, infantes recens baptizatos, & defunctos non habere merita propria, ac proinde proprio honore, qualis est canonizatio, coli non debere. Itaque sicut in Christo sunt iustificati, ita in Christo debent gloriari.

Quod attinet ad canonizationem Confessorum olim canonizabantur multi ratione solius eximiæ sanctitatis, sed mirabilis tamen, & inusitatæ, qualis fuit Paulus primus Eremita, & alij Anachoretæ. Interdum satis erat pro miraculis singularis doctrina, cum eximia virtute coniuncta, qualem habuit Hieronymus, & Augustinus, quorum in vita miracula vix reperiuntur. Et verum est, quod dixit Papa Ioannes XXII. in canonizatione S. Thomæ singulos articulos suarum quæstionum totidem esse miracula. Hieron. August.

Verum extremis temporibus Ecclesiæ miracula requiri cœperunt, quia cum tanta esset multitudo Sanctorum, non opus erat multiplicare alios nisi ipsa miracula suaderent, vt inter alios canonizaretur. Deinde quia crescente malitia, & maleuolentia Hæreticorum voluit Ecclesia tollere occasionem suspicandi, & obtrectandi. Quare miracula requisiuit, quia quando sunt vera, quod Ecclesia semper inquirit, certum sanctitatis testimonium continent, cum enim sint supra naturam, quando fiunt, supernaturalis sunt potentiæ argumenta. Et quanquam ea sit gratia gratis data, numquam tamen concessa fuit peccatoribus, imò nec iustis mediocriter sanctis. Vnde signum est eum propter quem Deus miracula operatur eximiè sanctum, & sibi gratum esse.

Tandem, quia in operibus virtutum potest interuenire hypocrisis, & vanagloria: at in miraculis quæ fiunt à Deo in honorem Sancti nullum potest vitium interuenire, quia à Deo patrantur.

Effectus multi sunt. Septem refert Bellarminus lib. 1. de beatitudine sanctorum cap. 7. Primus, referri in album Sanctorum. Secundus, inuocari precibus publicis Ecclesiæ. Tertius, Templa, & aras habere in memoriam sui. Quæ ob id *memoriæ* olim appellabantur. Quartus celebrari Missas, & recitari officia in eorum diebus festis, & anniuersarijs. Quintus habere festos dies natalitios. Sextus pingi, & sculpi, & coli eorum imagines. Septimus condi eorum ossa, & reliquias in thecas pretiosas, & honorari. Bellarm.

Quadrat in hanc doctrinam illa sententia Bonifacij VIII. cap. Gloriosus in 6. titulo de reliquijs, & veneratione Sanctorum: *Gloriosus*, inquit, *Deus in sanctis suis, & in maiestate mirabilis est. Nam & si cunctos ministros magnificet, & alijs decoret honoribus, & cælestis efficiat beatitudinis possessores, illos tamen vt dignis digna rependat potioribus attollit insignis dignitatum, & præmiorum veriori retributione prosequitur, quos dignores agnoscit, & commendat ingentior excellentia meritorum. Sic & alma Mater Ecclesia licet vniuersos in Regnis cælestibus constitutos honorare non desistat, gloriosissimos tamen Christianæ fidei Principes, & athletas Dei electos summis attollere vocibus, laudibus personare præcipuis, & specialibus disponit honoribus venerari.* Hæc ille. Bonifac. VIII.

Cur autem Deus velit suos sanctos canonizari, prima ratio est, vt ij in hac vita vbi militarunt, hoc præmium laborum suorum habeant. Secunda vt gloriæ essentiali quam ha-

habent in cælis, hæc accidentalis gloria respondeat. Tertia vt nos eorum exemplo accendamur ad imitationem earum virtutum in quibus excelluerunt. Quarta vt coniungamur cum illis per effectum, & ij nobiscum per intercessionem, & protectionem. Quinta vt Hæreticos, & Gentiles confundamus, qui non habent viros iustos, & sanctos, quos consecrent. Vltima, vt probemus nostræ Ecclesiæ sanctitatem, quæ tot iustos, & sanctos parit, & beat. Vnde oritur illa communicatio sanctorum quæ in Symbolo Fidei continetur.

CAPVT III.

Cuius sit canonizare Sanctos in Ecclesia.

DVpliciter Sanctus canonizatur primo ab vna particulari Ecclesia, quando proponitur vti Sanctus ab Episcopo pro vna Diœcesi, aut Prouincia. Secundò, quando publicatur Sanctus pro tota Ecclesia vniuersali. Olim quilibet Episcopus solebat canonizare Sanctum in sua diœcesi, & ita Vualdensis lib. de Sacramentis titulo 14. cap. 122. & Bellarminus de Sanctorum beatitudine cap. 9. afferuntque testimonium Cypriani lib. 3. Epistolarum Epist. 6. in qua iubet moneri se de obitu cuiusque martyris, vt eius memoria sacrificijs celebretur, & dies eius natalitius colatur. Itaque multos fuisse martyres in quibusdam certis Ecclesijs, qui non erant noti in alijs, & aliquos item ex Confessoribus, vti constat ex Florentino sess. 7. vbi latini dicunt Simeonem Metaphrastem in Ecclesia Græca pro Sancto coli, cuius apud Latinos non extaret memoria. Sed hoc fieri quondam solitum ante tempora Alexandri III. & Innocentij item III. qui vetuerunt ne postea aliquis pro Sancto coli inciperet sine Romani Pontificis authoritate, vti apparet ex cap. 1. & 2. de Reliq. & venerat. Sanctorum. Itaque affirmandum hisce temporibus, siue ij Martyres sint, siue Confessores, vt canonizentur semper interuenire debere authoritatem Pontificis. Imo qui olim vti Sanctus colebantur ex approbatione tacita, vel expressa summorum Pontificum colebantur.

Vuald.

Bellar.

Quare conclusio sit, nullam canonizationem esse posse nisi Sanctus proponatur, vti talis, & pro tali haberi iubeatur à Summo Pontifice capite vniuersalis Ecclesiæ. Vnde canonizatio publica esse debet. Alia verò non est canonizatio, sed inchoatio canonizationis, quia est intra particularem notitiam singularis Ecclesiæ. Erit autem hæc canonizatio publica, quando accesserit consensus Papæ, & Ecclesiæ, vel tacitus, vel expressus. Probo autem istam doctrinam hoc syllogismo. Canonizatio debet esse certa, & infallibilis. Sed iudicium Episcopi, & Ecclesiæ particularis non est certum, nec infallibile: ergo per illum non potest fieri canonizatio, qui syllogismus demonstratio est. Nam maior est principium in hac materia: Minor est certissima quia particularis Ecclesia errare potest etiam in materiis grauioribus. Consequentia est in forma. Confirmatur ex cap. Audiuimus de reliquijs, & veneratione Sanctorum, in quo Alexander Tertius queritur, quòd homo quidam occisus in potatione, & ebrietate coleretur pro Sancto, & ait, non licere etiam si miracula per quempiam fierent absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari. Quo loco hanc auctoritatem necessariam semper fuisse, & esse, ibi probat Glossa adiuncto cap. Cum ex eo secundo eius tituli. Idē habetur circa reliquias Sanctorum, quas nemo, ait ibidem Pontifex, præ-

Alex. III

Glossa.

ſumat colere, niſi prius authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Et ibidem addit: Contingere accedentes ad eas fideles varijs figmentis, & falſis documentis decipi ſolere. Quare illæ canonizationes factæ ab Epiſcopis, & Capitulis particularibus erant inchoationes quędam canonizationum, & ſigna deuotionis, & pietatis priuatæ, non idoneæ canonizationes.

Aſſertio igitur ſit, canonizare Sanctos ſolius eſt Apoſtolicæ Sedis, Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ. Patet ex cap. Audiuimus, & cap. Cum ex eo, de reliquijs, & veneratione Sanctorum, & cap. Venerabili de teſtibus, & atteſtationibus, & cap. Glorioſus in 6. & Gloſſis ibi. Ex quibus volo adducere Gloſſam in cap. Glorioſus, quia inſignis eius doctrina eſt, & perfecta. Statuit Gloſſa. *Solus*, inquit, *Papa habet Sanctos canonizare, primo quia iſta eſt vna de maioribus cauſis, quæ inter Chriſtianos proponi poteſt, & ſic eſt ad Sedem Apoſtolicam referenda. De baptiſmo, cap. Maiores. Secundò quia miracula attribuuntur fidei. Hæc igitur quæſtio cùm ſit de fide præcipua eſt ad Sedem Apoſtolicam referenda, 24. q. 1. Quoties. Secundò quia ad Papam ſpectat declarare dubia Scripturarum; Qui filij ſint legitimi. Per venerabilem. Multò fortiùs dubia ſanctitatis, quia circa maiora maius periculum vertitur. Quartò ne per multorum Epiſcoporum ſimplicitatem decipi contingat, ſupra eodem titulo cap. 1. Quintò ne infinitum Sancti multiplicentur, & ſic contingat deuotionem refrigeſcere, & ſanctitatem vileſcere. 8. diſt. Epiſcopi.* Suadetur deinde ratione Bellarmini, quis declarare hæreſiarchas ſpectat ad ſolam Sedem Apoſtolicam, quæ illos damnat, & anathematizat: ergo è contrario declarare ſanctos ad eamdem ſedem pertinebit, vt illos honoret, & exaltet. Probatur inſuper ratione quam affert Angelus Roccha in ſua comm. de canoniz. SS. c. 4. quia ſolus Chriſtus eſt qui ſanctificat iuſtos intrinſecè, & per gratiam, illud 21. Leuitici: *Ego Dominus qui ſanctifico eos*. Igitur & ſolus Chriſti Vicarius declarare debet iuſtos extrinſecus propoſita illorum ſanctitate. Addo ego aliam rationem, quia cum illi Sancti ab vniuerſa Eccleſia ſint colendi, à capite vniuerſæ Eccleſiæ ſunt ad cultum proponendi.

Duæ hic quæſtiones ſunt. Prima, an ſolus Papa per ſe ſine conſenſu Cardinalium poſſit canonizare? Negant quidem apud Roccham cap. 4. Sed affirmandum; nam aſſiſtentia Spiritus S. erga Papam eſt annexa Cathedræ, & perſonæ in illa ſedenti ſine dependentia Cardinalium, alioquin non poſſet ſolus res fidei definire, & proponere, quod eſt falſum: ergo ad declarandum, & canonizandum Sanctum non indiget Cardinalium conſenſu. Et ita tenet Gloſſa cap. Fundamenta. parag. decet. de electione in 6. & D. Antoninus in ſumma qu. 2. 3. q. Illud autem Caſſaneus animaduertit bonum eſſe Cardinales adhibere, ita in cathalogo de gloria mundi par. 3. conſid. 47. Verum de hoc nemo diſputat. D. Ant. Caſſan.

Secunda eſt, an poſſit Concilium vniuerſale per ſe ipſum Sanctos canonizare? Affirmant communiter Authores Ioann. Andreas cap. 1. titulo 41. de reliquijs, & veneratione Sanctorum. Abbas, & Imola in cap. finali de ferijs, Turrecremata in cap. 1. de conſecratione diſtin. 3. D. Antoninus tit. 22. 3. par. ſummæ cap. 5. dum aiunt ſolum Papam aut Concilium poſſe. Ego verò aio Cõcilium vniuerſale legitimè congregatum ab authoritate Papæ pendere, ac proindè ſemper ius canonizandi authoritatem Papæ inuoluere. Quod ſi contingat congregari vniuerſale Concilium mortuo Pa-

pa, vel incerto, & ambiguo, vti accidit Cõcilio Constantiensi iudico tum Concilium posse canonizare Sanctos: si enim potest declarare Papam Vicarium Christi, cur non poterit declarare Sanctũ, cum præsertim eo tempore tota authoritas Ecclesiæ sit penes illud Concilium? Vna superest.

Obiectio, Episcopus potest canonizare: ergo non solus Papa. Antecedens probatur ex cap. Pronunciandum, de consecratione, ex quo constat Episcopum instituere posse dies festos alicui Sancto, & iubere illos obseruari. Hæc autem est vna consequentia canonizationis: ergo Episcopus potest canonizare. Verba Canonis sunt: *Illæ festiuitates quas singuli Episcopi in suis episcopatibus cum populo collaudarunt.* Respondetur duobus modis. Primo solitum fuisse olim vt Episcopi Sanctos declararent, & festa instituerent, vti supra dictum est; qui mos à multis sæculis sublatus fuit. Et ita admittitur ille textus iuxta Glossam, quæ docet Episcopum cum suis Clericis quantum ad suam diœcesim posse Sanctos canonizare, quæ habetur citata in hoc cap. Pronunciandum. Secundò, & melius istas festiuitates, de quibus loquitur textus esse institutas in honorem Sanctorum iam canonizatorum, quas Episcopi possunt in suis diœcesibus celebrare. Et ita Glossa hic impugnans aliam citato cap. 1. in fine, extra de reliquijs, & veneratione Sanctorum, & loquitur de canonizatis qui non habent vigiliam. Ita intelligit Azor. 2. par. institut. moral. lib. 5. cap. 6. & Roccha citatus cap. 1. (Azor.)

CAPVT IV.

De infallibilitate Canonizationis.

HAeretici negant, imo & irrident Catholicorũ canonizationes. Inter quos est VVicleff apud VValdensem to. 3. de Sacramentalibus c. 122. qui aiebat nõ minus posse errare hac in re Papam, quam Presbyterum Ioannem Regem Aethiopiæ, aut Turcam, aut Sultanum. Idem affirmant Lutherani, & Caluinistæ. Primum eorum fundamentum est, quia non constat de hac potestate canonizandi Sanctos. Vbi enim aiunt reuelata est? Secundum, quia tota canonizatio fundatur in notitijs humanis quæ falli possunt, & fallere. Et iudicium non potest esse certius, quàm sunt motiua illius. Tertium, quia lib. 5. decret. tit. 39. cap. 8. de senten. excom. sic habetur: *iudicium Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli.* Quartum, D. Augustinus, seu D. Gregor. *Multorũ*, inquit, *corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in inferno.* Ex his concludunt Hæretici non esse certam, nec infallibilem canonizationem. Et confirmant errore Anastasij II. Pontificis, qui cum esset Pontifex Romanus communicauit cum hæretico Photino, & cum Acatio, & ob id desertus fuit à Clero Romano. Præterea voluit Acatium defunctum ab hæresi absoluere, vt orationes pro eo in Ecclesia fierent, & propter id à Deo percussus interijt, vti habetur cap. Anastasius 19. in 1. par. Decreti, quod affirmat Gratianus, & Platina, & alij cum Glosa ibi, quæ affirmat Anastasium in pœnam illius criminis eiectis intestinis more Arrij perijsse: ergo si Anastasius summus Pontifex in his errauit, multò ma-

(Margin: VVicleff. — Gratian. Platin.)

gis quiuis Pontifex in canonizandis hominibus errare non poterit.

Antequam respondeam quæstioni, aduertendum est primo cum D. Thoma Quodlib. 19. art. 16. tria solere fieri à Papa genera actionum. Primum, earum quæ pertinent ad fidem, & salutem vniuersalis Ecclesiæ. Secundum, earum quæ pertinent ad iudicia, & lites, & crimina. Tertium medium, earum scilicet, quæ spectant ad canonizationem Sanctorum, per inquisitiones virtutum, exemplorum, & miracula facienda. Secundò ex Driedone. lib. de Dogmatibus, & Libris apocryphis cap. 4. Sanctorum tres classes esse. Prima est eorum qui reperiuntur in sacris litteris, vti Baptista, & Stephanus. Secunda eorum qui vniuersalis Ecclesiæ iudicio, & traditione sunt recepti, quales sunt qui ponuntur in Canone Missæ, & Doctores Ecclesiæ. Tertia eorum qui in certis regnis, & prouincijs floruerunt, & hominum testimonijs, & argumentis sunt canonizati à Papa. Ex his Sanctos primi generis ait habere certitudinem fidei. Secundi prope fidem. De tertio quæstionem esse, nam horum canonizatio continetur in tertio illo genere actionum Ecclesiæ.

D. Tho.

Driedo.

Variæ sunt sententiæ de horum infallibilitate canonizationis. Prima est Augustini Triumphi lib. de potestate Ecclesiastica q. 14. art. 4. qui sentit posse contingere errorem in canonizatione ex parte facti, quãuis non possit ex parte iuris, hoc est, non posse contingere vt Papa difformetur, & dissentiat à iudicio secundum allegata, & probata, posse tamen factum esse falsum, quia testimonia falsa esse possunt.

Aug. Triumph.

Secunda est D. Thomæ quodlib. 19. ar. 16. vbi sic ait. Piè credendum est Ecclesiam non errare, quia honor quem Sanctis exhibemus quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus. Nostra igitur.

Assertio sit. Ecclesia non potest errare, ac proinde infallibilis est in canonizatione Sanctorũ. Patet primo, quia canonizatio est iudicium ex cathedra de sanctitate proponens Sanctum colendum vniuersæ Ecclesiæ, ex quo sequitur eius cultus, & solemnitas in tota Ecclesia. Non potest igitur iudicium illud esse falsum. Secundò quia si liceret dubitare de Sancto canonizato, liceret dubitare, an esset colendus, hoc autã non licet quia Ecclesia tota eum publicè colit. *Est autem*, vt inquit Augustinus *epist.* 218. *insolentissimæ insaniæ disputare, an sit faciendum quod tota Ecclesia facit*. Vnde Bernardus epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses loquens de seruandis fastis in honorem Sanctorum ait: *Ego quæ accepi ab Ecclesia securus teneo, & trado*. Tertio, quia si hoc certum non esset fraudaret Ecclesia eos quos canonizat suffragijs viuorum, non enim licet orare, nec facere suffragia pro canonizatis, iuxta doctrinam Augustini serm. 17. de verbis Domini: *iniuriam*, inquit, *facit martyri qui orat pro martyre*; quod intelligendum esse de omnibus canonizatis tradit Innocentius cap. *Cum Marthæ*, de celebratione Missarum, qui hanc ait sententiam esse sacræ Scripturæ, cum non sit nisi Augustini. Itaque sic Pontifex. *Idem est in consimili de alijs Sanctis sentiendum, qui orationibus nostris non indigent, sed nos potius eorum orationibus indigemus*, quod ibi Abbas Panormitanus expendit. Quartò experientia id probatur, quia nunquam hac in re error deprehensus fuit, ita ex praxi probatur veritas, nam in alijs rebus, inquit Bellarminus cap. 8. in quibus errare possunt Pontifices, aliqui re ipsa deprehenduntur errores. Hinc sequitur negare infallibilitatem canonizationis di-

Aug.

Bern.

Panorm.

dignum esse censura. Driedo vocat temeritatem, & stupiditatem, & amentiam. Bagnes affirmat id hæresim sapere, & suspectum hæresis esse ita enim 2.2. q.1. ar. 10. dub.7. cum quo sentit Nunnius Lusitanus lib.3. de optimo Reip. statu cap.11. Canus autem lib.5. cap. 5. quæst.8. concl.3. negantes vocat temerarios, impudẽtes, & irreligiosos, & ab Ecclesia puniendos. Roccha his verbis: *necessariò & firma fide credendum Ecclesiam catholicã in canonizatione Sanctorum nullo modo errare posse; qui secus diceret, aut crederet temerarius, insolentissimus, & irreligiosus, vel amens, aut impius foret, imò à suspicione hæreseos alienus non esset*. Nemo tamen dicit hanc hæresim propriam esse. Igitur non est immediatè de fide, sed ex ea deductum, & proximum fidei.

Bagn.

Nun.

Can.

Rocc.

Nunc ad argumenta. Primo iam supra responsum est in Scripturis canonizari Sanctos, & exempla protulimus, itaque inuenitur in ea fundamentum canonizationis. Secundò respondetur: præcedere quidem informationes, & attestationes humana diligentia præmissas, quia Ecclesia visibilis est, sed has tantum esse dispositiones ad illud iudicium, quod est forma canonizationis ad quod concurrit Spiritus Sanctus, & ideò falsum esse nequit, Deo ita prouidente, vt in attestationibus falsitas non sit. Tertiò ex capite *à nobis* respondetur iuxta doctrinam supra datã de tribus generibus actionum. Sunt enim quædam actiones iudicij, & controuersiæ in quibus potest dari deceptio, quia nituntur testimonijs humanis, & pertinent ad forum litigiosum, & fiunt more iudiciali per latas sententias. Vnde accidit vt falsitas oriatur in facto: qualis fuit casus illius textus, qui loquitur de excommunicato, & absoluto secundum allegata, & probata. Vti patet ex textu vbi adiungitur: *propter quod contingit interdum, vt qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum Ecclesiastica sententia sit innodatus*. Quod aduertit Rocca cap.40. Vnde Glossa ait: *opinionem sequitur, & ideò sæpe fallit, supra de re iudicata, cap. Tutor, & cap. Consanguinei, & supra de frigidis cap. Fraternitatis, & 24. q. 3. cap. si quis non rectè, qui omnes casus sunt particulares, & non spectant ad communem causam veritatis, & religionis, nec continent professionem fidei*. Quartum de sententia illa Augustini, vel Gregorij multipliciter soluitur. Primo negandum illum locum esse illorum Patrum, quia vti aduertit Bellarminus cap.8. illa non reperitur in Augustino, nec in Gregorio vti obseruat Roccha. Sed quoniam recipitur communiter, respondetur secundo cum Viguerio locum esse intelligendum de Ethnicis, qui suis ritibus venerabantur homines gentiles tanquam Deos, quos vocabant Indigetes, cum tamen essent in inferno. Tertiò intelligi de illis Christianis, qui venerantur corpora suorum maiorum epitaphijs, emblemmatis, & statuis. Quartò illud esse dictum contra Donatistas qui colebant suos occisos propter suam sectam tanquam martyres. Quintò intelligi de reliquijs, & ossibus, quę interdum accidit coli cum veræ reliquiæ non sint, quod fieri interdum potest, quia Papa nõ canonizat hæc numero ossa dicens de facto esse illius Sancti, qui in ijs colitur. Ad vltimum argumentum de errore Anastasij II. Papæ respondet Baronius tom. 6. anno 497. & Spondanus ibi, & Roccha cap.39. illam historiam fabulam esse ex supputatione temporis, nam Acacius Constantinopolitanus mortuus est tempore Felicis III. cui successit Gelasius I. Itaque non potuit hic procurare, vt ille reuocaretur ad communionem

Glossa.

Bellar.

Viguer.

Baron.
Spond.

Ecclesiæ, cum iam in viuis non esset. Quod quia Glossa in cap. illud Anastasius melius, opinor, omnibus explicauit, volo hic eam afferre.

Gloss. *Caput hoc*, inquit, *habetur quidem tomo 2. Conciliorum, sed esse omninò confictum, cum ex multis alijs argumentis, tum ex hoc manifestè ostenditur quòd Acacius, sicut Nicephorus lib.16. cap.12. & Euagrius lib.3.c.15. & sequentibus, & clarissimè Anastasius Biblioth. in Chronologia testantur tempore Fælicis obijt, cui successit Gelasius, & Gelasio Anastasius, qui initio epistolæ suæ cap. 1. ad Anastasium Imperatorem Acacium mortuum iam, & ante iudicē Christum vna cum Fælice adstare scripsit, vt Gelasius quoque ante ipsum scripserat, & habetur infra 24. quæst.2. cap. Nec quisquam. quomodo ergo potuit Anastasius de eo reuocando tractare qui iam obierat. Obijt autem Acacius anno 488. Anastasius autē fuit assumptus anno 497.* Hæc tamen solutio mihi non placet, quia supponit illud verbum *reuocare*, quo vtitur textus referendum esse ad Acacium viuum, cum referri optimè possit ad Acaciū post mortem, vt sensus sit, in Dypthichis sacris posse inscribi inter Sanctos, quod poterat fieri post mortem. Vnde poterat Anastasius reuocare Acacium defunctum ad Catalogum Sanctorum, ex quo erat expunctus, & ita credo sentire eos authores, qui Anastasium erroris condemnāt. Qui sunt Gratianus in hoc textu, &

Volater. Platina, & Volaterranus qui non potuerūt ignorare Acacium defunctum esse ante Anastasium Papam. Vnde quando affirmarunt reuocasse Acacium, intellexerunt de reuocatione, siue repositione in sacris Dyptichis post mortem eius. Præterea Anastasius non solum culpatur propter hoc, sed etiam propter communicationem, cum Photino, vel Photio, qui erat Diaconus Acacij, & Legatus venerat Romam petere ab Anastasio, vt reuocaret nomen Acacij iam mortui in sacra Dypticha. Quod non fugit Baronium, nec Spondanum anno 497. Accedit quod de nomine Acacij tempore Hormisdæ Papæ reuocando agebatur à Græcis, vt patet ex epistola Iustiniani Comitis ad Hormisdam, quæ est inter epistolas eiusdem Hormisdæ, & ex varijs litteris Iustini Imperatoris, & Hormisdæ ad ipsum. Ex quo patet illam reuocationem fieri post mortem Acacij. Igitur aliter respondendum est.

Respondetur ergo Anastasium in epistola sua vnica ad Anastasium Imperatorem perspicuè fateri mortuum iam suo tempore esse Acacium, eumque à se damnari sicut damnatus fuerat à Sede Apostolica. Sic enim ait ad Imperatorem: *Precamur maiestatem vestram vt specialiter nomen taceatur Acaij, &c.* Et iterum: *Quantos verò excessus atq; præsumptiones habuerit Acacius &c.* Deinde significat per Cresconium, & Germanum latam in eum sententiam à Sede Apostolica pro certis facinoribus Acacij. Et tandem vltimò paragr. epistolæ: *Acacius*, inquit, *cuius nomen dicimus esse reticendum.* Ex quibus patet ab Anastasio damnatum esse post mortem.

Verum quidem est Iustinum Imperatorem inter epistolas Hormisdæ Papæ scribere Anastasium obtulisse communionem Episcopis, si nomen tantùm taceretur Acacij, quasi verò permitteret, vt aliorum hæreticorum nomina in Sanctorum catalogo ponerentur. Quod item scribit Iustinianus Comes in alia epistola inter 76. & 33. Hormisdæ. Error tamen hic fuit amborum, Anastasius enim nunquam dixit, vt solius Acacij nomen deleretur, sed vt specialiter deleretur. Vnde sic ait Anastasius in epistola sua vnica: *Vt spe-*

ſpecialiter nomen reticeatur Acacij. Et rurſus: *Cuius nomen dicimus eſſe reticendum*. Non negat autem aliorum Epiſcoporum nomina eſſe reticenda. Confirmatur hæc veritas epiſtola Hormiſdæ, qui poſt Anaſtaſium vixit, quæ eſt 20. ad Ioannem Conſtantinopolitanum, in qua Hormiſdas iubet damnari Acacium cum cæteris hæreticis Dioſcoro, Ethychete, Timotheo Eluro, & Petro Alexandrino, & alio Petro Antiocheno, *propter iudicia*, inquit, *Sedis Apoſtolicæ*; numero plurali, quo indicat anteceſſores Papas, inter quos erat Anaſtaſius, Acacium damnaſſe. Patet deinde hæc veritas, quia ſi Anaſtaſius damnari debet, quod ſpecialiter de Acacio vetuit ne eſſet in diptychis, etiam Hormiſdas damnaretur, quia in epiſtola dicit in inſtructione data Legatis, *vt Acacius ſpecialiter damnaretur*. Suadetur ergo ex epiſtola 32. Hormiſdæ vbi ait: *Acacium eſſe Apoſtolicæ Sedis iudicio damnatum*. Quod verum eſſe non poſſet, ſi eum Anaſtaſius abſoluiſſet. Tandem in epiſt. 51. Hormiſdę quæ eſt ad Epiſcopos Hiſpaniæ maniſeſtè habetur: *Propter cauſam*, inquit, *Acacij, à Prædeceſſoribus noſtris damnati*. Inter quos Prædeceſſores erat Anaſtaſius Papa. Igitur tota hæc hiſtoria conficta eſt, vt notarunt citati authores, & Bellarminus. Hormiſ.

Tria ſuperſunt explicanda. Primum, quæ cauſa fuit damnandi Acacium? Cui breuiter reſpondeo eum aduerſatum fuiſse Concilio Chalcedonenſi, & illud negantibus fauiſse, ac proinde cum Ethychete, & Dioſcoro, Moggo, & cæteris licet aſtutè communicaſſe. Secundum, an communicauerit Anaſtaſius cum Photino Diacono Acacij? Reſpondetur audiuiſse quidem ipſum de epiſtolis Leonis Papę, ſed minimè conſenſiſse Photino agenti de reuocatione Acacij. Tertium, an fuerit percuſſus à Deo, & morte violenta extinctus? Reſpondetur negatiuè, hæreticos autem id finxiſſe abutentes nomine Anaſtaſij, quia Imperator Anaſtaſius illius coætaneus propter ſcelera percuſſus à Deo fulmine interijt. Quam illi plagam Anaſtaſio Papæ impoſuerunt. Tandem,

Quæritur, vnde ſumpta eſt occaſio errandi circa Anaſtaſium? Reſpondetur epiſtolam illam Iuſtini Imperatoris fallere legentes. Sed præcipua occaſio fuit, quia Anaſtaſius in ſua epiſtola iubet admitti baptizatos, & ordinatos ab Acacio, vnde creditum eſt illum probaſſe perſonam. Sed animaduertendum Anaſtaſium diſtinxiſſe inter perſonam, & ſacramenta, & illam damnaſſe propter hæreſim, & iſta admiſiſſe propter virtutem. Quod ipſe perſpicuè in ea epiſtola manifeſtat, & vtitur exemplo Iudæ, *qui cum eſſet indignus, prolata tamen ab eo beneficia nulla detrimenta ſenſerunt*, & affert locum illum Ioannis 1. de Chriſto: *Hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto*. Anaſtaſ.

CAPVT V.

An, & quomodo Sancti beatitudinem fruantur?

TRia ſunt hac in re de fide. Primum, beatitudinem poſt hanc vitam Sanctis repoſitam eſſe. In qua ſpe Iob viuebat cum dixit: *Repoſita eſt hac ſpes mea in ſinu meo*. Hanc veritatẽ nemo præter Atheos negat. Secundum, beatitudinem in viſione Dei conſiſtere, quæ in Cælo futura eſt, ſiue ſola viſio ſit formalis; vti ego ſentio, beatitudo, ſiue coniuncta cum actu voluntatis quæ ſit fruitio, quod malunt alij: hoc enim ſcholaſticum eſt, nec ad nos attinet diſputare. Hanc veritatem pauci Hæretici negarunt, de qui-

quibus statim. Tertium, fuit olim controuersum inter Græcos, & Latinos quorum Græci negarunt, Beatos ante diem iudicij videre Deum. Sed iam hodie ista veritas in Concilio Florentino definita est, & à Tridentino confirmata. Vnum dubium est, vtrum visio Dei tam sit perfecta in solis animabus, quam erit in societate corporum post vniuersalem resurrectionem?

Supposita prima veritate dari beatitudinem, tollitur prima tituli quæstio. Quod attinet ad secundũ fuerunt hæretici, qui visionem claram Dei possibilem esse negarunt.
Armac. Quales fuerunt Armeni, teste Armacano lib. 15. q. q. cap. 1. Et quidam recentiorum Græcorum, & Abailardus, & Arnaldus Brixiensis Authore Castro hæresi 1. & Almericus apud Vasquez par. 1. disp. 17. capit. 2. & 4. quamquam hic error multò sit antiquior; in eum quippe
Gregor. Magn. inuehitur D. Gregorius Magnus lib. 18. mor. cap. 28. Fundamentum eorum erat; quia intellectus creatus non erat capax diuinæ visionis, & quia si Deus videretur omnino comprehenderetur.

Quæstio celebris est inter Controuersistas vtrum Patres negarint videri posse Deum, vel saltem de eo dubitarint? Sunt enim qui dicant
Chrysost. Chrysostomum in hac sententia fuisse, eiusque Sectatores Theophylactum, & Euthymium. Et quidem Vasquez ita putat, iisque ad-
Vasq. iungit Theodoretum, & Isidorum, nec excludit Hieronymum, Basiliũ, Epiphanium, duos Cyrillos Hierosolymitanum, & Alexandrinum, & Gregorium Nicenum, quorum locos producit, qua solet eruditione.

Præcipua de Chrysostomo controuersia, de quo Vasquez aperte docet negasse Deum visibilem esse. Multa affert testimonia, & vtitur illa ratione, quod Chrysostomus disputabat aduersus Anomæos, qui dicebant posse Deum comprehendi, quos vt refutaret Chrysostomus affirmabat, Deum non solum non posse comprehendi, imò nec videri. Hoc autem de Chrysostomo tam constanter affirmat Vasquez, vt non patiatur, vti est acer, & vehemens, aliter intelligi. Verum D. Thom. 1. par. qu. 12. art. 1. Chrysostomum excusat, aitque illum comprehensionem Dei negare, non visionem. Cum D. Thoma consentiunt pro Chrysostomo, Durandus, & Sixtus Senensis. Hac in re Vasquez sequi non possum. Quamuis enim testimonia ab ipso allata speciem aliquã eius erroris præbere videantur, possunt tamen meo iudicio de comprehensione commodè accipi. Præterea alij sunt non pauci apud eundem loci, in quibus affirmat visibilem Deum esse, & à Beatis videri, quos diligenter colligit Recupitus lib. 6. qu. 1. cap. 6. Præterea ex eo quod Chrysostomus aduersus Anomæos disputabat, satis erat negare visionem Dei comprehensiuam, nec opus erat negare intuitiuam. Vnde corruit Vasquij fundamentum, cui oppono nobiles familiæ suæ authores Suarium lib. 2. summæ cap. 2. & Bellarminum lib. 1. de beatitudine sanctorum, ac præcipuè Maldonatum hominem in Patribus versatissimum & Vasquio parem, qui in cap. 1. Ioann. quæst. huiusmodi agitata Chrysostomum liberat à suspicione, eumque explicat de comprehensiua visione.

Causa propter quam Chrysostomus, & alij obscurius videntur loqui, ea mihi esse videtur, quia non facilè iudicabant fieri posse videri Deum intuitiuè, & non videri comprehensiuè, quia cum Deus sit spiritus indiuisibilis, & actus omnino purus, & simplex, quando videtur intuitiuè videtur comprehendi. Quę tamen difficultas ad Scholasticos pertinet.

Hære-

Hęresis autem Iouiniani fuit omnes æqualiter Deum videre beatos. Quæ ex eo refutatur, quia cum opera, & merita, & gratia in hominibus inæqualia sint, necesse omnino est, vt sit etiam inæqualitas in premio, quod in visione consistit. Præterea Christus apud Ioannem dixit. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Quod de inæqualitate beatitudinis Patres, & Interpretes exponunt.

CAPVT VI.

Vtrum Beati ante diem iudicij Deum videant? Græcorum, & hæreticorum opinio.

HAeretici tum prisci, tum noui sensere animas omnium siue impiorum, siue iustorum vsque ad diem iudicij in certis receptaculis detentas seruari, ac proinde iustos defunctos Deum non videre, nec visuros nisi post vniuersalem resurrectionem. Primus author huius erroris reperitur, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, deinde Vigilantius apud Hieronymum, postea Armeni ipsum secuti, teste Guidone in summa. In eodem erant Græci, vti constat ex Florentino sess. 1. & ex D. Thom. in opusculis op. 6. cap. 9. Ex nouis hæreticis eundem amplexus est Lutherus in prælectione in Genesim, & Agrippa lib. 3. de occulta Philosophia, & Caluinus lib. 4. instit. cap. 20. qui solum Christum in Cælo esse, & Beatum vult, & c. 25. stultitiam vocat id in quæstionem vocare, cum tamen ipse definiat.

Tertull. Vigilius. Armen.

Fundantur primo in capite Matth. 20. vbi dicitur, Pater familias soluisse denarium diurnum mercenarijs ad vesperam, hoc est, aiunt, donasse præmium in fine mundi. Secundo in alio loco Matth. vbi ponitur schema vltimi iudicij, nam illo finito dicitur. *Venite benedicti percipite regnum, quod vobis paratum est*. Quæ verba perspicuè significant non fuisse ante in possessione beatitudinis, quæ tantum parata erat, & post illud iudicium possidenda. Confirmatur ex verbis contra damnatos. *Ite maledicti*, nec enim dicit. *Redite in ignem æternum*. Vnde colligitur adhuc non fuisse in eo igne, sed post illud iudicium fore. Tertio fundantur in testimonio Ioannis Epistola 1. cap. 3. *Scimus*, inquit, *quia cum apparuerit similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est*: Illud, *cum apparuerit*, ad Christum refertur in die iudicij apparentem: ergo post eum diem dabitur visio Dei beatis. Quartò nituntur in verbis cap. 6. Apocal. *Vidi*, inquit, *subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei*. Ergo ibi martyres detinebantur. Confirmatur ex eo, quod dicitur, vt expectarent donec impleretur numerus fratrum eorum, quod quid est nisi, vt expectarent diem iudicij?

Patres multi hanc sententiam videntur sequi. Ex Græcis, Iustinus, Irenæus, Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Aretas, & Euthymius. Ex Latinis Lactantius, Victorinus, Hilarius, Prudentius, Ambrosius, Augustinus, Bernardus, qui videri possunt apud Bellarminum lib. 1. cap. 1.

Præcipuum argumentum sumitur ex Decreto Ioannis Papę XXII. qui fertur hoc definisse, & præcepisse Parisiensibus, vt non aliter docerent, imò & vetuit ne quis ad gradus Theologicos promoueretur, nisi prius iurasset se hanc sententiam secuturum. Hoc autem de Ioanne Papa Occhamus in opere 93. dierum, & Gerson sermone de Pascha, & Marsilius in 4. quæst. 13. art. 3. & Adrianus in 4. vbi de Sacramento Confirmationis. Addit Erasmus in præfatione ad Librum S. Irenęi, Io- Ioan. 22. Occham. Gerson. Marsilius

annem Pontificem coactum fuisse à Rege Galliæ Philippo ad palinodiam, eundemque propter hanc sententiam reprehendunt Gerson, & Occhamus. Addunt præterea authores, illum voluisse hoc de fide definire, sed morte præuentum non potuisse, & hoc narrare successorem illius Benedictum XII. author vitæ Ioannis apud Binium testatur, qui affirmat eum authoritate Irenæi, & Lactantij, & aliorum Patrum motum in eam venisse sententiam. Quæ argumenta compulerunt Bellarminum ad fatendum lib. 4. de Roman. Pontific. cap. 24. Ioannem 22. ita reuera sensisse, negat tamen in hoc errasse, quia nondum contrarium erat definitum. Quæ si vera sunt falsa est illa Epistola, quę extat apud Binium post eius vitam, in qua se de hoc errore retractat, affirmans, animas iustorum Deum modo videri faciem ad faciem, & in cælo esse cum Christo, & in consortio Angelorum.

Binius. Bellar.

Argumenta petita ex ratione sūt duo. Primum, quia nulla necessitas est ponendi beatitudinem ante diem iudicij, quia mundus adhuc est in via, ac proinde non videtur æquum, vt homines sint in patria. Secundum, quia videtur absurdum, quod ante iudicium vniuersale Sancti fruantur gloria, & impij torqueātur in inferno, & inde extrahantur, vt iudicentur, & iterum remittantur iudicati ad gloriam, & pœnam, quas antea habebant.

CAPVT VII.

Proponitur certa, & Catholica sententia.

HAec tradit Sanctos videre Deum statim post mortem, nec expectare resurrectionem. Primus locus Scripturæ sit Ecclesiastici 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas*. Illud, *facile est*, significat ita fieri, idque confirmatur verbis paulo post sequentibus. *In fine hominis denudatio operum eius*. Id est, iudicium; quod si iudicium, & retributio. Nec obijcias tunc nemini cælum patere, quia ante ascensum Christi piorum animæ non videbant Deum, sed erant in sinu Abrahæ. Respondetur enim primo. Spiritum Sanctum loqui de futuro, quia omnia in figura contingebant, & dicebantur. Secundo loqui secundum tempora; tunc enim erat retributio per quietem in sinu Abrahæ, cum specie futuræ visionis Dei. At vero in lege gratiæ retributio fit per beatitudinem in cęlo cum visione Dei.

In nouo testamento plures sunt loci. Secundus igitur esto Pauli 2. ad Corinth. cap. 5. *Scimus quia si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur ædificationem ex Deo habemus: domum non manufactam æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiscimus habitationem nostram quæ de cælo est superindui cupientes: si tamen vestiti, & non nudi inueniamur: nam & qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati: eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur mortale à vita*. Confirmatur ex adiunctis. *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino, audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum*. Quid est

pere-

peregrinari, nisi viuere non videndo Deum, & quid est præsentes esse nisi post mortem videre Deum? Alioquin etiam post mortem peregrinamur à Domino, si Deo per visionem præsentes non sumus. Accedit quod ibidem ait. *Dum sumus in corpore per fidem ambulamus, & non per speciem*. Quod iustum argumentum est, si adiungatur alter locus 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Constat enim sententia. Nam si dum sumus in corpore tantum videmus per speciem; quando sumus extra corpus non iam per speculum, sed clare Deum videmus, aliter quippè nullum erit discrimen inter cognitionem in vita, & cognitionem post mortem.

Tertium testimonium est Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*, vbi illud, *mecum*, &, *in Paradiso*, significat gloriam Paradisi, & visionem Dei, præsertim cum hæc sit responsio Christi ad Latronem dicentem; *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum*, regnum enim erat cęlum in quo est beatitudo.

Quartum est ex Epistola ad Ephes. cap. 4. *Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem*, id est, multitudinem Patrum, qui erant captiui in sinu Abrahæ. Si autem eos duxit in altum, in cælum duxit, ac proinde in beatitudinem. Nam in cælo quid fiet nisi videre Deum? Quod colligitur ex loco Matth. cap. 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei*. Disertè dixit in cælis, quia ille locus erat coniunctus cum visione Dei. Alios locos referunt alij, præcipuè Bellarminus cap. 3. de Beatitudine. Sed hi pro tempore sufficiunt.

Patres Græcos 18. affert idem Cardinalis cap. 4. ac in eis Athanasium, & Basilium, & Nazianzenum, & Chrysostomum, Doctores quatuor Græcæ Ecclesiæ, quorum testimonia sunt perspicua. Ex Latinis alios 18. idem producit, ac in ijs quatuor Doctores Ecclesiæ Latinæ, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, qui hoc etiam clarè affirmant, & si in Augustino aliqua sit difficultas quæ suo loco auferetur.

Fortissima probatio est ex orationibus, & officijs sacris Ecclesiæ, illa præsertim quæ Festo S. Gregorij Magni recitatur. Greg. M. *Deus qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contulisti*. Et sanè hic est communis sensus omnium fidelium, de quo iam nemo dubitare potest post Concilium Florentinum sess. Concil. Florent. vltima in quo Eugenius IV. in definitione, quæ immediatè post Concilium ponitur ante Decretum sic ait. *Definimus eorum animas qui post baptisma susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel ijsdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum*. Idem docet Tridentinum sess. 25. & Innocentius III. cap. Trid. Apostolicam. Extrauag. de Presbytero non baptizato, & Benedictus 12. in Extr. Benedictus Deus, quam affert Alphonsus à Castro verbo Castr. Beatitudo. Accedit ingens copia reuelationum, & visionum, quæ in vitis sanctorum continentur.

Rationibus nunc agamus. Prima esto. Deus id solet facere quod magis rationi, & bonitati suæ conuenit, quando non ponitur ex parte nostra impedimentum: sed magis conueniens est rationi, & bonitati suæ, vt animæ iustæ fruantur gloria statim post mortem: Ergo. Minor patet, quia illæ animæ nullum habent impedimentum, & ratio postulat, vt fruantur præmio, & id suadet bonitas diuina, ergo non debet

ijs præmium differri. Secunda, quia per mortem Christi, & resurrectionem sublatum est impedimentum videndi Deum. Ergo illo cessante, Deus videtur. Antecedens patet, quia quod impediebat sanctos veteris Testamenti, erat, quod non poterant ij priusquam Christus, qui erat primogenitus mortuorum, videre Deum. Vnde eo mortuo, & glorioso cessauit illa ratio, & aperta fuit via ad beatitudinem, in quam post eum iusti ingrediuntur. Tertia, quia mors Christi attulit gratiam copiosiorem iustis in via, ergo & in termino debuit maius præmium afferre. Hoc autem est visio beata, & gloria. Ergo fruuntur illa iusti post mortem. Quarta, quia ex opposito sequitur nullum esse discrimen inter sanctos, qui fuerunt ante Aduentum Christi, & illos qui fuerunt post Christum, quod multum detrahit Christi dignitati, essent enim in eodem statu in quo erant Patres antiqui antequam Christus veniret. Quinta, quia non decet vt Christus in cælo solitarius sit, præsertim, quia credibile non est B. Virginẽ in cælo non esse, nec Apostolos, nec Martyres: quod si isti sunt, cur alij non erunt? Dicere autem nullum esse, est iniuriam facere illustribus sanctis, & Christum priuare ea gloria accidentali.

Accedit duplex coniectura ex Euangel. Prima ex loco Ioann. 8. *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & grauisus est.* Quare enim exultabat, & gaudebat, nisi quia ille cum alijs, quos habebat in sinu inde egressuri erant ad fruendum visione Christi, & Dei. Secunda ex loco Matth. 27. vbi ait. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerant.* Nempe surrexerunt, vt cum Christo ad cælum irent: non quod prius surrexerint quam Christus, quia Euangelista anticipauit, quod accidit post Christi resurrectionem, vti communiter exponunt Interpretes.

CAPVT VIII.

Argumenta opposita Aduersariorum soluuntur.

PRimum ex parabola patris familias apud Matthæum nihil concludit: liberè enim assumitur vesperam esse diem iudicij vniuersalis, cum potius debeat significare vniuscuiusque hominis mortem, cui respondet dies ille vitæ currentis in quo quisque laborat, & meretur. Parabola quippè agit de merito personali singulorum, cui respondet præmium post laborem. Ergo non est ratio differendi. Imò locus retorquetur in Aduersarios. Si enim Deus detineret apud se mercedem præstiti laboris, contra Scripturam faceret, dicentem Leuitici 19. *Non morabitur apud te opus mercenarij tui vsque mane.* Secundum ex Ioanne desumptum rem non continet, quia illud. *Cum apparuerit*, non refertur ad Christum, sed ad nos, quasi dicat. *Cum apparuerit, quid fuimus.* id est, vtrum boni, an mali fuerimus, quod non apparebit, nisi in morte quando fiet particulare examen, & iudicium, tunc enim dabitur gloria, & videbitur Deus. Patet hoc assumptum, quia Ioannes dixerat in eadem Epistola supra. *Non dum apparuit, quid erimus*, eo sensu quem diximus. Ergo cum apparuerit quid erimus in hoc sensu post mortem nostram, tunc præmium accipiemus, quod consistit in visione Dei. Præterea Christus apparebit in iudicio particulari. Itaque tunc & nos si iusti fuerimus cum eo glorificabimur. Vnde quamuis illud apparuerit referatur ad Christum adhuc nostra sententia tenet. Tandem dato quod sit sermo de apparitio-

tione Christi in die iudicij, adhuc argumentum non euincit, quia tunc sermo erit de apparitione visibili in anima, & corpore, quod fiet in iudicio vniuersali, & locus Ioannis intelligetur de visione Dei in Patria, quę fiet post resurrectionem assumptis iam corporibus, quæ quidem visio non tollit aliam per quam Deus videbitur ab animabus iustis sine corporibus. Ad tertium ex Apocalypsi respondetur illas animas sub altari positas esse in gloria, de illis enim alio in loco dicitur, *& palmæ in manibus eorum*. Nec obstat locus *sub altari*, nam illud altare erat Christus, sub quo illi erant tanquam inferiores eius in gloria, & desiderabant habere ibi corpora sua, vt perfectè gloria fruerentur, & ad eas consolandas dicebatur eis, vt expectarent, donec veniret resurrectio vniuersalis, cum omnium corpora recipienda sunt, & iustorum glorificanda. Vltimus locus qui obijciebatur de iudicio finali sic soluitur, respondendo illud iudicium vniuersale, & visibile futurum esse, & in eo cum suis corporibus omnes accepturos gloriam, & pœnam adæquatè. Nullum autem est inconueniens quod interim animæ impiorum torqueantur, & iustorum beatificentur, hoc enim fit post particulare iudicium, quod non aufert illud vniuersale, hoc enim fit ad generalem omnium iustificationem, quibus Deus vult palam facere iustitiam suam, vt constet omnibus Deum iustum esse ad remunerandū, & puniendum. Testimonia Patrum per alia exponuntur, in quibus perspicuè contrarium docent. Videat
Bellarm. qui volet Bellarminum citatum, apud quem tres soli minimè exponuntur, quia in contraria sententia omninò fuerunt, quales sunt Tertullianus, Lactantius, & Victorinus, qui certè non sunt multum curandi, nam Tertullianus, hæreses multas tradidit, Lactantius vero, & Victorinus Rethorici magis quam Theologi fuerunt. Tota vis est in Ioanne Papa XXII. Dicendum 1. illum Ioan. 22.
in hac sententia eo tempore fuisse, vt beati, & iusti Deum non viderent ante diem iudicij, quod affirmat Bellarminus, sed non potuisse tunc temporis erroris accusari, quia nondum res illa erat definita. Itaque voluisse illam definire mirum non est, quando ita sentiebat. Secundo affirmandum rem ab eo numquam fuisse definitam, non solum quia morte præuentus est, vti testatur Benedictus XII. eius successor, sed etiamquia antequam moreretur sententiam illam suam retractauit. Contigit enim paulo ante mortem, vt Papa animaduerteret errorem suum & eius pœniteret, eumque retractaret iʃs verbis, quibus refert eum fecisse Ioannes Villanus historicus fide dignus lib. 11. cap. 19. Historiæ Villan.
Florentinorum, idque se audisse testatur à fratre suo, qui in aula eiusdem Ioannis Papæ versabatur, cui sanè habenda fides, ac ei credunt Castro, & Bellarminus, & Castr.
Binius, & Spondanus. Addit Ioannes Villanus, Ioannem Papam suorum affinium precibus motum pridie ante mortem suam palinodiam cecinisse: non autem id fecisse coactum à Rege Galliæ Philippo, vt falsò dicit Erasmus. Constat item Cardinales, & Parisienses Doctores semper ei restitisse. Retractatio autem ipsius ante mortem facta habetur in epistola quę ponitur post eius vitam in 3. tomo Conciliorum 2. parte vbi expresse dicit. *Fatemur*, Ioan. 22.
inquit, *& credimus quod animæ separatæ, & purgatæ à corporibus sunt in cælorum regno, & Paradiso cum Christo in consortio Angelorum congregatæ, & vident Deum facie ad faciem, & diuinam essentiam clarè, & quantum patitur status animæ separatæ*. Et subscribitur. *Auenione Nonis*

nis Decembris Pontificatus anno vltimo, id est, anno 19. paulo ante mortem.

Eandem Catholicam doctrinam definiuit Benedictus XII. eius successor, cuius Decretum refert ad integrum Castro, & Sanderus lib. de visibili Monarchia. Atque hæc est vera de Ioannis sententia narratio. Summa est: cum aliquando ita sensisse vti priuatum Doctorem, nec errasse, quia nihil erat definitum, & nihil ea de re definisse in contrarium, imò ante mortem catholicam sententiam declarasse. Vnde Occhamus eius hostis, vt habetur in vita Ioannis numquam ausus est ei hanc calumniam imponere, imò affirmat Ioannem hæc verba protulisse. *Numquam nostræ intentionis fuit dicere aliquid contra fidem, & si aliquid diximus, totum ex tunc reuocamus.* Quod autem ait Caluinus Ioannem negasse animæ immortalitatem, impudentissimum est mendacium, cui quidem affine est aliud Caluini, Gersonem vixisse tempore Ioannis Papæ, cum certum sit Ioannem mortuum esse anno 1334. & Gersonem natum anno 1343. authore Trithemio.

Sander. Occham. Caluinus Trithem.

CAPVT IX.

Vtrùm Animæ perfectè videant Deum in cælo ante corporum resurrectionem?

Communis sententia Scholasticorum est, animam à corpore separatam tam perfectè videre Deum, quam post resurrectionem in corpore, quamuis per accidens minus perfectè beata sit, quia nihil gloriæ refundit in corpus, & ex hoc non capit integram beatitunem, quia deest societas corporis, quod ij appellant intensiuè, & extensiuè. Aiunt ergo intensiuè eandem esse beatitudinem, extensiuè non esse. Ita D. Thomas 1. 2. q. 4. art. 5. & Caietanus, & Interpretes, ibi, & Bellarminus lib. 1. cap. 5. Ratio prima est, quia illa visio est actus intellectus lumine gloriæ illustrati, ad quem immediatè concurrit, vel intimus Dei illapsus per modum speciei, vel species ipsa quæ nullo modo dependet à sensibus. Ergo illa visio erit omninò perfecta in anima separata. Secundò, quia Deus non videtur, nec videri potest corporaliter, & corpus nullo modo concurrit ad illam visionem, quæ omnino est extra suam sphæram. Ergo anima nihil indiget corpore vt perfectissimè Deum videat. Tertiò quia non minus sanctificat gratia animam, quàm gloria beatificet eam. Sed gratia perfectissimè iustificat animam sine respectu ad consortium corporis. Ergo etiam anima glorificabitur perfectissimè à corpore separata.

D.Thom

Verum D. Augustinus lib. 2. de Gen. ad Litteram de hoc dubitauit. Et in Epistola 197. ad Fortunatianum. Et lib. 12. de Gen. ad Litteram cap. 35. perspicuè negauit hanc perfectam beatitudinem animæ separatæ. Idem tenet D. Bernardus serm. 3. & 4. de omnibus sanctis, & Haymo in cap. 6. Apocalypsis. Augustinum sequitur Magister in 4. dist. 49. & D. Thomas, & Bonauentura ibi. His argumentis. Primò quia anima perfectiùs esse habet in corpore quàm extra corpus. Sed operari sequitur rationem essendi, ergo intra corpus perfectiùs operabitur visionem Dei, quam extra corpus. Secundò, quia ille actus visionis est actus vitalis procedens ab anima vitali modo tamquam à forma corporis. Ergo non potest tam perfectus esse in anima separata, quam cum est coniuncta cum corpore. Tertiò, quia anima separata retinet inclinationem ad corpus, & semper ad illud inclinatur naturaliter, & in

August. Bernard. Haym.

ca

ea inclinatione diſtrahitur à perfectione operandi, ergo cum videre Deum ſit operatio, diſtrahetur anima reflectendo ſe ad corpus, atque adeò minus perfectè videbit. Hæc tamen

Quæſtio videtur eſſe de vocabulo. Nemo enim negat totum principium viſionis eſſe in anima,& in illam recipi actum videndi, & nullo modo in corpore. Solum dubium eſt vtrum anima eliciendo viſionem videat cum tota ſua perfectione etiamſi extra corpus ſit. Ego cum Auguſtino malo ſentire, & explico rem hoc modo.

Anima rationalis eſt eſſentialiter forma corporis, & in eſſendo,& in operando. Ergo perfectio operationis ſequitur rationem formæ. Non eſt autem forma perfecta, niſi quando eſt in corpore. Ergo neque operatio formæ ſine corpore erit perfecta. Confirmatur, quia illa viſio eſt beata, vt ſit autem beata debet perfectè beare; non poteſt autem beare perfectè niſi quando eſt completa,& adæquata. Hoc autem non habet niſi quando anima perfectè quieſcit in corpore. Ergo in anima ſeparata non eſt viſio perfecta. Accedit quod ex parte voluntatis non eſt perfecta fruitio ſine corpore. Ergo neque ex parte intellectus erit perfecta viſio ſine corpore. Antecedens patet, quia fruitio debet eſſe in actu quieto, ita vt nihil voluntas deſideret. Sed illa voluntas animæ videntis Deum adhuc deſiderat corpus. Ergo non quieſcit perfectè. Conſequentia tenet, quia cum viſio ordinetur ad fruitionem, & fruitio ſit effectus viſionis, ſi hæc perfecta non eſt, nec illa etiam erit perfecta. Hoc puto certè in eorum opinione, qui ſentiunt beatitudinem includere formaliter actum voluntatis veram iſtam ſententiam Auguſtini eſſe.

Verum quia Auguſtinus ſentit in ſola viſione conſiſtere beatitudinẽ, in hac ſententia perſuadeo adhuc illam viſionem perfectam non eſſe, quia illa viſio eſt actus vitalis; hæc autem vitalis oritur ex natura ipſius animæ, quæ cũ ſit natura ſua forma non poteſt eſse perfecta niſi quando informat: non informat autem niſi in corpore. Ergo extra corpus non eſt perfecta; ideò autem non eſt perfecta, quia non eſt ordinata, nec quieta.

Ex his patet reſponſio ad argumenta. Primum ſoluitur dicendo nihil deeſſe viſioni in actu primo, deeſse tamen in actu ſecundo modum illum connaturalem in operando ſine corpore. Secundum ſoluitur dicendo corpus nihil iuuare ad viſionem ex parte principij, ſed requiri ex parte termini vt ſit viſio connaturalis, & adæquata; deeſt enim quædam ſympathia vtriuſque partis inter ſe, quæ illam viſionem diſtrahit, & inquietat. Tertiò reſpondetur iuſtificationem fieri per gratiam habitualem, quæ immediatè infunditur à Deo,& non eſt actus ſecundus,nec vitalis,cum viſio beata ſit actus ſecundus & vitalis, quãuis omnino ſupernaturalis.

CAPVT X.

Vtrum Sancti inuocari poſſint,& inde re innocentur?

SAnctos poſt mortem truncos Hæretici fingunt, nec audire preces noſtras, nec iis moueri poſse volunt. Huius erroris primus Vigilantius apud Hieronymum author fuit. Secuti ſunt ipſum tempore Vigilant.
Bernardi, Henriciani, Petrobruſiani, & Apoſtolici, eodem teſte Bernardo ſerm. 66. in Cantica. Eidem Bernard.
adhæſerunt Vualdenſes authore D. Antonin. par. 4. Hiſtor. tit. 11. & D.Ant.
Cathari apud Turrecr. lib. 4. par. 2. Tan-

Tandem Lutherus cum grege in lib. ad Vvald. & Calu. cum sectarij l. 1. Inst. c.14.& lib.3.c.20. Duobus potissimum argumentis. I. quia non habetur in scripturis. Secundo, quia detrahitur gloriæ Christi, inuocando Sanctos, & faciendo illos Deos, quos appellat Caluinus, *Laruas, vmbras, & Colluuiem.* Sit tamen conclusio. Sanctos inuocandos esse, & orandos. Probatur primo ex Scriptura Ieremiæ 15. *Dixit Dominus ad me, si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Qui locus supponit Sanctos mortuos pro viuis orare. Quod quamuis neget Caluinus, dicens, ex hoc loco potius colligi, eos non orare, patet contrarium colligi. [Caluin.] Quemadmodum si quis dicat, etiam si Demosthenes, vel Cicero coram me orassent, ego non mouerer, ex eo deducitur illis Oratores fuisse.

Probatur secundo ex lib. 2. Machabæorum, vbi Iudas in spiritu vidit Oniam, & Ieremiam orantes pro populo.

Probatur tertio ex Apocalypsi 5. vbi dicuntur phialæ aureæ in manibus seniorum, esse orationes Sanctorum.

Patrum clarissima testimonia sunt. [Nazian.] Primum sit Nazianzeni oratione in D. Cyprianum: *Tu ab alio,* inquit, *nos respice, nostrumque sermonem, & vitam dirige,* &c. Et in orat. 14. de obitu Gregorij patris sui: *Nunc magis,* inquit, *proficit nobis precibus, quàm antea doctrina.* Secundum Hier. in epistola ad Paulam [Hieron.] de obitu Blesillæ: *Pro te Dominum rogat, mihique impetrat veniam peccatorum.* Tertium August. lib. 7. de [August.] Baptismo cont. Donat. *Adiuuet nos,* ait, *Cyprianus orationibus suis.* Quartũ Leonis sermone 3. suæ Assumptionis: [Leo.] *Nunc Petrus confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans.* Tandem.

Probatur argumentis Scripturæ; Primò quia Angeli curant de nobis. Ergo & Sancti. Antecedens patet multis exemplis Pentateuchi, præcipuè Gen. 48. vbi Iacob: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis.* Patent exempla in Daniele, & Tobia. Secundò quia Sancti viuunt apud Deum. Vnde Moyses Exodi 12. *Recordare Domine Abraham, & Isaac, & Iacob seruorum tuorum.* Et ideò rectè in Euangelio. *Non est Deus mortuorum, sed viuorum.* In Psalmis item dicitur à Salomone: *Memento Domine Dauid.* Et iterum: *Propter Dauid seruum tuum.* Tertiò, quia Sancti viui orant pro nobis. Ergo mortui. Antecedens patet ex lib. 1. Reg. cap. 7. vbi Filij Israel ad Samuelem: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominũ.* Et c. vlt. Iob: *Ite,* inquit Deus, *ad seruum meum Iob. Ille orabit pro vobis.* Et cap. 15. ad Romanos vbi Paulus: *Obsecro vos,* inquit, *fratres, vt adiuuetis me in orationibus.*

Sed quia Caluinus respondet, non sequi ex eo quod orent viui, orare mortuos, conuincamus eum authoritate Concilij Chalcedonensis act. 11. vbi sic Patres: [Concil. Chalced.] *Flauianus post mortem viuit, Martyr pro nobis oret.* Et 6. Synodi c. 7. *Inuocat Christianus Sanctos, vt pro se intercedere dignentur.* Et 7. Synodi Act. 6. *Postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, item Sanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum.* Hoc ipsum clamant Missæ, officia, Litaniæ, scripta Patrum, & vitæ Sanctorum, & vsus Ecclesiæ, quem Caluinus lib. 3. cap. 20. vocat superstitionem, & impetum vulgi; sed in hoc vulgo sunt nobilissimi Patres quos vidimus.

Duo argumenta Hæreticorum soluuntur ex dictis dum Scripturas attulimus. Illa ratio Caluini de iniuria Christo facta inepta est, cum in eum redundet tota gloria Sanctorum, & Ecclesia semper adijciat: Per Christum Dominum nostrum;

fa-

fatendo illum esse caput, & finem nostræ inuocationis. Vnum miror: negare Hæreticos, posse nos à Sanctis audiri, quasi verò Deus non possit preces nostras illis reuelare. Nisi fortè dicat Caluinus Deũ dormire, & humana non curare. Qua ratione tollet pro sua pietate prouidentiam.

CAPVT XI.

De Cultu Sanctorum.

SVstulerunt cultum Sanctorum olim Eusthatius apud Socratem l.2.c.33. Vigilantius apud Hieronymum, Claudius Taurinensis, & Vvicleff apud Valdensem tom.4. de Sacramentalibus tit.13.& postea
Caluin. Caluinus l. 1. Instit. c. 11. & Magdeburgenses lib.2. Centuriarum c.4. & Lutherani penè omnes, nam quidam admittunt cultum imaginum. Sententia eorum est, cultum Sanctorum esse peccatum idololatriæ, quia honor eis exhibitus soli Deo debetur iuxta illud Pauli 1. ad Timoth. 1. *Soli Deo honor, & gloria.* Vnde concludunt neminem neque Deiparam, neque Sanctum colendum esse. Addunt, solo ciuili quodam honore, & reuerentia esse prosequendos, quem solum cultum admittunt, negantes religiosum.

Obijciunt doctrinam Patrum pro suo errore, ac duos imprimis, vnum græcum, alterum latinum, & quidem principales nobis opponunt.
Athan. Græcus est Athanasius, qui serm.3. con. Arianos ante medium docet nec Angelos, nec homines Sanctos esse colendos. Latinus est Augusti-
Augu. nus l. de vera religione c.55. sic ait: *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si piè vixerunt, non tamen habentur, vt tales honores quærant, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes.*

Hæc tamen argumenta nihil concludunt. Hæretici cum errent ex malitia, hic errarunt ex ignorantia, quia nesciunt genera cultus distinguere,& vnam tantum latriam agnoscunt, quam nos Catholici fatemur propriam esse Dei, non excludimus tamen alia genera cultus religiosi, quæ Deiparæ, & Sanctis debentur. Igitur locus Pauli quem opponunt accipiendus est de cultu latriæ, qui est honor soli Deo debitus, & gloria propria illius. Et hac ratione loci similes quos afferre solent exponuntur. Nam si hoc verum non esset, & omnis cultus latria esset, non diceretur Psalmo 98. *Adorate scabellum pedum eius.*

Testimonia duorum Patrum quę adducunt, in hoc sensu sumuntur, qui patet ex alijs locis eorundem Patrum, in quibus docent Sanctos esse colendos, etenim Athanasius libro de Virginitate circa finem. *Si homo*, inquit, *iustus ædes suas intraverit, cum timore occurrens illi, adoretis humi ad pedes illius.* Quod attinet Augustinum ille multis in locis, quos suo loco proferemus, tradit Sanctos esse venerandos. Athan.

Est igitur doctrina Catholica Sãctos, & mereri cultum, & semper fuisse cultos. Patet primò ex eo, quia Deus voluit eos honorari propter participatam à se sanctitatem, & gratiam. Et hinc efficitur demonstratio quædã moralis. Sancti enim participant gratiam, & sanctitatem à Deo. Ergo etiam merentur participare gloriam, & cultum. Et quemadmodum Sancti per naturam præcisè sumptam Sancti non sunt, sed per gratiam in natura, quæ supernaturalis est, & tribuitur à Deo, ita honor, & gloria ex ea resultans non tribuitur naturæ, sed Deo, qui author est sanctitatis, & gratiæ. Vndè optimè Ambrosius ser. 6. *Quisquis honorat Martyres, honorat & Christum.* Patet secundo à contrario ar- Ambr.

gumento Hæreticorum, quia si honor Sanctis negetur, negatur etiam Deo, qui illos Sanctos facit, & propter illos, & in illis honoratur. Quare retorquetur in Hæreticos argumentum, quia dum ij dicunt, nos honorando Sanctos auferre honorem Deo, nos dicimus Hæreticos quando auferunt Sanctis honorem, auferre illum Deo, qui in Sanctis honoratur. Vnde D. Ambrosius loco citato, inquit. *Qui spernit Sanctos, spernit & Dominum*. Patet tertio, quia Ecclesia catholica in cultu Sanctorum non spectat, nec attendit vllam aliam rationem præter sanctitatem. Itaque quò sanctior quisque est, eo ferè maior illi honor ab Ecclesia exhibetur. Vnde apparet illum honorem non terminari ad aliquid humanum, & naturale, sed supernaturale, & diuinum. Si enim aliter esset, honoraret Ecclesia Sanctos nobiliores, & doctiores alijs maiori honore, quàm minus nobiles, & peritos. Quod contra videmus fieri erga multos Sanctos ab Ecclesia, præsertim Martyres, in quibus non consideratur sanguis acceptus à maioribus, sed emissus propter Christum. — Ambr.

Præcipua probatio est: probatio ex traditione, & consuetudine Ecclesiæ, quæ à tempore Apostolorum semper Agelos, Martyres, & Sanctos coluit, vti apparet ex testimonijs Patrum discurrendo per sæcula, in quibus floruerunt. Primum sit Iustini in 2. Apologetico par. 2. vbi sic: *Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & similiter Angelorum exercitum colimus, & adoramus, verboque & corde veneramur*. Et addit: *idque omnibus qui discere volunt, vt docti instituantur expresse tradimus*. Sed Hæretici nolunt discere ex Patribus, sed docere Patres. Secundum sit Basilij oratione in 40. Martyres: *Honor*, inquit, *quem bonis conseruis exhibemus, beneuolentiæ erga communem Dominum significationem de se præbet*. Tertium Chrysostomi esto Homilia de SS. Iuuentio, & Maximo: *Martyres quoque, quos hodie colimus*. Quartum Cyrilli Alexandrini lib. 6. in Iulianum: *Nos*, ait, *non Deos factos esse diximus Sanctos Martyres, sed omni honore dignari consueuimus*. Vbi notanda particula, *Consueuimus*, quæ significat traditionem, & vsum perpetuum Ecclesiæ. Hæc ex Patribus græcis. Ex Latinis duo sunt satis. Cyprianus l. 4. epistola 5. *Martyrum*, inquit, *passiones, & dies anniuersarios commemoratione celebremus*. Hieronymus ad Riparium: *Honoramus*, inquit, *seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum*. — Iustin. — Basil. — Chrys. — Cyrill. — Cypr. — Hier.

Sed quoniam Hæretici præcipuè Augustinum obijciunt, hunc oportet vendicare, & nostrum esse monstrare. Igitur in loco illo, quem obijciunt ex libro de vera religione cap. 55. legenti totum illud caput apparebit disputare Augustinum contra Gentiles, & negare adorari creaturas, & per omnia genera discurrerere Idolorum. Hortatur igitur ne hominum, Dæmonum, Angelorum, animalium, & arborum adorent idola, & in hoc sensu prohibet illum cultum; & concludit, Sanctos, non ita se velle à nobis coli, & adorari; & concludit his verbis: *Nolunt Sancti sic se honorari à nobis, id est, vti Deos*. Vnde patet Augustini sensus, negat enim Sanctos, & Angelos adorandos cultu quo Deus adoratur.

Patet mens Augustini ex libro 20. contra Faustum cap. 21. vbi sic ait: *Iam quod hinc nobis calũniatur Faustus, quod Martyrum memorias honoramus, in hos dicens idola conuertisse*. Respondet Augustinus. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat*. Et postea addit ingenua confessione: — August.

Co-

Colimus Martyres. Vt autem sciret Faustus qui ille cultus esset, statim explicat his verbis. *At illo cultu quæ græcè latria dicitur, latinè vno verbo dici non potest, cum sit quædam propriè Diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum esse docemus, nisi vnum Deum. Igitur Sancti vel homines, vel Angeli exhiberi sibi nolunt, quod iure Deo debitum norunt*. Itaque non negat Augustinus Sanctos coli, sed tantum coli eo cultu, qui dicitur Latria. Vnde non vult sacrificium Missæ offerri Martyri, sed Deo in memorijs Martyrum. Quod autem admittat cultum, & honorem erga Sanctos patet ex epist. 44. in qua sic ait: *Ostendatur mihi Romæ in tanto honore Templum Romuli, in quanto ibi ostenditur memoria Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis?* Et Psalmo 96. obijcientibus Ethnicis, quod Christiani colerent Angelos respondet. *Vtinam & vos illos colere velletis. Facile enim ab ipsis disceretis non illos colere, id est, non colere, vti Deos, sed vti Sanctos*. Id.

CAPVT XII.

De Cultu, & veneratione Reliquiarum.

RELiquias primi olim Eunomius, & Vigilantius insectati. Addidit hæresi iniuriam sordidus Imperator Constantius Copronymus, qui, teste Suida, reliquias tanquam sordes iussit aboleri, eo iure quo ille aquam baptismalem stercore inquinauit. Claudium Taurinensem in eodem errore fuisse narrat Ionas lib. 2. de Imaginum cultu. Vvicleff Princeps Nouatorum reliquias abominatus est. Lutherus eas in Sermone de Cruce blattis, & tineis commendat. Caluinus in libro de formandæ Ecclesiæ necessitate, & reliquiarum admonitione, monet prorsus extingui. Demum Centuriatores eas oppugnant centuria 4. cap. 6.

Copron. Suid. Ion. Calu. Centur.

Testimonia Scripturæ duo producunt. Primum affert Caluinus, nimirum Deum in Deuteronomio Moysi corpus abscondisse, eoque damnasse cultum reliquiarum. Secundum profert Vvicleff, nempe Matth. 23. reprehēdi Iudæos à Christo, quod ornarent sepulchra. Vnde sequitur reprehendisse colentes ossa Sanctorum, nam ea sepulchra erant Prophetarum. Calu. Vvicl.

Ex Patribus afferunt Hieronymum, qui lib. contra Vigilantium ait, accendere cereos coram reliquijs Sanctorum esse proprium mulicrcularum, quæ zelum habent, sed non secundum scientiam. Deinde Augustinum libro de moribus Ecclesiæ cap. 34. vbi taxat adoratores sepulchrorum. Hieron. August.

Rationes duas adducit Caluinus. Primam sumit ab indecoro, ne scilicet accidat latronem vel canem, vel asinum pro Sancto adorari, dum ossa non distinguuntur. Secundum sumit ab impossibili, quia non potest esse tanta copia reliquiarum, quanta in altaribus, & Sacrarijs proponitur, & custoditur.

Hæc argumenta oportet statim diluere. Primum de Moysi corpore soluitur dicendo, inde potius probari cultum reliquiarum; idcircò enim Deus abscōdit corpus Moysi, quia sciebat eum ab Israelitis pro Deo colendum. Igitur voluit subtrahere occasionem idololatrandi, vti exponit Chrysostomus Homilia 5. in Matthæum, & meritò, si enim serpentem æneum, & vitulum pro dijs adorarunt, multò certè magis corpus Mosi pro Deo haberent. Chrys.

Secundum Vvicleffi soluitur dicendo Christum ideò reprehendisse Iudęos sepulchra Prophetarum colentes, quia cum Prophetas occidissent, illorum sepulchra ornabant,

bant, & illa hypocrisi scelus tegebant. Alia item de causa eos reprehendit, quia ex vanagloria, & ambitione sepulchra exornabant. Tandem eos sugillabat, quia debuissent maius studium ponere in eorum virtutibus imitandis, quàm in sepulchris poliendis.

Quod attinet ad Patres: Hieronymus improbat ignorantiam illorum, qui putabant Martyres aliquē splendorem ab illis cereis accipere. Vnde in eos gloria redundaret. Etenim in epistola ad Riparium sic scribit. *Quicumque accendit cereos suam mercedem habet*. Et infra. *Illud fiebat idolis, & ideò detestandum est. Hoc fit Martyribus, & ideò recipiendum est*. Augustinus eo loco reprehendit eos abusus, qui fieri solebāt specie illius venerationis, epulando opiparè, bibendo largiter, scortando turpiter. Vnde prudenter ait. *Ebrietates suas deputant religioni*. De cætero nemo Augustino, & eius matre Monica reliquiarum obseruantior fuit. Hier. Aug.

Rationes ineptæ sunt. Primæ respondemus, Ecclesiam accuratè reliquias inquirere, & discernere, & religiosè colere, sine deceptione in eligendo, sine dolo in proponendo. Deinde retorquetur argumentum in Caluinum, quia ille cum suis exhumando ossa martyrum, & proijciendo in campos, & sterquilinia, confundit ea cum ossibus canum, & asinorum. Vnde nobis periculum non est, quia ea distinguimus, illi impudentia est qui cōfundit. Concedimus tamen Caluino coli à nobis homines Catholicos Sanctos, quos ille pro sua modestia asinos appellare solet, quasi ille aquila sit, cum tamen in sua harmonia asinus ad lyram, vt est in prouerbio, esse videatur.

Ita soluuntur argumenta hæreticorum, qui in reliquijs insectandis ethnicos esse se probant, qui reliquias Sanctorū Martyrum soliti cōtemnere & abijcere, & subtrahere Chrystianis ne colerentur. Ita Caluinistæ faciunt, vti ego in Gallia sum expertus, vidi enim quod narrat Surius, corpora Sanctorum Irenæi, Hilarij, & Martini eos effodisse, & proiecisse. Quid aliud canes & sues facerent? Sur.

Doctrina Catholica est: colendas esse Sanctorum reliquias, quòd Ecclesia pia fidelium mater à primis initijs professa est nixa testimonijs Scripturæ, quorum primū est Exodi 33. in quo dicitur Moyses portasse ex Aegypto secum ossa Iosephi. Secundum testimonium habetur 4. Reg. 13. in quo narratur Eliseum mortuum, mortuum item latronem sibi sepulto superiniectum suscitasse. Tertium est 4. Reg. 23. vbi dicitur Iosiam, euersis idolis, & sepulchris idololatrarum Prophetæ ossa casu reperta separari, & seruari iussisse. Hoc probatur ex fimbria Christi, quæ miracula fecit Matth. 6. Id confirmant sudaria, & semicinctia Pauli Actorum 19. quæ ægrotos sanabant. Quod si Petri vmbra patrabat miracula, multò maiori iure illius ossa mira operabuntur.

Concilia quæ id probant multa sunt. Ex Prouincialibus Concilium Carthaginense 5. in Africa, Bracharense 3. in Hispania, Epaunense in Gallia, Moguntinum in Germania. Ex Oecumenicis duo, Nicenum 2. vbi reliquias vocat fontes salutares, & Act. 7. vbi excommunicat contemnentes Martyrum lypsana. Adiungi potest Concilium Gangrense dicens anathema ijs qui memorias Martyrum execrantur. Sed præcipuum est Concilium Lateranense sub Innocentio III. Confirmant id Canones in 6. titulo de reliquijs, & veneratione Sanctorum, & in Clem. eodem titulo, imo & in iure ciuili etiam reliquiæ commendantur. Codice de Episcopis, & Clericis. L. decernimus. Concilia Act. 3.

Pa-

Patrum nulla fortè in alia re maior consensus est, de quo videri potest Bellarm. l. 2. cap. 3. Satis est pro omnibus Augustinus multis in locis, sed præcipuè lib. 22. de Ciuitate cap. 3. vbi dicit tota miracula facta ad reliquas S. Stephani, vt si ea referrentur multi libri essent condendi. Si eas tamen contemnunt Hæretici, Deus aperit, & illustrat. Multa enim Sanctorum corpora radiorum cælestium indicio sunt reperta, cuiusmodi fuit corpus D. Iacobi Apostoli Compostellæ, Rege Alphonso Casto repertum. De corporibus Sanctorum Geruasij, & Protasij à D. Ambrosio inuentis scribit Augustinus lib. 9. Conf. cap. 7. Refutant hæreticorum impudentiã, multa Sanctorum corpora incorrupta, quibus tempora pepercerunt, Hæreticis non parcentibus. Viterbi S. Rosæ, Bononiæ Beatæ Catharinæ, Monte Falcone S. Claræ, Politiani S. Agnetis, Romæ S. Cæciliæ post multos annos, imo & sæcula, integra, & inuiolata seruantur. Sed nihil magis eos refellit quam corpus S. Catharinæ Alexandrinæ, quod ab Angelis elatum, & in culmine montis Sinai collocatum fuit. Ad quem montem eius venerandi causa susceptæ peregrinationes, & simul illę quas Romam, & Compostellam causa adorandi corpora Sanctorum Petri, & Pauli, & Iacobi omnes pęne Christianæ Gentes suscipiunt, Hæreticos abunde refutant.

Bellar.

Aug.

De tempore quo cœpit cultus reliquiarum dissentiunt Hæretici, & Centuriatores sæpè sibi contradicunt. Id verum est, quod statim à principio nascẽtis Ecclesiæ coli cæptæ. Etenim D. Gregorius Papa l. 3. epistolarum epistola 30. scribit quo die passi sunt Petrus, & Paulus, eos fideles, qui venerant ex Oriente illorum reliquias postulasse, vt eas tanquam suorum Ciuium eo comportarent, & cum eas deferrent vsq; ad secundũ lapidẽ ab Vrbe, prohibitos esse diuinitus vlterius eas deferre, & in Catacumbis eas reliquisse. Vnde Papa Cornelius, authore Damaso in eius vita, illas transtulit in locum, vbi nunc seruantur. Certè ex quo Martyres in Ecclesia esse cæperunt, eorum cæperunt reliquiæ honorari.

Gregor. Papa.

Hæretici tamen non solum reliquias negligunt, sed etiam Catholicos, qui eas colimus reprehendunt. Anteponunt quippe ossibus Sanctorum cornua animalium, rhinocerotis, puta, & vnicornij, & vngues, quos appellant magnæ bestiæ, & ossa hyppo. & fæminæ piscis, eaque magno pretio emunt, & argento incrustant, & auris bracteis inuoluunt, & in abacis, & repositorijs religiosè custodiunt, & in delicijs habent. Meliores ijs sunt Turcæ, qui Mahometi sui cineres in Mausoleo conditos magnetici lapidis virtute in medio aere instar miraculi pẽdulos tenere dicuntur, vt hac ratione Gentibus imponant. Non laudo superstitionem, sed ea confundo Hæreticorum impietatem. Pudeat eos Sanctorum virtutem contemnere, & sanctitatem spernere, cum Turcæ tanti militarem vnius Imperatoris nostri virtutem fecerint, vt pro miraculo eam habuerint, ita vt eius sepulchrum venerarentur, & ossa religiosè diriperent, quod quisque se bello inuictum tutumque fore crederet, si frustulum ex ipsius ossibus in amuleto ceruicibus suspensum iturus in prælium gestaret. Is erat Georgius Castriottus, alio nomine Schanderbechus. Ita Iouius in ipsius Elogio. Qua historia veluti offa obiecta, istis Hæreticis, quasi Cerberis ora occludimus. Paul. Iou.

CAPVT XIII.

Vtrum Cultus, & adoratio Imaginum licita sit, & religiosa.

DE Authore huius hæresis quę imaginum cultum tollit non admodum constat. Illud tamen verosimilius videtur primos Iconomachos fuisse Iudæos, qui in suo Thalm. Thalmud, quod prodijt in lucem anno Christi 476. ordine 21. dist. 2. imagines sustulerunt. Secuti Samaritani, vt habetur in Epistola Simeonis, quæ ponitur in 7. Synodo act. 5. Mahometus item in suo Alcorano c. 15. & 17. imagines damnat. Xenaiam tamen Principem Ioconomachorum dicit Baronius, & Spondanus ad annum 485. qui fuit seruus quidam fugitiuus Persa, & à Petro Fullone factus Hierapolis Episcopus, quamquam Bellarminus nolit eum Hæresiarcham fuisse. Ille tamen qui causam dedit 7. Synodo seu Cōcilio Niceno 2. fuit Hebræus quidam veneficus, à quo primum Arabes, mox Græci eo errore infecti. Hic pestifera doctrina imbuit Leonem Isauricum, qui primus ex Christianis Imperatoribus bellum contra Imagines mouit. Secutus impium patrem improbus filius Constantinus Copronymus necromanticus, & Iconomachus, post eum Leo Armenus, & Michael Balbus, & Theophilus praui Imperatores huic hæresi studuerunt. In occidente Imperante Ludouico Pio, Claudius Hispanus Fælicis Vrgelitani discipulus Episcopus Taurinensis huius erroris author fuit. Postea Vvicl. anno 1372. Vvichleff adorationem imaginum oppugnauit, quem secutus Carolostadius Lutheri discipulus rem probante Luthero, sed authorem quod se inconsulto fecerat improbante. Accesserunt Zuingliani, & postea Caluinus l. 1. Inst. c. 11. & lib. 4. c. 9. §. 9. qui cum suis acerrimè oppugnat imagines.

Baron.

Occasio erroris fuit vocum ignoratio. Volunt enim hæretici omnes imagines esse idola, quæ cum videant coli non posse, negant imagines posse coli. Catholici à Deo illuminati distinguunt inter idola, & imagines, & aiunt idolum significare vanam, & falsam effigiem, idest, rei quæ non est, huiusmodi erant idola Gentilium, qui Dij non erant, & affirmant imaginem esse repræsentationem rei veræ, vti imago Cæsaris, vel Alexandri.

Differentia hæc apparet ex Scripturis, Paulus enim ad Cor. 1. c. 8. ait: *Scimus quia nihil est idolum in hoc mundo*. Et Esther. cap. 14. dicitur: *Ne tradas sceptrum tuum ijs qui non sunt*, idest, *idolis*. Et Abacuch 2. vocatur *sculptile*, quod septuaginta vertunt *Idolum*, id est imaginem falsam, vti obseruat D. Hieron. vir linguarum peritissimus in cap. 2. Abacuch. Et in cap. 13. Zachariæ comparat hæreses cum idolis, quia vanæ, & falsæ doctrinæ sunt. Eodem fermè sensu sumitur simulachrum dictum à simulando ad distinctionem imaginum. Vnde D. Augustinus in Psalmum 135. dicit apud Latinos vocari simulachra, quę idola apud Græcos vocantur. Hinc ortus est error Iudæorum, Turcarum, & Hæreticorum. Hier. August.

Fundantur Hæretici in loco illo celebri Scripturæ, vbi dicitur Exodi 20. *Non facies tibi sculptile, & omnem similitudinem*, vbi quanquam illud *sculptile* idolum significet, certè particula *similitudo* non potest significare idolum, quia ad omne genus imaginis extenditur. Idem habetur Leuitici 26. *Non facies sculptile, & idolum*. Vbi perspicuè distinguit idolum à sculptili. Et Isaiæ 52. Ego Dominus. *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus*. Quo spectat illa prohibitio

Dei,

Dei. Non facietis mecum Deos aureos, & argenteos. Quare vbique in sacris Litteris simulacra reprehenduntur, & cum idolis, & Dijs Gentium numerantur.

Secundum argumentum est petitum ex authoritate Concilij Eli-
Concil. Elibert. bertini Canone 36. in quo sunt hæc verba. *Placuit in templis non haberi picturas ne quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur*. Quod perspicuè adorationem imaginum euertit.

Concil. Constan. Tertium probatur ex Concilio Constantinopolitano celebrato sub Leone Iconomacho, de quo agit Paulus Diaconus lib. 21. & ex 3. Constantinopolitano, in quo fuerunt 338. Episcopi sub Constantino Copronymo eodem Paulo Diacono authore lib. 22. & ex Concilio Francofordiensi, in quo fuit reprobata 7. Synodus quæ probarat imagines, vt refert Addo in Chronico anno 795. & Abbas Vrspergensis in Chronico anno 793. & Ioannes Auentinus in Historia Boiorum lib. 4. & alij.

Quarto probatur ex libris Caroli Magni, & Ludouici Pij contra imagines scriptis. Primum citat Calui-
Calu. nus lib. 1. Instit. cap. 11. secundum citant Magdeburgenses Centuria 8. cap. 9.

Quinto probatur ex Patribus. Primus sit Irenæus lib. 1. cap. 24. qui numerat inter hæreticos Carpocratem, quia imagines Christi, & Pauli colebat. Secundus sit Epiphanius hæresi 79. dum affirmat hæreticos esse eos qui adorabant imagines V.
Ambros. Mariæ. Tertius Ambrosius oratione de obitu Theodosij, vbi habet hæc verba. *Inuenit Helena Crucem Domini, regem adorauit, non lignum: quia hic gentilis est error, sed adorauit illum, qui pependit in ligno*. Quartus Hieronym. in cap. 3. Danielis, vbi: *Cultores*, inquit, *Dei imagines adorare non debent*. Quintus Augustinus de moribus Ecclesiæ Cathol. *Noui*, ait, *picturarum adoratores*. Vltimus sit Gregorius Papa lib. 7. E- Greg. P.
pistolarum Epistola 54. & 109. vbi negat adorandas esse imagines. Alij Patres afferuntur ab Hæreticis in 7. Synodo Act. 6.

Addunt rationes. Prima, quia omnis iste cultus superstitiosus est, & proprius Gentilium. Secunda, quia per illum fit iniuria Deo, qui solus debet adorari. Tertia, quia imagines non sunt capaces adorationis. Quarta, quia homo est imago Dei viua, nec tamen adoratur.

Hæc Argumenta soluuntur.

PRimum petitum ex cap. 20. Exodi, & ex 26. Leuitici, & ex 52. Isaiæ duobus modis soluitur. Primò dicendo hos locos intelligẽdos esse de idolis, vt patet ex loco loco Leuitici, & ex loco Isaiæ, & ex versione 70. Interpretum ad locum Exodi, qui pro *sculptili* vertetunt *idolum*. Vnde hi loci loquuntur de adoratione illicita, & intrinsecè mala, qualis erat Gentilium erga idola, ad quam Iudæi inclinati erant. Quod si illa particula, *omnem similitudinem*, quæ est in loco Exodi, alias etiam imagines comprehendit, in eodem sensu comprehendit, & quia Deus volebat auertere Iudæos ab illo vitio omnem occasionem auferebat. Secundus modus respondendi est illam legem fuisse temporariam, nec pertinuisse ad 1. præceptum Decalogi, & propriam fuisse Mosaicæ legis, & inter præcepta legalia, quæ cum illa finem habuerunt numerandam.

Secundum ex Concilio Eliberti-
no quatuor modis soluitur à nostris Concil. Elibert.
auctoribus, qui videri possunt apud Binium in notis ad illud Concilium tom. 1. par. 1. Ego dico ipsum Concilium omnino probasse imaginum cul-

cultum, & nostram confirmasse doctrinam; & probo ex illis verbis: *ne quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur*. Ex quo patet prohibere ne imagines, quæ adorari solēt, depingantur in parietibus ob indecentiam loci, nam in parietibus possent facilè contaminari, & deformari, quod significat tantam venerationem deberi imaginibus, vt non debeant pingi in loco vulgari. Et quidem exceptio firmat regulam. Cur enim solum prohibet Concilium pingi in parietibus, nisi quia in alijs locis pingi licebat? Si enim vellet omnino prohibere vsum picturarum absolutè diceret nusquam pingantur. Quæ solutio mihi primum occurrerat, & postea inueni in notis huius Concilij apud Loaysam, qui eam tribuit Magistro suo Petro Martinez in Commentarijs Epistolæ Iudæ. Sed ea tamen non latuit P. Suarez tomo in 3. par. disp. 53. nec Bellarminum lib. 2. de Imaginibus cap. 6. Verum quidem est in alijs tunc Ecclesijs, & postea in Hispanicis picturas istas in parietibus poni solitas, quia ille Canon non pertinebat ad materiam fidei, sed ad vsum quendam decentem, & honestum qui pro tempore potuit variari.

Loaysa.

Ad tertium ex duobus Concilijs Constantinopolitanis respondetur ea duo fuisse Pseudosynodos, vt patet ex communi sententia; nam inconsulta Sede Apostolica celebrata sunt: sine cuius auctoritate nullum fieri Concilium legitimè potest, vti definiuit Concilium Nicenum magnum, cuius, quia de hac re non extat Canon affero locum ex Epistola Pontificum Aegyptiorum ad Fœlicem Papam quæ in 1. tomo Conciliorum post eius vitam habetur. *Scimus*, aiunt, *in Nicæna magna Synodo 318. Episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari*. Quod testimonium quia exterorum est, non potest esse suspectum.

Conc. N.

Quod attinet ad Concilium Francofordiense respōdetur duobus modis. Primo cum Alano Copo Dialog. 4. dicendo 7. illam synodum quæ fuit 2. Nicæna non fuisse damnatam à Concilio Francofordiensi, sed illam Constantinopolitanam hæreticam, in quo fuit æquiuocatio, imò illa 7. Synodus fuit ab hoc Concilio confirmata. Secundo respondetur, cum Bellarmino dicendo Concilium Francofordiense damnasse quidem illam Synodum 7. quia putauit in ea definitum esse imagines colendas esse adoratione latriæ, & quia existimauit illam synodum congregatam fuisse sine authoritate Papæ. Quare nihil sensisse contra cultum imaginum, sed errasse in facto credendo Synodum illam 7. duos illos errores commisisse. Mihi placet istam Synodum, nec in facto, nec in iure errasse, sed rectè processisse, & cultum imaginum approbasse. Eos autem qui aliter sentiunt deceptos fuisse authoritate libri Carolini, & Hincmari, vti latiùs dictum est in controuersia de Concilijs.

Conc Fr.

Argumentum sumptum ex libro Ludouici Pij Imperatoris commentum hoc fuit Magdeburgensium; hic enim liber nusquam est. De libro Carolino maior est quæstio. Certum est tamen illum non esse Caroli Magni, cum ab Adriano I. Pontifice reprobetur, in eo libro, quem scripsit ad Carolum magnum. Ex quo apparet non esse Caroli, qui cum Adriano de cultu imaginum rectè sensit. Esse autem illum librum Adriani patet ex tomo 3. Conciliorum, & ex Iuone, qui multa ex eo libro colligit, & producit in 4. par. sui decreti. Præterea menda, & errores in eo reperti, planè monstrant imperiti alicuius hominis, & leuiculi

Adrian. I

culi

culi esse, non Caroli Magni, & Sancti, & docti Imperatoris.

Ad Patres ita respondetur. Irenæus arguit Carpocratem, quod imagines Christi gentili more colebat sacrificijs proprijs gentilium, quod patet ex Epiphanio hæresi 27. & Augustino hæresi 7. & quia simul cum illis adorabat imagines Homeri, Pythagoræ, Platonis, & Aristotelis. Epiphanius verò damnat hæreticos Collridianos, quod adorarent Virginem Deiparam tamquam Deam. Ambrosius reprehendit adorationem Crucis, quando in ea Christus non adoratur, sed lignum illud tantùm, & nudè sumptum, quòd legenti locum patebit. Hieronym. negat debere adorari statuas pro Dijs. Augustinus carpit eos, qui more Gentilium, & per abusum adorabant picturas: quemadmodum etiam Gregorius Magnus cultum imaginum superstitiosum reprehendit.

Irenæus

Epiphan

Ambros.

Hieron.

August.

Rationes futiles sunt. Ad primam respondetur imagines non adorari à nobis latria, quæ soli Deo debetur: adorari tamen alio cultu debito Sanctis, qui longè inferior est, & dulia appellatur. Qua ratione etiam soluitur quarta obiecto à superstitione desumpta, non enim est superstitio adorare debito modo Sanctorum imagines, nam indebitus cultus ab omnibus Catholicis damnatur. Secunda ratio diluitur concedendo materialem imaginem minimè adorari, sed formalem rationem rei, quam repræsentat. Tertia soluitur dicendo hominem non proponi adorandum in ratione imaginis, quia viuit, & animatur: ad auferendam occasionem putandi adorari in se, & propter se, quod non accidit in alijs imaginibus, in quibus non est ratio propria, quæ adorationem terminare possit. Potest item responderi concedendo hominem, vti est imago Dei posse coli, & adorari iuxta doctrinam Cyrilli Hierosolymitani Catechesi 12. & D. Aug. Epist. 203. Cyrill.

CAPVT XIV.

Imagines esse adorandas, & quomodo sint adorandæ.

SI vellent Hæretici quæ pro imaginibus colendis habentur in 7. Synodo considerare, omnino eas reciperent, nec impugnarent. Quidquid enim nostri Theologi ad eas defendendas excogitant, id omne fuit à Patribus illius Concilij occupatum. Ex eo igitur argumenta sumo.

Primum esto. Traditio Ecclesiæ ita docet ab initio ad nostra vsque tempora per manus Catholicorum deducta, quæ vim certè, & constantiam veritatis habet. Hæc traditio sæpè ab eo Concilio affertur. Hanc probat adorationem Adrianus I. Papa in litteris ad Imperatorem Constantinum, & Irenem positis in principio Concilij, eamque Pontificum, & Imperatorum trahendo illorum seriem exemplo confirmat. Eadem traditio asseritur ad finem Act. 5. à tota Synodo, in qua sunt hæc verba: *Secundum veterem Ecclesiæ Catholicæ traditionem imagines adorari.* Idem Act. 7. ab vniuersis Patribus vnanimi consensu, & plausu affirmatur, & dicitur. *Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Orthodoxorum, nos antiquæ Ecclesiæ legislationi non resistimus.* Eadem traditio maiore vi inculcatur in Litteris à Tharasio, & Synodo post Concilium scriptis ad Imperatores, & Clerum Constantinopolitanum, vbi sic. *Traditiones quas accepimus seruamus, omnia scilicet suscipientes quæ ante Catholica Ecclesia, & scripto, & consuetudine admisit, quorum de numero cum & venerandarum imaginum essent*

Adrian. I

7. Synod.

sent figurationes, de ijs peculiariter egimus.

Probatur secundo ex doctrina, & consensu Patrum, qui in eo Concilio afferuntur tum Græcorum, quorum testimonia producit Concilium, tum Latinorum, quos adducit in suis Epistolis insertis Concilio, & in libro ad Carolum Magnum A-
7.Synod. drianus. Profert Concilium Act.4. & 5. testimonia Asterij, Athanasij, Basilij, Nazianzeni, Nysseni, Chrysostomi, Theodoreti, & Cyrilli. Latini afferuntur ab Adriano, Pontifices, & Doctores magno numero.

Probatur tertio ex locis Scripturæ, qui hoc ordine afferuntur. Actione 4. affertur locus Exodi 25. de Arca Testamenti, quam cingebant Cherubin, quæ expansis alis obumbrabant Propitiatorium vultibus ad se conuersis. Cui adiungitur locus Numeri 7. vbi dicitur Arcam Dei esse in medio Cherubin. Producitur item locus Pauli ad Hebræos 9. vbi meminit eorumdem Cherubin. Secundus locus est Ezechielis cap. 41. in quo habetur Cherubin cum palmis sculptis esse. Adrianus in sua Epistola posita Act. 2. eodem exemplo Cherubin vtitur. Deinde addit in Adamo imaginem Dei fuisse expressam. Et notat Abraham extruxisse aram in honorem Dei, qui ei apparuerat. Et Iacob vidisse Angelos in scala, & Dominum innixum scalæ. Obseruat postea eumdem Iacob adorasse summitatem virgæ, sine dubio Crucis repræsentationem gerentis. Adducit præterea effi-
Adr. P. giem illam serpentis ænei num. 21. & infert. *Si Israeliticum populum per inspectionem ænei serpentis seruatum à sua peste credimus, Christi veri Dei, & seruatoris nostri, omniumque Sanctorum figuras contemplantes, & venerantes dubitamus nos seruari?* Tandem producit Cherubinos Salomonis.

Alia proferuntur in libro Apolo-
getico Leontij Actorum 4. Non pau- Leontius
ca item Act. 5. adducit Ioannes Episcopus Thessalonicensis. Nonnulla refert Actor. 6. Epiphanius in refutatione doctrinę Gregorij Episcopi Neocæsariensis imagines impugnantis. Præterea Actorum 7. Tharasius in Epistola ad Imperatores, quæ etiam est vniuersæ Synodi similes locos adducit, quorum magna vis est in libro Adriani ad Carolum Regem Francorum.

Probatur quarto ex varijs historijs, & miraculis picturarum, & imaginum, quæ magnam huic doctrinæ authoritatem conciliant. Afferuntur autem in Concilio sæpius. Dicam præcipua loca. Epistola Adriani ad Imperatores Constantinum, & Irenem, & liber ad Carolum Magnum. Act. item 4. multa referuntur miracula, ac imprimis illud de imagine Christi à Iudæis Berithi crucifixa, quæ omnibus Cōcilij Patribus cum esset ex sermone Athanasij recitata lachrymas exciuit. Vnde conclusit Constantinus Episcopus. *Ecce is, qui ab immortalitate appellationem*, id est, *Athanasius, sortitus est, totam hanc Sacram Congregationem ad compunctionem, & lacrymas compulit; non enim venerandas esse tantummodo imagines Sanctorum docuit, sed etiam maximas quasdam meditandas rationes ab his proficisci.*

Vnde conficitur Argumentum imagines non fuisse prohibitas Hebræis, & ijs exemplis Scripturas abundare, sed tantum fuisse vetita idola, ac proinde corruere argumenta Hebræorum, & Hæreticorum.

Tres tamen quæstiones sunt circa imagines. Prima, vtrum imagines Dei licitæ sint? Ratio dubitandi est, quia Deus caret corpore, vnde omnis imago Dei videtur esse falsa, & idolum. In hac quæstione non soli Hæretici negant licere, sed etiam

etiam quidam Catholici. Durand.
Durand. in 3. distin. 9. quæst. 2. Abulensis in
Abulens. cap. 4. Deuter. quæst. 5. & Peres de Traditionibus parte 3. tractatu de imaginibus. Possunt argumentari ex Concilijs, quia 7. Synodus Act.
7. Synod. 3. duobus in locis admittens imagines Christi, Deiparæ, & Sanctorum nullam mentionem facit de imaginibus Dei. Imò in persona Theodori Patriarchæ Hierosolymitani Actione 3. sic ait. *Amplectimur imagines Verbi Dei, & Saluatoris Nostri Iesu Christi, qui pro nobis incarnatus est, cuius imago, & figura non Deitatis, quæ inconuulsæ carni eius vnita est, præfert characterem: inuisibilis enim est, & incircumscripta diuina natura, Deum quippè nemo vidit vnquam: ipse vnigenitus enarrauit, sed humanitatis eius coloribus facientes Iconem, adoramus.* Qui locus videtur expressus pro negatiua sententia
Trident. quæ confirmatur ex Tridentino sess. 25. initio, vbi exprimens imagines Christi, Deiparæ, & Sanctorum, de imaginibus Dei prorsus tacet.

Respondendum tamen est affirmatiuè cum Caietano 3. par. qu. 5.
Caietan. Cathar. art. 3. Catharino in lib. de cultu imaginum, & Theologis communiter, & Bellarmino lib. 2. de Beatitudine cap. 7. Primum fundamentum est, quia Deus visus est sæpè in forma corporea in Sacris Scripturis, vti quando apparuit Abraham Gen. 18.
August. vti Augustinus interpretatur. *Tres vidit, & vnum adorauit*, propter Mysterium Trinitatis. Et quando visus est Iacobo innixus Scalæ. Et Danielis 17. & Isaiæ 1. & Amos 9. Igitur sicut visus est, ita & pingi pòtest. Probatur secundo, quia in sacris Scripturis attribuuntur Deo affectus humani, vti ira, furor, pœnitentia, oculi, aures, & manus. Cur igitur nòn licebit adumbrare coloribus, quod licuit verbis describere? Probatur tertio, quia Sacræ Litteræ multis in locis exhibent Seraphinos, & Cherubinos, & Angelos effigiatos, qui tamen in corporei sunt. Ergo licebit etiam Deum pingere, quamuis careat corpore. Probatur quarto ex vsu Ecclesiæ, quæ solet mysterium Trinitatis depingere, & præcipuè Spiritum Sanctum in forma columbæ.

Argumentis ita respondetur: primo non obstare Deum esse incorporeum, cum sæpè in figura corporis apparuerit, & Angeli qui spiritus sunt, imagines habuerint. Obiectio ex Concilijs soluitur duobus modis: primo negando in Concilijs non fieri mentionem imaginis Dei, cum Act. 5. 7. Synodi fiat mentio Spiritus Sancti effigiati instar columbæ. Et in Tridentino loco citato admit- Concil. Trident.
titur in Historijs Sacræ Scripturæ, quę depinguntur rectè figurari Deũ dummodo tamen doceatur populus, non propterea Diuinitatem figurari quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. Vnde patet eas imagines Dei permitti. Ad locum adductum Concilij respondetur Concilium noluisse loqui de imaginibus Dei, quia satis erat statuere contra Hæreticos adorationem imaginum Christi, Deiparæ, & Sanctorum. Nolebat enim tunc irritare Iconoclastas, prę sertim cum adorare imagines Dei, non esset res necessariò definienda, quia vt inquit Bellarminus posse Bellarm.
fieri has imagines non est res de fide, & in opinione versatur, quamquam non liceat eas impugnare. Quę est secunda solutio contra Caluinum lib. 5. Instit. cap. 11. qui ait nefas esse.

Secunda quæstio: vtrum liceat Christum in forma agni depingere, sicut & Euangelistas instar Leonis, & Bouis, & Aquilæ effigiari. Negat Carranza in summa Concilio- Carranz.
rum nixus Can. 82. 6. Synodi, in quo ait prohiberi pingi Christum in forma agni. Sed omnino est affir-

mandum, quia ita disertè habet Adrianus Papa Synodo 7. Act. 2. in litteris ad Tharasium. Quo loco refutatur Carranza, quia ibi Papa sic ait: *In 6. Synodi Canonibus narratur pictura illa veneranda, in qua Agnus digito praecursoris praemonstratus graphicè est insculptus, qui in typum gratiae assumptus verum nobis per legem agnum, nempe Christum Deum indicat. Idem affirmat Elias Act. 4. & Epiphanius Act. 6. eiusdem Synodi.* Praeterea Damasus in vita Syluestri scribit Constantinum in loco sui baptisterij agnum ex auro purissimo posuisse. Tandem si Spiritus Sanctus in forma columbae depingitur, ergo & in forma Leonis, Bouis, Euangelistae.

7.Synod. Damasc.

Quaestio tertia duplex est, vtrum imagines tantum in suis Historijs ponendae sint, ita vt solitariae non possint consistere? Et vtrum in Templis sint collocandae? Quoad primam Caluinus negat imagines per se solas esse ponendas, sed tanquam partes historiae ad illam esse referendas, ac proinde admittit imagines in picturis quae describunt historias Scripturarum. Catholica tamen doctrina est imagines per se solas posse poni, & adorari. Ita ex traditione Ecclesiae docemur, & in hoc sensu eas 7. Synodus adstruxit. Probatur exemplis. Primò, Christus misit suam imaginem Regi Abagaro solitariam. Ita scribit Euagrius lib. 4. cap. 26. & Damasc. lib. 1. de imaginibus. Et huic imagini fiebat festum in die translationis eius. Secundo extat diuina prouidentia imago Christi mortui in Sudario, quae negari non potest, cum asseruetur Turini, & magna religione colatur. Tertio imaginem B. Virginis pinxit B. Lucas, imo & plures fecit, vti refert Nicephorus lib. 14. cap. 2. & Theodorus Lector lib. 5. Collectaneorum. Quarto Tertullianus lib. de pudicitia scribit in Calicibus sacris sculpi solitas imagines Christi ouem humeris suis ferentis. Quinto Augustinus lib. 1. de consensu Euangelistarum cap. 10. ait passim inueniri imagines Christi inter Petrū, & Paulum collocatas. Et patet ex commemoratis Act. 4. & 6. 7. Synodi. Et confirmatur, quia Constantinus Magnus vidit imagines Petri, & Pauli non contextas historiae, sed veluti in tabula separatas, vti Syluester illas habebat.

Caluinus. Euagr. Niceph. Tertull. August.

Falsò autem negat Caluinus nullius vtilitatis esse huiusmodi imagines. Contrarium enim docent exempla à 7. Synodo allata, inter quae commemoratur illud de imagine B. Virginis cuius aspectu Maria Aegyptiaca tot gemitus edidit, tot lacrymas emisit, & cuius fidem implorauit. Refelli potest Caluinus contrario argumento, nempe perniciosas esse lasciuas imagines; quae res ipsum hominem in humanioribus litteris versatum latere non potuit. Puto enim legisse illum apud Terentium, & Plinium, quae satis essent ad eius opinionem refutandam.

Quoad aliam quaestionem: imagines in templis, & locis sacris locari nefas esse putat Caluinus. Nullo fundamento, cum vbique occurrant exempla tum in Scripturis, tum in Ecclesiasticis Historijs. In veteri Testamento Cherubini in tabernaculo, & in templo collocati. Exod. 25. & 3. Reg. 6. In 7. Synodo Act. 6. refertur discipulos S. Epiphanij tēplum ei struxisse, & in eo eius imaginem collocasse. Damasus in vita Syluestri narrat Constantinum in Templo Lateranensi imagines Saluatoris, & duodecim Apostolorum, & quatuor Angelorum posuisse, idque apparet omnino licere, & conuenire ex traditione Ecclesiae. Vbi enim melius ponentur sanctorum imagines, quam in templis vbi habent aras, in quibus coluntur?

Damasus

Obij-

Obijcit tamen Caluinus locum Epiphanij in Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum in qua dicit esse contra authoritatem Scripturæ pendere in Templo effigiem alicuius hominis. Loquitur autem de imagine sacra. Epiphan.

Varijs modis huic obiectioni respondent nostri Authores. Mihi omnino persuasum est, hanc Epistolam fuisse falsatam, & hoc esse additamentum Hæreticorum. Moueor primo; quia si hæc esset doctrina Epiphanij non auderent eius discipuli Templum ei erigere, & in eo illius imaginem collocare. Secundo quia nemo Hæreticorum, qui ante 7. Synodum, vel in ea contra imagines argumentati sunt, hoc testimonio Epiphanij vsus fuit. Tertio, quia in eadem 7. Synodo Patres Orthodoxi ex doctrina Epiphanij multa testimonia adduxerunt ad imagines confirmandas. Moueor tamdem, quia Diuus Hieronymus ad Pammachium contra Ioannem Hierosolymitanum refert totam penè istam Epistolam, nec tamen hanc partem Epistolæ adducit. Itaque certum puto ab Hæreticis illud additamentum Epistolæ Epiphanij fuisse adiectum, præsertim cum appareat ex Actis 7. Synodi, Actione 6. Hæreticos duos alios locos Epiphanij similiter falsos adduxisse. Quod ergo tunc palam ausi sunt illi, verosimile est postea alios clam maiori fiduciam fecisse.

APPENDIX.

Quomodo adorandæ sint Imagines?

Haec Controuersia difficilis est propter Hæreticos negantes licitam esse adorationem imaginum ex eo quia sequeretur committi idololatriam in ipsa adoratione, posita quippè Christi imagine, qui adorat illam, debet per latriam adorare; vnde sequitur idololatria adorando imaginem, quæ non est Christus. Quod si quis dicat adorari in ea Christum, non imaginem, sequitur imaginem non adorari. Vel non magis adorari Christum in imagine quàm in alia qualibet re, in qua cogitetur Christus.

Tres sunt hac in re sententiæ. Prima imaginem nullo modo adorari, sed per eam solum exemplar, & illam tantum esse occasionem adorandi. Ita quidam cum Durando in 3. dist. 9. q. 2. Durand.

Secunda sententia affirmat in adoranda imagine interuenire duas adorationes, vnam propriam imaginis vt talis est, quæ sit inferioris notæ ab adoratione exemplaris, alteram propriam exemplaris, ad quã vltimò terminatur prima. Ita Sanderus lib. 2. de imaginibus cap. vlt. Sanderus & Albertus Pius Carpensis lib. 8. contra Erasmum, & Catharinus Op. Cathar. de adoratione. Conclus. 6. & 7. & Bellarminus lib. 2. capit. 20. & 21. Bellarm. Fundantur, quia nulla imago potest adorari latria. Hoc enim prohibetur à 7. Synodo Act. 7. & postea Can. 3. vbi dicitur imaginem Christi non esse adorandam latria. Et additur huiusmodi imagines non aliter adorari quam Euangelia, & vasa sacra, quæ nullo modo adorantur latria. Bellarminus ait spectata ratione duas debere dari adorationes, vnam quæ terminetur immediate

ad

ad imaginem, & propria illius sit, quæ latria esse non potest, & aliam, quæ tendat in exemplar, & propria illius sit, imaginis autem impropria, ac proinde latria dici nequeat.

Tertia sententia docet, vnam tantum, & eamdem esse adorationem imaginis, & sui prototypi siue exemplaris, ac proinde nihil esse in imagine, quod non referatur ad exemplar à quo tota sumitur ratio adorandi. Vnde qui in imagine colit Christum adorat imaginem adoratione propria Christi, idest, latria; idemque de adoratione Crucis dicendum, quæ item latria adoratur. Contra autem qui adorat Sanctum non potest adorare nisi per duliam, quia exemplar non est capax alterius adorationis. Vnde hæc sententia non admittit duas illas adorationes distinctas, vnam propriam imaginis inferiorem, & alteram propriam exemplaris superiorem. Hæc est D.Thom. Caietan. doctrina Diu. Thom. 3. par. q. 25. quem sequitur ibi Caietanus, & cōmuniter Thomistæ. Tradit eam Payua lib. 9. Orthodoxarum expli- Turrian. cationum, & Turrianus lib. 1. Can. Apost. cap. 25. & lib. de dogmaticis characteribus, & multi ex antiquioribus scholasticis cum Alexandro, & Bonauentura. Defendit eam Vasquez. Vasquez tomo de Incarnat. disput. 108. cap. 3.

Hæc sententia placet. D. Thomas eam ille munit doctrina Aristoteles Aristot. lib. de memoria, & reminiscentia distinguens duos motus adorantis in imaginem: vnum in eam, vti res quædam est præscindens à ratione imaginis; alterum in imaginem, vti est formalis repræsentatio prototypi, seu exemplaris; & ait primum esse diuersum à secundo, secundum autem esse eumdem motum in imaginem, & in prototypum, siue exemplar. Vnde concludit quod imagini Christi, vti est res quædam, puta lignum sculptum, vel pictum nulla reuerentia exhibetur: quæ autem exhibetur vti imagini, eadem adoratio est, quæ exhibetur Christo. Ex qua doctrina sequitur, sicut Christus latria adoratur, ita & eius imaginem adorandam, cum eadem sit ratio adorandi imaginem, & exemplar. Hæc ratio conuincit, nec indiget confirmatione Vasquez, qui multum sudat in excogitanda ratione euidenti præter hanc D. Thomę, nec illam, meo iudicio, diuersam inuenit, quæ item est Bonauenturæ Bonau. in 3. dist. 9. art. 1. qu. 2. & 4. Iuuat ex parte, quod insinuat D. Thomas adorationem non ferri nisi in creaturam rationalem, qualis non est imago præcisa ab exemplari. Confirmatur ratio D. Thom. à contrario argumento quo Vasquez bene vtitur, D. Thom nimirū iniuriæ, quæ quando fit imagini fit prototypo. Ergo etiam adoratio quādo fit imagini ideò fit quia transit ad exemplar. Insuper docet experientia, nos visa imagine statim recordari exemplaris sui, & affectu, & adoratione ad illud tendere.

Oppugno autem contrariam sententiam admittētem distinctas adorationes, quæ item est Suarez tom. de Incar. disp. 54. sect. 3. hoc dilem- Suarez. mate: Vel illa adoratio distincta, quæ defertur imagini est diuersa ab ea quæ defertur exemplari, vel non. Si non est diuersa, habeo intentum: Si autem est diuersa, oportet videre quænam illa sit? Igitur adoro imaginem D. Petri, si illa adoratio est distincta ab illa qua Petrum in se adoro, debet esse distincta à dulia, nam Petrus sola dulia adoratur. Non potest autem esse alia species adorationis, quia non datur. Ergo non potest esse diuersa, sed eadem dulia. Idem argumentum facio in latria. Si enim adoratio, quæ tendit in imaginem Christi est distincta ab ea quæ tendit in Christum, sequitur eam esse vel minorem latriam, vel du-

duliam. Minor latria esse non potest, tum quia imago sumpta in se non adoratur latria, tum quia sequeretur imaginem adorari latria contra Concilij doctrinam, quam Aduersarij nobis obijciunt. Superest ergo vt sit dulia. Hoc autem esse non potest, quia confunderetur adoratio imaginis Christi cum adoratione imaginis Sanctorum. Quod sanè dici non potest, & repugnat experientiæ, quia nos exhibemus actus exteriores imagini Christi longè diuersos ab ijs, quos exhibemus imaginibus Sanctorum, tundimus enim pectus, & veniam peccatorum postulamus coram Christi imagine: quod non facimus, nec possumus facere erga imagines Sanctorum. Qua ratione refellitur solutio Suarij, qui sect. 4. admittit duas dulias, & duas latrias, vnam inferiorem debitam imagini per se sumptæ, alteram superiorem debitam exemplari.

Cõfirmatur hæc doctrina nostra, loco Tridentini Concilij quo etiam vtitur Vasquez disp. 108. cap. 3. Igitur Tridentinum sess. 25. in decreto posito in principio docet, imagines Christi, Deiparæ Virginis, & Sanctorum in Templis esse retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem esse impertiendam, non quod credatur in eis esse aliqua diuinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, veluti olim fiebat à Gentibus quæ in idolis spem suã collocabant. Sed quia honor qui eis exhibetur refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant, ita vt per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt veneremur: idque Conciliorum præsertim secundæ Synodi decretis cõtra imaginum oppugnatores est sancitum. Negat omnino (Vasq.) Concilium imaginibus secundum se sumptis rationem diuinitatis, & virtutis, & totam refert ad exemplar. Vnde colligitur totam rationem adorandi ad exemplar reuocari. Et quod maximè notandum est affirmat hoc esse definitum in Concilijs, & nominatim 7. Synodo. Vnde apparet 7. Synodum non solum non contradicere huic doctrinæ D. Thom. quæ nostra est, imo & eam maximè probare. Itaque non bene significat Bellarm. cap. 22. nec Suarez disp. 54. sect. 3. D. Thomã si vidisset istam 7. Synodum aliter sensurũ, cum alijs Scholasticis qui eam non viderunt. (Bellar.) Addit Suarez nec illos habuisse notitiam 7. Synodi generalis, nec epistolæ Adriani, quasi excusare eos velit quod in hac nostra sententia fuerint. (Suarez.) Quam suspicionem redarguit Tridentinũ Concilium à quo eadem doctrina traditur, quam D. Thom. prius posuerat, quod argumento est 7. Synodum idem quod D. Thom. tradidit prius sensisse, & Tridentinum eundem sensum confirmasse.

Hinc patet solutio ad argumentum ex ratione petitum negando in imagine esse aliquam virtutem, vel excellentiam distinctam ab exemplari propter quam seorsim & sine illo adoretur, cum tota ratio adorandi imaginem sit exemplar, ita vt quod aiunt Philosophi ea virtus adoretur in imagine vt quo, & in exemplari vt quod, hoc est, principaliter, & terminatiuè. Ad doctrinam Concilij Nicæni secundi quæ videbatur difficilis, quia prohibet vllam imaginem adorari latria, respondetur ex Concilio Tridentino, Concilij mentem fuisse vulgari modo loqui, quia vulgus putat adorationem terminari in imaginem, & eam ratione sui adorari, qui erat error Gentilium, qui putabant imagines habere aliquod numen, vti obseruat Concilium Tridentinum. In

hoc

hoc igitur sensu 7. Synodus negat imagines adorandas esse latria. Quæ solutio vera, & facilis est.

Vasq. Vasquez aliam excogitat, & nimis sudat in excogitando. Soluit autem hoc modo. Distinguit in adoratione actum externum, & internum, & ait actum internum latriæ non posse versari circa imagines, sed circa exemplaria, quia submisso illa animi, & seruitus interior nõ exhibetur nisi Deo, & Christo: at verò actus exterior potest ad imaginem terminari, & explicat Concilium dicendo loqui de prima adoratione interiori, quæ non potest conuenire imagini, non autem de exteriori, qui in imaginem quadrare potest. Verum hæc solutio mihi non placuit cum eam legi, & postea vidi impugnari à Suarez sectione illa 3. quia ille actus exterior adorandi imperatur, & informatur ab actu interno, & ex vi illius tribuitur imagini: ergo iam intentio, & actus interior simul cum illo actu externo imagini exhibetur. Cum autem ille actus latria sit, imago adorabitur latria; & ita illam solutionem impugnat Suarez. Ergo signum est etiam hoc voluisse prohibere Concilium, nec enim imagini sacrificari potest. Præterea, non omnis imago est capax actuum externorum adorandi, quia coram imagine Sancti non possumus tundere pectus, cum ille actus solum conueniat imagini cui debetur latria ratione exemplaris. Vnde apparet etiam in actibus exterioribus inesse periculum idololatrandi.

Suarez.

Pro fine quæstionis animaduerto nomen IESV adorari item latria, cum illud nomen ad significatum referatur. Vnde eadem ratione qua imago Christi propter exẽplar adoratur latria, & hoc nomen propter significatum latria colendum est. Quæ ratio exprimitur in Concilio Moguntino celebrato anno 1549.

Concil. Mog.

par. 2. Quod attinet ad Crucem dico breuiter cum D. Thom. q. 25. art. 4. veram Christi Crucem duplici ratione adorari latria. Primò propter repræsentationem Christi. Secundò propter physicum contactum, & mysticam vnionem cum Redemptore. Alias Cruces vno tantum titulo latriam terminare, nimirum quatenus Christum repræsentant. Qua de re Suarez disp. 56. & præcipuè Vasquez disp. 111. quo nemo solidius, & eruditius de adoratione tractauit.

Suar. Vasquez.

Obiectio de adoratione Euangelij, & vasorum sacrorum nihil officit doctrinæ traditæ. Quando enim Concilium dixit adorãdas esse imagines Christi sicut Euangelium, & vasa sacra, intellexit non esse periculum idololatrandi in adoratione imaginum, sicuti non erat in adoratione Euangelij, & vasorum sacrorum. Vnde intentio illius fuit non comparare adorationes, sed excludere periculum idololatriæ.

Ad calcem animaduerto in 7. Synodo siue 2. Concil. Niceno Act. 4. haberi: *Angelos adorandos esse, quod sint corporei*. In quo ne Lector offendat, volo monére, illud non dici ab Vniuerso Concilio, sed à Ioanne Episcopo Thessalonicensi, cuius ibi legitur liber, vbi negat homini Gentili de adoratione imaginum disputanti Angelos omnino incorporeos, & spirituales esse: *vt vos*, inquit, *gentiles dicitis*: & affirmat esse compositos *ex spiritu, & tenui* corpore: cum solus *Deus sit incorporeus, & informabilis*. Idque Athanasij, Basilij, & Methodij authoritate confirmat. Qua de re nos latè alias diximus, cum quæstio nobis poneretur de Bullis Papæ, in quibus quædam narrando, quædam obiter asserendo, alia propriè decernendo, & definiendo proponebantur: An hæc omnia, & quatenus essent credenda? Ibi enim disputando de do-

7. Synod.

ctrina tradita à Summis Pontifici-
Nicol. I. P. bus, & Concilijs vniuersalibus locũ
difficilem Nicolai I. Papæ c. *à quodam Iudæo*, de consecrat. d. 2. & locum istum Cõcilij Nicæni 2. Act. 5. adduximus, & accuratè examinauimus. Summa tum nostræ sententiæ fuit. Quæ rectè ad scopum quæstionis responsa feruntur, ea omnino esse credenda. Quæ in transcursu, & obiter dicuntur: Ijs nos credere non teneri. Idque Suario to-
Suar. mo de Incarnatione disp. 54. s. 2. &
Vasquio ibidem disp. 179. cap. 5. &
Vasq. Bellarmino lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 12. & Henriquez lib. 2. de Sa-
Sanch. cram. Baptismi cap. 10. & Sanchez tomo de consil. seu opusculis moralibus, lib. 4. cap. 2. dub. 14. P. Del Bene, tom. 2. summ. Theolog. d. 1. qu. 2. authore probauimus. Nunc autem satis erit locum Carranzæ in summ. Concil. in not. ad eum locum septimæ Synodi afferre, vbi sic.
Carran. *Synodus non improbat, sed magis visa est approbare hanc sententiam, dicente Tarasio Patriarcha. Ostendit autem Pater, quod & Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt, & vt homines apparuerunt. Sacra Synodus respondit. Etiam Domine. August. ad Nebridium epistola 115. dicit Angelos aerea aut ætherea animantia, & in lib. de eccl. dog. cap. 11. dicit. Nihil incorporeum, & inuisibili natura credendum, nisi Deum solum. Et cap. 12. creaturam omnem corpoream esse Angelos, & omnes virtutes cælestes corporeas, licet non carne subsistant. (addentes) Ex eo autem corporeas esse credimus, quòd localiter circumscribantur. Sicut anima quæ carne clauditur. Et in qu. 67. dixerat infimos Angelos animaliter viuere, quod tamen in primo Retractat. tēperauit. Et nuper Card. Caiet. in comment. ad Ephes. 2. dixit Dæmones esse aereos spiritus. Hæc dixerunt Patres isti secuti Platonem. E contra multi alij Patres Ecclesiæ sentiunt Angelos omnino incorporeos: quos, vt videtur, secuti sunt Patres Concilij Lateranensis primi, dicentes. Deus ab initio vtramque de nihilo condidit creaturam corporalem, & spiritualem. Angelicam, scilicet, & mundanam. Hæc illi. Quibus verbis spirituale opposuerunt corporali. Sed hæc controuersia nondum Ecclesiæ censura terminata est.* Hæc ille.

SCHOLA XX. DE COMMVNIONE SVB VTRAQVE SPECIE.

CAPVT PRIMVM.

Origo Controuersiæ, & necessaria ab illam præludia.

ORTA fuit hæc controuersia Pragæ in Boemia anno 1412. authoribus duobus Germanis, altero Petro Desdrensi, altero Iacomello Misnensi. Nam cum Petrus in eum locum Ioannis 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis*, incidisset, eumque interpretari aliter non posset nisi dicendo, præcipi à Christo vtramque speciem, re cum Iacomello Pragæ concionante communicata, ambo sibi persuaserunt sine communione sub vtraque specie neminem posse saluari, idque cæperunt docere Auditores, quibus mirificè placuit. Ita narrat Aeneas Syluius in Historia Boemorum cap. 45. ac super eo articulo Boemi in Concilio Basileensi primum disputarũt, quibus respondit Pater Ioannes à Ragusa Dominicanus Procurator generalis, postea Episcopus Argensis, & Cardin. S. Sixti.

Petr. Desd. Iacom. Misn.

Aen. Sylu.

Hanc hæresim secutus aliquando fuit Lutherus, (quia variè hac in re sensit) in lib. de captiuitate Babylonica cap. 1. & Brentius in Apologia pro confessione Vvitembergensi, & Melancton in apologia confessionis Augustanæ, & Kemnitius in 2. p. contra Concilium Tridentinum sess. 21. & Caluinus lib. 4. Instit. cap. 17. & in Antidoto articulorum Parisiẽsium art. 7. qui omnes aiunt præceptum esse diuinum communicandi sub vtraque specie, nec aliter fieri posse, & Ecclesiam Catholicam condemnant, quæ Laicis communicantibus vnam tantùm speciem dat, alteram negat.

Luth. Brent. Calu.

Prætermittendum primo ex doctrina Magistri in 4. dist. 8. & Innocentij in summa de officio Missæ: in Sacramento Eucharistiæ tria esse consideranda. Primùm, Sacramentum tantum. Secundùm, rem, & Sacramentum. Tertiùm, significa-

Mag. Innoc.

tum

tum ſpirituale Sacramenti. Primum eſt ſpecies viſibilis panis, & vini. Secundum corpus, & ſanguis Chriſti ſub ijs contentus. Tertium corpus Chriſti myſticum. Species enim ſunt Sacramentum, quia ſunt ſigna corporis, & ſanguinis. Corpus verò, & ſanguis ſub ſpeciebus ſunt res, & Sacramentum: Corpus Chriſti myſticum eſt ipſa Eccleſia vnita per fidem, & charitatem cum Chriſto, & hanc ſignificat corpus Chriſti. Vnde Eccleſia dicitur res tantùm, & non Sacramentum. Hoc alijs verbis declarauit Innocentius, nimirum in Euchariſtia prima eſt forma viſibilis. Secunda, veritas corporis. Tertia virtus ſpiritualis. Forma eſt in pane, & vino: veritas caro, & ſanguis; virtus fides, & charitas. Quę doctrina eſt Auguſtini citati titulo de Conſecratione diſt. 2. & Hieronymi in Gloſſa prima ad Corinthios, qui ſentiunt verum Chriſti corpus in Euchariſtia eſſe figuram, & Sacramentum Eccleſiæ vnitæ per fidem, & formatæ per charitatem.

Præmittendum ſecũdo triplicem eſſe manducationem huius Sacramenti. Prima eſt ſpecierũ panis, & vini. Secunda veræ carnis Chriſti. Tertia corporis myſtici, ideſt, gratiæ. Prima eſt purè corporalis. Secunda ſacramentalis. Tertia ſpiritualis.

Præmittendum tertio. Hæreticos iſta confundere, quia Caluiniſtæ negant veritatem corporis, & ſanguinis in Euchariſtia, & tantùm figuram corporis, & ſanguinis eſſe dicunt. Lutherani autem quanquam admittant in Euchariſtia veritatem corporis, & ſanguinis, affirmant tamen ſub ſpecie panis eſſe tantummodo corpus mortuum ſine anima, & ſanguine, & ſub ſpecie vini ſolum ſanguinem eſſe ſine corpore.

Præmittendum quarto. Caluiniſtas iuxta ſuum errorem iure ſuo poſtulare vtramque ſpeciem, quia cum accipiāt Euchariſtiam pro cœna rectè poſtulant panem, & vinum, non enim volunt communicare, ſed cœnare, & palato conſulunt, non ſpiritui. Lutherani ſimiliter iuxta ſuam hæreſim vtramq; ſpeciem neceſſariò exigunt, quia cum dicant totum Chriſtum non eſſe ſub vna ſpecie, & communicare velint, conſequenter ad errorem ſuum vtramque ſpeciem deſiderant, vt Chriſto ex integro fruantur. Vnde patet nos cum ijs non contendere niſi errores ſuos abiurent. Quæſtionem ſolum eſſe cum Boemis, & ijs Lutheranis, qui cum fateantur totum Chriſtum eſſe ſub alterutra ſpecie, affirmant ſub vna tantùm communicare non licere.

Præmittendum 5. hunc errorem, ſcilicet præceptum eſſe communionem ſub vtraque ſpecie, antiquum fuiſſe, vti habetur ex teſtimonio Concilij Baſileenſis dum adhuc erat Concil. Baſil.
legitimum, ideſt, ante 2. ſeſſionem. *Fuit*, inquit, *error Neſtorianorum credentium quod ſub ſpecie panis ſit ſola caro Chriſti, & ſub ſpecie vini ſit ſolus ſanguis Chriſti*. Vbi notandum quanta ſit ſimilitudo, imo & connexio iſtarum hæreſum, quia Neſtorius qui vnionem hypoſtaticam ſuſtulit, ille idem euertit vnionem animæ cum corpore in Euchariſtia, & ſicuti diuiſit Chriſtnm in duo ſuppoſita, Deumque ab homine ſeparauit, ita corpus, & animam Chriſti, in Euchariſtia diuiſit, & vnum ſine altero collocauit. Animaduerto tandem Ioannem Raguſium in Ioann.
oratione contra Boemos in eodem Raguſ.
Cōcilio Baſileenſi habita hanc ſententiam Neſtorij Pelagio item tribuiſſe. Fides ſit penes authorem.

CAPVT II.

Vtrum totus Christus sit sub singulis speciebus?

PRopono primo doctrinam catholicam circa rem, & circa modum. Affirmandum igitur, quod attinet ad rem: totum Christum in hostia sub specie panis, & totum in calice sub specie vini contineri. Hoc expresse definitum à tribus Concilijs generalibus Constantiensi sess. 13. Florentino in Instructione Armenorum. Tridentino sess. 13. c. 3. *Verissimum*, inquit, *est tantundem sub alterutra specie, atque sub vtraque contineri. Totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quauis speciei parte, totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.* Probatur primo ex loco Ioannis epist. 1. cap. 4. *Omnis spiritus, qui soluit IESVM ex Deo non est.* Loquitur Ioannes contra Ebionem, qui negabat Christum Deum, & hominem simul esse interuentu vnionis hypostaticæ, & Nestorij prodomus fuit; potest tamen & debet trahi locus iste ad Eucharistiam, in qua etiam, vt proximè dictum est, soluit IESVM ille qui dicit corpus sine anima cōsistere sublata vnione naturali: cum enim sint errores similes vno eo loco confutantur, nimirum & ille qui negat vnionem hypostaticam inter naturas supernaturalem, & ille qui negat vnionem inter animā, & corpus naturalem, & vterque damnatur à Ioanne.

Concil. Const. Flor. Trid.

Probatur secundo ex cap. 6. eiusdem Ioannis in illa verba: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*, vbi notandum *manducat me*, non *dimidium mei*: manducare autem ad panem refertur. Ergo qui manducat hostiam, manducat Christū, & ideò viuet propter ipsum, quia manducat ipsum viuum, & totum, ac proinde integrum ex anima, & corpore constantem. Confirmatur ex eo quod Christus semper se appellat panem viuum, & qui de cælo descendit. Non esset autem panis viuus nisi constaret vita, nec ille descendit de cælo mortuus, sed viuus.

Probatur tertiò ex loco Pauli ad Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*, quod verum esse non potest, si corpus Christi in Eucharistia cōsistit sine anima, nam per consecrationem separando animam à corpore, Christus mortem pateretur. Hoc loco vtitur etiam Concilium Tridentinum sessione 13. cap. 3.

Quod attinet ad testimonia Patrum: non pauci hanc veritatem docent, qui citantur in iure canonico titulo de consecratione distinct. 2. ex quibus Hilarius sic. *Vbi pars est corporis, ibi & totum*. Hieronymus ibidem: *Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totum, nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet singulis*. Adducitur item Cyrillus Hierosolymitanus Cath. 4. dum ait: *nos esse Christiferos, quia Christum ipsum in nobis habemus*. Quem locum affert Bellarminus lib. 4. de Eucharistia c. 21. sed non multum vrget: non enim dicit, nos esse Christiferos sumendo vnicam tantùm speciem, de qua nulla est mentio. Vnde potest intelligi de sumptione Sacerdotali, vel Laica sub vtraque specie. Ille alius locus melior est cap. 5. Mystagogi, vbi ait: *sub specie panis summum regem sumi*. Confirmatur communi Ecclesiæ consensu, quæ vnam tantum speciem profitetur, & celebrat doctrinam Diui Thomæ in hymno qui canitur in Missa de corpore Christi. *Caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus totus sub vtraque specie*. Qua de re optimè Magister in 4. dist. 11. *Sub vtraque specie*

Hil. Hier. D. Th. Mag.

tie sumitur totus Christus, nec plus sub vtraque, nec minus sub altera.

Declaratur exemplo sacræ Scripturæ in manna Eucharistiæ figura. De illo enim sic legitur Exodi 17. *Collegerunt filij Israel alius plus, alius minus, & mensi sunt: nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat habuit minus.* Quod certè nihil aliud potuit significare in nouo Testamento, cuius vetus figura fuit, nisi hoc mysterium Eucharistiæ quod predicamus, vbi tantum percipit ille qui sumit vnam speciem, quantum ille qui sumit vtramque, cum totus Christus sit sub alterutra. Confirmatur multorum Hebræorum sententia, qui autore Oleastro affirmant manna etiã sitim extinxisse, ita vt alio potu illud manducantibus opus non esset, quod quidem mirè conducit ad presentem doctrinam. Nam sicuti in manna solo erat cibus, & potus, ita in sola hostia erit corpus, & sanguis. Oleast.

Hanc eandem veritatem miracula probant, sępè enim ex sola hostia sanguis effluxit, & in ea Christus viuus apparuit, quæ exempla referũt Alensis 4. parte q. 53. membro 11. & in noua editione q. 11. memb. 2. art. 4. & Vincentius in speculo l. 30. cap. 24. & Surius in Commentarijs anni 1510. & 1556. Alens. Sur.

Nec desunt congruæ rationes, quarum prima est. Anima non potest separari à corpore Christi, neq; vnum sine altero consistere. Ergo vbi sit corpus consecratum erit etiã anima, & è conuerso. Assumptum patet, quia Christus ita ponitur in Sacramento vti hodie est. Sed hodie est immortalis, vti docet fides. Ergo ponitur viuus, & immortalis atque adeò cùm sanguine, & anima. Declaratur hæc ratio à contrario, quia si quis in triduo mortis Christi Sacramentum conficeret hostiam consecrando, tum poneret Christũ vti erat, mortuum, idest, cum corpore separato ab anima, quia tunc sic erat à parte rei. Ergo hodie quando non est mortuus, sed viuus, aliter nec potest poni, nec ponitur nisi viuus.

Secunda esto. Hoc Sacramentum est vnionis Christi cum anima hominis iusti per vnitionem charitatis, & gratiæ supernaturalis. Ergo non decet vt soluatur in eo intrinseca vnio naturalis separando propriam animam quando ea vnitur animæ alienę. Tertia quia miracula non sunt multiplicanda in isto mysterio. Sed si Christus in eo poneretur mortuus, multiplicarentur miracula. Ergo non ponitur mortuus. Minor probatur quia miraculo opus est, vt Christus qui per naturam, & statum est immortalis in hoc Sacramento moriatur. Consequentia tenet. Ergo contraria sententia explodenda.

Negant tamen hęretici etiam qui admittunt veritatem Sacramenti, Illyricus lib. contra Sacramentarios parte 2. argumento 25. & parte 3. in solutione tertię obiectionis, Tilmanus Heshusius lib. de 600. erroribus Pontificiorum titulo 17. errore 4. & 18. Hermanus Hamermanus lib. de Communione sub vtraque specie. Lutherus variè sentit. Melancton quęstionem dissimulat. Omnes tamen Vbiquetarij Catholicam doctrinã admittunt, cum enim velint humanitatem Christi ex vi vnionis hypostaticę vbique esse, fatentur vbi diuinitas sit, ibi totum Christum esse. Non negant autem diuinitatem cum corpore Christi esse: quare concedunt, & animam simul esse cum corpore, vti apparet in Kemnitio Vbiquetario, quem citat Becanus libro 1. cap. 9. conclusione 6. Caluinus vt omnia turbet in hac se quęstione immiscet, quę cum ad eius errorem non pertineat, ab ea debuisset abstinere: qui enim negat veritatem Sacramenti, & solum Illyr. Luther. Kemn. Calu.

dicit

dicit esse figuram, inepte disputat, an Christus sit totus in alterutra specie?

Fundamentum eorum qui negāt illud est, non posse nimirum intelligi istum modū quo totus Christus sit in vna tantum specie. Si enim inquiūt, ponitur ex vi verborum; solū corpus ponitur sub specie panis, & sāguis solus sub specie vini. Quomodo ergo aiunt, potest corpus, & sanguis sub vna tātum specie collocari, si verba vnā tātum designant? Hoc tamen fundamentum futile est. Respondemus quippe Catholici cum sacris Concilijs citatis distinguendo. Ex vi consecrationis verborum directè, & formaliter ita esse, quod ponitur corpus sub specie panis, & sanguis sub specie vini, sed ex concomitantia venire cætera quæ sunt vnita, & ita nexa vt separari non possint. Vnde patet distinctio: ex vi verborum solū corpus ponitur, at ex concomitantia trahitur anima vnita corpori. Cum igitur neque corpus sit sine sanguine, neque sanguis sine corpore, nec anima sine vtroque, quando apprehenditur corpus trahitur sanguis, & anima. Et è conuerso. Rem declaro, & argumentor contra eos hæreticos, qui admittunt veritatem Eucharistiæ. Quando illi consecrant panem intendunt tantū ponere corpus Christi, & tamen ponunt etiam concomitanter diuinitatem, quæ non est corpus, quia nimirum corpus est vnitum personæ Verbi, quam trahit secum per vnionem. Ergo iam ij fatentur concomitantiam diuinitatis. Cur ergo negant concomitantiam animæ, & & sanguinis, quæ sunt vnita cum corpore, & per concomitantiam veniunt cum corpore?

Afferamus exempla, quæ rem demonstrent. Vult aliquis hæreticorum (amant enim gemmas) emere adamantem qui est iam annulo inclusus: quanquam eius intentio sit emere solum adamantem, emit concomitanter aurum cum quo nexus est. Aliud familiarius produco: quando ij veniunt ad aliquod diuersorium appetunt, & postulant vinum, si tamen hospes non habeat nisi vinum aqua modica temperatum, bibent certè concomitanter, modicum illud aquæ mixtum, quod non potest à vino separari. Igitur quod ij ferunt potando vinum, feram communicando panem consecratum. Certè inuenimus in historijs eos sæpè cupidine prædæ cum vellent inaures, & armillas detrahere fœminis hostium suorum, ne morando prædam amitterent non solum aurum abstulisse, sed etiam præcidisse aures, & manus, vt vinctum cum illis membris aurum traherent, cruento, & barbaro ritu. Sed tamen concomitantiam docuerunt, amputando simul membra cum auro, quod solum desiderabant. Cur ergo qui bellam illam concomitantiam inuexerunt, istam Eucharisticam excludunt? Pudeat eos suæ immanitatis, ac per eam erudiantur ad veritatem quam tradit D. Thom. 3. par. q. 76. artic. 1. & definit Concilium Tridentinum sessione 13. c. 3. & sess. 21. can. 3. D. Tho. Trid.

CAPVT III.

Licitam esse Communionem sub vna tantum specie.

PRobauit hoc in Basileensi Concilio latissimè Ioannes Ragusius postea Cardinalis, tunc Procurator generalis Dominicanus, & extra Concilium multi ex nostris, qui super ea re tractatus ediderunt, quos eruditè refert Bellarminus lib. 4. de Sacramento Eucharistiæ cap. 20. ac inter eos præclarè Didacus de Payua lib. 7. de Cœna Domini. Est autem Ioann. Raguſ. Payua.

tem

rem antiqua Ecclesiæ doctrina, quã sequitur Alexander de Ales 4. par. quæst. 11. art. 4. & habetur titulo de consecratione, & Albertus Magnus in tractatu de corpore Christi, & D. Thomas in postilla super Ioannem cap. 6. ad illa verba. *Nisi manducaueritis*, & in 4. dist. 12. q. 2. & 2. p. q. 80. art. 12. & Scotus in 4. dist. 8. q. 1. & D. Bonauentura cum multis alijs. Ex Canonistis Gloss. ordinaria cap. Presbyter de consecratione dist. 2. Item eadem Glossa de eodem cap. Comperimus, vbi adducit Doctores Vgolinum, Laurentium, & Ioannem. Archidiaconus c. Comperimus, Ioannes in summa Confessionis, & Hostiensis in summa, & Rodulphus in pastorali Nouella. Ales. Albert. D. Tho. Scot. Gloss.

Probatur primo ex loco Ioannis 6. vbi Christus miraculo multiplicauit panes, & satiauit turbam, qui panis figura erat Eucharistiæ sub vna tantùm specie, nullus enim ibi potus fuit. Vnde colligitur in figurato solum panem Eucharisticum pro communione sufficere.

Probatur secundo ex Lucæ c. 24. vbi Euangelista narrat discipulos il Castello Emmaus cognouisse Dominum in fractione panis. Qui locus de Eucharistia intelligendus, vti intelligit Ioannes à Louanio, & Maldonatus in eum locum, & Toletus in c. 6. Ioannis Notatione 27. & Bellarminus lib. 4. cap. 34. & Becanus lib. de Communione sub vtraque specie cap. 9. & Vasquez tom. 3. disp. 216. cap. 2. & ex hæreticis Melancton, & Kemnitius. Estque sententia antiquorum Patrum August. lib. 3. de consensu Euangelistarum, & Hieronymi in Epitaphio Paulæ, & authoris imperfecti homil. 17. in Matthæum. Qui locus efficax est, ait enim Euangelista. *Accepit panem, & benedicit, & fregit, & porrigebat illis: & aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum*. Hic nulla fit mentio potus. Ergo in vna tantum specie Christus illos discipulos communicauit. Vnde immeritò Kemnitius existimat vtramque speciem fuisse datam, cum Euangelista nullam prorsus de specie vini faciat mentionem. Nec obstat quod Innocentius Tertius lib. 6. de mysterio Missæ c. 7. & 9. non intelligat istum locum de Sacramento Eucharistiæ, quem sequitur Cornelius Iansenius in concordia. Quamuis enim figura sit, adhuc procedit argumentum, quia solus panis ibi continetur, qui totam illam refectionem compleuit, vt doceremur ita fieri in sumptione veri Eucharistiæ Sacramenti. Mal. Tol. Vasq. Aug. Hier.

Probatur tertio ex loco Actorum Apostolorum cap. 7. vbi sic Lucas: *Vna autem Sabbatorum cum conuenissemus ad frangendum panem Paulus disputabat*. Agi hoc loco de pane Eucharistico patet ex interpretatione Syriaca, & ex doctrina Augustini epistola 86. vbi vocat istam fractionem panis qualis solet fieri in Eucharistia, & ita sentit Arias Montanus, & Valentia lib. de legitimo vsu Eucharistiæ c. 8. & Bozius l. 13. de signis Ecclesiæ cap. 3. & ex hæreticis Lutherus sermone de Eucharistia, & Melancton de vsu Sacramenti, & Bullingerus in eum locum, & Caluinus lib. 4. Instit. c. 17. & Kemnitius 2. p. examinis. Arias. Mont. Bozius.

Probatur quarto ex vsu Ecclesiæ, post tempora Apostolorum, de quo est illustre testimonium S. Leonis Papæ serm. 4. de Quadragesima, dum refert Manichæos sub vna tantum specie communicasse. Cum enim nunquam propter id aut notati, aut reprehensi fuerint, argumentum est illam formam communicandi errorem non esse. Constat autem eos nõ fuisse reprehensos ex libris Epiphanij, & Augustini, in quibus Manichæorum errores commemorantur, inter quos iste non numeratur. Cõfirmatur, quia hi Manichæi, vt se Leo P.

ca-

catholicos esse simularent eo modo inter catholicos communicabant. Vnde apparet catholicos sub vna tantum specie communicare solitos esse. Morem autem illum Manichæorum expressè tradit Leo citatus his verbis: *Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysterijs, ita in Sacramentorum communione se temperant, vt interdū tutius lateant. Ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem haurire declinant.* Hoc argumentum rem continet, quomodo enim se subtrahebant à sanguine bibendo, nisi quia volebant videri Christiani sub vna tantum specie communicando? Verum quidem est Manichæos abstinere à sanguine ex propria hæresi, etsi enim affirmabāt esse Christū, dicebant non habuisse corpus mortale, ac proinde sāguine caruisse. Vnde August. lib. de hæresibus cap. 47. *Affirmant*, inquit, *non fuisse Christum in carne vera*. Et iterum, *Vinum non bibunt dicentes fel esse Principis tenebrarum*. De hac hæresi reprehenduntur, sed non taxantur de eo, quod in vna tantum specie panis Eucharistiam cum catholicis communicarent. Confirmatur hic vsus authoritate Orientalis Ecclesiæ præcipuè Constantinopolitanæ, in qua liberum fuit vnicuique sub vna, vel duplici specie communicare. Hoc autem probatur ex historia relata à Nicephoro lib. 13. cap. 2. & Sozomeno lib. 8. cap. 5. quam refert Baronius tom. 3. anno Christi 400. de quadam muliere Macedoniana hæresi infecta, quæ sumptam in Ecclesia Eucharistiam domum ex consuetudine referens eam occultauit, & loco illius communem panem voluit sumere, qui subitò in lapidem conuersus est, idque ad Chrysostomū tūc temporis Constantinop. Patriarcham detulit. Ex quo patet solum panem consecratum communicantibus dari.

Aug.

Sozom.

Quod etiam probatur ex antiquo more sumendi Eucharistiam in Ecclesia in manibus, & portandi eam in domum suam, vt ibi postea communicarent. De isto more agit Tertullianus lib. 2. ad vxorem, & lib. de oratione in fine, & Clemens Alexandrinus libro primo stromatum, & Cyprianus sermone de lapsis, & Cyrillus Hierosolymitanus in Mystagogo cap. 5. & constat ex D. Gregorio Nazianzeno qui tractat. in funere Gorgoniæ sororis suæ testatur illam apud se seruare solitam Eucharisticum panem super altari collocatum, quem semel venerata, cum esset, à vehementi morbo quo ægrotabat fuisse liberatam. Hoc idem testatur Basilius epistola ad Cæsariam patriciam, & Hieronymus epistola ad Pammachium, & habetur in 6. Synodo can. 3. est autem insignis locus in Augustino sermone 252. de tempore vbi sic. *Omnes viri lauent manus suas, & omnes mulieres nitida exhibeant linteola, vbi corpus Christi accipiant.* Quæ verba reperiuntur apud Maximum lib. cōtra Monothelitas. Hinc deducitur viros in nudis manibus hostiam in domum portasse, fęminas verò linteolo inuolutam. Confirmatur tandem ex Athanasio Apologia 2. cont. Arianos vbi affirmat: *nullum calicem, aut poculum mysticum alibi quam in Ecclesia reperiri*. Et ex Hieronymo lib. contra Iouinianum vbi ait cōsueuisse quosdam domi suæ corpus Domini sumere, quibus non licebat ingredi Ecclesiam ob actum coniugalem patratum. De hoc more eruditè Baronius tom. 1. Annalium anno Christi 57.

Tertul.

Cypr.

Hier.

Aug.

Athan.

Baron.

Et ne possint Hæretici contradicere alijs exemplis monstremus. Mos erat olim deferri à viatoribus, & nauigantibus Eucharistiam authore Ambrosio oratione in fratrem suum Satyrum defunctum, & Grego-

Ambr.

gorio lib. 3. Dialogorum cap. 36. vbi refert Maximianum Episcopum Syracusæ, & socios per mare nauigantes Eucharistiam secum portasse, & idem refertur in Actis S. Laurentij Episcopi Dublinensis, quem constat iterfacientem Eucharistiam secum deferre solitum. Non est autem credendum sanguinem per viam aut inter nauigandum portari solitum. Huc pertinet Anachoritas in Eremo solius panis Eucharistici, quo se reficiebant vsum habuisse.

Probatur idem ex consuetudine ægrotorum sub vna tantum specie communicantium, de qua meminit Amalarius lib. 3. de officijs Ecclesiasticis cap. 35. & Micrologus de rebus Ecclesiasticis cap. 17. qui scribunt in Missa tres partes fieri ex hostia solere, itaut vna cum sanguine misceretur, altera sumeretur à Sacerdote ante sanguinis sumptionem, tertia seruaretur pro ægrotis, quæ viaticum morientium dicebatur. Sunt autem exempla Sanctissimorũ Patrum Serapionis apud Eusebium lib. 6. cap. 36. Ambrosij apud Paulinum in eius vita, Basilij apud Amphilochium, solo pane consecrato pro viatico in morte communicantium.

Amalar.
Microl.
Eusebius

Præterea probatur efficaciter ex communione, quæ dicitur Præsanctificatorum, cuius erat vsus apud Græcos in quadragesima, exceptis die Dominica, & Sabbato. Hæc enim communio solo pane fiebat: huius autem moris meminit Concilium Laodicenum Can. 49. & Synodus Trullana Can. 52. hic autem vsus magis in Latina Ecclesia viguit, vnde feria sexta hebdomadæ sanctæ, quo die non fit consecratio, ipsemet sacerdos sub vna tamen specie communicat, huius autem modi communicandi mentionem facit Innocentius I. Epistola 1. cap. 4. & liber Sacramentorum S. Gregorij in officio Parasceues, & Rabanus lib. 2. de instit. Cleric. cap. 37. & Micrologus cap. 19.

Concil. Laodic.
Innoc. I.
Raban.

Afferunt etiam nostri Authores ad conuincendos hereticos communionem infantium, quos constat in primitiua Ecclesia Eucharistia pasci solitos. Fiebat autem illa communio instillando ijs in os aliquid sanguinis Dominici, vti patet ex Cypriano in illo sermone de lapsis. Hoc autem exemplo minus vti volo, quia potest in nos retorqueri; pueris enim interdum dabatur panis sanguine intinctus; vnde argumentari possunt hæretici vtrãque speciem dari, & illud saltem conuincere præcipuam speciem in communicando, sanguinem Christi fuisse.

Cyprian.

Rectè igitur D. Tho. 3. par. q. 18. art. 13. *In quibusdam*, inquit, *Ecclesijs obseruatur, vt à populo sanguis sumendus non sit, sed solum à sacerdote sumatur.* Id etiam habet in 4. dist. 12. q. 2. ad tertium & lect. 6. in cap. 6. Ioannis. Aptè in hanc rem narrat S. Gregorius Papa lib. 3. Dialog. claudum, & mutum sub vna specie panis communicantem ab Agapeto Papa esse sanatum. Insuper de Sancta Lucia commemoratur traiecto iam gladio gutture non ante mortuam esse, quam sacerdotis manibus Corpus Domini allatum accepit. Tandem narrat Vvilielmus de Hugone de S. Victore, quod cum laboraret grauiter, & cibum non posset in stomacho retinere petijt communionem Corporis Christi, & cum ei hostiam attulissent, & ipse illam iam recipere non posset, & expirasset, hostia continuò disparuit.

D. Thom.
Greg. M.

CAPVT IV.

Probatur Communio sub vna tantum specie ex Concilijs.

QVoniam hæretici pertinaciter negant vsitatam in Ecclesia huiusmodi communionem fuisse, oportet eam Concilijs, quæ solent reuereri, probare. Igitur Concilium Antisiodorense cap. 36. hunc morem perspicuè declarauit duplici canone, quos hic volo adducere: primus est canon 36. vbi sic. *Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam accipere*. Secundus Canon esto 42. *Vt vnaquæque mulier, quando communicat dominicalem suum habeat, quod si qua non habuerit vsque in aliũ diem Dominicum non communicet*. Patet manifestè illa consuetudo sumendi panem Eucharisticum nuda manu à viris, à fœminis vero propter reuerentiã linteo inuolui, quod non potest intelligi de sanguine. Fuit autem hoc Concilium celebratum anno 590. Gregorio Magno Pontifice Antisiodori, quæ Vrbs in finibus Burgundionum, & Prouinciæ Lugdunensis sita iuxta Sequanam posita Auxerre dicitur, & est illa, quam Ptolomæus Antricum appellat. (Concil. Antisiod.)

Citatur autem hic pro hac re Concilium Rothomagense cap. 2. à Loaysa, & Binio in notis ad primum Concilium Toletanum, sed hunc ego locum inuenire non potui, & istud Concilium nullos canones habuit, estque vnicum tantum Concilium. Miror itaque quomodo ab his authoribus citetur. (Concil. Rhot.)

Venio ad primum Concilium Toletanum I. quod celebratum fuit anno 400. sub Anastasio Papa, & confirmatum à Leone Pontifice, vti apparet ex cap. Libellis. dist. 20. hoc igitur Concil. Can. 4. sic habet. *Si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit veluti sacrilegus propellatur*. Vbi sermo est de Eucharistia in Ecclesia in manus accipientis data, quando in domum suam deferebat, & ibi consumere debebat, quia erant aliqui à quibus negligebatur communio, hi tamen quasi sacrilegi puniuntur, sed quoniam locus obscurus est declarauit illum Concilium Toletanum XI. habitum anno Domini 675. Adeodato Papa, & Rege Vvamba; fuitque Prouinciale. Locum integrum affero, quia insignis est, & minus cognitus nostris Authoribus. *Cum nihil*, inquit, *in diuino Canone debeat esse confusum, nihil dubium, nihil magis indiscretum in collatione nostri cœtus relatus est Canon Toletani Concilij I. in quo præceptum est, vt si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit veluti sacrilegus propellatur, nec adiecta est ibi discretio voluntatum, cum & infidelis hæc, & alia infideliter agat, & fidelis fideliter accipiat, quod naturalis illum necessitas deglutire non sinat. Solet enim humanæ naturæ infirmitas in ipso mortis exitu prægrauata tanto siccitatis pondere deprimi, vt nullis ciborum illationibus refici, sed vix tantummodo illati delectetur poculi gratia sustentari, quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum suis votis sacræ communionis expetentes viaticum, collatam sibi à Sacerdote Eucharistiam reiecerunt, non quod infideliter hoc agerent, sed quod præter Dominici calicis haustum traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire. Non ergo huiusmodi à corpore Ecclesiæ separandi sunt, qui talia in infidelitate, sed necessitate fecerunt, præsertim hi, de quibus nihil fidei sinistræ sentiunt. Placuit ergo definire, quod nec fideli officiat, nec infideli multum existat. Quicumque ergo fidelis ineuitabiliter qualibet infirmitate coactus Eucharistiam perceptam eiecerit in nullo Ecclesiæ dãnationi subiaceat*. Idem statuit de (Concil. Toletan. — margin notes beside both Toletan passages)

in-

infantibus, & iudicium amittentibus & concludit. *Quicumque ergo aut de fidelium, aut infidelium numero Corpus Domini, absque ineuitabili, vt dictum est infirmitate reiecerit, si fidelis est perpetua communione priuetur. Si infidelis, & verberibus subdatur, & perpetuo exilio relegetur.* Ex his liquido patet solum panem Eucharisticum moribundis præberi siue potu sanguinis, quando quidem illi pre siccitate laborantes Eucharistiam deglutire non poterant; imò tantam in eo esse seueritatem religionis, vt neque ad degluttiendum sacramentalem panem calicem propinarent. Si enim calix daretur, nulla siccitate laborarent, nec panis eijceretur, cum ad Eucharistiam degluttiendam, & retinendam ille potus remedium esset. Quo testimonio nihil afferri potest euidentius, aut efficacius. Et quidem in hoc sensu Concilij XI. explicauit illum Canonem Concilij Toletani Loaysa, cuius notas adducit Binius, & adducendo confirmat. In quibus obseruandum illum morem recipiẽdi Sacram Eucharistiam in manus à Sacerdote illam populis præbente multis exemplis, & Sanctorum Patrum testimonijs confirmari. Ac præter alios Dionysij Alexandrini Epistola 5. ad Sixtum Papam, quæ extat apud Nicephorum lib. 6. capit. 19. afferri insuper modum accipiendi, & portandi in manibus verbis Cyrilli Hierosolymitani in Mystagogia 5. *Sinistram*, inquit, *veluti sedem subijciens dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concaua manu suscipiebat Corpus Christi.* Citatur etiam Damascen. lib. 4. Orthodoxe fidei cap. 14. & Theodoretus Balsamon super Canones 6. Synodi Canones 36.

Loaysa.

Cyrill. Hierosol.

Damasc.

In Sexta Synodo, quæ Trullana, seu Quinisexta dicitur, & si non sit legitima, sunt tamen multi canones innoxij, & legitimi, ij præsertim, qui in tradendis ritibus versantur: huiusmodi est 21. qui duo habet testimonia hunc errorem idonea. Primum his verbis: *Is qui salutari possessione cælestem dignitatem est assequutus Christum bibens, vel comedens æternæ vitæ adaptatur, animam, & corpus diuinæ gratiæ participatione sanctificat.* Vbi animaduertendum, non poni coniunctiuè illas particulas communionem continentes, ac si alterutra species ad communicandum sufficeret. Hoc enim est, vel bibens, vel comedens, qua ratione nos Catholici solemus hanc nostram Catholicam doctrinam loco illo Pauli defendere, itaque *quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini, &c.* Vbi Paulus disiunctiuè loquitur, quasi alterutra species satis esset, vti postea dicemus ex Tridentino. Secundum illud aliud est, quod pertinet ad consuetudinem accipiendi nudis manibus sacramentum, quod ad potum sanguinis trahi nequit. Hoc autem sequentibus verbis continetur. *Si quis immaculati corporis in Synaxis tempore esse particeps voluerit, & offerre se ad communionem, manus in Crucis formam figurans sic accedat, & gratiæ communionem accipiat. Eos enim qui ex auro, vel ex alia materia loco manus receptacula efficiunt ad Diuini muneris susceptionem, & per ipsa immaculatam communionem recipiunt minimè admittimus, vt qui inanimatam subiectamque materiam Dei imagini præferant.* Hoc certè sanguini applicari non potest; quomodo enim sanguis manu non vasculo, seu receptaculo exciperetur? dum igitur prohibetur ne quis receptaculo vel vasculo vtatur, satis monstrat Concilium loqui de pane Eucharistico tantum, qui nuda manu portari potest excluso receptaculo. De Sanguine autem sermo esse non potest, cum is nonnisi receptaculo deferri posset.

Illustrius testimonium petitur ex multis Concilijs, & Decretis Pontificum, quæ hominibus in Sacris constitutis propter commissa crimina in pœnam assignabant laicam communionem, quod argumentum est duo esse genera communicandi Sacram Eucharistiam: vnum proprium Sacrorum hominum, alterum laicorum: hæc autem alia esse nequeunt, nisi vt prima, & sacra sit vtriusq; speciei, secunda vero, & laica vnius tamē speciei cōmunio sit. Verum quoniam Authores dissentiunt de istis generibus communicandi, & multi sunt qui dicant Sacram communionem eam esse, quæ iuxta altare, & in Choro, ac intra cancellos fieri solebat à Clericis: laicam vero eam esse, quæ extra Chorum, & cancellos altaris solebat fieri à laicis, diligentiùs est quæstio examinanda.

Omnes quidem Hæretici laicam communionem eam esse interpretantur, quæ solo situ, & loco diuersa erat, nulla diuersitate sumpti Sacramenti, cum quibus nonnulli Catholici hac in re consentiunt, ita vt inter Ecclesiasticam, & laicam communionem sola diuersitas loci intercedat. Aliqui tamen ex nostris differre vtramque communionem putant, non solum loco, sed etiam substantia, quod Clericorum sub vtraque specie fieret, laicorum vero sub vna tantum. De loco autem consentiunt, quod constet Laicos extra cancellos, Clericos intra eosdem communicare. Ita sentit Ioannes Ragusinus in Concilio Basileensi, & Bellarm. lib. 4. cap. 24. & Becan. in manual. lib. 1. cap. 9. (Bellarm. Becanus.)

Examinanda seriò res est. Primum communicare sacros viros in choro intra cancellos Altaris, & laicos extra illos constat ex Concilio Toletano IV. Can. 17. *Sacerdotes*, inquit, *& Leuitæ ante altare communicent: in choro Clerus, extra Chorum populus*. Et ex Concilio Bracharensi I. Can. 13. siue 31. inter canones de disciplina Ecclesiastica. *Item placuit, vt intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis viris vel mulieribus, nisi tantum clericis, sicut & antiquis canonibus statutum est*. Vbi antiquitatem huius statuti docet. Nunc videndum an hæc communio veniat sub nomine laicæ communionis, an alia quæ sit sub vna tantum specie? hoc autem ex modo loquendi Conciliorum apparebit. (Concil. Tolet. 4. Concil. Brachar.)

Concilium Elibertinum Can. 76. sic ait. *Si quis Diaconum se permiserit ordinari, & postea fuerit detectus in crimine mortis, quod commisit si sponte confessus, placuit eum acta legitima pænitentia post triennium accipere communionem, quod si alius eum detexerit post quinquennium acta pænitentia accipere communionem laicā debere*. Hoc testimonium non potest intelligi de solo communionis loco, sed necessario intelligendus est de diuersitate communionis, quia Diacono isti confesso, & pœnitenti permittitur accipere communionem suam, idest propriam quæ verba non significant locum communicandi, sed substantiam communionis. Ergo quæ datur in pœnam laica communio, non debet intelligi de loco, sed de communione diuersa. Nam qui dicit Diaconus accipiat communionem, nihil significat de loco, sed de Eucharistia accepta; igitur qui dicit: Diaconus accipiat communionem laicam, de Eucharistia quam accipit loquitur, non de loco vbi eam accipit. (Concil. Elibert.)

In Concilio Sardicensi can. 1. agitur de Episcopo transeunte ex vna ciuitatem in aliam opulentiorem ob auaritiam, & ambitionem: in quem ait Concilium. *Sæuius, & austerius iudicetur, vt nec laicam communionem habeat qui talis est*, & in Can. 2. (Concil. Sardic.)

con-

contra eundem sic habetur. *Omnino has fraudes damnandas esse arbitror, ita vt nec laicam in fine communionem panis accipias.* Hic modus dicendi non potest exponi de communione in Ecclesia extra Chorum, & Cancellos, cum sermo sit de fine vitæ, & de communione per modum viatici, quæ domi in lecto ab ægroto, & morti proximo sumitur. Vnde laica communio hoc loco non potest esse illa quæ in Ecclesia extra chorum fiebat. Necesse igitur est vt sit alia communio quæ tamen alia esse nequit, nisi quæ vna tantum specie sumitur vti apparet.

Hi duo loci perspicui sunt. Iuuantur alijs duarum Epistolarum Decretalium. Harum prima est Siricij, quæ in ordine item prima est, vbi cap. 12. sic dicitur. *Quisquis Clericus duxerit, aut viduam, aut secundam vxorem omni Ecclesiasticæ dignitatis priuilegio mox nudetur, laica sibi tantum communione concessa, quando ita demum poterit possidere, si nihil postea propter quam hanc perdidit admittat.* Illa particula *communione*, & alia illa *perdidit*, non quadrant in locum communicandi, sed in rem communionis, ac proinde significant mutationem in Eucharistia quæ accipitur; non autem in loco vbi accipitur. Siricius.

Fæl. III. Altera Epistola est Fœlicis III. num. 7. in qua de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis rebaptizatis, & postea pœnitentibus loquitur. *Quibus*, ait, *communio laica tantum in morte reddenda est.* Hic locus rem euincit, nam hæc laica communio reddenda in morte, non potest esse illa, quæ fiebat in loco laico, nisi velimus dicere illum Episcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum morti proximum deferendum esse in Ecclesiam, & extra chorum ponendum in lecto, ibique communicandum, quod quàm sit ineptum, & ridiculum non opus est dicere.

Igitur illa communio laica non sumitur in ordine ad locum, sed in ordine ad vnam speciem, qua laici communicabant.

Libet hic mirari audaciam ne? an impudentiam Melancthonis, & Kemnitij? qui nos Catholicos stupidos vocant, dum hæc testimonia de laica communione ad vnam tantum speciem restricta intelligimus. Videamus, quàm sint apti, & sensati. Melancthon interpretatur laicam communionem eam esse, qua vtuntur ij, qui conficiunt corpus, & sanguinem Christi. Ita vt ea pœna esset priuari officio consecrandi, & consumendi sacrificium, quod constat vtraque specie, & redigi ad communicandum cum laicis, qui non conficiunt Sacramentum, sed accipiunt confectum. Hæc interpretatio inepta est, & falsa, nam vt apta, & vera esset, debuisset versari circa Sacerdotes, & Presbyteros tantum, quia soli habent potestatem consecrandi corpus, & sanguinem. At Canones punientes Clericos transgressores non tantum de Sacerdotibus, & Presbyteris loquuntur, sed etiam de Diaconis, & alijs Clericis, qui non consecrant, nec conficiunt corpus, & sanguinem; de his autem non potest intelligi priuari illa communione Sacerdotali, quæ est coniuncta cum consecratione, nec appellari laica potest, sed necessariò est intelligenda alia, quæ non sit Sacerdotalis, ac proinde aliud discrimen ponendum est inter communionem Diaconorum, & laicorum, quod certè aliud esse non potest, nisi quod illa constet vtraque specie, hæc autem ad vnam tantum redigatur. Melanct.

Refutatur item alia ratione ista interpretatio Melancthonis, quia in his textibus opponitur communio, communioni præcisè, vt alia sit sacra, alia laica: at vero illa Interpretatio Melancthonis opponit

lai-

laicam communionem consecrationi, quæ non fuit intentio Conciliorum. Si enim erat eadem communio sub vtraque specie, iam non erāt oppositæ communiones, sed vna communis opposita consecrationi, quod ineptum esse patet. Iam vero Kemnitius qui ad locum recurrit, & in eo distingui ait, quod sacra communio erat in Choro intra cancellos laica vero extra, satis confutatus est, itaque non sumus nos Catholici imprudentes, sed illi Hæretici impudentes.

Kemnit.

Adijcio momenta alijs duobus locis: vnus est ex Concilio Agathensi citatus cap. *Si Episcopus*, dist. 50. vbi dicitur, quod si Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut cartham falsauerit, aut falsum testimonium dixerit, ab officij honore depositus in monasterium detrudatur, & ibi quandiu vixerit laicam tantummódo communionem accipiat. Alter Pelagij Papæ dist. 55. vbi quendam Presbyterum percussorem Diaconi plecti iubet pœna reclusionis in monasterio, laica tantum communione concessa; qui loci significant laicam communionem non pendere à loco laicorum, cum intra monasteria versetur, & ad finem vsque vitæ protendatur.

Concil. Agath.

Pelag. P.

Ac ne putent Hæretici paucos esse huius nostræ sententiæ de communione laica Authores, adducemus aliquos antiquiores, qui hoc nos antea docuerunt. Igitur Abbas Hosius illum Canonem exponit ad illam particulam, *laicam*, *corpus Christi*. Innocentius *viaticum*. Hostiensis *panem benedictum*, *vel Corpus Christi*. Andreas in Nouella idem sentit, quos omnes eruditus ille Raguseus Dominicanus in Concilio Basileensi citauit. In præclara illa de communione sub vtraque specie dissertatione.

Hosius. Hostien. Ragusin.

CAPVT V.

Duo vniuersalia Concilia pro Catholica sententia asseruntur, & quæstio resoluitur.

HAnc veritatem communionis sub vna tantum specie Concilium Constantiense definiuit sess. 13. his verbis. *Licet in primitiua Ecclesia huiusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub vtraque specie, postea à conficientibus sub vtraque, & à Laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur: cum firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum integrum Christi corpus, & sanguinem tam sua specie panis, quàm sub vini specie veraciter contineri. Vnde cum eiusmodi consuetudo ab Ecclesia, & Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissimè obseruata sit, habenda est pro lege quam non licet reprobare, aut sine auctoritate Ecclesiæ pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem, aut legem obseruare sit sacrilegum, aut illicitum, censeri debet erroneum. Et pertinaciter asserentes oppositum præmissorum tamquam Hæretici arcendi sunt, & grauiter puniendi.* Deinde paulo post anathema dicitur ijs Sacerdotibus, *qui communicando populum sub vtraque specie panis, & vini exhortati fuerint ad eam ita sumendam, & sic faciendum esse docuerint.*

Concil. Constan.

Tota hæc doctrina quoad omnes suas partes clarè, ac distinctè traditur à Concilio Tridentino sess. 21. cap. 1. quo testimonio nihil esse potest aduersus Hæreticos perfectius. Illud ergo oportet adducere, nihil enim desideratur in Concilio siue ad confirmandos Catholicos, siue ad hæreticos refutandos. Sic ergo Sancta Synodus sess. 21. cap. 1. *Itaque Sancta ipsa Synodus à Spiritu sancto ipsius Ecclesiæ iudicium, & consuetudinem secuta, edocta, declarat, ac do-*

Concil. Trident.

docet nullo diuino præcepto laicos, & clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub vtraque specie sumendum, neque vllo pacto salua fide dubitari posse quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat; nam & si Christus Dominus in vltima Cœna venerabile hoc Sacramentum in panis, & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit, non tamen illa institutio, & traditio eò tendunt, vt omnes Christi fideles statuto Domini ad vtramque speciem accipiēdam adstringantur. Sed neque ex sermone illo apud Ioannem 6. rectè colligitur vtriusque speciei communionē à Domino præceptam esse, vtcumque iuxta varias Sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis, dixit quoque, si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Et qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam: Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Et denique qui dixit. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo, dixit nihilominus. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Hoc caput esto pro doctrina.

Addo Canonem eiusdem sess.21. Secundum *Si quis dixerit Sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis, & rationibus adductam fuisse, vt laicos atque etiam Clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.* Et Can. item 3. *Si quis negauerit totum, & integrum Christum sub vna specie sumi, quia vt quidam falsò asserunt, non secundum ipsius Christi cōstitutionem sub vtraque specie sumatur, anathema sit.* Nec omittendus est Can. 1. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes, & singulos Christi fideles vtrãque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.*

Ex his constat non esse præceptum diuinum de vtraque specie sumenda: imò licitum esse vsum vnius speciei, & Ecclesiam rectè decreuisse, vt vulgaris communio in vna tantum specie fieret, & docuisse sub alterutra specie non minus esse, quam sub vtraque, cum in altera sit totus Christus. Hæc autem omnia statuerat prius Concilium Constantiense.

Post hanc doctrinam superest videndum, an licita, & vsitata fuerit in Ecclesia vtriusque speciei communio? Et quidem multis exemplis constat licitam, & vsitatam in multis Ecclesijs fuisse.

Probatur primo ex oratione Nazianzeni in funere sororis suæ Gorgoniæ in qua affirmat eam domi suę habuisse Antitypa corporis, & sanguinis Christi. Quo vocabulo intelligitur Eucharistia sub vtraque specie. Probatur secundo ex epistola Chrysostomi ad Innocentiū I. Papam, in qua narrat occasione tumultus Constantinopolitani exortos milites militari licentia fregisse sacraria, & vasa sacra, vnde sanguis in eorum vestes effusus; nam hic alius esse nō potuit nisi sanguis Eucharisticus ibi cum Eucharistico pane asseruatus. Id etiam patet ex testimonio Victorini lib.1. de persecutione Vandalica, & Sophronio in prato spirituali c.48. Et quanquam Vasquez non vult ex epistola Chrysostomi, & oratione Nazianz. rem hanc probari, vt contendit disput. 216. cap.3. & disp. 197. cap.4. ego tamen cum Bellarmino, & Becano contra sentio. Nam ille sanguis apud Chrysostomum effusus, non fuit alius nisi Eucharisticus. Etenim affirmare quod, inquit Vasquez, illum sanguinem fuisse collectum ex mi-

Naziang. Chrysost. Vasquez.

miraculo crucifixi apud Berythum res est longè petita,& liberè assumpta. Præterea ille sanguis effusus custodiebatur in Pastophorio, seu Sacrario, qui erat locus destinatus Eucharistiæ. Accedit,quod Chrysostomus aduertit multos ex illis militibus nullis mysterijs initiatos esse, qua particula indicauit eorum irreuerentiam erga mysteria, quo nomine Eucharistia solet significari. Non item de loco Nazianzeni melius sentit, nam illud vocabulum Antitypon tantundem valet, atque Sacramentum Eucharistiæ. Illud enim *Anti* significat *pro*, hoc est, species sacramenti, præsertim quia Vasquez non negat ibi fuisse reliquias Eucharistiæ. Quod si reliquiæ erant, corporis erant, & sanguinis. Verum quia ij loci in dubium vocantur, afferamus alios indubitatos. Primus esto Cypriani lib.1. epistolarum epist.2.quæ nunc est in ordine 54. vbi loquens de ijs, qui in martyrio defecerant, & postea resipuerant, & ad martyrium accedebantur, sic ait: *Quomodo docemus, aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegemus, aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini iure communionis admittimus?* Quæ verba manifestè significant eo tempore solere catholicos speciem item sanguinis sumere, ac ex illa consuetudine ius ad eum sumendum habere. Ac ita sentit Vasquez disp. 216.cap.6. Secuncundus locus sit Hieronymi ad Rusticum epistola 4. de Exuperio Episcopo Tolosano: *Nihil ditius*, inquit, *quàm qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro*. Quo quid potest esse manifestius? Tertius S. Gregorij Papæ lib.3. Dial. cap.36. vbi refert Maximianum Syracusanæ ciuitatis Episcopum in mari Adriatico tempestate iactatum cum socijs pace inter se mutuo data corpus, & sanguinem Redemptoris accepisse.

Cyprian.

Hieron.

S. Greg.

Præter hos locos patet ex D. Th. 3. p. q.80. art. 12. in multis Ecclesijs vsum fuisse vtriusque speciei, & in multis item vnius vsum frequentatum. Concilium Constantiense id manifestè fatetur in eo Decreto, in quo prohibet ob iustas causas cōmunionem sub vtraque specie; sic enim ait sess. 13. *Licet in primitiua Ecclesia huiusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub vtraque specie, &c.* Consentit Concilium Tridentinum sess.21. in simili Decreto vetante communionem sub vtraque specie; ibi enim sic: *Licet ab initio Christianæ religionis non infrequens vtriusque speciei vsus fuisset, &c.* Quod quidem animaduertit Vasquez disput.216. cap.4. vbi sic: *Imprimis quidem à tempore Concilij Cōstantiensis vsum calicis vetitum fuisse certum est; ita enim prohibitum est sess.13. & Martinus V. in epistola ad ipsum Concilium eundem prohibuit, & postea in Concilio Basileensi sess.30. & tandem in Concilio Trid. sess.21. cap. 1. Nullam autem antiquiorem legem fuisse, qua vsus calicis laicis prohiberetur, manifestum est: ac proinde non mirum si tempore D. Thomæ in aliquibus Ecclesijs Latinorum adhuc vigeret vsus communionis sub vtraque specie, sicut planè ipse affirmat in hoc art.12.* Nullum autem esse errorem in communicando sub vtraque specie, ex obiecto apparet, quia Græci schismatici seruarunt olim,& seruant hodie hunc morem, nec tamen ob id reprehensi sunt à Concilio Florentino, nec ab eo id genus communicandi Græcis prohibitum fuit, quia vt inquit Vasq. disp. 216. cap.3. *ipsi sine errore ea communione vtuntur*. Cur autem & quatenus, & quo tempore Ecclesia vsum vtriusque speciei prohibuerit, iam dicetur.

D.Thom

Concil. Constan.

Concil. Trident.

Vasquez.

CA-

CAPVT VI.

Cur Ecclesia Latina vsum Calicis Laicis prohibuerit, & an rectè egerit prohibendo, nec ne?

ANte Constantiense Conciliũ nullam esse legem vetantem vtriusque speciei communionem proximè cum Vasquez aduertimus. Initium ergo in Concilio Constantiensi statuti prohibentis tãquam in fonte inuenimus. Ibi etiam causam præcipuam reperimus, quam verbis
Conc. Const. Concilij afferre volo. *Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerariè asserere præsumant: populum Christianum debere sacrum Eucharistiæ Sacramentum sub vtraque specie panis, & vini suscipere, & populum laicum passim communicent.* Et paulo post: *Sancta Synodus decernit, & declarat, vt effectualiter puniantur contra hoc decretum excedentes, communicando populum sub vtraque specie panis, & vini, & qui exhortati fuerint, & sic faciendum esse docuerint.*

Conc. Trid. Eadem in Tridentino ratio proponitur sess. 21. cap. 1. & can. 1. vbi declarat, ac docet nullo diuino præcepto laicos, & clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub vtraque specie sumendum, neque vllo pacto dubitari posse, quin illis alterius speciei cõmunio ad salutem sufficiat.

Secunda ratio petitur ab hæresi, quæ ex vtriusque speciei sumptione orta fuit, nimirum plus esse in vtraque specie, quam in alterutra, ac proinde sub vna specie non totum, & integrum esse Christum. Quæ à Concilio Constantiensi sess. 13. af-
Const. fertur ad cõfirmandum nullum esse præceptum sumendi Eucharistiam in duplici specie, *cum firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandũ integrum Christi corpus, & sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri.* Quibus verbis significauit hanc vnam fuisse ex causis, cur vsum calicis Ecclesia abstulerit, quam etiam Tridentinum Concilium expressit sess. 21. cap. 3. his verbis. *Insuper declarat, quòd* Trid.
Redemptor noster in suprema illa cœna hoc Sacramẽtum duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit; tamen fatendum esse etiam sub altera tantum specie totum atq; integrum Christum, verumque Sacramentum sumi, ac propterea quod ad fructũ attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui vnam speciem solum accipiunt. Idque magis patet ex canonibus subiunctis in quibus anathema dicitur ijs, qui aiunt illud præceptum de sumenda vtraq; specie esse diuinum, & ijs qui negant tãtundem esse sub vna specie quantum sub duabus.

Tertia ratio prohibendi fuit, tollere hæresim eorum qui negabant potestatem esse in Ecclesia ad præcipiendum talem modum communicandi sub vna tantum specie. Hanc tradit manifestè Tridentinum illa sess. 21. cap. 2. sic: *Præterea declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorum dispensatione salua illorum substantia ea statueret, vel mutaret quæ suscipientiũ vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret.* Et postquã id ex loco Pauli 1. ad Cor. 11. probauit, pergit dicens. *Quare agnoscens Sancta Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ Religionis non infrequens vtriusque speciei vsus fuisset, tamen progressu temporis latissimè iam mutata illa consuetudine grauibus, & iustis causis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbauit, & pro lege habendam decreuit.*

Apparet igitur has hæreses fuisse in causa, cur Ecclesia vsum calicis prohibuerit; quia antequam illæ orirentur permittebat vtriusq; speciei communionem. Imo vti obseruat Turrianus lib.8. Const. c. 13. ideò Apostoli initio Ecclesiæ vsum calicis populo concesserunt, vt futuram hæresim Manichæorũ præcauerent, qui verum corpus, & sanguinem Christi negaturi erant. Et mihi sanè placet quamuis Vasquez disp.216. cap.4. num.41. & 42. Turrianum impugnet, quòd dicat, satis ad id esse solius hostiæ communionem, in quo sanè minus vidit. Nam Manichæi expressè negabant sanguinem Christi, & ab vsu calicis abstinebant, & solum corpus accipiebant, vt supra ostensum est. Quare non satis occurrebatur eorũ errori vnius tantùm corporis communione. Quin etiam ex Leone Primo ser. 4. de Quadragesima apparet Manichæos à sanguine abstinuisse, & non satis distingui à Catholicis per solam hostiæ sumptionem. In eo rectè sentit Vasquez, quòd ait ab initio Ecclesiæ vsque ad tempus Concilij Constantiensis permissum fuisse vtrunque modum cõmunicandi, quia nullæ tunc temporis hæreses ex eo vsu ortæ fuerant, atque adeò vtraque species innocenter sumebatur. Verum exortis postea Boemorũ erroribus paulò ante Constantiense Concilium, necesse fuit mutare vsum, & calice abstinere propter abusus exurgentes.

Vasq.

Leo I. P.

Quod autem quidam aiunt Iulium Papã I. abstulisse vsum vtriusque speciei, quia prohibuit ne panis intinctus sanguine communicantibus præberetur, vti patet ex eius epistola ad Episcopos per Aegyptũ, quæ refertur de consecratione distinct.2. can. *cum omne*, id certè non constat, nec ex eo loco probatur, quia Pontifex non vetat vsum calicis, sed vsum illius panis intincti, qui pro complemento communionis porrigebatur, vt apparet ex verbis epistolæ. *Audiuimus alios intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere*, non esse autem isto modo dandam Eucharistiam liquet ex eo quod Iulius ait, *intinctum panem alijs Christum præbuisse non legimus, excepto illo tantum discipulo quem intincta buccella Magistri proditorem ostenderet, non quæ Sacramenti huius institutionem significaret*. Quod obseruat Vasquez disp. 216. de Eucharistia c. 1. & Enriquez lib.8. c.44.

Iul. I. P.

Vasq.
Henr.

Non est tamen negandum illum panem intinctum, qui dabatur eo tempore catholicis esse intinctum vero Christi sanguine, atque adeò Eucharistiam esse. Nam & ita Moscouitas, & Abyssinos, & Aegyptios communicasse refert ex historicis Henriquez: qui item obseruat Monachos S. Bernardi tingere hostiam sanguine ante quam sumant, sed vetuit Pontifex eo modo dari quando nihil pertinebat ad Eucharistiam. Idem autem vsus, seu abusus ita communicandi pane intincto sanguine patet ex 3. Concilio Bracharensi cap.1. in quo istud Iulij Papæ decretum ijsdem verbis ponitur, & ijs reprehenditur hæc consuetudo, quæ tunc in Hispania esse videbatur. Quem item morem viguisse in quodam Monasterio, cuius Monachos ob eum taxat Petrus Damianus Epistola 64. constat. In ea enim obiecto isto Iulij I. Pontificis canone acriter Petrus Damianus eos reprehendit. Quomodo autem dicatur in textu, pro complemento communionis, duobus modis potest intelligi. Primo vt complementum communionis dicatur respectiuè ad comunionem Sacerdotis in Missa, & aliorum clericorum, quos ipse intra cancellos de pane, & calice cõmunicabat, ita vt quæ postea fiebat

Conc. Brac.

com-

communio extra cancellos à laicis, Complementum communionis appellaretur. Secundo vt facta iam communione omnium & clericorũ, & laicorum rursum pro cõplemento illius, ille panis intinctus sanguine populo iam communicato seorsim daretur; quod argumentum est Populum antea de solo pane Eucharistico communicasse, cui idcirco illa mixtio per intinctum sanguine panem præbebatur. Verum quidem est Græcis in Ecclesijs suis interdum permitti sumere corpus Christi intinctum sanguine.

Hic fuit primus finis cur Ecclesia vsum calicis abstulit propter causas hæresum ex sumptione vtriusq; speciei prouenientium. Secundus finis, seu causa ducitur ab incommodis quæ sequebantur ex communione sub vtraque specie, quæ oportet numerare. Primum est discordia in vsu communionis sub vtraque specie: nam quidam vel natura sua sunt abstemij, & vinum bibere non possunt, vel in suis regionibus eo prorsus carent, qui non possunt calicem potare, vel non nisi magna difficultate copiam vini ad id habere, vnde sequitur discordia in forma communicandi, alijs sub vna specie, alijs sub duplici communicantibus, quod incommodum egregiè expendit Bellarmin. lib.4. cap.28. & Vasquez disp.216. cap.4. & Henriquez lib.8. c.44. Bellar. Henr.

Secundum sumitur ex probabili periculo effundendi, & spargendi sanguinem, præsertim in tanta communicantium multitudine, qua concurrente fieri solet perturbatio, & tumultus, & ex eo periculum existit effusionis sanguinis, quod ijdem obseruant authores, ac imprimis Ioannes Ragusius à quo id accuratè monstratur testimonijs Pij Papæ I. & Augustini, & Conciliorum. Raguſ.

Tertium; quia debet dari aliqua differentia inter Clericos, & Laicos in communicando, præsertim quia potatio sanguinis ex calice minus decet fœminas, & pueros, ac proinde conuenit, vt relinquatur communio sub vtraque specie Sacerdotibus; & Laicis, & reliquis clericis sub vna tantum specie præbeatur, quod ponderat Ragusius ex Alberto de Padua serm. 4. feriæ quintæ maioris hebdomadæ. Hæc autem & alia incommoda referuntur, & confirmantur exemplis ab Aenea Syluio in Dialogo de communione sub vtraque specie, & Legatis Basileæ & Boemorum in Egra oppido Germaniæ vbi super hac re cõuenerant, vti notat Vasquez citatus. Hæc autem incommoda refert Becanus l.1. Manual. c.8. concl.8. Padua. Aeneas. Sylu. Becan.

Hinc manifestè apparet quantæ vtilitatis sit huiusmodi lex Ecclesiastica de communione sub vtraq; specie, cum auferat hæreses, & remoueat impedimenta. Et quidem summa vtilitas est ista concordia in modo cõmunicandi per vnam speciem: nam dum aliæ Ecclesiæ alio modo, illæ sub vna, illæ sub duplici specie communicant, dissidere inter se videntur, & Ecclesiam Catholicam in partes trahere, vti grauiter animaduertit Bellarminus l.4. c. 28.

Hæc ratio tãti est, vt vel propter eam maior pars Concilij Tridentini, vt constat ex relatione Episcoporum, qui interfuerunt inclinaret ad negandum Boemis priuilegium communicandi sub vtraque specie, vt omnes, ait Henriquez, sequerentur consuetudinem Ecclesiæ vniuersalem. Henr.

Vltimò adijcio idoneam rationẽ, quia his temporibus cessauit causa cur Ecclesia omnibus promiscuè vsum calicis concedebat. Erat autem causa, quia tunc feruebat persecutio in Christianos, quos decebat armari sanguine Christi, & accendi ad martyrium accepto illo sanguine Christi capitis martyrum,

August. vti vocat Augustinus, cumque omnes fideles, & sacri, & laici, & viri, & fœminæ, & pueri, & senes sanguinem suum pro Christo funderent, iure illum ad potum communicantes deposcebant. Quod signi- Cypr. ficat sæpè Cyprianus epistola 36. de lapsis.

CAPVT VII.

Argumenta Hæreticorum proponuntur, & soluuntur.

PRimum ex præcepto diuino quod magna vi hæretici obijciunt, iam satis est supra & inculcatum, & solutum, præsertim ex Tridentino Concilio, quod illa sess. 21. cap. 3. illud posuit, & diluit. Id tantum adijcio, duo esse, in quo vim faciunt aduersarij, alterum quod in Ioann.6. illo præcepto. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem*, particula *Et*, natura sua coniunctiua non potest commodè disiunctiuè per particulam *Vel*, explicari; alterum, illud esse præceptum vniuersale pro omnibus, vti est illud baptismi Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*. Nos vtrumque negamus, & primum refellimus exemplo Scripturarum, vbi particula *&*, pro *vel*, Bellar. Vasq. disiunctiuè ponitur. Afferunt exemplum Bellarminus, & Vasquez text. illum Act. 3. in quo Petrus, *argentum*, inquit, *& aurum, non est mihi*. Quem locum multum commendat Vasquez disp. 216. cap. 5. Sed ille mihi tamen minus probatur. Primo, quia non est lex, nec præceptum. Secundo, quia ille modus loquendi non rectè exponitur per particulam, *vel*, sed per particulam, *nec*, est enim sensus: *nec argentum, nec aurum est mihi*. Præterea, quia qui negat vtrumque à fortiori negat alterum, quod non procedit in alijs rebus, quæ affirmantur. Tandem, quia in hoc exemplo negatio cadit super rem, & vtraque res immediatè negatur. At in testimonio Euangelij. *Nisi manducaueritis*, negatio cadit in personas, & coniunctio in res præceptas, carnem, & sanguinem. Vnde hic locus non omnino conuincit. Alius est optimus, quo authores vtuntur communiter, qui huiusmodi est. *Si quis maledixerit patri, & matri morte moriatur*, vbi illa coniunctio, *&*, disiunctiuè debet intelligi vt pro altero ponatur, satis enim est maledicere patri, vel matri ad delictum committendum, & pœnam incurrendam, nisi fortè velint hæretici dicere, nisi vterque parens maledicatur non peccari, quod sanè ineptũ est. Hic modus explicandi traditur præter alios à Toleto, & Maldonato in cap. 6. Ioannis. Tol. Mald.

Soluitur igitur argumentum primo, affirmando locum illum intelligi disiunctiuè, vt satis sit vel hanc, vel illam speciem communicando sumere. Secundo modo soluitur dicendo illud præceptũ dato quod obliget coniunctiuè non opus esse impleri ab omnibus, sed ab aliquibus, quod satis est ad sustinendam loci interpretationem. Quemadmodum rectè exponitur ille locus Gen. *Crescite, & multiplicamini*, in quo Deus videtur præcipere toti hominum generi in primis parentibus repræsentato, vt matrimonium celebrent, & liberos gignant; cum tamen satis fuerit ad illud implendum, quòd aliqui matrimonio copularentur, non autem omnes, cum multi sunt Virgines, & Cælibes, & hoc modo interpretatur Augustinus. August. Tertio modo soluitur dicendo in vna tantum specie vtrumque sumi & carnem, & sanguinem, cum in alterutra totus sit Christus, itaque in re eadem est sumptio. Illud verò quod obijciunt ex præcepto Baptismi, nisi quis renatus fuerit, non po-

potest applicari huic loco, nisi manducaueritis, nam illa necessitas baptismi est necessitas simpliciter, & medij, nemo enim sine baptismo saluari potest. At verò necessitas Eucharistiæ non est necessitas, nisi præcepti, atque adeò ratione materiæ deficit comparatio. Deinde illa verba, nisi quis renatus fuerit, in tertia persona ponuntur, & pertinent ad omnes, quia nemo est incapax baptismi, siue adultus, siue paruulus; at verò hæc verba, *nisi manducaueritis*, cum sint in secunda persona magis restringuntur in sensu, præsertim quia manducare, & bibere ad infantes non pertinet. Tandem quia Baptismus non requirit actionem propriam baptizati, sed tantum passionem cuius nemo incapax est, at verò manducatio Eucharistiæ actio est, cuius infantes non sunt capaces.

Ragus. Alij aliter soluunt vti doctè expendit Raguseus in Concilio Basileensi explicando præceptum quidem esse, & vniuersale, sed tamen intelligendum de manducatione spirituali ad quam omnes fideles obligantur, qui per vnionem fidei, & charitatis concorporari Christo, & cum eo vnum esse debent, idque probatur ex multis Patribus, ex quibus nonnulli cum quibusdam interpretibus cap. Istud 6. Ioannis de spirituali communione interpretantur. Quod etsi ego non probo, probo tamen illud de manducatione spirituali, quæ in omni sententia admittitur.

Secundum argumentum sumitur ex damno quod affertur sumenti vnam tantum speciem. Huic enim subtrahitur maior gratia, & maior fructus, qui ex vtraque specie capitur: supponit quippe argumentum augeri gratiam per vtramque, & illud augmentum per vnicam tantum speciem auferri. Huic argumento respondetur duobus modis. Primò negando assumptum, idest augmentum illud gratiæ ex vtraque specie, & quidem meritò. Nam si sub vna specie sumitur totus Christus, tantundem sumitur quantum sumitur sub vtraque, idque satis patet ex dictis, & latè confirmat in Basileensi Concilio Ragusæus, & aptè Henriquez lib. 8. cap. 44. vbi adducit ex exemplum Mannæ pro Israelitis; & melius probatur ex Baptismo, in quo qui vno vrceo baptizatur non minus accipit gratiæ, quam qui integra amphora baptizatur, nec ille qui semel immergitur minus gratiæ percipit, quam qui ter mergitur in Baptismo. Quod exemplum idoneum est; & eo confirmatur Ecclesiæ præceptum reducentis ad vnam tantum speciem Eucharistiæ sumptionem. Olim enim in Ecclesia vsitata fuit ex præcepto Apostolorum can. 40. vel 49. trina immersio, vti apparet ex Tertulliano lib. de corona militis cap. 3. & lib. 2. ad Praxeam; & Cyrillo cathechesi 2. & Basilio homilia prima de Baptis. & de Spiritu Sancto, & Hieronymo contra Luciferianos, & in prologo ad Epist. ad Ephesios cap. 3. & 4. & Gregorio lib. 1. Epistolarum Epistola 41. ad Leandrum, qui tamen mos non obstitit, quo minus Ecclesia in varijs regionibus vnam tantum mersionem vsurparet, vti apparet ex Concilio Toletano 4. can. 5. qui statuit, vt vna tantum mersione conferatur Baptismus ad designandam vnitatem mortis Christi. Itaque similiter decreuit, vt ille mos communicandi in vtraque specie in vnam solum speciem mutaretur. Alio item vti volo exemplo argumentando à contrario: Sacramentum extremæ vnctionis non perficitur nisi per omnes vnctiones, nec communicat gratiam Sacramentalem, nisi vltima applicata, sic à contrario posita vna specie Eucharistiæ, non est alia expectanda, sed illa vna con-

Henr. Tertull. Cyr. Hier. Gregor.

confert totam gratiam ex opere operato, quam vtraque species solet conferre, per illam enim tantum speciem perfectum est Sacramentũ. Hæc prima solutio est conformis Concilio Tridentino sess. 21. can. 1. dum ait: *sub vna tantum specie sumi Christum omnium gratiarum fontem.* Estque communis Theologorum doctrina duce D. Thoma quæst. 80. art. 12. & opusc. 58. cap. 29. & Bonauentura in 4. distinct. 11. part. 2. art. 1. q. 2. quos sequuntur Interpretes inter quos est Suarez, & Layman. Quare in Basileensi Synodo teste Ruardo ea lege concesserunt Patres Bohemis vsum calicis, vt non dubitarent quin tantus fructus ex vna, quam ex duplici specie perciperetur.

Conc. Trid. D.Tho. Bonau. Riuard.

Secunda solutio est: admittendo maiorem gratiam dari per vtramque speciem, quam per vnam: in qua sententia est P. Vasquez disp. 215. cap. 2. qui eam probat ex Alexandro, & alijs, negando tamen argumento sequi ex eo non rectè egisse Ecclesiam vsum calicis auferendo. Et in primis probatur solutio, quia nulla diminutio gratiæ necessariæ ad salutem fit per illã subtractionem, vti definit Concilium Tridentinum sess. 25. can. 3. his verbis, *ex qualibet specie percipitur tantum eius fructus quem Catholici in Sacramento quærunt, quantum necessarium est ad salutem.* Hæc ante definierat Concilium Moguntinum sub Sebastiano cap. 32. *Nemo*, inquit, *fidelium dubitet illum sub vna specie communicandi morem ad salutem sumentium, æque vtilem, & efficacem esse quàm alterum sub vtraque.* Hoc igitur supposito iam constat nullam iniuriam fieri catholicis, cũ nihil gratiæ necessariæ auferatur, vnde rectè argumento respondetur, tanta bona sequi ex illa subtractione calicis, vt multò plus ponderent, quam illud paruum augmentum gratiæ, quod prouenit ex vtriusque speciei sumptione. Sunt autem ea bona: vitare hæreses, effugere periculum effusionis sanguinis, maiori decentia Sacramentum tractare, & iustam differentiam introducere inter sacerdotalem, & laicam communionem, quæ redundant in communem vtilitatem totius Ecclesiæ, atque adeò multo maius põdus habent, quam exiguum illud gratiæ augmentum: vti videre est in Bellarm. Vasquez, Henriquez, & Beccano, & præcipuè in illo Dominicano Raguseo, qui hæc omnia accuratè prosequitur, & à nemine citatur.

Vasq. Concil. Trid. Concil. Mogunt. Bellar. Becan. Ragus.

Tertium sit: non satisfit æquè benè intentioni Christi Domini per sumptionem vnius speciei, atque per sumptionem vtriusque: ergo vtraque species est sumenda. Probatur assumptum, primo quia Christus quando communicauit Apostolos, præbuit illis panem, & vinũ consecratum, & dixit, *hoc facite in meam commemorationem*, vtramque speciem præcipiens posteris fidelibus. Probatur secundo, quia in eadem Christus propinauit calicem omnibus discipulis dicens, *bibite ex illo omnes*, vbi particula *omnes* ad omnes fideles pertinebat. Probatur tertio ex Paulo prima ad Corint. 11. dum ait, *ego enim accepi à Domino quod, & tradidi vobis*, tradidi autem vtramque speciem, perspicuè enim dixit, *si de pane illo edat, & de calice bibat*, quod omni fideli dictum est. Ex quibus locis hoc argumentum ratione deducitur: communio fidelium instituta est in cœna ea ratione, qua data est Apostolis ad repræsentationem, & memoriam mortis Christi, cuius Eucharistia symbolum est: Mors autem cum fuerit sacrificium vtramque speciem includit propter diuisionem animæ, & sanguinis à corpore, in quo propriè consistit ratio sacrificij. Vnde sequi-

1. Cor. 11 Polyd.

quitur communionem debere ea ratione fieri, qua fuit instituta, seruando repræsentationem sacrificij crucis, ac proinde vtramque speciem corporis, & sanguinis. Hoc argumento præcipuè nituntur hæretici Lutherus, Brentius, Philippus, teste Vasquez disp. 216. cap. 5. & Caluin. Authore Beccano in manuali, & ante eos omnes Bohemi in Concilio Basileensi, vt apparet ex disp. Ragusæi.

Vasq.

Hoc argumentum sic soluitur per partes. Primus locus in sententia Caluini nihil habet difficultatis, quia ille eum intelligit de solis Ecclesiæ ministris, qua ratione non pertinet ad laicos. Contra Lutheranos igitur, qui eum ad omnes extendunt, explicandus est; dicimus ergo Christum cum Apostolis tantum, quos instituebat Sacerdotes, locutum fuisse, & de potestate sacrificandi, & de communione sacerdotali intelligendum, quod significat vox illa *facite*, quæ in proprietate sermonis latini significat sacrificare. Vnde apparet illud præceptum, si tamen erat præceptum, nihil habuisse commune cum laicis, sed tantum cum Apostolis, & hominibus sacerdotio initiatis. Præterea quod aduertit Becanus, præceptum fuit de Christo, vt quicquid fieret in eius fieret commemorationem, ita vt præceptum non caderet super materiam, & obiectum, sed super illam cõmemorationem, quæ facienda erat, supposito, quod facerent, & sacrificarent: eo sensu, quo Christus dixit, *si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes*. Vbi conditio se tenet ex parte præcepti, siue consilij, quo supposito vendenda erant omnia; non autem absolutè. Tertiò melius respondetur cum P. Vasquez, dato quod esset præceptum, satis esse vt per aliquos impleatur. Ita Lutherani refutantur.

Calu.

Becan.

Vasq.

Secundo loco ex cap. Matth. 26. *Bibite ex eo omnes*, quem vrget Caluin. lib. 4. institut. cap. 17. Respondetur illud *omnes* referri ad Apostolos, & Sacerdotes, vti proximè diximus. Facilius est autem respondere huic loco, quia vti patet ex textu, cum vnus tantùm calix esset, & multi essent qui ex eo biberent; necesse fuit Christum dicere, vt biberent omnes; ne vnus toto hausto calice de reliquijs nihil relinqueret. Instant tamen Caluinistæ: dum Christus dixit, omnes, intelligendũ esse de omnibus prorsus fidelibus, quod enim Apostolis dicebat, omnibus dicebat, quemadmodũ mentem suam aperuit Marci 13. *quod vobis*, inquit, *dico, omnibus dico*. Sed retorquetur instantia, Christus enim quãdo voluit de omnibus loqui mẽtẽ suã expressit, dicens pro omnibus intelligendum esse. At verò hic cum se hoc modo non declarauerit noluit de omnibus intelligi. Præterea res illa, de qua loquebatur per Marcum pertinebat ad omnes, pręcipiebat enim vigilare. At verò quando dixit *bibite omnes* non præcipiebat rem, quæ omnibus conueniret, multi enim sunt abstemij, & infantuli, & vino carentes. Mar. 13.

Tertiò loco occurritur dicendo illam particulam *tradidi vobis*, non propriè cadere super communionem vtriusque speciei, nec vnius speciei, sed super historiam consecrationis Eucharisticæ, ex qua communio sequebatur, hanc autem fieri posse sub vna specie tradidit etiam Paulus eo loco dum ait: *quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem indignè*. Vbi species disiunctiuè ponuntur. Et ita explicant istos locos citati superius authores.

Ad argumentum rationis respondetur: Eucharistiam esse sacrificiũ, & sacramentum; vti sacrificium, necessario includere panem, & calicem

licem cum distinctione diuisos ad repræsentandam separationem: vti communionem, non includere duas species, sed satis esse vnam tantum, quæ vtramque contineat vnitam, quia cum communio fiat ad vnionem cum Christo, melius repræsentatur in vna specie, quam in duabus. Non negamus tamen fieri communionem in memoriam passionis instar sepulturæ Christum recipientis, non sacrificantis.

CAPVT VIII.

Appendix difficultatum, & terminus Quæstionis.

VRgent Hæretici, & obijciunt PP. Ignatium epist. ad Philadelphios, vbi ait. *Vnus calix omnibus distributus*, sed hæc lectio falsa est cum vera sit, *vnus calix totius Ecclesiæ*. Opponunt alios. Tertullianum lib. de resurrect. c.8. Origenem hom.16. in Numeros. Cyprianum lib.2. epist.2. seu 54. Hieronymum in cap.2. Malachiæ. Augustinum in qu. 57. in Leuiticum, qui perspicuè fatentur potum sanguinis. Non negamus hos Patres loqui de vsu calicis ijs temporibus, quando erat permissus præcipuè propter Martyres, qui sumpto Christi sanguine confirmandi erant ad martyrium.

Ignat. Tertull. Origen. Cypr. Hier. August.

Nullum est hac in re fortius testimonium, quam illud Gelasij Papæ in Epistola ad Maiorem, & Ioannem Episcopos, & refertur de consecratione distinctione prima, capite Comperimus. Qui reprehendit communionem sub vna tantum specie panis, idque superstitionem vocat, & præcipit integra Sacramenta percipere, *quia*, inquit, *diuisio vnius, & eiusdem mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire.* Hic locus difficilis est ob istam rationem, quæ sacrilegium appellat diuisionem vnius speciei ab alia, & ostendit ambas esse necessarias in communione sicut in sacrificio.

Ioan. 6. Gelas.

Vasquez vt respondeat, aduertit hanc epistolam nõ inueniri in tom. epistolarum Gelasij. Sed hoc est effugere argumentum, & negare canonem decreti communiter receptum à Gratiano, & cæteris compilatoribus. Deinde dato non esse Gelasij, est tamen idonei authoris, quare exponendus est locus. Bellarm. igitur, & Vasquez eum citans, & sequens disp.216.cap.6. num.77. ait sermonem hic esse de Sacerdotibus nolentibus celebrare abstinentiæ causa ne vinum gustarent. Frigida, & timida expositio. Ecquis enim credat Sacerdotes ordinatos nolle cõsecrare, ne calicem potent? Si enim abstinere eo modo vellent ordinari non debuissent. Præterea vnde constat huiusmodi Sacerdotes nolle calicem sumere propter abstinentiam? Tandem quid debebant agere consumpta iam hostia, & relicto calice, qui aut proijciendus erat, aut in sacrarium reponendus? Vnde non videtur hæc solutio probabilis. Igitur de communicantibus extra Missam loquitur Gelasius, & apparet ex verbis, *sumpta corporis sacri portione*, vbi particula *portio*, videtur alias portiones respicere ab alijs accipiendas.

Vasq.

Quare alij aliter soluunt, quos refert Vasquez dicentes Gelasium reprehendere laicos Manichæos, qui communicabant sub sola specie panis. Verum non puto cogitasse Gelasium de Manichæis, quando eam legem dabat; nec de illis intelligi potest illud præceptum, vt integra Sacramenta percipiant; nec enim Gelasius permitteret Manichæis communicare in hæresi Eucharistiam. Loquebatur ergo de Catholicis.

Hoc supposito respondeo Gelasium reprehendere Catholicos, qui de-

cepti à Manichæis more illorum solo pane communicabant, credentes sanguinem non esse bibendum ex errore Manichæorum. His igitur præcipit bibere sanguinem, vt consentiant Catholicis credentibus in Christo fuisse verum corpus, & verum sanguinem. Confirmatur hæc solutio ex antea dictis de Leone Papa, qui prohibuerat Manichæis, qui se fideles fingebant Eucharisticum panem communicare repudiato sãguine, quem horrebant, vti apparet serm. 4. de quadragesima. Hoc exemplum multum facit ad nostrã doctrinam, quia sicut hi Pontifices ad auertẽdum errorem Manichæorum statuerunt, vt fideles sub vtraque specie communicarent, quando erat periculum errandi circa veritatem sanguinis, ita alij Pontifices postea prohibuerunt calicis vsum, quando exortus est error negãtium Christum in singulis speciebus totum, & integrum esse.

Leo P.

Excogitarunt à ratione aliud argumentum Hæretici. Communio est instar Conuiuij, quia datur in ea panis Eucharisticus in cibum, & sanguis in potum, & in mensa fit apposito linteo per modum conuiuij. Et ita in sacris litteris per multa Conuiuia fuit Eucharistia figurata, & Propheta Isaias prophetice Conuiuium appellauit. At in Conuiuio non solus cibus, sed etiam potus apponitur. Vnde Christus diserte per Ioannem cap. 6. dixit. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est tus.* Et addidit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem.* Exprimens vtramque speciem, ergo vtraque sumenda est, si Eucharistia Conuiuium est. Respondetur argumento. Primo verum esse sub vna tantum specie, & cibum, & potum sumi: nam qui vnam sumit, totum Christum sumit, qui corpore constat, & sanguine; itaque in communione laica, & mãducatur simul, & bibitur. Secundo, quia hæretici volunt, vt omnino sit distinctus potus. Rogo eos tanquam peritos epulandi, vtrum condimenta, & iuscula admittant? puto annuent. Tunc vrgeo: si quis pectusculum gallinæ contusum, & dilutum in vasculo bibat, sumet nec cibum simul, & potum? non negabunt. Concedant ergo necesse est, posse eandem rem, & cibum esse, & potum.

Ioan. 6.

Sed reponunt: huiusmodi condimenta moribundis præberi, se autem mori nolle. Respondeo non solis moribundis, sed etiam senibus, ac alijs edentulis dari, imo & hos nisi ita manducent, non posse viuere. Rursum negant senes, & edentulos esse se. Sint ergo similes infantibus, qui solo lacte nutriuntur, eoque cibantur, & potantur. Non acquiescunt. Vellent distinctè manducare, & distinctè calicem bibere. Id credo eos non optaturos, si aqua sola aqua in calice esset.

Respondeamus tamen seriò. Hic cibus, & potus Eucharisticus non est communis, & vulgaris, nec datur homini ad augendum, & nutriendum corpus, sed altioris generis est, & spirituali more sumitur ad sanctificandam animam. *Quid ergo parant*, inquit Augustinus, *dentes, & ventrem?* Præparent animam, & mentem, ne similes esse velint illis Hebræis, *qui ollas carnium, & allia, & cæpas Aegyptias desiderabant.* Hic enim cibus licet per hos reuerenter sumatur, non est gulæ, sed fidei, & amoris. Vnde in forma ad argumentum dicitur: Eucharistia est cibus, & potus: distinguo; realis, Sacramentalis, & diuinus concedo. Materialis, vulgaris, & ex culina nego. Itaque mensam sacramentalem fatemur: materialem, & crassam negamus. Nec istud conuiuium omnino simile esse debet conuiuijs ordinarijs, quia mysticum est, & spirituale, & ad communicandam gra-

August.

etiam dirigitur. Vbi animaduerto hæreticos nostri temporis similes videri antiquis Iudæis existimantibus Christum daturum esse in Eucharistia carnes suas assas, aut coctas ad esum, & sanguinem suum expressum è venis ad potum. Deinde obseruo Caluinistas peiores esse Iudæis, quia hi intellexerunt verba Christi de vero corpore, & sanguine, licet mysterium horruerint, & reiecerint. At Caluinistæ negarunt veritatem corporis, & sanguinis, & solam figuram intellexerunt. Vnde ijs licet, si sola figura est in Eucharistia, non solum panem, & vinum sumere, sed etiam carnes assas, & elixas edere, & more ordinario struere conuiuia, & lautè, ac oppipare symposiari.

Terminus disputationis esto: necessaria quæstio, & curiosa: vtrum aliquando & aliquibus licitum fuerit per Ecclesiam sub vtraque specie communicare? Qua de re agit Casalius lib. 3. de cœna, & calice Domini, & Henriquez lib. 8. de Eucharistia cap. 44. & Bellarm. lib. 44. de Eucharistia cap. 26. & Vasquez disput. 216. cap. 4. Distinctè procedamus in primis. Natio Græca semper seruauit, & adhuc seruat vsum calicis in communione etiam laicali, nec ea consuetudo abrogata fuit in vllo Concilio, quia nimirum faciunt ex antiqua traditione, & citra errorem. Ante Bohemorum errorem permissum fuit Regibus Galliæ bis in vita, semel, quando vngebantur, & iterum in articulo mortis sub vtraque specie communicare. Postea Clemens V. etiam ante legem prohibentem vsum calicis, eis permisit quoties vellent sub vtraque specie Eucharistiam sumere, teste Sandero lib. 7. de visibili Monarchia, & Tappero art. 15. §. 4. *ad cuius imitationem*, inquit Henriquez *apud quosdam in Gallia mos fluxit, non publicè, sed in priuatis sacellis communicandi eodem illo modo*. Præterea Imperator ex antiquissima consuetudine sumit calicem sanguinis, quando coronatur, authore Vbaldo, & Casalio.

Casal. Henr. Bellar. Vasq.

Sand. Tap Henr.

Cum Rege item Angliæ dispensasse Clementem V. ex aliorum sententia tradit Vasquez, sed quomodo, & quoties vsurus esset calice, non exprimit, nec vllum citat certum authorem: annum designat 1341. Hæc sunt priuilegia quæ inuenimus laicis fuisse concessa. Cæterum in missa Papæ solemni excipitur à cōmuni lege, authore Vasquez, Maior Diaconus, qui summo Pontifici celebranti assistit. *Is enim*, ait, *sub vtraque specie etiam communicat*. Henriquez amplius addit lib. 8. de Eucharist. cap. 44. his verbis. *Dum Papa solemniter celebrat sumpto corpore Christi sedet, & Diaconus Cardinalis defert ei calicem bibendum: deinde ministrat illum alijs Cardinalibus etiam Diaconis, quod etiam nunc seruatur apud Monasterium Cluniacense, & Dionysianum*: & quidem de Cluniacensi confirmat Vasquez disp. 216. cap. 4. num. 44. & adducit in testimonium Claudium de Sainctes repetitione 12. de Eucharistia cap. 20. De Monasterio autem Dionysiano prorsus tacet.

Vasq.

Claud. Sainch:

Hæc prisca sunt, & ante hæresim Bohemorum. Post illam scire oportet quomodo se gesserit Ecclesia? Aeneas igitur Syluius in historia rerum Bohemicarum cap. 52. scribit Bohemos in Concilio Basileensi vsum calicis postulasse, ac primum propter recentis hæresis periculum non obtinuisse. Postea promissum à Patribus fuisse, permittendum ijs calicem sub ea conditione, vt crederent Christum totum, & integrum esse sub qualibet specie, & vt Sacerdotes plebem ad id credendum exhortarentur: idque demum concessum esse testatur Chronicon Polydori lib. 21. & ita refert Seueri-

Aeneas. Sylu.

Polyd.

nus

nus Binius in notis ad illud Concilium pag.405. postea Paulus III. vt scribit Vasquez disp. 216. c.4. idem priuilegium de communicando sub vtraque specie Bohemis confirmauit, sub ijsdem tamen conditionibus, ne periculum esset errandi. Vasq.

Luther. Hinc patet Lutherum falsò dixisse in lib. de captiuitate Babylonica Concil. Basileense declarasse licere Bohemis vtramque speciem sumere, & in eo cõtradixisse ijs quæ docuerat Constantiense Concil. quę sanè mera impostura est. Nam Constantiense Concil. in doctrina de communione sub vtraque specie reducendo illam ad vnam tantum speciem omnino conuenit cum Basileensi, vt apparet ex Constantiensi sess. 13. & ex Basileensi sess. 30. Concil. Constan. Cæterum Constantiense nihil declarauit circa dispẽsationem cum Bohemis. Basileense autem, vti proximè diximus, concessit Bohemis sub cõditione proximè adducta dispensationem communicandi sub vtraque specie. Insigne item mendacium est Illyrici in Apologia Confessionis Antuerpiensis cap.14. qui temerè ait Concilium Tridentinum conuictum fulgore Verbi Dei tandem agnouisse suum errorem, & permisisse communionem sub vtraque specie fidelibus laicis quod quam falsum sit, apparet ex sess. 21. & 22. eiusdem Conc. Tridentini. Illyric.

P. Vasq. Volo autem afferre verba P. Vasquez disp.216. cap.4. n.45. vbi ait. *Remoto errore, licet non videatur subesse causa ad abrogandam legem, aliqua tamen esse poterit, vt cum aliqua peculiari persona, imò & cum ciuitate, aut natione dispensetur*. Et n. 46. iterum. *Nec enim*, inquit, *tantæ virtutis ad obligandum hæc lex Ecclesiastica esse potest, sicut falsò nonnulli arbitrantur, vt in nullo prorsus casu liceat laico calicem sumere. Nam cum sit humana lex non potest Epychiæ, seu emendationi non esse subiecta*. Hanc doctrinam Vasquez veram Ecclesia fecit, cum Bohemis dispensando, sicut etiam poterit cum alijs nationibus, si causa iusta fuerit, dispensare. Hæc de iure. Quod attinet factum. De quibus variè sentiunt Authores, ea constare volo. Primum Papa solemniter celebrante, non omnes qui adsunt Cardinales (quod affirmat Henriquez Ledesma, & Fagundez, & Theatri author) sanguinem è calice sumunt, nec solus Diaconus, (vt significat Suarez, & Vasquez) sed vterque Diaconus, & Subdiaconus calamo sanguinem sugit: idque tradit Roccha libro de Sacra Summi Pontificis Communione, quæsito 4. & 5. & habetur in Romano Cæremoniali, seu Rituali lib.2. c.14. ac ego ipse hodie qua die hæc Romæ scribo audiui ex Magistro Ceremoniarum qui à me consultus idem confirmauit. Henr. Led. Fag. Suar. Vasq. Roccha. Secundum Clemens VI. non Regi Angliæ, (vti ait Vasquez) sed Galliæ Philippo Valesio concessit vsum calicis cum iure ad Reges posteros transmittendi quandocunq; vellent, teste Spondano in Auctario ad ann. 1347. sed ea tantùm facultate vtuntur cum consecrantur, & cum viaticum accipiunt; citatque ibi Spondanus Henriquez, & Gualterium. Spond. Gualt. Tertium Martinum V. absoluto Concilio Constantiensi cui præfuit, Romam reuersum Laicos vtraque specie cõmunicasse, quemadmodum narrat Henricus Kaltaisen Archiepiscopus Nidrosiensis oratione habita in Conc. Basileẽsi, quem item citat Lindanus l.4. c.56. Lindan. Fortasse vt cum honore illa consuetudo à parte Ecclesiæ recepta, in Latina sepeliretur. Hæc constant ad tollendas controuersias inter recẽtioris memorię authores, quos video inter se minus cõuenire. Legat qui volet Filiuciũ, Fagund. Leandr. Dian. & authorem mei instituti P. Christophorum Delgadillo in suo

præclaro de Euchariſtia opere, qui doctè, & accuratè tum Scholaſticas, tum Poſitiuas ad illud Sacramentum pertinentes controuerſias tractauit. Quo nemo accuratiùs iſta diſtinxit.

Ac ne quid Lector deſideret, addo. In Cluniacenſi monaſterio iam inde ab antiquis temporibus illius ſub vtraque ſpecie Communionis vſum remanſiſſe, hodieque vigere: cum certis quibuſdam ſolemnioribus diebus Diacono, & Subdiacono de calice propinetur. Quæ conſuetudo celebrior adhuc eſt in Regio Conuentu S. Dionyſij prope Pariſios in quo cum multa ſint viſu, & admiratione digna, tum hoc præcipuè notabile, quod omnibus, ac ſingulis anni Dominicis, & feſtis Principalibus, ac ipſo S. Dionyſij Tutelaris die in Miſſa ſolemni diaconus, & Subdiaconus ſanguinem fiſtula ſugunt è calice, vt quæ cæremonia raro in Vrbe, ac non niſi celebrante Pontifice fit, ea ibi frequenter exerceatur. Magna ſcilicet erga illud inſigne monaſterium, tum Gallorum Regum liberalitas, tum Romanorum Pontificium indulgentia fuit.

F I N I S:

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A

Ani-

B

C

Cle-

Con-

F

Fi-

Im-

L

M

Matri-

N

Olei

O

P

Mmmm Præ-

Scien-

I N D E X

Ver-

FINIS:

REGE.

618

REGESTVM.

§. §§. §§§. §§§§. ABCDEFGHIKLMNOPQR STVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm.

Omnes ſunt Duerniones.

R O M AE,

Ex Typographia Philippi Mariæ Mancini. M.DC.LXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.